R. P. F.

IGNATII COVTIÑO,

ORDINIS FF. PRÆDICATORVM S. THEOLOGIÆ LICENTIATI,

SANCTORALE,

Sive Conciones super Festivitates maximè Illustrium Sanctorum, quos Ecclesia Catholica per Anni discursum celebrat.

Quas ex Idiomate Hispanico in Latinum transtulit R. P. F. HENRICUS HECHTERMANS, *Ordinis FF. Prædicatorum S. Theologiæ Licentiatus, & Professor Conventus Mosæ-trajectensis.*

TOMVS SECVNDVS.

Cum Quadruplici Indice: I. Tractatuum & Considerationum. II. Locorum S. Scripturæ. III Rerum maximè memorabilium. IV. Concionum super Evangelia Adventus, & trium Feriarum Quadragesimæ.

EDITIO SECVNDA AVCTIOR ET CORRECTIOR.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM BUSÆUM, Bibliopolam

Sub Monocerote M. DC. LXI.

Cum Privilegiis Cæsareo & Regis Hispaniarum.

ELENCHUS CONCIONUM, SEU TRACTATUUM, ET CONSIDERATIONUM, QUAE IN HOC Tomo de Sanctis continentur.

TRACTATUS I.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ, *Primi Apostoli & Christiani.*

CON-

TRA-

FINIS.

TRA-

TRACTATUS I.


IN FESTO SANCTI ANDREÆ,

Primi Apostoli, & Christiani.

Dum hæc Concio diceretur, erat sanctissimum Venerabile expositum.

Continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.

Matthæi 4.



ELEBRAT hodierno die sancta Mater Ecclesia Festum primi, & antiquioris Discipuli Christi Salvatoris & consequenter primi sanctæ legis novæ Christiani, quemadmodum Angelicus noster S. Thomas affirmat: *Andreas fuit primus Christianus*, id est, fuit sanctus Apostolus, & inclytus Martyr Andreas protochristianus, qui in mundo Christianam fidem professus est. Statim ac mihi hæc concio prædicanda commendata fuit, conjeci oculos in singularem devotionem, quâ illustres Belgæ in omnibus Regnis & Provinciis, quas incolunt, festivis signis, & indiciis gloriosum hunc Sanctum venerantur. Et simul proposui radicitùs indagare, & nosse causam impellentem hujus tam sanctæ ac generosæ pietatis: & attento studio, & diligenti curâ, re examinatâ, comperi, Libros docere, Andream primum fuisse, qui nomen dedit scholæ Archimagistri Christi, & Euangelicæ doctrinæ, primumque fuisse auditorem legis Euangelicæ; & Christianæ religionis fundatorem, quæ omnia ipsi tot, tantosque devotorum animos conciliârunt. Eapropter Illustrissima Domus Burgundica, tamquàm legitima nutrix & potentissima propugnatrix purissimæ nobilitatis Christianæ, sub vellere aureo militans, Patronum, & advocatum sibi elegit gloriosissimum Apostolorum coryphæum, S. Andræam, ejusque crucem pro insignibus assumpsit; ut videre est, in vexillis regalibus Cæsareæ domus Hispanicæ, in quibus ubique Crux S. Andreæ, vel, ut loquuntur Hispani, *la Aspa*, refulget; conjuncta enim est Domus Hispanica Burgundicæ, cujus insigne est, *vellus aureum*, & devotio erga S. Andream, tamquàm Catholicæ Ecclesiæ primum Christianum. Et quòd Inquisitiones Hispaniæ ponant rhombum, seu crucem S. Andreæ in veste illâ pœnitentium, seu punitorum ab Inquisitione, quæ est nota pœnitentiæ, & vocatur ab Hispanis, *Sambenito* (uti quidam non infimæ classis Authores observant) ideò est, quòd, quemadmodum S. Andreas fuit primus sanctus, qui Messiam invênit veluti sacra pagina attestatur, & sub hisce vocibus eum fratri suo indicavit: *Invenimus Messiã* eumque ad Iesum adduxit, & instruxit; & tota Iudæorum cæcitas sita sit in quærendo Messiâ, quem numquàm inveniant; videtur Ecclesia in habitu S. Andreæ rogare, & supplicare Sancto, ut eorum tutor, & director esse dignetur, & ceu ipse fælici sorte Messiam invenit, etiam ipsi tandem inveniant, & qui jam Petrum fratrẽ suum illuminavit, ut agnosceret Christum, eique se discipulum adjungeret, etiam illos pari lumine illustret, ut illum inveniant, & adorent. Eccè, adest Festo hujus Sancti sanctissimum Venerabile expositum, vel quia Dominus vult suâ regiâ, & reali præsentiâ compensare ei devotionem,

D. Thom. in c. 1. Ioan. lectiô. 15.

Ioan. 1. v. 41.

votionem, quam semper habuit ergà sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum nulla dies abiret, quin illud susciperet, sicuti enim in hôc Sacramento habebat Christum præsentem, (est enim Sacramentum singularis amoris tessera,) illô alleviabat pœnas, & dolores, quos propter visibilem ejus absentiam quotidiè augescentes persentiebat. Hoc sonant verba illa ad Ægeam proconsulem dicta: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidiè non carnes taurorum, non hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in Altari.* Vel dicamus, convenientissimè Christum sub sacramēto velatum, hocce die martyrii Crucis S. Andreæ exponi, & comparere, ad insinuandum ex tali causâ similem effectum promanâsse; sumptione enim corporis, & sanguinis Christi disposuit se Sanctus ad generosè mortem crucis subeundū, & imitandum Dominum, qui peracta sacra communione corporis, & sanguinis sui, statim se ad mortem crucis accinxit. Bellè servit huic dicto Textus ille sacræ Scripturæ, in quô Propheta Elias rogavit honestam illam viduam Sareptanam, petiitque ab ea panem ad manducandum: quæ ei respondit, se nihil domi habere, præter pugillum farinæ, & guttulam olei, quæ inter se, & filium partita, adhuc non sufficiebāt victui necessario, & quod haud dubiè illis esset moriendum: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydria, en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Vt quid prudens, & devota mulier colligis duo ligna, ad parandum cibum tuum? nonne coquis, & præparas illum ad manducandum? Neutiquàm, ô Propheta sancte, sed ad moriendum; ast quæ necessitas parandi escam, seu prandium, mox morituros? Audite responsum Theophanis magnâ attentione dignum: *Farina carnis Dominicæ, quâ nutrimur, typum gessit, duo ligna, indicant duo ligna, ex quibus Crux;* id est, in farina, & Crux, & Sacramentum Eucharistiæ præfigurantur. Dum igitur hæc devota vidua præparat farinā Eucharisticam, seu sanctissimum Sacramentum ad vivendum spiritualiter per gratiam, tunc ei objicitur & repræsentatur Crux ejusdem Salvatoris, & ipsamet propriis manibus eam componit, ardens desiderio moriendi in illa, & crucifigi cum Christo. Si itaque primogenitus hujus viduæ (in qua Ecclesia adumbratur) Sanctus Andreas alebatur, & victitabat hac sacra farina, eratque ei panis quotidianus SS. Eucharistiæ Sacramentum, quis dubitet, quin illa exuberantis lætitiæ signa, quibus Crucem ambiebat, sint miraculosi effectus illius. De his nobis agendum est, ad honorem Dei nostri, ad venerationem Sancti, & ædificationem devotorum ejus: ad hoc egemus favore gratiæ, eam imploremus: *Ave Maria.*

In Breviario Romano.

3. Reg. 17. v. 12.

Theophanes apud Gret. tom 1. de Cruce.

Continuò relictis retibus, &c.

CONSIDERATIO I.

Qui magno affectu amat, promptus obedit.

1. PLurimùm commendat, & meritò extollit S. Ioannes Chrysostomus celerem illam, ac promptam obedientiam horum fratrum, Andreæ, & Petri, qui ad primam vocem vocantis Salvatoris nulla interposita mora, relictis omnibus, navi, retibus, cæteraque nautica suppellectili, cum continuò, attracti dulcedine vocis eos adhortantis, sequuntur: *Venite, &c.* asseritque clarum fuisse argumentum, & manifestum fidei, & amoris indicium, quo eorum corda inflammante, prompti inspirationibus, & vocationibus divinis acquieverunt: *Perpende fidem, & obedientiam vocatorum, siquidem in medio ipsius operis constituti, cùm illum audissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omninò cunctati sunt:* additque os aureum, quòd hi Discipuli idem prorsus egerint, quod Eliseus cum Magistro suo Elia. *Fecerunt, quod Eliseus quoque sub Elia legitur implesse.* Alludit magnus Pater ad locum sacræ Paginæ, qui primam discursûs nostri probationem suppeditabit.

D. Chrysost. hom. 14. in Matth.

2. Arabat Eliseus, quandò cum Propheta Elias vocabat, ut sequeretur monentem, & protinùs humilis rusticola relictis omnibus in agro, solummodò facultatem petiit valedicendi parentibus suis, (infirmitas in lege, seu veteri Testamento permissa, quia in novo mutato rerum ordine, non consensit Christus adolescenti, ut patrem suum sepeliret:) verùm advertit sacer Historicus, quòd vocanti Eliæ extemplò obsecutus fuerit Eliseus: *Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Non carpo modò convivium, quod ei instruxit, ad quod parandum occidit duos boves, quibus arabat, neque etiam pondero, quòd aratro, quô terram sulcabar, ollam carnium coxerit: *Tulit par boūm, & mactavit*

3. Reg. 19. v. 20.

mactavit illud, & in aratro boûm coxit carnes. Quamvis Doctissimus Abulensis in hisce actionibus magnum deprehenderit mysteriū, supponens, quòd neutiquàm deerant in domo ejus obsonia ferina, quibus Prophetam genialiter exciperet, neque etiam ligna, quibus cibos coqueret; & idcircò asseverat Eliseum id egisse, ut toto corde mundum desereret, ad quærendū Deum, & sequendum Magistrum suum Eliā: *Mactavit par boûm, faciens solemnitatem magnam omnibus amicis, & cognatis suis, quia nunc recedere volebat ab eis, tamquàm numquàm rediturus ad statum eorum.* Quòd ergò occidat boves, quibus arabat, & comburat aratrum, indicat ipsum velle renuntiare omnibus, quæ in mundo ipsi impedimento erant, ne cupiditas rerum caducarum ipsius animum rursùs avocaret: *Hoc fecit, non quidem tamquàm non haberet alia ligna, sed quia transibat ad Dominum, omninò volebat renuntiare sæculo, ita ut nihil relinqueret in illo, quod ad se pertineret.* Quemadmodùm etiam hi Apostoli reliquerunt navim, retia, & omnia, in signum, quòd renuntiarant jam omnibus bonis temporalibus, & generosa animi alacritate Deum quærerent. Insignis sanè doctrina, Authore suo digna. Attamen meditatio gloriosi sancti Nili assumptum nostrum corroborat, considerat ipse properam illam promptitudinem, qua Eliseus sequebatur Eliam, valdè similem illi, qua Andreas secutus est Salvatorem: *Qui statim relictis bobus secutus est Eliam: at illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Hæc*, inquit sanctus Abbas, *promptum ardentis animi studium declarant.* Fuerunt illi effectus amoris divini, qui transverberaverat cor Elisei, quapropter cùm posset ad libitum disponere de bonis suis, ita ut illis omninò non careret, id non fecit, neque aliquem consuluit ad deliberandum de illis, sed renuntiatis, & calcatis omnibus, tantummodò vocanti mox obtemperare studuit, & tantò promptior, & excellentior fuit ejus obedientia, quantò ardentior ejus charitas, & amor: *Sed cùm totus incensus esset cupiditate, quâ ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tamquàm à recto proposito studuit explicare.* Ita concludit S. Nilus.

Abulensis q. 236. in lib. 3. Reg. hic.

D. Nilus in Ascet.

3\. Pensiculatiùs trutinanda sunt verba illa regii Vatis Deum alloquentis: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ingeniosè observat S. Ambrosius cursum hunc, de quo loquitur David, esse metaphoricum, similitudine desumpta à cursu equi: *Cucurri*, inquit, *ut bonus equus: habet enim suos equos Christus, de quibus Propheta: Ascendes super equos tuos, & quadriga tua salvatio.* Liceat mihi, salva venia divini Ambrosii, si non promovere, saltem explicare hanc doctrinam. Equus bonæ indolis, & generosi pectoris sola virgula regitur, ita ut equiso, seu insessor nullò quasi fræno eum in omnem flectere partem, & celerrimo quasi volatu ejus indolem explorare possit, imò circumagit eum, in gyrum ducit, ad cursum impellit, ut libet, & mox currentem sistit: verumtamen ignavum jumentum, & tardigradus asinus, nedùm ad cursitandum, verùm etiam ad incedendum eget calcaribus, stimulis, & fustibus, & flagellis, ut ad incessum compellatur, imò verberibus cæsus vixdum pedes movet. Hoc itaque voluit insinuare S. Ambrosius, ut curreret David per viam mandatorum Dei, non fuit opus nisi nutu virgulæ, ad primum nictum oculi supernus ille insessor adegit eum ad currendum per viam divinæ legis, hoc est, *viam mandatorum tuorum cucurri.* Et notandum est, non esse parvi momenti currere ad instar equi per viam præceptorum, cum sit angusta, aspera, & fragosa, ceu ut Glossa Ordinaria adnotavit. Ecquid ergò compulit eum ad tam celerem, & velocem cursum per viam mandatorum? *Cùm dilatasti cor meum.* Curiosiùs perscrutantur sacri Interpretes quænam fuerit hæc cordis dilatatio, quæ adeò adegit hominem ad currendum tanta festinatione per vias tam difficiles, & angustas? Communior modus respondendi est, magni luminis Ecclesiæ S. Augustini, qui differens de hac cordis dilatatione, arbitratur illam esse delectationem animæ, & gaudium, quod vir sanctus in promptitudine obedientiæ suæ ergà legem Dei persentit: *Cordis dilatatio, est justitiæ delectatio.* Egregia quidem doctrina, attamen in præsenti aliam inibo viam in explicatione horum verborum, quapropter constanter dico, quòd recurrens ad idem vaticinium Davidis, & considerans quantus fuerit Dei amator: *Diligam te, Domine, fortitudo mea*, & quāto amore legis divinæ captus fuerit: *Quomodò dilexi legem tuam, Domine?* colligam ex his præmissis dilatationem cordis, de qua hic mentionem facit, nihil aliud fuisse, quàm, quòd Dominus ita extenderit & dilataverit cor ejus, ut capax fuerit & Deum, & legem ejus recipere, imò quòd jam

Psal. 118. v. 32.

D. Ambr. hic.

Abacuc 3. 8. v.

Glossa Ordinar. hic.

D. Augustin. hic.

Psal. 17. v. 1.

Psal. 118. v. 97.

Psal. 39. v. 9. iam possessionem illius occupaverant: *Et legem tuam in medio cordis mei.* Et cum cor sit centrũ amoris, idem fuit, ac insinuare quanto affectu vir sanctus Deum, eiusque legem sanctam diligeret; etenim rapiebat cor eius, & extrà ipsum nihil ambiebat. Hæc fuit, uti dixi, extensio cordis, quam Deus ei donavit, & huic causæ attribuit David celeritatem cursus, qua per semitam mandatorum Dei cucurrit. Idemque fuit, ac si dixisset: Licèt tanta animi promptitudine obsecutus fuerim, ô Domine, vocationi tuæ, attamen totum id magno amori, quem mihi communicasti, refero, & attribuo; qui enim te diligebat multum, non poterat currere parùm. Alas induit ad obediendum, qui divino fervet amore.

4\. *Isai. 60. v. 8.* Comparavit quondam Evangelicus Vates servos Dei nubibus & columbis: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas?* Declarant communiter expositores hæc Prophetica verba de Sanctis novæ legis, eaque sancta Mater Ecclesia sanctis Apostolis accommodat; & ponderans ea insignis noster Oleaster, existimat hac similitudine Isaiam voluisse extollere velocitatem illorum, qua afflati Spiritu divino cœlestibus inspirationibus obtẽperant, imitantes celeritatem nubium in motu suo, & columbarum velocitatem, qua columbarium suum repetunt, & edocentes suo exemplo, quanta promptitudine debeant fideles currere, & volare ad ea, quæ Deus præcipit, & commendat: *Olearster hic.* *Admonemur hic, qua aviditate venire debeamus ad Deum, cum ab eo elongati sumus; nempè, ut veloces nubes, & columbæ ad nidos, ubi pullos nutriunt.* Præclarè dictum. Sed majoris refert ad intentum nostrum probandum, indagare causam, ob quam tam veloces cucurrerint, seu volarint gloriosi Apostoli? Et sanè, mea sententia, nulla alia fuit præter amorem, quo plurimùm diligebant. Loquatur David, qui mille sæculis antonomasticè amicos Dei appellavit: *Psal. 138. v. 17.* *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Imò ipsemet Dominus postmodùm homo factus, eodem titulo eos condecoravit: *Joan. 15. v. 15.* *Non dicam vos servos, sed amicos,* & uti tales eos habuit. Et hæc fuit ratio, quarè S. Petrus examinatus à Domino circà amorem: *Diligis me plùs his?* ipse, adnotante sancto Augustino, responderit ad primum *diligis*, & obmutuerit ad secundum, *plùs his.* *Joan. 19. v. 15.* Verba enim eius hæc sunt: *Tu scis, Domine, quia amo te;* non autem addidit, *plùs his.* Cum divinus Magister non solum interrogaret de simplici amore, an diligeret, sed an excellentiori amore præ aliis, diligeret: fuit adeò modestus, & circumspectus S. Petrus, ut non responderit ad illud *plùs,* sed solummodò dixerit: *Tu scis, Domine, quia amo te.* *D. Augustin. in catena D. Thomæ.* Existimabat namque se aliis condiscipulis iniuriam facturum, si seipsum illis in amore præferret, dum Salvator manifestè restabatur, quòd omnes diligerent. Supposita hac doctrina tamquam indubitata, non est novum, aut mirum, quòd tam celeres currant, tamque veloces volent in servitio Dei, illi, qui per antonomasiam ipsius amici indigitantur. Haud quaquàm poterit eum sequi tardigrado gressu Christianus, qui sincerè eum amaverit, sed mox ut audiverit vocem eius; omnibus, cum sancto Andrea renuntiabit, ad ei perfectè obediendum.

Magnô flagrabat desideriô Princeps publicanorum Zacchæus videndi Christum mundi Redemptorem. Erat pusillus statura, ast ut commodiùs posset videre prætereuntem Salvatorem, ascendit in arborem, quem videns Dominus, sic eum affatur: *Zacchæe, festinans descende, quia hodiè in domo tuâ oportet me manere.* *Luc. 19. v. 5.* Et protinùs descendit Zacchæus, Christus ingreditur domum eius, & considerans ipse magnitudinem beneficii sibi præstiti, & quanto Christus se honore dignatus erat, cohonestans domum suam præsentia sua, uberemque sciens hospitii sui mercedem, totius vitæ suæ seriem ei enarravit, & intima cordis sui arcana expandit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquem defraudavi, reddo quadruplum;* id est, sum quidem Quæstor ærarii, & vectigalium, sed si alicui nocumento fuerim, restituo quadruplum. Audiens Christus omnia, quæ enarraverat, respondit illi: *Hodiè huic domui salus à Deo facta est.* Magno ingenii acumine ponderat hoc factum Laurentius Novariensis, atque circumstantes fuisse stupefactos, & attonitos ad tantam rei novitatem, & subitam mutationem, videntes eum, qui paulò antè hominibus erat contemptui, iam à Christo munificè honoratum, introducitque Christum tacitæ obiectioni obmurmurantium obviantem hisce verbis: *Quid vos indignamini talem operarium, tam maturè conversum, possum repellere, & non libenter recipere, & hunc despicere tam citò translatum de malo in bonum?* *Laurent. Novariensis hō. de pœnit.* Qui possum reiicere à societate mea, eum, qui primæ voci meæ obtemperavit? Nonnè videtis repentinam ejus conversionem, ita ut vixdum divini amoris jaculum

cor

cor ejus penetraverit, quin illicò obediverit? Idem fuit in ipso vocari, & me sequi. Imò ægrè domum ejus intravi, quin ipse totius vitæ suæ ordinem immutaverit: *Tam citò translatum de malo in bonum.* Non distulit in aliud tempus, inquit eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus, executionem propositi, aut boni operis; neque dixit, dabo eleemosynam, aut restituam aliena, sed do, & restituo: *Non dixit dabo, quia in promptu erat, ut daret*; fervor etenim pectoris ejus nullam ferebat temporis dilationem, sed ad actualem impulit operis executionem; sed quid hoc tantoperè admirandum, cùm ipse esset filius Abrahæ? *Nam & hic*, subjunxit Salvator in laudem ejus, *est filius Abraha.* Scio quidem hæc verba alias admittere interpretationes, ast mea est, Redemptorem illis voluisse significare, ex amore divino omnes illas immutationes, seu metamorphoses promanasse, per quem ipse erat filius Abrahæ. De hoc autem affirmat sacer Textus, fuisse singularem Dei amicum: *Amicus Dei appellatus est*; quod ipse in prompta obedientia comprobavit, qua Dei mandatis semper obsequebatur. Non suffert dilationem temporis cor amore divino accensum. Zacchæus est filius obedientiæ Abrahami, inquit Salvator, quia est hæres amoris illius: *Nam & hic est filius Abraha.*

Caietan. hic.

2. Iacobi. v. 23.

6. Ad primam vocem Redemptoris, ad primum nictum oculi omnibus renuntiant, & sequuntur eum duo fratres, Andreas, & Petrus, non solùm, quia, teste Eusebio Emisseno, per hoc correspondèrunt mysticæ significationi suorum nominum, Simon enim *obediens*, & Andreas, *respondens*, dicitur, quo pacto muneri suæ appellationis satisfecerunt; sed etiam, quia cùm essent ferventes in amore, fuerunt prompti in obedientia. Et quamquàm omnes Apostoli, uti diximus, fuerint amici Salvatoris, singulariter tamen eminuit S. Andreas, quemadmodùm liquidò constat ex celeritate & promptitudine ejus, qua divinis inspirationibus, absque ulla temporis mora, sed confestim acquievit. Quarè etiam in ejus Festo speciatim cantatur Evangelium S. Matthæi, quod recenset ejus vocationem, & festinam promptitudinem in obediendo. *At illi continuò, &c.*

Relictis retibus.

CONSIDERATIO II.

Renuntians sanctus Andreas omnibus bonis terrenis, quæ possidebat, ad sequendum Christum, fœdus, & pactum inivit moriendi, & vitam dandi pro amore ipsius.

IN die, qua Ecclesia celebrat spiritualem nativitatem S. Andreæ Apostoli, qua per fidem martyrio confirmatam renatus est ad fruendum nova vita gloriæ, quam in cœlesti Ierusalem æternum gaudens occupat, assumit Evangelium, quod nobis commemorat celerrimam, & expeditissimam ejus promptitudinem, qua Christo vocanti, & ad sui sequelam adhortanti exemplò obediens, omnia impedimenta, navim, retia, cæteramque nauticam suppellectilem contempsit, & reliquit, eumque mox secutus est, felicissimam, fortunatissimam sortem arbitratus, quã Deus illi offerebat. Certum prognosticon, & indubitatum præsagium, quòd præter bona, quibus renuntiabat, etiam vitam pro ipsius amore esset profusurus, inhærens in omnibus, & per omnia Magistri sui vestigiis, quem in vita, & in morte sibi scopum, & exemplar præfixerat: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea*, aiebat Redemptor mundi per os regii Vatis, ac si diceret: ab unguiculis, & teneris annis meis ultimum traho anhelitum: ità legunt Expositores ex Hebræo, *Expirans à juventute mea*; nedùm propter communem rationem, quia idem est incipere vivere ac mori, sed quia idem fuit pauperem fieri: *Qui propter vos egenus factus est*; seu amore nostrûm omnia flocci pendere; ac obstringere se ad moriendum in cruce pro nobis. Disertissimis verbis id asseveravit S. Petrus Damianus: *Præsepio reclinatus legem martyrii præfigebat*; id est, in paupertate præsepis omnibus Christianis bellum martyrii indixit, ac si diceret: Ex stabulo annuntiavit nobis se violenta manu mortem subiturum, & suo exemplo nos ad tantumdem tolerandum animavit, & hortatus est. Quid ità? Tantumnè fuit, quod Salvator in præsepi Bethlehemitico pertulit? quidni? nonnè idipsum Angelus annuntiavit pastoribus: *Invenietis infantem positum in præsepio*, hoc est, uti dicit Bruno Signiensis, instituit ibidem

1.

Psal. 87. v. 16.

Lect. Hebraica:

2 Corint. 8. v. 9.

D. Petrus Damian. serm. 25.

Luca 2. v. 12.

Salvator scholam paupertatis. Ad hunc sensum explicat verba illa Sponsæ in Canticis: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis*; intelligens per domum matris suæ, præsepe, in quo eum reclinavit, quandò eum virgo sanctissima peperit, & ex quo veluti cathedra nos documenta paupertatis prælegit, & edocuit: *Ducam te in palatium regium, non in domum excelsam, sed in eam ipsam domum, quam habuit Mater tua, quæ & te genuit, & mea, quæ mihi subvenit beata Virgo Maria, in qua te reclinavit, quandò te peperit. Ibi me docebis, quomodo omnia terrena despicere debeam.* Itaque doctrina, quam ibi prædicat, inquit Cardinal. Ostiensis, manifestè nos docet illum moriturum, ut nos salvet, & quòd paupertas propter Deum sit proxima dispositio ad martyrium, qui enim pollet animo ad renuntiandum bonis temporalibus huius vitæ, non est mirum, quòd non timeat ipsius vitæ facere jacturam.

Cant. 8. v. 2.

Bruno Signiensis ad 8. Cant.

2. Imò videtur, quòd cum difficultate diceret secundum, nisi exequeretur primum; ex renunciatione enim, & contemptu bonorum temporalium sequitur tamquam consequentia ex præmissis, sacrificium, & oblatio vitæ. Enarrans sacer Chronteus Lucas, quòd Christus portaverit crucem suam ad montem Calvariæ, addit ministros Satanæ angariasse, seu pretio conduxisse hominem nomine Simonem Cyrenæum venientem de villa, ut Christo crucem ferenti auxiliarem ferret opem: *Et cum ducerent eum apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.* Ad quid, inquit Theophylactus, addidit sanctus Evangelista circumstantiam, quòd hic homo, veniret de villa, aut agro suo? Superflua enim videtur huius circumstantiæ adjectio, ad historiæ contextum; certissimum tamen est, hocce verbum, reconditum continere mysterium, & sacramētum. Et hunc reddit sensum, ac si S. Lucas expressiùs diceret: *Ille potest fieri subditus Iesu, & tollere crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum, & ea, quæ sunt in mundo.* Non foret Cyrenæus tanto dignus honore, nisi ex sua villa conducttitia veniret, neque mereretur portare crucem post Iesum, nisi pretio renuntiationis rerum terrenarum, in egressu è villa sua adumbratæ, id comparasset. Et hoc ipso, quo cuncta terrena despexit, redditus est capax, & aptus ad ferendam Crucem Redemptoris, & moriendum pro illo.

Luca 23. v. 26.

Theophyl. hic.

Sollicito studio quærebant hostes Christi occasiones commovendi populum adversùs personam, & famam eius. Ad hoc exequendum usi sunt numismate, cui impressa erat imago Cæsaris, interrogantque eum, an licitum & fas esset censum dare Cæsari, an non? At ipse animadvertens depravatam eorum intentionem, dixit illis: *Cuius est hæc imago, & superscriptio?* Responderunt illi, Cæsaris: replicavit Christus. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Si percunctati fuerimus Tertullianum, quidnam Deo persolvere debeamus? illicò respondebit, quòd sacrosanctum sanguinem, quem filius eius pro nobis effudit: *Quid autem Deo debeo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me fudit Filius ipsius.* Gloriosus Ambrosius enucleans responsum Salvatoris, solito ingenii sui acumine observat Christum contrariam, & insuetam respondendi normam servare, quia nostro intelligendi modo consultius foret præponere Deum, ac dicere, reddite Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Sed mysteriis plena fuit hæc verborum transpositio, inquit sanctus Antistes: *Benè priùs quæ Cæsaris sunt, reddenda decernit: neque enim potest esse quis Domini, nisi priùs renuntiaverit mundo.* Hac ergò enarrationis serie docet nos Salvator neminem posse Deo frui, nisi priùs rebus temporalibus, per Cæsarem denotatis, renuntiaverit. Hactenus S. Ambrosius: sed salva tanti Doctoris venia, urgeamus hanc doctrinam, eamque cum Tertulliani verbis iam relatis componamus, & eliciemus hanc conclusionem; quòd, nimirùm, ut Christianus quispiam possit rependere Deo debitum pretiosi sanguinis Filii ejus, effundendo proprium per martyrium, priùs necesse sit bona terrena, & mundana deserere, & valedicere, hoc est, priùs dare Cæsari sua, & posteà quæ sunt Dei, Deo: *Reddite ergò, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Quid ergò mirandum, quòd S. Andreas consecret Deo sanguinem suum, propriamque vitam pro eo profundat in cruce, in remunerationem aliqualem sanguinis, quem copiosissimè benedictus eius Filius in ara Crucis pro illo effudit; cùm tanta viguerit animi fortitudine, ut ipsius amore, navim, retia, cæterasque possessiones relinqueret. 3.

Luca 20. v. 25.

Tertull. de fuga in persecut. c. 13.

D. Amb. lib 6. in Lucam.

Consonat huic doctrinæ illa Ruperti Abbatis, meo judicio, appositissima. Observat hic doctissimus simul ac ingeniosissimus Abbas, Christum Servatorem nostrum non abs re, aut 4.

causa ex illis octo beatitudinibus, quas prædicavit in monte, mirabilem quamdam, ac penè cœlestem chelim, seu testudinem octo fidium composuisse, quæ totam cœlestem musicam resonaret. Et curiosius notat primam beatitudinem esse unisonam cum octava, quia in ambabus resonat: *Quoniàm ipsorum est regnum cœlorum.* Eidemque dicto suffragatur magnus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus, licèt paucissimis verbis: *Itaque in prima, & octava nominatum est regnum cœlorum*, metaphora desumpta à musica, in qua octava consonat primæ. Et sic consonant in præmio, quod in una, & altera promittitur, etiam conveniunt, & sunt unisonæ in laboris molestia, ait Rupertus. Pulsate primam, & audietis: *Beati, pauperes spiritu, quoniã ipsorum est Regnum cœlorum.* Pulsate octavam, & mox resonabit in auribus vestris: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniàm ipsorum est regnum cœlorum.* Et totus hic discursus Ruperti in cantu simplici ac Gregoriano nihil aliud sonat, quàm quòd paupertati individua comes sit persecutio. Ne ergò in vanum, & frustraneo labore, Auditores, quæratis aliam consonantiam paupertatis, quamvis enim alias communiter habeat sodales, putà humilitatem, famem, lacrymas, &c. familiarissima tamen ejus consonans, & octava, est persecutio. Prudenter adnotatum, cujus doctrinæ fulcro innixus altiorem meditor musicam, & constanter affirmo, ideò in musicà beatitudinũ testimonio cœlestis Phonasci, idem habeant præmium pauperes, & afflicti, quia hoc documento, & lectione nos voluit instruere, qualẽ, quantamque consonantiam inter sese habeant martyres, & pauperes, & quàm individuæ sint comites paupertas, & persecutio, quia facili negotio profunderet vitam propter amorem Dei in martyrio, ceu alter Apostolus S. Andreas, qui ad ipsius exemplum abrenuntiaverit omnibus necessariis, quibus calcatis, & postpositis perfecta charitas obtinetur.

Matth. 5. v. 3. & 10

D. Augustin in catena D. Thomæ.

Rupertus lib. 4. de glorific. c. 5.

5 Adnotavi aliquando verba illa, quibus Salvator noster pusillum suum gregem consolabatur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis Regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Observavi ergò, quòd vixdum Salvator noster hæc fuerat elocutus, quin extemplo subjunxerit: *Vendite, quæ possidetis, &c.* Et ideireo videtur non congruenter, seu appositè fuisse locutus, nam ex una parte asseverat Patrem æternũ illis daturum Regnum, Regesque facturum, & ex altera, ut vendant cuncta, quæ possident. Etenim si Reges sunt, nonnè consultiùs est, ut sibi bona accumulent, quàm ut obtenta vendant, & abdicent? Qui enim hoc pacto regiam dignitatem & majestatem conservare poterũt? In enodatione hujus quæstionis plurimùm torquentur Interpretum ingenia, & in varias distrahuntur expositiones? ego quoque singularem inibo viam, non tamen deviã à semitis, & doctrina SS. Patrum, & sacræ Paginæ; existimo ergo Regnum, quod Christus impræsentiarum pollicetur, idem fuisse, quod Pater æternus Vnigenito suo in hoc mundo donavit. Porro, quodnã hoc fuit? Audite Davidem cũ Septuaginta Interpretibus illud dilucidè explicantem, ceu egregiè notavit sanctus Augustinus: *Quia Dominus regnavit à ligno.* Regnum Christi fuit Crux ejus, & tormenta, quæ propter gloriam Patris, & redemptionẽ generis humani pertulit. Hæc autem præcessit arctissima quædam paupertas, ita ut S. Paulus eã commemorans, dicat: *Qui propter vos egenus est factus.* Carpit, ac premit Angelicus Doctor ingenio suo, sanctum Paulũ neutiquàm dixisse, quod Dominus fuerit pauper factus, sed egenus, & mendicus: *Et dicit egenus, quod plus est quàm pauper, nam egenus dicitur ille, qui non solùm parùm habet, sed qui indiget, seu eget, pauper verò ille, qui parùm habet.* Ex quibus plana est, & manifesta differentia inter egenum, & pauperẽ: arctissima igitur paupertas illa, quam Servator noster in hoc mundo habuit, obtinuit illi Regnum, seu disposuit eum ad Regnum Crucis: *Quia Dominus regnavit à ligno.* Cum itaque Pater æternus statuisset, ut Discipuli Domini ad imitationem Magistri sui forent reges, & vitã suam crudelitati Tyrannorũ ederent, & traderẽt, ad hocce illos disponendum consuluit, imo, & præcipit, ut renuntient omnibus, quæ possident, & dent eleemosynam, & hocce modo in statu voluntariæ paupertatis perseverent. Si namque adeo generosi pectoris fuerint, ut ad placendum Deo cuncta contempserint terrena, nullatenùs dubitabunt proprium sanguinem pro ejus amore profundere, & esse socii ejus in fruitione Regni cœlestis: ac proindè optimè cohærent verba illa: *Vendite quæ possidetis*, cum illis, *complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

Lucæ 12. v. 32.

In Psalm. 10. Septuag. Interpr.

D. Augustin hic

2. Corinth. 8. v. 9.

D. Thom. Lect. 2.

6 Secundo premit S. Andreas vestigia Magistrã sui tam in morte, quàm vitã, sequitur enim præeuntẽ fervens, maturans, & anhelãs, ut Archiepiscopus

D. Petrus Chrysologus serm. de S. Andrea. episcopus Ravennas loquitur: *Sequitur hic moriendo Dominum æstuans, & anhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit sistere vestigiis.* Et quia decrevit eum imitari pauper in vita, ideò constans sequitur eum in morte. Hæc omnia complectuntur verba Thematis nostri: *At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.*

At illi continuò relictis retibus.

CONSIDERATIO III.

Quam ob causam hic sanctus Discipulus, purus homo ostenderit fortitudinem, ac si divinus foret, & Magister divinus imbecillitatem, quasi totus homo esset.

1. DEvotus, ac contemplativus S. Bernardus considerans in Concionibus huius Festi gaudium, & exultationem, qua S. Andreas videns crucem sibi paratam, eam summis laudibus extollebat, eiusque mysteria tanto devotionis fervore prædicabat, & quasi amore eius captus exclamabat: *Salve Crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata, &c.* ponderat ingeniosè, quòd ad conspectum tormentorum crucis, ad quæ quispiam expavesceret, & exanimis deficeret, ipse nec horruerit, nec timuerit, aut vultum immutaverit, sed constans animo & intrepidus exultaverit: *Videns paratam eminùs crucem, neququàm ut exigere videtur mortalis infirmitas, facies expalluit, nequaquàm sanguis eius gelatus est, non stetere comæ;* imò potiùs illam exquisivit, & lætus salutavit, & tam dulcia, ac tenera verba ex ore, vel interiori cordis eius affectu audiuntur, ut magnus Ecclesiæ Pater S. Bernardus attonitus obstupescat, & conversus ad nos, interroget: *Obsecro, fratres, homo est, qui loquitur hæc? An non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura?* Haud dubiè, inquit, homo mortalis est, & similis nobis: *Homo planè similis nobis passibilis: nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat.* Ecquis ergò mihi dicet, aut explicabit tam inauditam, & peregrinam hominis mortalis constantiam! Vndè, quæso, tantum animi robur, unde tam invicti pectoris fortitudo! Vndè tanta cordis jubilatio, ut non solùm non contristetur, sed etiam positivè lætetur! Non solùm timet, verùm etiam exultans, jubilat, & gaudet: *Vndè ergò in homine nova hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita! Vndè in tanta fragilitate tanta constantia. Vndè in homine tam spiritalis mens, tam fervens charitas, animus tã robustus.* Revocate in memoriam angores Christi Redemptoris in horto, quando appropinquante jam hora mortis, ei repræsentata fuit Crux, in qua erat passurus; & videbitis eum timore plenum, angustia cordis undique concussum, ita ut ipsemet quodammodò agonizans, ingentem, & ineffabilem cordis sui dolorem hac lamentabili voce profiteatur: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. 27. v. 38. Reducite rem ad sua principia, & considerate, undè originem trahant vehementissimi illi dolores, & scitote has luctuosissimas voces, quas emittit, esse infirmitates sancti Andreæ, quas in se suscepit, & dulcissima illa verba, amoris plena, quibus Andreas desiderio exæstuans crucem alloquitur, & invictam fortitudinem, qua eam amplectitur, esse Christi Salvatoris, qui eam Andreæ contulit: *Agnosco planè in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægri vocem in medico.* Fecit Christus admirabilem permutationem, ita ut ipse nedùm contentus dare nobis suam fortitudinem, constantiam, lætitiam, & gaudium, sed etiam in se susceperit infirmitates, dolores, & angustias nostras, quo pacto se verum Deum, & simul hominem comprobaret, statuitque ut taliter S. Andreas pateretur, quòd verus homo existens, etiam divinus appareret, vel homo Dei, quemadmodùm cantat S. Mater Ecclesia: *Homo Dei ducebatur ad crucifigendum.*

D. Bern. serm. 2. de S. Andrea.

Formavit Deus Evam protomatrem nostram ex costa, quam desumpsit ex Adamo, & posuit pro ea carnem, veluti sacer Historicus attestatur: *Tulit unam de costis, & replevit carnem pro ea, & ædificavit eam in mulierem.* Gloriosus S. Augustinus enucleans hanc Creatoris fabricam, cat: i ingenio suo, quòd convenientiùs videretur, si mulier, quæ est inferioris sexus, efformata fuisset ex carne hominis, & huic relicta fuisset costa, qui robustioris naturæ erat futurus. Qui igitur Deus contrarium fecit? Ad solvendum nodum huius dubii recurrit sanctus Doctor ad mysterium, quod S. Paulus in hoc opificio adnotavit, maximum in eo sacramentum deprehendens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Atque sanctus Doctor Paulum voluisse hocce facto insinuare, ac denotare firmitatem, ac constantiam, 2.

Genes. 2. v. 21.

Ephes. 5. v. 32.

tiam, quam Deus erat donaturus Ecclesiæ suæ per fortitudinem Christi in ipsa costa adumbratam, qui successu temporis assumpturus erat infirmitatem naturæ humanæ in carne significatam. Itaque commutatio quædam fuit facta inter Deum, & hominem, ita ut fortitudo, & constantia Sanctorum sit ipsius, & debilitas, seu infirmitas, quam ipse ostendit, sit nostra. Gravissima sunt verba sancti Augustini: *Facta est mulier in costa tamquàm fortis: factus est Adam in carne tamquàm infirmus. Illius infirmitas nostra est fortitudo.* Timet Deus, quasi imbecillis per id, quòd ab homine mutuatus est; objicit se homo periculis, & intrepidus difficillima quæque aggreditur, per id, quod ex Deo participat. O quam admirabilis, & excellens rerum commutatio! Videmus siquidem in infirmitate & doloribus Christi animositatem, & insuperabilem Andreæ constantiam.

D. Augustin. tract. 5. in Ioannem.

3. Progreditur in campum populus Israëliticus adversus Philistæos, & advertit sacer Chronicus non absque mysterio, eum fixisse tentoria sua iuxta lapidem adiutorij: *Egressus est Israël obviam Philistijm in prælium, & castra metatus est iuxta lapidem adiutorij.* Odo Tusculanus Doctor antiquus relatus in Allegorijs Tilmanni altius considerat hunc Textum, eumque ad institutum nostrum explanat: *Benè Dominus lapis adiutorij quia non solùm munimentum tribuit, sed & adiuuat, & defendit.* Hic lapis symbolum fuit Christi Servatoris nostri, (neque peregrinam iudicetis hanc allegoriam, quia passim in sacris Litteris hæc phrasis reperitur) & meritò, inquit hic Pater, vocabatur lapis adiutorij, quia non solùm opitulatur fidelibus suis, sed etiam protegit, & tuetur. Et prosequens dicta sua, has sequentes subiungit voces: *De particulis enim eius in funda accipimus, & contra Goliam victoriam reportamus*; id est, ex particulis petræ illius, scilicet, Christi, imponimus cum pastore Bethlehemitico fundæ ad pugnandum contra tartareum Goliam, quem devictum superamus. Alludit ad historiam Davidis, quando inermis, quinque limpidissimis lapidibus, quos de torrente elegerat, & in peram pastoralem miserat, superbissimum illum Goliath, qui populum Dei iniurijs lacessebat, prostravit; primo namque lapide eum in terram deiecit, asseritque lapides illos, quos secum deferebat, ei vires, & robur addidisse. At, quæso, sciamus, qui, qualesve erant illi lapides? Lapilli quidam abscissi ex petra, Christo. Pulchrè excogitatum. Verùm contra hoc militat, quòd lapis qui conteritur, & in frustula dissolvitur, seu dissecatur, mollis fit & debilis; fateor ita esse, attamen quia hæc petra erat Deus incarnatus, infirmitates, & debilitates eius vires, & animi robur Davidi tribuerunt, eiusque frustula, & reliquiæ indicia infirmitatis, sunt fortitudo, & constantia hominis contra maximum hostem, & adversarium, puta, dæmonem, eiusque confœderatos, nempe gentiles, & tyrannos, qui in odium Dei, homines persequuntur, & excruciant, seu crudelis ille Proconsul Ægeas invictum Apostolum S. Andream crucifixit.

1. Reg. 4. v. 1.

Odo in allegor. Gosefrid. Tilman. hic.

1. Reg. 17.

Sæpius obseruaui, quod Evangelistarum Aquila loquens de Incarnatione Filij Dei, & enarrans qualiter fuit homo factus ad redimendum genus humanum, usus fuerit hisce verbis: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, id est, immortalis factus est mortalis, & æternus temporalis. Et adnotaui cum Theophylacto, quòd S. Evangelista descripturus modum, quo Verbum æternum factum est homo, dixerit factum esse carnem: *Evangelista pro eo, quod est homo Verbum factum est, dixit, Verbum caro factum est.* Et quamquam hic Doctor arbitretur scopum Evangelistæ fuisse includere totum in parte: *A parte totum hominem nominans, ex anima, & corpore constitutum*; attamen dicit non casu fortuito, sed data opera ipsum nullam fecisse mentionem animæ, sed solius corporis, & diligentiùs examinata causa, concludit ipsum ex industria expressisse id, quod fragilitatis erat indicatiuum, & silenter subticuisse, quod erat fortitudinis manifestatiuum: *Carnis meminit, ut ineffabilem eius bonitatem obstupescamus, anima enim cognationem aliquam habet cum Deo, caro autem nullo modo communicat & idcircò opinor Evangelistam solo carnis nomine usum, non quòd anima expers sit assumptionis, sed ad maiorem ostensionem mirandi, & stupendi Sacramenti.* Tamquam diceret: anima propter cognationem, & affinitatem cum Deo, est symbolum fortitudinis: verùm caro propter nimiam distantiam & elongationem à suprema Dei excellentia est expressa infirmitatis imago, & figura. Et ad docendum nos, quod Verbum diuinum induens asperam nostræ humanitatis togam, unà assumpserit infirmitates nostras, hunc mysticum stylum ad majorem ostentationem tam ineffabilis Sacramenti obseruauit. Ingeniosè cogitatum. Porrò in 4

Ioan. 1. v. 14.

Theophyl. hic.

Theophylactus ubi supra.

in Lectione frequentium verborum ad mentem S. Ioannis Chrysostomi, singulariter elucet acumen huius conceptus: *& habitavit in nobis*, hoc est, ipse vicinus noster factus, nobiscum convixit. Ecquæ cohærentia unius cum alio, quomodò enim hæc duo componuntur, quod Deus seipsum enervet, & debilitet, ut sit conterraneus & concivis noster? Accipite ex aureo Chrysostomi ore, hæc verba ita interpretantis: *Et habitavit in nobis, tentoria fixit in nobis*, id est, castrametatus est in hominibus, Quæ verba primo intuitu nonnullam ingerunt difficultatem: verùm collata cum dictis Theophalacti, concinnam reddunt consonantiam, & insignem nobis suggerunt assumpti nostri confirmationem. Et in idem redit, Deum in se suscipere imbecillitatem nostram, ut patiatur tamquam homo, ac nos vestiti sago, aut paludamento, ut cataphracti, tamquam Dij pugnare, & vincere valeamus. Itaque hoc ipso, quò infirmitas nostra Deum extenuat, & imbecillem facit, fortitudo, & robur ipsius nos animat, & quia Christus pertimescit mortem, tamquam debilis, & exanimis, ideircò sanctus Andreas eam animosus, & intrepidus quærit, & ambit: *Securus &c.*

D. Chrysost. hic.

5. Coronet hunc discursum nostrum quædam adnotatio alterius Ioannis, per alium item Ioannem rectè ponderata. Curiosius annotavit S. Evangelista Ioannes situm Sacratissimæ Virginis aliarumque mulierum iuxta crucem Iesu Redemptoris nostri: *Stabant iuxta crucem Iesu*; id est, stabant erecti ad pedem crucis. Certè videtur frustraneus labor, & supervacanea advertentia sacri Evangelistæ, quòd tam ad amussim, & exactè describat situm, & modum standi beatissimæ Virginis, cæterarumq; sodalium eius iuxta Crucem. Quid enim confert ad contextum sacræ historiæ, quod tota hæc caterva vel stet erecta, vel sedeat prona, aut recumbat? Fateor ignorantiam meam, non capio mysterium, neque id comprehendere possem, nisi sanctus Ioannes Chrysostomus radiis ingenii sui hebetudinem mentis meæ illuminaret. Ast dicit Sanctus verba S. Evangelistæ hunc reddere sensum: Nemo sibi persuadeat has devotas spectatrices ad conspectum tam tristis, & luctuosi spectaculi corruisse, aut animo cecidisse, tantùm enim abfuerunt à casu, ut etiam animosæ adstiterint. Sed qui fieri potuit, ut tam lugubrem tragœdiam, quæ etiam saxeum cor emollire potuisset, siccis oculis, & immoto pectore aspicerent? An adeò ferrea, & adamantina sunt earum corda, ut absque animi deliquio tantum dolorem persentire potuerint, Res sane peregrina, & inaudita, non inficior, inquit aureus Chrysostomus, sed si causam attentius mecum perscrutati fueritis, mox omnem in effectu deponetis admirationem. Nonnè videtis illas astantes iuxta Crucem, in qua Christus pendet totus debilis, & exanimatus? Ita me herclè, ex infirmitate Christi crucifixi robur hæc fortitudo eis promanavit. Elegantissima sunt verba, quibus S. Chrysostomus hoc ipsum delineat: *Stabant autem mulieres iuxtà Crucem, & imbecillior sexus tunc fortior apparuit, ita omnia reforma* (?) Rectè philosophatum. Ad pedem Crucis Redemptoris nostri sexus etiam imbellis, puta fœmineus, maximas vires & animos recuperat, sic enim Dominus omnia reparavit, & reformavit. Car ite mecum, & pensate mente vestrâ, illud, *tunc*, ô quam magnam continet emphasim! Ecquod enim est illud tunc? Quando Christus ignominiosæ Cruci affixus pendebat, quando ipse factus imago dolorum, quando ipse exanguis, & exanimis tamquam mortalis animam agebat, tunc transiit omnis vigor, generositas, & fortitudo ad creaturas, & cum ipsâ sua infirmitate transfudit constantiam, & robur in omnes. Hoc totum compendio voluit insinuare sanctus Evangelista, quando tam exactè & luculenter descripsit assistentiam supernæ Virginis, aliarumque mulierum, iuxta Crucem Iesu Filii sui benedicti in sæcula: *Stabant autem iuxta Crucem Iesu Mater eius, &c.*

Ioan 19. v. 25.

D. Chrysostomus hic.

6. Cùm ergò imbecillitates, & infirmitates Christi sint fortitudo, & animositas hominis, quid mirum, quò Christus se paventem, & trepidantem exhibens ad conspectum mortis iam imminentis, sanctus Andreas eam intrepidus, & invicti robore aggrediatur, eamque quodammodo exagitet? Imo, quia Dominus tamquam infirmus, & imbecillis eam cum timore pertulit, ideo sanctus Andreas eam tam animosè sollicitat: hoc videntur sonare verba illa amoris plena, quibus Apostolus & Crucem, & mortem invitabat: *Suscipe Discipulum eius, qui in te pependit Magister meus Christus.* Interiori mentis jubilo, & summis desideriis aveo imitari Magistrum cœlestem in morte sua, quem tam avidè secutus sum in vita: *At ille continuò, &c.*

Secuti

Secuti sunt eum.

CONSIDERATIO IV.

Quemadmodum Crux fuit Christo lectus dulcissima quietis; ita eadem fuit sancto Andreæ cubile, & locus voluptatis, & iucunditatis.

1. MOritur Christus Dominus pro Andrea in Cruce, amoris igne amoultus, & Andreas pariter ad imitationem eius eodem ardore ustulatus, in cruce vitam cum morte commutat. Et quemadmodum Magistro crux est lectulus quietis, ita etiam Discipulo est locus voluptatis: *Sicut ille dicebat in pace in idipsum dormiam, sic beatus Andreas, qui ad crucem veniebat gaudens, & ab ea deponi nolebat, donec obdormiret in Domino.* Verba sunt Ioannis Cluniacensis. Actio quidem heroica est, aliquem pati pro Deo, & magna æquanimitate pro ipsius amore plurima subire tormenta, sed in ipsis pœnis habere refrigerium, & in tormentis reperire quietem, & voluptatem, hæc maximi amoris excellentia est, & omni genere laude dignum.

Raulinus serm. 2 de S. Andrea

2. Suppono, tamquam communem, & receptam sanctorum Patrum doctrinam, Patriarcham Iacob expressam fuisse Christi Servatoris figuram, (ceu alibi latius expendimus) & premo speciatim id, quod sacer Historiographus de hora transitus eius, ex hac vita luculenter nobis enarrat. Constitutus vir sanctus in postrema vitæ suæ periodo, iam tamque agonizans, & morti proximus Deum adoravit, conversus ad caput lectuli sui: *Adorauit Israel conuersus ad lectuli caput.* Quæ verba Septuaginta Interpretes ita transtulerunt: *Adorauit summitatem virgæ suæ.* Et eamdem Lectionem secutus est postmodum Doctor Gentium, ad Hebræos scribens: *Adorauit fastigium virgæ eius:* Apostolum autem sequuntur ex Græcis quidem S. Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & Gehenenus; ex Latinis autem S. Anselmus, Primasius, Haymo, & Hugo Victorinus. Disceptant, & controvertunt Expositores, quænam fuerit huius adorationis causa movens, seu impellens, uti alibi adnotauimus; sanior autem, & receptior sententia affirmat Sanctum adorasse summitatem virgæ, seu sceptri, quod Ioseph filius eius manu gestabat, insigne imperij, seu regiminis Ægyptiaci; ast non substitit ibi, neque hæsit in illo terminatiuo objecto eius adoratio, sed spiritu Prophetico afflatus, eam ad Messiam direxit, quem iam in fastigio virgæ illius, quæ symbolum erat Crucis, veluti appensum prævidebat. Ab his non abludit Angelicus noster Præceptor, S. Thomas: *Adorauit Christum significatum per virgam illam, sicut, & nos adoramus crucifixum, & crucem ratione Christi passi in ipsa.* Porrò mox ratio dubitandi animum pulsat, quæ non paruam ingerit difficultatem; etenim, quonam modo possunt componi duæ Versiones adeò contrariæ, nimirum Septuaginta Interpretum, & Vulgatæ nostræ, quæ prima fronte omninò disparatæ videntur? Adorare ad caput lectuli, ubi puluinar esse solet, in quo dulciter homo requiescit, & adorare in fastigio, seu summitate virgæ, quæ in diuinis Litteris symbolum est tribulationum, & persecutionum. *Væ Assur virga furoris mei.* Attamen faciet negotio hunc difficultatis laqueum effugiemus, si sanctus Hilarius nobis manum porrexerit, cuius hæc sequentes sunt voces: *Numquam dulcius sancti requiescent quàm dum laboribus fatigantur.* Ex positio, quòd Iacob, uti diximus, fuerit figura Salvatoris nostri, veluti consequentiam infallibilem deducimus, horridam, & ingratam virgam Crucis, ipsi fuisse accubitum dulcissimum, & puluinar blandissimum, ipsumque, in atrocissimo crudelitatis tormento lectum, & voluptatis seu quietis locum reperisse. Confirmatur hæc insignis meditatio sancti Præsulis ex Lectione Glossæ Interlinealis super illa verba, in quibus Sponsa considerat dilectum in lectulo suo delectantem & delitescentem: *Dum esset Rex in accubitu suo,* Interlinealis autem ita exponit: *In accubitu Crucis,* ita ut Sponsa Crucem voluptuarium lectum nuncupet.

Lauret. verbo Iacob.

Genes. 47 v. 31.

Septuag. Interpret. apud Steu. in Genes. Ad Hebr. 11 v. 21.

Chrysost. Oecumen. &c. Anselm. Primas. &c.

D. Thom. in c. 11. ad Hebræos lect. 5.

Isaia 10. v. 5.

D. Hilar.

Cant 1. v. 11.

3. Ex his, haud difficulter intelligi poterunt verba quædam S. Petri Chrysologi, prima fronte obscura, & intricata: *Crucem ascendit, sepulchrum patitur,* id est, Author vitæ ascendit arborem Crucis, & passus fuit in sepulchro. Obscura planè apparet hæc sententia Sancti, quia voto meo, consultiùs, & formalius locutus fuisset, si oppositum dixisset, videlicèt, ascendit ad sepulchrum, & passus est in Cruce. Quia, vocabulum *ascendere*, in sacris voluminibus, iuxta observationem doctissimi nostri Istellæ, quietem, seu requiem significat. Et ad hunc modum exponit verba illa,

D. Petrus Chrysol. serm. 69.

quibus Iacob benedixit Filio suo Iudæ: *Ad predam fili mi ascendisti*: vel conformiter ad Textum Hebraicum, *de præda*, quasi diceret: *De præda ascendisti*, hoc est, postea quam prædam egisti, requievisti. Quod Vaticinium opere completum fuit in Christo Domino, qui devicto mundo, superata morte, & debellato inferno triumphans, & gloriosus ascendit ad cœlos, ad dexteram Patris, æterna quiete & tranquillitate fruiturus: *Et in Christo Domino devicto mundo, morte, & diabolo, spoliato inferno captivam ducens captivitatem, de morte ad resurrectionem, & in cælum ascendit.* Huic opinioni adstipulantur S. Augustinus, Theodoretus, & Iulianus Archiepiscopus Toletanus, quos omnes refert præfatus Author, & corroborant hanc expositionem verbis immediatè sequentibus: *Requiescens accubuisti &c.* Et sepulchrum teste S. Hieronymo, est locus quietis: *Quid est sepulchrum, locus quietis, ubi iuxta mundi rationem, defunctorum corpora collocantur.* Hæc doctrina adeò recepta est, ut sacra Pagina ejus probationibus & argumentis abundet. Qui igitur affirmat sanctus Ravennas Christum requiescere, & feriari in Cruce, & pati in sepulchro: *Crucem ascendit, sepulchrum patitur*; cùm maximè requiesceret in sepulchro, & pateretur in cruce? Iam paullò antè diximus in Argumento Considerationis nostræ, tam ardentem fuisse amorem, quo Salvator nos redemit, ut in lectulo sepulchri, ubi requiescebat, tantum pateretur, ac si cruci affixus esset, & sola Crux, in qua pendens tormenta tolerabat, illi cubile, lectus, & locus voluptatis erat.

Gen. 49. v. 9. Ista hic & Lectio Hebraica. — Ista hic. — D. Augustin. Theodoretus, Iulianus. — D. Hieronym. epist. ad Gerunt. filiam.

4. Ingentes profectò sunt obligationes, quibus nos tam immensa charitas sibi devincit, ecquis illis abundè satisfaciet, nisi amantissimus Dei Apostolus S. Andreas, cui tam volupe erat crucifigi, quam si in mollissimo requiesceret lecto? Adeò hoc verum est, inquit Cluniacensis, ut etiam positio & extensio ejus in Cruce, manifestet nobis, quod crux illi potiùs fuerit suave oblectamentum, quam crudele tormentum: *Andreas verò iacens super latus crucifigitur, quam dispositionem dat spes in patientia, spes enim de cruce facit sibi lectum & locum voluptatis. Lectus enim locus est quietis, & soporis.* Et ea de causa noluit, neque consensit etiam summis precibus expostulatus se liberari, aut deponi à cruce, nisi post mortem, ad exemplum Magistri sui, qui noluit de cruce descendere. Et persistendo in hac metaphora, curiosa fuit animadversio Guilhelmi Parisiensis, qui singillatim observat, quod hic sanctus Apostolus, ductus ad locum martyrii seipsum exuerit, & denudaverit vestibus, ad modum illius, qui se ad quietem & somnum componit: *Cumque ad locum crucifixionis venisset, seipsum mox exuit propriis vestimentis, &c.* Quadrat hic appositè gratiosus qui iam locus Sancti Ambrosij expendentis, & ponderantis, quòd Discipuli ad ingressum mundi Ierosolymitanæ vestimenta sua exuerint in obsequium Domini: *Et imposuerunt super eum vestimenta sua & eum desuper sedere fecerunt.* In hoc facto secundum sensum mysticum videntur mihi repræsentari Martyres, qui seipsos propriis expoliantes indumentis, vel ut S. Ioannes nominat, stolas corporum suorum exuentes, jucundissimum Christi introitum in gloriam festivè colunt, & celebrant: *Discipuli Domini amictu se proprii corporis exuentes, inter adversa turbarum, viam ei suo stravere martyrio.* Et hac eadem phrasi denudandi, vel vestiendi usus est Christus Dominus, quando Apostolorum principi Petro mortem martyrij prænunciavit: *Significans, qua morte clarificaturus esset eum*, Quod intantum cessit, & redundavit, in gloriam, & honorem Dei, ut simul fuerit evidens argumentum, quanto amore eum Discipuli diligerent, tales siquidem radices egerant in cordibus eorum, fiducia & amor erga Dominum, ut etiam contra naturalem hominis inclinationem & appetitum se conservandi non veriti fuerint propriam vitam periculosæ aleæ exponere, eamque in publicis compitis, & plateis profundere. Verificentur hæc in aliis Sanctis per allegoriam, & per hyperbolen dicta sint, sed in Apostolo, & sancto nostro Andrea magis, quam in alijs ad litteram impleta videmus: ipse namque nedum amictum animæ, scilicet, corpus, verum etiam vestimenta corporis spontaneè, non expectans violentiam tyranni, exuit, & abjecit, ut una denudatio alteram significet, quo pacto, modo possibili, si non omninò, saltem aliqualiter satisfaceret vinculo obligationis, quo omnes obstringimur Redemptori, qui amore nostrûm voluit mori in cruce, spinas reputans rosas, clavos existimans caryophillæos, & durum seu rude lignum veluti lectum mollissimum.

Raulinus loco citat. — Guilhel. Pepinus serm de S Andrea. — Matth. 21. v. 7. — D. Ambr. lib. 6. in Lucam. — Ioann. 21. v. 19.

5. Adeò contentus, & gaudens erat S. Andreas in Cruce, uti jam diximus, ut populo instantius

tiùs urgente eius liberationem ex amore, quo eum prosequebatur, & volente Ægeam tyrannum lapidare, quia virum *mansuetum, & pium* injuste affligeret, ipse rogaverit omnes ne quid simile attentarent, neque obstarent quo minus pro Christo moreretur, quem unicè precabatur, ut se tali dignaretur favore; quò posset in cruce pro illius amore vitam finire. Quod juxta relationem veterum Historiarum ei ad votum successit, quia cœlestis quidam splendor descendens circumfulsit eum, per spatium mediæ horæ, & coram omni populo ascendit cũ eo ad sempiternè Deo fruendum. Fidelissimus profectò servus Domini sui, & verus discipulus Magistri, quia non solum in vita, sed etiam in morte sedulò vestigiis illius inhæsit. Doctissimus Cluniacẽsis disserens de Andrea & Petro, adducit exemplum, quod licet prima fronte crassum, & rudi Minerva excogitatum videatur, est tamen valdè significativum eorũ, quæ dicimus: *Secuti sunt eum gaudentes, ad modum boni canis, qui vadit cum magistro suo, & discurrens per campos suos sæpe redit ad eum: ita ut aliquando pro quinque leucis, quas perambulabat magister eius, quindecim faciat leucas, hac illac discurrẽdo pro gaudio, quod habet de sequendo magistrum suum.* Rude, inquam, & agreste videtur exemplum, sed attendite, quam appositè illud duobus fratribus, Andreæ & Petro affingat: *Sic isti Sancti Apostoli, ita gaudentes fuerunt, secuti Dominum, ut nihil esset eis impossibile, adeò ut quod ipsi Domino visum est onerosum, & triste & dolorosum, scilicet crucem pati, hoc isti anhelantes, & gaudentes suscipiebant.* Neque quispiam admiretur, aut exoticum, seu peregrinum arbitretur loquendi modum hujus Doctoris, quòd Apostolos canes indigitet; quia Spiritus Sanctus ante ipsum illos per os Iob hoc nomine appellavit: *Cum canibus gregis mei*; quemadmodum eleganter adnotavit S. Gregorius Magnus, qui continuò latratu suo gregem Domini custodierunt & defenderunt, præsertim cum per oves gregis Christi intelligantur: *Et qui alii huius gregis canes vocantur, nisi prædicatores sancti, qui eorundem fidelium custodes extiterũt.* Tales igitur inquit præclarissimus Concionator Raulinus, fuerunt hi duo germani fratres, qui tanta alacritate secuti sunt Dominum, ut nihil difficile, aut impossibile factu pro amore ipsius reputaverint. Imò tanta certitudine hoc verum est, ut etiam, quæ ipsimet Domino ardua, tristia, & penè impossibilia repræsentabantur in horto, scilicet amara Crucis mors, ipsi ad illam suspirarent, & maximo cordis affectu eam ambirent, & sollicitarent.

D. Augustinus in lib de pœnitent.

Raulinus ubi suprà

Iob. 30. v. 1.

D Gregorius lib. 29. Moral. cap. 7.

6. Et si Christus Dominus in convertendis animabus, quas prædicatione sua, degens adhuc in mortali corpore, attraxit, teste Arnoldo Carnotensi, ex cruce fecerit cathedram ad instructionem nostram: *Ex illa cathedra crucis, quoddam Deuteronomium dictatum est.* Quapropter etiam, ut Evangelistæ testantur, plures peccatores reduxit ad meliorem vitæ frugem; etiam de sancto Andrea refertur, quod pendens de cruce, tamquam pulpito, per biduum docuerit populum, tantaque vi, & zelo prædicaverit, ut unica vice viginti millia hominum ad Christũ converterit. Innumerabiles fuerunt, quos in Scytia Europæa, Epyro, Thracia, Ierosolymis, Iudæa, Samaria, &c. quæ loca illi ad prædicandum obtigerant, quemadmodum etiam, quos in Achaya & Patræ ad fidem adduxit. Vt paucis tandem concludam, vita & mors huius gloriosi Sancti fuit cõtinua quædam sequela Christi, & in hoc sensu exponi possunt verba Evangelij: *Continuò secuti sunt eum.*

Arnoldus Carnot. de 7. verbis Domini,

7. Finita jam concione, restant solummodò duo verba dicenda de votis huius Sancti, qui tanto splendore, & pietatis ardore eum tanquã singularem Patronum, & protectorem suum colunt, & venerantur Sanctum Andream condecoravit Deus corona martyrij Crucis, eumque veluti insigne suum gestat, & ostentat. Nõ minor est gloria vestra, ô Auditores, qui sub Cruce Burgundica militatis, & tamquam nationis vestræ decus, & insigne, Crucem S. Andreæ ubique circumfertis, etenim *Aspa* S. Andreæ, quoad substantiam, cum Cruce convenit. Pro[...]hetavit quondam Ieremias Deum suis fidelibus tandem aliquando daturum ancile, seu clypeum, quo se ab inimicis defendere, eorumq; impetus arcere possent, scilicet laborem [...] *[...] eis scutum cordis laborem tuũ.* Et si studiosius examinaverimus, quale fuerit scutum, quod promittit, quo se protegerent, reperiemus in Glossa Ordinaria fuisse crucem, & sacratissimæ passionis suæ memoriam: *Memoriam Dominicæ passionis.* In vobis, Auditores, absque injuria Textus, videmus hocce [...] adimpletum, quia non solum [...] etiam securitate præmuniri [...]dere possitis.

Thren. 3. v. 65.

Glossa Ordin.

8. Coronidem, & finem [...] sui nostro insigne qu[...] Magni [...] testimo-

testimonium. Moris erat inter Christianos primitivæ Ecclesiæ, quod expansis brachiis preces ad Deum funderent: & aliis hanc sanctam consuetudinem [illegible] Patriarcha noster Dominicus, qui crebrò hac orandi forma utebatur: quæ positione, & habitu corporis repræsentabant merita Christi Domini crucifixi, qui valorem, & efficaciam eorum precibus impertit & infundit. Dicit ergo in persona Catholicorum, hic magnus Doctor: *Nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant, paratus est ad omne supplicium, ipse habitus Christiani*, hoc est, infament barbari, sæviant tormenta, & carnes nostras dilanient, excogitent tyranni omnia crudelitatis supplicia; accendant rogos, quorum flammis exuramur, distringant enses, quibus nos feriant, immittant feras, quæ nos devorent, omnemque furorem suum in nos exequantur, Immota semper & invicta persistet constantia Christiani, quæ nullis adversis labefactari poterit. Ast quo fundamento movetur Tertullianus ad stabiliendam hanc Christianæ Religionis immobilitatem? Quid, inquam præbet illis tantam loquendi audaciam? *Nos ad Deum expansos*. Similitudo Crucis Christi Redemptoris revocat eis in memoriam beneficia per illam accepta, & armat, consolidatque eos gaudio ineffabili, ut animosè subeant tormenta, eaque despiciant, ceu jam ipsa experientia didicimus in invicto nostro Martyre, & inclyto Apostolo S. Andrea. Deus crucifixus, ejusque crux sancta, quæ eum repræsentat, oculis fidelibus omnia dulcorat, & ad sufferenda quævis tormenta, vires & animos subministrat. Crux Christi, ô Domini mei, scutum vestrum est, illa sunt arma, quibus vos defenditis, ad memoriam enim beneficiorum, quæ vobis exhibent, & oculis vestris obiciunt, necesse est, ut fides vestra augeatur, zelus accendatur, & devotio [illegible], ita ut si opus fuerit, non solum pro honore Dei, & confessione fidei ipsius, bona & opes vestras flocci faciatis (ut sæpius in Flandria, patria vestra contigit) sed etiam vitam ipsam, cum sancto Andrea profundatis, ut imitantes eum hic in passione, socii & consortes ejus fieri possitis in præmio gloriæ: *Ad quam nos perducat &c.*

Tertull. in Apolog. c. 30.

TRACTATUS II.

IN FESTO

Gloriosæ Virginis, & Martyris,


SANCTÆ LUCIÆ.

NOTA. *Totam hanc Concionem fermè fundari in antiqua Traditione, quâ habetur S. Luciam sibi oculos eruisse, secundum quam in totâ Hispaniâ depingitur, gestans patinam cum oculis, ut sæpiùs vidi in plurimis locis: quā Traditionem verisimilem existimo, alioquin enim Inquisitio, quæ exactissima est in omnibus, similes picturas non toleraret. Fateor quidem in hac patria similes picturas non esse in usu, neque etiam Traditionem acceptam. Consului enim Baronium, Surium, & alios, qui nullam hujus rei mentionem faciunt: solus Ribadineyra Hispanus illius meminit. Totus tamen hic Tractatus in pia Traditione fundatus, plurima continet curiosa & moribus accommodata.*

Vendit

Vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.

Matthæi 13. v. 44.



MPLICITA satis, ne dicam obscura, & paradoxa fuit quæstio illa, quam Deus Iobo, in examine patentiæ ejus, potentiam suam ostentans, proposuit: *Indica mihi, per quam viam spargitur lux.* Ejа Iob, si sapientiam tuam jactites, & velis mecum argumentis disceptare, dic quæso, per quas semitas communicatur, & diffunditur lux, quæ hæcce duo hæmisphæria splendore suo collustrat. Scio quidem, secundum communem Interpretum explanationem hæc verba intelligi de luce naturali, quam Author naturæ per Astra, & Planetas huic sublunari mundo communicat. Verum quidam non indocti allegorizantes hanc implexam quæstionem, eam de luce, quam Author gratiæ secretis modis, & viis homini, mundo abbreviato, infundit, non ineptè interpretantur. Et in hoc sensu facilis est solutio hujus quæstionis, prima fronte tam obscuræ, & paradoxæ, quia dupliciter intelligi potest, Christum nos illuminare, vel dando oculos corpori, ut agnoscamus, & videamus, quæ sint confitenda; vel infundendo lumen animæ, quo illustrata tutò per salutis viam gradiatur. Sub hac consideratione inquit noster Sanctus Vincentius Ferrerius, nota est via lucis, & liquidò constat eam esse Gloriosam Virginem, & Illustrem Martyrem Sanctam LUCIAM, quemadmodum etymologia nominis ipsius luculenter insinuat, quia LUCIA, inquit Sanctus, idem sonat, ac *lucis via.* Deus namque per merita, & potentem ejus intercessionem nedum tribuit lumen oculis corporeis, ut videant, sed etiam animas nostras illuminat, ut per lucem suæ divinæ gratiæ agnoscant, & divina contemplentur. *Ave Maria.*

Iob. 38. v. 24.

Vendit universa, quæ habet, &c.

CONSIDERATIO I.

Secura possessio bonorum cælestium in perfecta, & totali rerum terrenarum abnegatione consistit.

IMmatura planè resolutio, & præceps videretur alicui deliberatio hujus hominis, cujus meminit sanctus Evangelista, tam ingenti enim gaudio perfusus fuit propter thesaurum inventum, ut protinus abierit, & sub hasta vendiderit omnia bona, cunctasque res suas in pecuniam commutaverit, qua agrum illum emeret. Si quis videret hunc hominem merces suas prodigentem, omnem suppellectilem suam vili pretio vendentem (uti fieri solet, dum homines aliò commigrant) & nihil sibi ex omnibus reservantem, fortassè stolidum & rationis expertem, & inopem judicaret. Ecquid hoc, Domine, itane bona, & opes tuas prodigis, & dilapidas? Verum ille, verè prudens, responderet, se probè nosse, quid ageret, sibique summè necessarium esse cuncta divendere, quia perfecta contemptione rerum temporalium, cœlestes thesauri, seu bona æterna feliciter acquiruntur, & comparantur. Accipite Sanctum Gregorium sub persona hujus prudentis ita respondentem: *Agrum comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat.* Est Deus thesaurus hominis, quia solus ipso sufficit ad ditandum, & satiandum illius desiderium. Res notissima est, thesaurum esse aggregationem, seu cumulum divitiarum, in quo aurum, argentum, lapides pretiosi, & cætera pretio æstimabilia coacervantur, ideòque quia thesaurus omnia continet, omnia significat. Solus itaque Deus, inquit mellifluus Pater S. Bernardus: *Ad imaginem Dei facta est anima rationalis, cæteris rebus impleri potest, satiari non potest*; quapropter solus Deus potest rectè thesaurus nuncupari. Posita hac veritate prudentissimum fuit hujus hominis consilium, & decretum, quòd abnegaret omnia temporalia, & transitoria, ad consequendum indeficientia, & æternum duratura.

D. Greg. Hom. 11. in Matth.

D. Bern.

Aliquotiès observavi, & curiosius expendi præceptum illud Dei, quò mandavit Abrahæ, ut: 2.

hæ, ut patrium desereret solum, omnemque abnegaret cognationem, & parentelam: *Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Movet autem difficultatem in præsenti Textu, quod Patriarcha Abraham iam renuntiauerat patriæ; & cum patre suo egressus erat terram Chaldæorum, & Idololatrarum: *Tulit itaque Thare Abraham filium suum &c. & venerunt usque Aram, & habitauerunt ibi,* dixerat sacer Textus. Quamobrem ergò dicit modò ei Dominus, ut exeat è terra sua, in cumque finem varios beneficiorum favores ei pollicetur, & tot benedictiones ei repromittit? Doctissimus Lyranus, ut respondeat huic dubitationi, recenset sententiam quorumdam veterum Doctorum, qui affirmârunt, rationem, ob quam Dominus Deus iusserit Abrahæ, ut emigraret è patria sua, postquam iam illam deseruerat, hanc fuisse, quia licèt eam corporaliter reliquisset, attamen desiderio gestiebat redeundi ad eam, & verè regressus fuisset, ni Deus prohibuisset: *Respondent aliqui, quòd, licèt egressus fuerit corpore, non tamen mente, qua intendebat illuc redire.* Aliam tamen sectatur viam hic Doctor, opinatur namque, Dominum Deum hic nequaquam præcepisse Abrahamo egressionem è patria, sed elongationem ab illa: *Ac si dixerit: Vade longiùs de terra tua.* Esto unum, vel alterum, collatis tamen his duabus opinionibus, & auditis sententijs horum Authorum, elicio appositam nostri Discursus confirmationem. Hoc est; cùm Sanctus sequeretur Deum, & iam renuntiaret Idololatriæ, & effugisset omnes occasiones, & periculorum discrimina, solùm quia erat candidatus cœli, nihilque præter hoc ambiebat, voluit Deus, ut perfecta esset eius abnegatio, tamque liber, & extricatus à bonis terrenis, ut nec ullam cum suis haberet affinitatem, neque ullatenus memoriam suam eorum recordatione occuparet, sed omnes cogitationes, & desideria sua Deo sacrificaret, quo pacto thesaurum, vel possessionem eius, quem quærebat, securiorem, & certiorem sibi redderet. Hoc sonant verba illa iam allegata: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Et illa S. Gregorij: *Agrum comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat.*

Genes. 12. v. 1.

Lyranus hic.

3. Magna contentio, plurimaque verba ultrò, citroque fuerunt habita inter Pharaonem, & Moysen super pignore in Ægypto relinquendo, dum filij Israël egrederentur; sed Moyses firmiter inhærens decreto suo, omnes voluit exire parentes, & filios, senes, & iuuenes ad sacrificandum Domino: *Cum paruulis nostris, & senibus pergemus, cum filijs, & filiabus.* Replicat Pharao, neutiquam iniustæ petitioni eius acquiescendum: *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo dimittam vos, & paruulos vestros.* Instat denuò Moyses, quod nec minimum pecus, nec ungula quidem sit remansura in Ægypto: *Neque ungula remanebit.* Componit, & ponderat Cardinalis Vitriacus hoc factum, & illud ad rem nostram moraliter exponit. Ratio, ait, ob quam Moyses perstiterit in sententia sua, ne quid remaneret in Ægypto, & è contra Pharao magna contentione petierit, ut filij, & paruuli obsides remanerent, hæc fuit, quoniam, *Multi relinquentes mundum, & de Ægypto exeuntes, amore propinquorum revertuntur in Ægyptum.* Symbolum expressum illius, quod multis Christianis evenit, qui deserentes Ægyptum propter terram promissionis, id est, mundum pro cœlo, non pertingunt ad certam, & securam possessionem, quia, cum omninò non renuntiaverint, & valedixerint temporalibus, neque omnes præciderint radices affectuum, & desideriorum suorum, rursùs redeunt ad ollas, & allia Ægypti, & numquam perveniunt ad fruitionem fructuum terræ promissionis, id est, ad possessionem thesauri cœlestis, qui est solis contemptoribus Ægypti repromissus. Quod Moyses dixit Pharaoni, hoc edocet Christus Dominus in Euangelio suos fideles, & idem est, *neque ungula remanebit,* ac illud, *vendidit omnia quæ habuit.* Periculosissimum est relinquere pignus, seu hypothecam in regno Ægypti, ideo omni conatu contendit, ne ungula quidem remaneat. Optimè noverat Moyses, idem esse apud Deum in Ægypto ungulam, ac cor, & affectum relinquere, & inventorem thesauri, vendentem bona sua ad comparandum eum, sibi solùm unicum pignus reseruare, ac si omnia sua possideret, & nihil pro illo daret. Et cùm Deus maximè suam ostentet patientiam, infinita siquidem patientia, ut maxima sit, necesse est. Estote certi, quòd non sufferet, neque permittet, ut etiam minimam ungulam Diabolo, aut hilum mundo concedatis. Cuncta sibi vult offerri ab eo, qui æterna ambit, & delicijs cœlestibus frui exoptat: *Vendit omnia.*

Exod. 10 v. 3.

Vitriacus serm. 3. Domin. octau. Epi

Auscultate egregiam huius veritatis elucidationem. Narratur in Actis Apostolorum, quòd homo quidam, dictus Ananias, vendiderit agrum 4.

agrum pecuniamque afferens ad pedes Apostolorum; partem sibi quandam clanculo reservaverit: *Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ uxore sua, vendidit agrum conscia uxore sua, & afferens partem quamdam ad pedes Apostolorum posuit.* Resciens hæc Petrus dixit illi: O miser! cur Satanas tentavit cor tuum, ut defraudares te parte pretii, quod sponte, & gratis promiseras te nobis oblaturum? Ecquis te compulit ad votum dandi illud, sine quo tu salutem consequi poteras, quia renuntiare omnibus, & ea ad pedes Apostolorum deferre consilii, & non præcepti erat: *Audiens autem Ananias hac verba, cecidit, & expiravit.* Idem planè evenit uxori eius Saphiræ, quæ reprehensionem Petri super eodem delicto ferre non valens, *Cecidit ante pedes eius, & expiravit.* Ponderat hoc lugubre spectaculum S. Ambrosius, & singulariter premit consideratione suâ, quod Deus utens Petro, tamquam instrumento, eos tam atroci supplicio puniverit, cùm non nisi leve videatur fuisse piaculum, seu delictum, spontaneè etenim illam oblationem fecerant. Quinimò, inquit S. Doctor, idcircò tam severam eis pœnam irrogavit. *Licuit nihil offerre, & hoc sine fraude, sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportavit, sed fallaciæ pœnam exsolvit, sicut reus fraudis interiit.* Ac si diceret sanctus Præsul: Actio vendendi bona propter Deum, fuit spontanea, & libera, ad quā nullus ipsum, ob rationem dictam, obstringebat, attamen, posito, quod ipse, ad assecurandum sibi thesaurum cœlestem, hoc sibi faciendum statuerat, protinus, ut ipse resiliit à proposito, & solam partem pretii attulit, grande piaculum commisit; velle enim fallere Deum, qui est summa sapientia, gravissimum est delictum. Vnde Apostolorum Princeps ei improperavit: *Non es hominibus mentitus, sed Deo.* Si mihi homini velles imposturam facere, tolerabile foret, quia facili negotio homo decipitur, ast velle decipere eum, qui secretissima cordium perscrutatur, & perlustrat: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius*, imprudentissima est insolentia. Tali itaque temeritati, in exemplum aliorum, tam horrendum superveniat supplicium. Nemo ausit, aut præsumat Dei consilia interpretari, & sciant cuncti, quod aspirans ad perfectionem, & prætendens thesaurum cœlestem, omnibus debeat renuntiare, ut eum assequi valeat, ceu Christus Dominus cuidam dixit: *Vende omnia, &c. & habebis thesaurum indeficientem in cœlis* Et in præsenti Euangelio apertiùs dicit, quod contemptu, & abnegatione rerum terrenarum, æterna, & indeficientia bona comparentur, & possideantur.

Actor. 5. v. 1.

D. Amb. lib. 1. de Officiis c. 11.

Ibidem v. 5.

Matth. 19. v. 21.

5. Prudenter expendit sanctus Remigius magnum illud vilipendium, & perfectam abnegationem omnium mundanorum, qua Apostoli, cuncta aspernantes amore cælestis illius thesauri, vilissima retia, & paupertimam suppellectilem nauticam reliquerunt, & tanta animi generositate omnibus visibilibus renuntiarunt, ut omnium rerum creatarum fuerint obliti, nam victûs necessarii ad vitæ conservationem non fuerunt recordati: *Obliti sunt panes sumere*, inquit sanctus Euangelista Marcus. *Animadvertendum est*, verba sunt S. Remigii, *quantùm alieni essent ab appetitu divitiarum, cùm tam parvam haberent de necessariis curam, ut etiam obliti sint panes accipere, sine quibus humana fragilitas subsistere non potest.* Nolo evidentius argumentum, aut manifestius indicium, ait Altisiodorensis, maximæ abnegationis, qua Apostolorum corda despiciebant omnia terrena, & inescata magnitudine bonorum cœlestium tam avidè insistebant vestigiis dulcissimi Magistri sui, ut etiā aliquando necessè fuerit, Magistrum ipsis præcipere, ut necessariorum curā haberent. Hi sunt effectus, quos divinus amor operatur in corde, quod perfectè occupavit, seu in anima, quæ toto conatu, & omnibus viribus studet temporalibus valedicere, & ex divitiis sibi scalas erigere, quibus cœlum conscendat.

Marci 8. v. 14.

6. Huius summæ perfectionis culmen attigit S. Lucia, quemadmodum luculenter attestantur importunæ illæ preces, quibus jugiter matrem suam rogabat, ut facultatem concederet erogandi in pauperes Christi dotem, sibi pro matrimonio consignandam: *Vt quam sibi dotē datura esset, pauperibus tribui pateretur.* Quod tandem pretio lacrymarum, & importunitate precum sancta puellula obtinuit, eo tempore, quò se ad martyrium, sibi à sancta Agatha prædictum, præparabat. Divitias, & opes suas ad manus pauperum, reposuit, & vitam gladio Tyranni concessit, ut sic una actio foret dispositio ad alteram; nequaquam contenta, nisi totum pro thesauro cœlesti consequendo donaret, excedens animo, & generositate hominem illum, qui omnia vendidit, ut thesaurum illum sibi compararet: *Vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum.*

Matth. [13]

Vendit universa.
CONSIDERATIO II.

Voluit sancta Lucia servare statum Virginitatis, & integritatis, ut solus Sponsus divinus foret amoris sui Dominus, & possessor.

2. ADolescens quidam nobilis, & prædives, uti sacra huius Sanctæ refert Historia, adamavit Luciam, eamque sibi in uxorem dari petiit, quod & à parentibus obtinuit, qui iam illam ipsi desponderant. Lucia autem tanti æstimabat suæ Virginitatis integritatem, quam Christo, castitatis authori, iam cōsecraverat, ut nullum non moverit lapidem, ad conservandam castimoniam suam, soliq; Deo sponso suo extrà tumultum sæculi vacandum. Rectè potuisset sancta Lucia esse virgo mente, & anima, & maritum ducere, eiq; iuxta sacras matrimonii leges, sanctè, probèque convivere, verùm id noluit, cupiens esse virgo corpore, & anima, ne scilicet amorem suum divideret, sed tota dilectioni Vnigeniti Filii Dei vacaret, eique soli, tamquam Sponso, complaceret. Curiosiùs adnotavit Angelicus noster S. Thomas præclarā illam differentiam, quam Doctor Gentium S. Paulus constituit inter statum virginitatis, & matrimonii, seu inter virgines, & coniugatos, in qua coniuges vocat divisos, virgines autem soli Deo totaliter consecratos: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, & quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori, & divisus est.* Et quamvis Apostolus sat, superque suū declarat conceptum, Angelicus tamen Magister totum paucis perstrinxit, & ostendit, in quo integritas virginis, & divisio coniugati cōsistat: *Continentes nō sunt solliciti, nisi in his, quæ sunt Dei: coniugatos oportet esse solicitos in his, quæ mundi sunt.* Virgines soli amando, & serviendo Deo vacant, & student, neque ad alia distrahuntur, imò in eum omnes vires, oculos, animumq; intendunt, ast coniugati dividuntur in plures, partim namque sunt Dei, & partim mundi, qui illos in varias distrahit curas, & sollicitudines, ad familiam alendam, & œconomiam rectè servandam. Eâdem forma qua argumentatur S. Paulus de viris, philosophatur pariter de uxoribus, seu mulieribus: *Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*, hoc est, virgo soli Deo vacat, & custodiēdæ utrique castitati corporis, & mentis unicè incumbit, sed coniugata necessariò debet dare operam rei domesticæ, ut viro suo in omnibus placeat. Audite nunc Angelicum Præceptorē, hæc verba interpretantem: *Probans, quod magis expedit servare propositum continentiæ, quàm nubere ratione maioris sanctitatis*, prætendit enim S. Paulus, cœlibatum esse aptiorem ad sanctitatem, quàm matrimonium: *Et est ratio sua talis, continens studet sanctitati, & divinitati, & amori Dei; nupta verò mundo, ergò innupta præferenda est isti.* Ac si diceret, Doctorem Gentium probare maiorem perfectionem statûs virginitatis ex obiecto curæ, & studii illius, quod est virtus, & amor Dei, cui se totum impendit, contrarium autem omninò fit in statu coniugali. Idcirco incomparabiliter maior est fœlicitas virginum, quàm exercitium coniugatorum, quia illæ maiora habent subsidia ad sanctitatem assequēdam, quàm hæ quæ multis distrahuntur curis, & solicitudinibus. Quapropter S. Lucia constans perstitit in proposito castitatis, neque ullum, præter divinum Sponsum ad sui amorem admisit.

1. Corint. 7. v. 32.

D. Thom. ubi suprà.

2. Digna est spiritu, & devotione sancti Bernardi ponderatio illa, qua examinat duas illas sententias Sponsæ, de amantissimo suo loquentis, quarum prima est: *Dilectus meus mihi*: secunda autem: *Et ego illi.* Quorsum hæc ô Spōsa! videris sanè Arabicè loqui, nequaquam enim exprimis, quid tibi Sponsus, aut quid tu illi conferas? *Pendet oratio*, inquit mellifluus Doctor, *imò non pendet, sed deficit.* Opus est scire verbum, quod subauditur, & virtualiter supponitur, ut ritè intelligatis. Et haud dubiè supposuit verbum, *intendit*, & sic voces Sponsæ hunc reddunt sensum: Dilectus meus intendit mihi, & ego intendo illi: *Apponendum sanè aliquid verbi, & mihi quidem videtur satis esse ad nostram Glossam, & quodammodo popularem intelligentiam, si dicendo dilectus meus mihi, subaudiamus, intendit, ut sit sensus; Dilectus meus intendit mihi, & ego illi.* Tamquàm si diceret Sponsa: Adeo me diligit dilectus meus, quasi præter me nullam aliam Sponsam haberet, cum etenim amor illius sit infinitus, eodem prorsus modo amat quamlibet sponsam, quo omnes, cui ut ego reciprocas

Cant. 2. v. 16.

D. Bern. serm. 67. in Cant.

procas pendam vices, nullum mortalium, præter ipsum, amo Sponsum. Non diffiteor, quin plures meum sollicitent animum, & affectum, sed valeant illi, quoniàm nullam eis aurem præbeo, plures quidem ambiunt consortium, & amicitiam meam, sed cum illi cor, & omne desiderium meum tradiderim, eumque unicum agnoscam Dominum meum, fastidio & abhorreo omne illud, quod me ab ipso avellere aut separare potest, siquidem cùm ego sim singulariter illi dilecta, par est, ut ipse sit unicus Sponsus meus: *Ille mihi, & non alteri, quia una sum columba eius: ego illi & non alteri, nec enim audio voces alienorum.* Ita concludit sanctus Bernardus nomine Sponsæ, quæ verba secundum litteram videmus verificata in S. Lucia, dignissima Christi Sponsa, cui à teneris annis suam dedicavit virginitatem, adeo alienata à mundi illecebris, & affectibus, ut numquam consenserit parentibus, de matrimonio ineundo verba facientibus, imò crudele tormentum erat illi audire, quòd esset quispiam, qui se in sponsam ambiret, ideòque cum Sponsa divina in has prorumpebat voces: *Ego illi, & non alteri, nec enim audio voces alienorum.* Oleum & operam perdit, qui me sibi sponsam solicitat, vana eius prætensio, quia numquam ei acquiescam, & alium habeo amatorem, longè nobiliorem omnibus amatoribus, & procis terrenis, cui puritatem, & corporis mei integritatem iam dudùm obtuli, & consecravi. Non capit Regnum duos Reges, neque duo amores ritè in uno corde morantur, hoc solis coniugatis licitũ, qui sunt divisi in plures, verùm virginibus hoc indecens est, cum enim totæ simus Dei, ipse perfectam nostrûm omnium habet possessionem, eique in corpore, & anima æternùm dedicatæ, & consecratæ remanemus.

3. Desponsati sunt Sacerdotes Deo, & maximè in lege gratiæ, in cuius symbolum unum ex vestimentis sacerdotalibus, est manipulus, qui, iuxta quorundam Authorum opinionem, est veluti annulus similis illi, quem contrahentes matrimonium sibi mutuò porrigunt, in signum fidei, ab utroque coniuge inviolabiliter in matrimonio servandæ. Hac doctrina tamquam certa, & communi supposita, rectè quadrat instituto nostro ponderatio Theodoreti, qui enucleans legem illam Levitici, in qua sanciebatur, & statuebatur à Deo, ut sacrificium pro Sacerdote immolatum foret holocaustum: *Omne sacrificium igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.* Notanda est inpræsentiarum differentia inter holocaustum, & cætera sacrificia, quòd in illo totum comburebatur, secùs verò in his, quia una pars Deo, & altera Sacerdoti obtingebat, uti patet in hostia pacifica, & aliquando etiam sæcularibus pars quædam cedebat, puta in sacrificio pro peccatis. Si autem perscrutari libuerit rationem ob quam sacrificium Sacerdotum omninò erat comburendum, & in fumos redigendum in obsequium Dei, reperiemus, quòd hac mystica cæremonia voluerit Deus Sacerdotem memorem reddere sui muneris, & obligationis, quemadmodum etiam in cæteris actionibus sacrificatiuis, quoslibet offerentes, iuxta conditionem status sui commonebat, sæcularem nimirùm, in partitione pecoris immolandi, cuius pars Deo, & altera ipsi sacrificanti remanebat, in signum, quòd amorem, & vitam haberet divisam, uti iam cum sancto Paulo diximus; porrò Sacerdotem hortabatur, ut, qui tam familiariter Deo utebatur, etiam totum sacrificium ei cederet, in signum, quod omnia usque ad fumos cogitationum suarum essent Deo debita. Accipite verba magni Theodoreti, appositè disserentis: *Vt integritatem sacri hominis insinuaret, qui non aliqua ex parte, sed totus se Deo offerre debet.* Quibus addi potest, quòd, quemadmodum Sacerdos Deo desponsatur in nomine Ecclesiæ Sponsæ suæ, voluerit Dominus hoc pacto insinuare, actiones ipsius non alium debere habere scopum, quàm cœlum, aut finem superiorem, neque illo mundum partem aliquam habere, sed totum debere esse Deo consecratum, vtpotè, qui personam Sponsæ dilectissimæ repræsentaret.

In Rituali officii diuini.

Levit. 6. v. 23.

Theodoretus in Levit. c. 6

Sponsus in Canticis inescatus amore amantissimæ Sponsæ suæ, hisce eam verbis alloquitur: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, in uno oculorum tuorum.* Discrepant Authores in horum verborum expositione. Doctissimus tamen noster Sotomajor autumat, Sponsum illis, iuxta litteralem sensum, deprædicasse modestiam, & compositionẽ Sponsæ, id est, animæ sanctæ, quæ ægrè, & tantummodò dimidio oculo, uti dicere solemus, se conspiciendam præbebat. 4.

Cant. 4. v. 9.

Sotomajor hic.

Alludit autem, sicut (iam iam alibi ponderavimus,) ad Virgines Orientales, quæ pro tuenda & conservanda honestate, & pudicitia, faciem totam velabant, quantum sufficeret ad videndum, ita tamen, ut ipsæ non conspicerentur, ut ingeniosè Tertullianus observavit: *Honestatis causa, atque decoris, ut ne facie à viris videri possint, faciem ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, potiùs contenta sint dimidia frui luce, quàm totam faciem prostituere.* Tamquam si apertius diceret Sponsus: Hoc in decore tuo mihi præcipuè arridet, & placet, quod verecundiam habeat sociam, & annexam. Bella sane interpretatio, & Authore suo digna. Sed alia quædam singularis occurrit, instituto nostro maxime accommoda. Pro cuius fundamento adnotandū est id, quod Iosephus Hebræorum Historiographus de Iudæis commemorat. Lex erat inviolata, & sancta apud Persas: *Ne mulieres extraneis viris se inspiciendas præberent*, ut nimirum à solis suis maritis aspicerentur; contrarium autem erat crimen gravissimum, & inter ipsos maximè abominabile. Hac doctrina prænotata, existimo, & teor, verba illa Sponsi continere querimoniam quamdam, amoris tamen plenam, qua de Sponsa conqueritur: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Ac si diceret: ô sponsa mea, etiam levissimus nictus oculi inordinatus, & unus crinis fortuitò incompositus, & dissolutus, qui potest esse laqueus alteri, quo amore tui capiatur, veluti speculum penetrat, & convulnerat præcordia mea, &, veluti lancea acutissima, cor, & animam meam confodit. Itane, ô Domine, tanti facis unam levissimam offensam, qualis est quòd Sponsa unum oculum indeliberate avertat à te? Ita sanè. Nam Sponsus, qui tam carò Sponsam sibi coëmit, etiam levissimos erratus, ceu gravissimas offensas, æstimat. Eò maximè, quia ratio æquitatis postulat, ut leges Persarum non minus obstringant animam Deo desponsatam, quàm obligent mulieres illorum. Ecquam existimatis fuisse rationem, (præter eam, quæ passim refertur) quare sancta Lucia sibi oculos eruerit, nisi ad stabiliendam fidelitatem suam, & semetipsam voluerit reddere incapacem, quæ alium, præter Sponsum divinum, intueri, seu aspicere posset. Ex visu, seu ex oculis nascitur amor. *Nihil volitum*, ait Philosophus, *quin præcognitum.* Omnem amorem, omnemque cordis sui affectum soli animarum Sponso hæc Sancta consecraverat, ca-

Tertul. de Virginib. velandis.

Iosephus lib. de Antiq. c. 9.

Aristoteles.

propter eruit oculos suos, ne ansā, aut occasionem præbeant dividendi, aut separandi amorē.

Captivæ detinebantur in vinculis à Cyro Rege Persarum, nisi fallor, Tygranes, & Regina eius uxor. Contigit autem, ut, ambobus se sistentibus coram eo, victor inter alia hæc dixerit captivo, Ain, ecquid dares pro liberanda uxore tua, aut quanti æstimares eius libertatem? cui ille ingenuè confessus est, quod libentissimo animo eius liberationem pretio propriæ vitæ compareret. *Libenter vitā darem.* Dum iā maritus, & uxor recessissent a Rege, interrogavit ille uxorem suam, quid ei de Cyro Rege visum fuisset? Ad quod illa non minus honesta, quàm prudens respondit: *Non ego in Cyrum oculos meos converti, sed in illum, qui dixit vitā, quā me redempturū.* Ac si diceret: Ægrè potero dare rationem Cyri, quamquàm enim coram ipso adsisterim, neutiquam tamen oculos meos in ipsum defixi, sed immoto intuitu ipsum tantūmodò intuita sum, qui dixit, se libenter vitam suam pro mea redemptione daturū. Si itaque homini gentili tantam fidē servavit sponsa eius, quantam potiori jure debet servare anima desponsata Deo, qualis fuit S. Lucia, vero Sponso suo, ut nedum conservare utramque integritatem suam, sed etiam omnes potentias, & sensus suos ei omnino consecrare teneatur. Quæ omnia à sancta Lucia ad unguem observata reperio, siquidem ne momento quidem à cœlesti Sponso oculos detorsit, sed omnem motum eorum in ipsum ordinavit: ipse namque non solùm dixit, se daturum pro liberatione eius vitam propriam, sed reapsè gratis, & spontaneè in ignominiosa cruce, ad salvandum eam, sanguinem munificentissimè profudit. Eruat ergo sancta Lucia ambos sibi oculos in testimonium fidelitatis, quā servat Sponso, sartum tectumque ei conservando thesaurum suæ virginitatis.

Quintus Curtius.

6. Tam carò constitit huic Sanctæ nostræ inæstimabilis ille thesaurus. Ita namque virginitatem appellavit Angelicus noster S. Thomas. *castitas est thesaurus niveus propter pretiositatem.* Idcircò unum ex sacrificiis, Dei oculis acceptissimum est, præsertim quando pretio laborum comparatur, & defenditur. Inquirit Ioannes Cluniacensis, quare mundi Redemptor speciali privilegio amoris dilexerit Ioannem Evangelistam, ita ut ipse singulari titulo Dilecti glorietur: *Discipulus, quem diligebat Iesus,* & oc-

D. Thom. de Regim. Princip. lib. 5. c. 31.

Ioan. 21. v. 7.

& occasione huius dubij movet aliam quæstionem, nimirum, quisnam Discipulorum Domini, an Petrus, an Ioannes fuerit magis dilectus? & satisfaciens vtrique difficultati, effatur in hæc sequentia verba: *Petrus iam dudum cognouerat uxorem: hic omnem carnis voluptatem, imò nuptias, ut dixit S. Hieronymus, pro Christo negauit.* Haud dubiè plus dilexit Dominus Ioannem, quàm Petrum, quia idipsum promeruit, nam plus præstitit pro amore Christi, quàm Petrus, qui aliquo tempore uxorem cognouit, Ioannes autem illibatam coluit virginitatem, &, teste sancto Hieronymo, suadentibus parentibus reluctans, coniugium detrectauit, & virginitatis integritatem est amplexus. Quid ergò mirandum, quòd tanti valeat apud Dominum ille, qui tam insigne ei præstitit obsequium? Et quàm amabilis erit Deo S. Lucia, quæ tanta animi fortitudine, tantaque generositate tot superauit difficultatum discrimina, ne sua labefactaretur pudicitia. Minabatur tyrannus Paschasius, quòd eam ad lupanar duci iuberet, ut eam Spiritus sanctus desereret, & thesaurum illum opulentum, & cœlestem pulchritudinem amitteret. Cui Virgo: Si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam, puta virginitatis, & martyrij pro ea tuenda generosè perpessi. Iussit præses venire lenones, ut eam ad lupanar traherent, sed neutiquam permisit Sponsus cœlestis, ut tam pulchra lux sordibus commacularetur, ideoque tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus, ceu rupem ut nullatenus eam a loco dimovere potuerint *Virgo Domini immobilis permansit.* Imò in præmium castitatis, cum Præfectus circum ipsam pice, resinâ, ac ferventi oleo perfusam, ligna accumulari, & ignem accendi imperaret, nequaquam tamen flamma eam, aut vestes eius læsit. Dei ordinatione hoc ita dispositum fuit, ut, cuius corpus, & animam ab incendio libidinis illæsam penitus seruauerat, nec ignis etiam corporeus, omnia consumens, ne minimum quidem hilum vestimentorum eius exureret. Reverebatur S. Luciam voracissimum elementum ignis, tamquam acerrimam pudicitiæ suæ propugnatricem, in signum fidelitatis, quam diuino Sponso promiserat, in cuius obsequium cuncta spreuerat terrena, ne hunc cœlestem thesaurum perderet: *Vendidit omnia.*

Raulinus serm. 1. de Euangel.

Vendidit omnia.

CONSIDERATIO III.

Perfectio, & eminentia Christianæ charitatis maximè elucet in eo, quod quispiam pro salute aliena id præstet, quod alius pro salute propria ageret.

1. CONstans, & antiqua est Ecclesiæ Traditio, hanc gloriosam Sanctam sibi proprios eruisse oculos, eosque pro munere destinasse cuidam adolescenti, qui nimio amore eorum captus, lasciuis oculis eam importunius adamabat, hæcque addidisse verba muneri: Accipe, quod tibi plurimum placuit in me, & deinceps desiste, meque in pace quietam relinque. Quo pacto oculos eius illuminauit, & hortata est, ut in posterum Deo honestiùs seruiret. Fateor ingenuè, quòd, altius considerans hoc heroicum factum S. Luciæ, attonitus obstupescam, quia contemplor in eo verificatum, quòd in mundo, ad exaggerandum quidpiam, dici solet. Loquebatur S. Paulus Galatis, eosque memores reddebat amoris, quo aliquando eum dilexerant: *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*, id est, tanto amore me aliquando prosecuti fuistis, ut etiam, si id necessitas postulasset, oculos vestros mihi donassetis. Ad hunc sensum interpretatus est Angelus Ecclesiæ S. Thomas excellentissima illa, & penè diuina verba: *Ita me diligebatis, quòd non solùm mihi vestra exteriora, sed etiam oculos vestros dedissetis.* Magna profectò fuit hæc S. Pauli hyperbole, & exaggeratio, quia nullum noui ego amicum in mundo, qui pro amore alterius oculos sibi eruerit, nisi sanctam Luciam.

Galat. 4. v. 15.

D. Thom. hic. Lect. 4.

2. Multùm sanè faceret Christianus, si pro salute assequenda oculos sibi erueret, verùm charitas huius Sanctæ nostræ non hic substitit, sed ulteriùs perrexit, nam, uti sæpè diximus, seipsam oculis orbavit, ut alienæ mederetur necessitati. Notissima est illa Christi sententia, quâ monet, ut oculos nobis noxios eruamus: *Si autem oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Varijs modis explicant sacri Interpretes hanc Christi Servatoris sententiam. Per oculos namque intelligit sanctus Hieronymus affectus animæ, qui per oculos passim manifestantur quia in illis singulariter inclinationes, & propensiones animorum revelantur, & apparent-

Matthæi 18. v. 6.

D. Hieronym. hic



Proverb Græcum. patent: undè illud Græcorum tritum Proverbium: *Ab oculis putrescit piscis*. Et cùm in oculis sint primæ contentiones animæ cum suis inordinatis cupiditatibus, licèt Deus eos in loco eminentiori huius ædificij humani collocauerit, tamquam speculatores animæ, sæpius tamen imperium detrectant, & jugum eius refractariè excutiunt, hostibus nostris confœderantur, & oculi unà cum desiderijs proditoriè nos vendunt, qui exploratores, & custodes nostri esse deberent. Ait magnus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus per oculos rem maximè in hoc mundo dilectam, & concupitam interpretabatur, quemadmodum lumen eorum est præ cæteris desideratum. SS. verò Athanasius, & Hilarius personas ipsas, quas unicè amamus, per oculos exponunt. Sunt namque personæ quædam, quas tanto amore prosequimur, ut soleamus dicere, quòd eas magis, quàm oculos proprios diligamus, quodque eorum amicitia gratior sit nobis, maiorisque oblectamenti, quam ipsimet oculi; quare Hispanis maximè familiare est amicos appellare oculos suos, *mis ojos*: si tamen nobis scandalo fuerint, seu si impediverint, quò minùs cœlo potiamur, veluti cancer, eruendi sunt tales amici. Alij tandem oculos volunt intelligi veros oculos, non quòd eos eruere debeamus, sed quia est hyperbole quædam, & magna exaggeratio ad modum, quo Doctor Gentium S. Paulus iam anteà locutus fuit. Prætendit itaque Salvator noster hoc loquendi genere, quòd homo cuicumque discrimini, seu periculo huius mundi sese debeat exponere, ne salutis animæ suæ detrimentum patiatur, ita ut verba illa cœlestis Magistri, *Si oculus tuus*, in rigore explicata, non præcipiant ullo modo proprios nobis oculos eruere, sed evitare omnes occasiones, quæ possunt esse causa perditionis, & ruinæ nostræ.

D. Augustin. lib. 1. de serm. Domini in monte.

Athanas. q. 70.

Hilarius can. 40.

3. Dispensauit cœlum cum sancta Lucia, ut posset sibimet oculos eruere, & speciali Spiritus sancti impulsu tam peregrinam exorsa est actionem, cuius eminentia in hoc consistit, quòd illos non eruerit, tamquàm animæ suæ prædones, qui aliquod nocumentum illi inferrent, sed illos in remedium alienæ salutis à se projecit. Magis rationi consonum foret, ut ipsemet adolescens sibi oculos adimeret, ipsi enim deprædati fuerant animam eius. Recordor ad hoc propositum insignem quamdam solutionem curiosæ quæstionis à Doctissimo Abulensi agitatæ, in quâ percontatur, cur permiserit Deus, ut Philistæi fortissimo Samsoni oculos eruerent: *Statim eruerunt oculos eius*. Et prima ignominia, quâ eum affecerunt, fuit excæcatio oculorum corporis. Pro resolutione huius difficultatis, operæ prætium est, inquit doctissimus Abulensis, recurrere ad sacram Scripturam, & considerare propositum illius tam deliberatum, quò in animum induxerat, ducere in uxorem puellam Philistæam, in quam oculos conjecerat. Conabantur parentes dissuadere, eumque inducere, ut consilium mutaret, proponentes ei, nefas esse, & contra legem, coniugem accipere alienæ religionis. Lege enim sancitum erat, ne quis cum alienigena matrimonium iniret; ipse verò obfirmato animo perstitit in proposito, neque aliam sibi ducendam statuit, præter illam quam viderat in Thamnatha, & placuerat oculis eius: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*. Istane, inquit Abulensis, st causa, ob quam cupis habere uxorem alienigenam, quia solummodò placuit oculis tuis? Ergò æquum est, ut, qui tale commisit crimen, tales & luat pœnas. Rectè igitur primum supplicium ordinat Deus contra oculos; qui enim primi deliquerunt, iustum est, ut etiam primi puniantur: *Teneri potest, quòd peccauerit Samson, accipiendo uxorem de Philistinis, quia erat contra legem, & quòd merito huius, eruti fuerunt oculi eius*. Et quod crimen commisit sancta Lucia, aut quam ansam præbuit proco adolescenti, quòd illam tam lasciuè ambiret, quia placuerat oculis suis? Nullam profectò, ipse obnoxius erat culpæ, & reus pœnæ, ut oculos perderet, si libido, & concupiscentia fuerat causa movens ad eam in sponsam, vel concubinam sollicitandum: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis*. Ipse debuerat sibimet oculos eruere, iuxta Redemptoris nostri doctrinam: *Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & proyce abs te*. Verùm quia adolescens id non præstitit, voluit S. Lucia alienum compensare delictum, & ad tam sublimem perfectionis gradum attigit eius charitas, ut ad reducendum eum ad meliorem vitæ frugem, diuino afflata Spiritu, oculos sibimet eruerit, & à se proiecerit.

Iudicum 16. v. 21.

Iud. 14. v. 3.

Abulensis hic.

Matth. 18 v. 6.

Rem valdè memorabilem narrat Quintilianus, quæ priscis temporibus contigisse fertur. 4.
Incensâ domo cuiusdam hominis, adeò invaluit incendium, ut periclitata fuisset vita ipsius, nisi unus ex filijs, per medias irrumpens flammas, eum liberasset. Nequiuit prima vice simul matrem ab igne eripere, quæ eodem conflagrationis incendio comprehendebatur, & id-

& idcirco easdem repetens flammas, matrem cum dispendio oculorum suorum è voraci & implacabili rogo liberavit: ait ergo eloquentissimus Orator: *Minus in utroq; parente fecerat, nisi perdidisset oculos*, id est, quidquid obsequii præstiterat parentibus, minimum foret, nisi amore ipsorum oculos perdidisset. Tunc eminuit amoris ejus excellentia, quando pretio oculorum vitam eorum redemit. Celebrat antiquitas huius adolescentis animosam pietatem, quia necessitate adactus, ad salvandum vitã parentum, oculorum suorum jacturam fecit, quantò igitur potiori jure celebranda est ardentissima charitas S. Luciæ, majoribus elogiis digna, quæ spontaneè orbitatem oculorum sibimet intulit pro spirituali salute, & vita illius, cui nullatenus obstringebatur.

Quintilian. Declamat. 2.

5. Mystica sanè fuit benedictio, qua Patriarcha Iacob filium suum Iudam donavit, quemadmodum unanimi consensu, exponunt sacri Doctores, Ambrosius, Augustinus Chrysostomus, & Gregorius, quando filium habẽs præsentem, & caligantibus oculis corporis eum intuens, & illustratus lumine spirituali, fixit in eum oculos animæ splendore fidei, & dono Prophetiæ perfusos, vaticinans, & prædicens ei, quòd Christus ex semine eius esset nasciturus, teste S. Paulo, *De Iuda ortus est Dominus noster*, hisce verbis cumulatissimam ei benedictionem impertivit: *Ad prædam ascendisti fili mi, requiescẽs accubuisti ut Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum?* ô quam pulchrè singula delineat S. Senex! Primò vocat eum, catulum Leonis, sicut meditantur sancti Patres, ut exprimat naturam, & indolem Filij Dei, quam ei Pater æternus per æternam generationem communicavit; quia enim est catulus Leonis, hoc ipso verè naturam Leoninam participat. Non secus verbum æternum: *Rex ex Rege processit foris*, de quo & Ecclesia cantat in Symbolo: *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum De Deo vero*. Dicit itaque Patriarcha filio suo Iudæ: *Ad prædam ascendisti fili mi*, id est, animosè prædam invasisti. Depingit generosum ascensum Crucis, in qua magnus Leo Iuda Iesus Christus vicit, & maximam egit prædam omnium cordium, & totius Imperii terræ, seu mundi, quod jam Dæmon impunè usurpaverat, & quasi Dominus, seu Princeps sibi vendicaverat. Hæc sonant verba illa Domini Salvatoris: *Nunc princeps huius mundi, eiicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Prosequitur Iacob suum vaticinium, & addit: *Et quasi leæna, quis suscitabit eum?*

Gen. 49. v. 9.

D. Amb. lib. de Bened. Patriarch c. 4. D. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei c. 41. D. Chrysost. in c. 49. Gen. D. Gregorius in 4. Psal. pœnitent.

Ioan. 12. v. 32.

6. Carpit quidam modernus Doctus hunc locum, premitq; in consideratione sua hanc metaphoram leænæ, veluti superfluam & supervacaneam, cum enim Leoni eum comparasset, abundè ejus generosam fortitudinem expresserat, certũ quippe est Leoninas vires cæteris esse præstantiores, neque Leænæ animositatem esse prorsùs comparandam Leoninæ ferocitati, utpotè, quæ expavet, & summoperè terretur ad conspectum gladii evaginati. Ita attestantur & commemorant Naturales Historici, quibus etiam consentit præfatus Doctor, sed subjungit: *Verùm cùm pro catulis pugnat, oculos ad terram dimittit, ne videat fulgentes gladios, & sic impavidior agit*. Ast narrant etiam Historici de illa, quòd quando pugnat pro catulis, oculos suos claudat, eosq; in terram dimittat, ne vibratos, seu refulgentes gladios aspiciat, sicque animosa fortitudine, & impavido pectore catulos è periculis liberat, & generosè defendit. Non aliter Christus Dominus Servator noster, prævidens difficultates, & pericula superanda, ad salvandum suos, occlusit oculos suos, & pectus suum quibuscumque opposuit periculis & tormentis: & fortasse hoc mysterium continet velatio oculorum, quam tempore passionis Christus sibi fieri permisit: *Et velaverunt eum, & percutiebãt faciem eius*. Et sub hac corporis positione omnes alapas & ignominiosa opprobria sacrilegorum Satellitum excepit, & patienter toleravit. Quasi insinuans, se nolle videre opprobria, quibus lacessebatur, neque agnoscere illos, qui maiori rabie & ulceratiori furore in innocentem sæviebant. Dicebant enim illudentes: *Prophetiza, quis est, qui te percussit?* ita ut quodammodo se oculis orbaverit divinus vitæ nostræ Restaurator, quando majoribus sese exposuit & objecit periculis. Hæc circà litteralem sensum Propheticæ benedictionis Iacob, dum filio suo benedixit ad corroborandũ discursum nostrum adnotãda judicavimus. Porrò si in sensu accommodatiori ea explicare, & gloriosæ Virgini, ac Martyri S. Luciæ applicare libuerit, facili studio id efficiemus; ipsa namque velut Leæna divina, non metaphoricè, sed verè sibi oculos eruit, superãs nativam repugnantiam, qua natura suæ conservationi, & incolumitati patrocinatur, oculos, inquam suos eruit, quo pacto filios suos ab imminenti

Bza lib. 11. de vita Christi cap. 6. §. 12.

Luca 22. V. 64.

Luca ubi suprà.

imminenti periculo liberaret, & eorum saluti consuleret, sive jam per filios, intelligamus virtutes, qui sunt partus intellectus, vel voluntatis, sive animam illius adolescentis, amore excæcatam, quæ extremo laborabat periculo, quam verè post resipiscentiam, & meliorem vitæ normam, filiam oculorum Luciæ appellare possumus; pretio enim illorum S. Lucia emendationem ejus comparavit, qui est supremæ charitatis effectus. Tam carò emit hunc thesaurum cœlestem castitatis, non solùm sibi, sed etiam aliis, ut audacter & plenis buccis dicere liceat cum Sancto Antonino, *Oculos eruit, & dedit pro Christo*, quod pretio oculorum hunc thesaurum comparaverit, & plus egerit, quam homo, qui omnia vendidit, ut agrum emeret: *Vendidit universa &c.*

D. Antoninus in Vita S. Luciæ.

Vendidit universa &c.

CONSIDERATIO IV.

Vixdum humanus intellectus discutere, aut assequi potest, num excellentior fuerit præstantia amoris in S. Luciæ, quod propter Deum sibi oculos eruerit, an vero, quod vitam suam pro amore illius in manus Tyranni, quasi prodiga tradiderit.

1. UT auspicatò hunc discursum exordiamur, necessarium est recurrere ad id, quod Litteræ humaniores nos docent, quæ inter maxima huius vitæ bona enumerant, pulchritudinem, formam, & venustatem humanam, eamque tanti æstimant, ut Plato ausus fuerit eamdem, privilegium, & humanæ naturæ prærogativam nuncupare: *Maximè omnium amabilem, & naturæ privilegium.* Laërtius autem eam vocat literas commendatitias: *Pulchritudo quavis epistola efficacior ad commendationem.* Quare etiam pretiosissimum bonum habetur inter mulieres, quia neque meminerunt eloquentiæ Ciceronis, neque recordantur efficaciæ in dicendo Demosthenis, neque pensi faciunt triumphos Cæsaris, aut victorias Alexandri, imò vilipendunt thesauros Midæ, & omnem fœlicem Polycratis fortunam, ut quidam Prudens disertissimè adnotavit. Sola pulchritudo est Deus, quem adorant, & quando eam natura denegat, ars mille modis, pigmentis, fucis & medicamentis deformitatem, seu faciei defectum reparare allaborat. Antiquitùs in solemnitatibus, quas Gentiles Diis suis celebrabant, erat contentio quædam inter formosiores mulieres super pulchritudine, (quemadmodum in Ludis Pythiis, & Olympicis instituebatur studium luctantium inter Romanos & Græcos) & quæ palmam aut gloriam reportabat, tantum superba animi elatione evanescebat, quantùm aliæ tristes, & confusæ mœrebant, una tantum lætitia exultabat, quantum cæteræ dolore consternebantur. Morem hunc, seu consuetudinem attribuit Musæus Lacedæmoniis, & Horatius in odis suis refert singulare quidpiam de quadam muliere, Europa nomine, in cuius oculis tantæ pulchritudinis splendor refulgebat, ut Deos suo supplex exoraret, ut potius a tigridibus, & leonibus devoraretur, quam deformitatem vultus incurreret. Est denique pulchritudo bonū tam amabile, ut omnium in se oculos, & animos secreta quadam vi rapiat, & pertrahat, loquitur sæpius majori suavitate, & dulcedine, quam ipsa sapientia & lingua quævis, etiam disertissima, & majorem sibi vendicat locum in animis hominum, quàm ipsa eloquentia, & dicendi elegantia. Estque, quemadmodum egregiè dixit Lucretius, quodammodo *Domina amoris*, & alienorū cordium Imperatrix: & quia est bonum adeò pretiosum, & affatim potens; naturaliter à mulieribus plurimi æstimatur, & præ cæteris desideratur.

Plato lib 2. & 6. de Republ. Laertius apud Carthagen. tom. 2. hom. 5.

Musæus de Heron. & Leand. lib. 13. & 33. Horatius Carm. 3. Oda 27.

2. Supposita hac doctrina, tamquàm evidenti, & indubitata, manifestè colligitur, quàm meritoria fuerit hæc actio tam heroica S. Luciæ, qua sibi oculos eruit, & misit eos adolescenti, qui se eorum amore captum, & superatum fatebatur volens propter amorem Dei propriam deturpare faciem, ne alicui noceret aut scandalo foret sua pulchritudo. De illustri quadam Romana, videlicet Sotere, narrat gloriosus Ecclesiæ doctor S. Ambrosius, illius exemplo instruens, & hortans virgines, quod cum esset pulcherrima facie, & experientia edisceret, pulchritudinem suam oculis Gentilium eam intuentium esse offendiculo, vinculis alligata, & Tyrannis tormenta minantibus, primùm, & ante omnia, vultum suum venustissimum obtulit, verberibus deformandum, & tormentis excruciandum: *Cùm esset decora facie valde, & nobilis. &c. Nam vultus sui curam gerebat. Vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium ubi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim*

D. Amb. lib. de exhortat ad Virgin.

enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Nobilissimum ergo, & præstātissimum illius sacrificium, fuit pulchritudinis suæ, quæ, si tantò est excellentior, quantò, uti dicebamus, est pretiosior, considerate nobilissimam, simul & pulcherrimam heroinam, quæ nihil carius habuit in mundo, aut pretiosius, quam decorem, aut formositatem vultus sui, & hæc fuit prima oblatio, quam Deo consecravit, & immolavit. Trutinans sanctus Doctor hoc præclarum facinus, hancq; actionem heroicam, commemorat, quod antiqui, seu veteres, in heroici facti exemplum, adducebant quemdam Adolescentem Hetruscum, qui pulcher aspectu, & decorus facie, cum cognosceret mulieres amore sui capi, & forma sua illaqueari, ipsemet faciem suam deformavit, & frontem cauterio inussit, ne pulchritudo, & venustas corporis sui aliis scandalum, & ansam ruinæ præberet. Manga sanè res, inquit sanctus Archiantistes Mediolanensis, licet ficta fabula, ad novum aliquid, & inauditum mundo persuadendum: *Hetruscum juvenem veteres fabulæ ferunt, cum propter admirandam proprii oris pulchritudinem, in amorem accenderet fœminas, stigmatibus inarasse vultum suum, ne aliqua eum adamare posset.* Valeat fabula illa ex cerebro somniantis nata, nam vera fuit historia Sanctæ nostræ Soteris, quæ verè digna est, ut omnes virgines Christiano nomine gloriantes, eam imitentur.

3. Non diffiteor, quin heroica fuerit actio hujus gloriosæ Sāctæ, & omni laude digna, & meritò à tanto Doctore summis encomiis celebrata. Attamen liceat mihi dicere illam longè imparem esse cum præclaro facinore S. Luciæ comparatam, quia pluris æstimo, quempiam esse suipsius carnificem, quàm manibus Tyranni mortem obire. Neque ego post diuturnum studium, & diligens examen discernere possum, in quo ex duobus magis laudanda sit sancta Lucia, an quia oculos sibimet propter Deum eruerit, an verò, quia vitam in tormentis donaverit. Murmurarunt quondam Maria, & Aaron contrà fratrem suum Moysen, Deus id indignissimè tulit, quia immeritò sola invidiæ passione moti contra innocentem insurrexerant. Decrevit Deus eos, tamquam reos criminis, punire, pœna autem, sacro attestante Eloquio, fuit hæc: *Apparuit Maria candens lepra,* id est, replevit eam Dominus lepra à vertice ad imos usque talos, ita ut tota fœtida, & plena doloribus appareret. Observant sacri Interpretes, Deum Aaronem nullatenùs castigasse, cùm tamen ipse fuerit complex delicti, vel saltem sacram Paginā nullam ipsius facere mentionem. Dedita opera, diligenterque studùi huic puncto ad indagandum causam indemnitatis huius hominis, qui secundum rectæ rationis dictamen graviori pœnæ obnoxius erat, quàm soror ejus, quam sexus fœminei fragilitas excusat, sicuti dignitas personæ Aaronis, est circumstantia aggravans, quæ culpam, & delictum ejus adauget. Theodoretus ad evadendum hāc difficultatem ita loquitur: *Per sororem terruit,* hoc est, alieno supplicio sororis voluit Deus peccatum Aaronis redarguere, quem propter dignitatem Sacerdotalem reverebatur. Plures insistunt opinioni huius doctissimi Patris: verùm Abulensis autumat labores, & ærumnas, quas pertulit Aaron in deserto, imò & ipsam mortem, quam obivit, fuisse pœnam & compensationem delicti: *Fortè labores, quos sustinuit in deserto, & mors in solitudine, fuit ad satisfaciendum pro peccato.* Porrò protinus ratio dubitādi mentem pulsat, quam ob causam Dominus Deus pares in delicto, non puniverit pari vindicta, & supplicio? Aaronem namque multat morte, Mariam deformitate, ut tota leprosa appareat. Dicant alii, quod sentiunt, mea quidem sententia, non minori supplicio fuit affecta Maria, quàm Aaron, quia Mariam deturpavit Deus lepra, tantumque faciem eius deformavit, ut aspicientibus esset horrori & timori, Aaronem autem morte plexit, & meo judicio, non minor fuit pœna Mariæ deturpatio, quàm Aaroni ipsamet mors, aut vitæ jactura. Idem est prorsus mulierem amittere pulchritudinem suam, ac eam inter mortuos annumerari.

Numer. 12. v. 10.

Theodor. hic.

Abulensis hic.

Delineans regius Vates formositatem, & decorem Filii Dei incarnati, hisce verbis exorditur: *Speciosus forma præ filiis hominum,* id est, primum, in quo Verbum Divinum, Filius Dei homo factus voluit eminere inter homines, fuit pulchritudo & elegantia. Ad hunc modū explanat ea verba noster Paraphrastes Hispanus, & notat Chaldæum addere, quòd Filius Dei sit speciosus forma præ filiis hominum, nedùm quoad interiorem animæ decorem, verùm etiam quoad exteriorem corporis venustatem. Sed paullò inferiùs repetit regius Propheta eamdem doctrinam: *Specie tua, & pulchritudine tua intende prosperè, &c.* Tamquā diceret: Solo aspectu tuæ pulchritudinis, & formositatis 4.

Psalm. 44. v. 2.

Andreas de Çarceres Lect. Chald.

Ibid. v. 5.

ficatis attrahentur animi, & totus mundus in amorem tuum rapietur, *specie tuâ*. Cui consonat tritum illud Proverbium Hispanicum, uti observat præfatus Author: *Buena cara tienes, buenos hechos haras, no se puede esperar menos de tu buena cara*, id est decorus es facie, bona opera facies, nihil minùs, à tua facie sperari potest. Subsistite hic paululùm, venite mecum ad capitulum 53. Isaiæ Prophetæ, & videbitis totam hanc pulchritudinem adeò immutatam, ut in has lugubres prorumpat voces: *Non est ei species neq; decor* id est, totus mutatus ab illo, qui anteà speciosus forma omnium ad se corda pertrahebat. Sed ecce, denuò ratio mea dubitandi, quamobrem vel quorsum Spiritus sanctus dirigens os, & calamum Prophetæ, præcepit ei scribere hanc adnotationem, prima fronte adeò supervacaneam? Enarret Propheta Isaias opprobria, ignominias, calumnias & tormenta, quæ toleraturus est Redēptor meus, omnia enim hæc mihi sunt magno exemplo, sed sileat, neque præteritæ & amissæ pulchritudinis ullam mentionem faciat. Non reperi hactenus Authorem, qui meo faveat conceptui, verùm (nisi me fallat studium & opinio mea) existimo tam excellens esse sacrificium, quod quispiam pro amore Dei perdat, seu jacturam faciat pulchritudinis aut venustatis corporis sui, qua cunctis gratus apparebat, ut etiam ipse Dominus noster voluerit inter plurima tormenta, quæ pertulit, recenseri, quod in illis (quoad judicium humanum) etiam deformata fuerit pulchritudo, & venustas vultus sui, quasi non minùs faceret sufferendo unum, quàm consentiendo & permittendo aliud.

Carcerus.

Isaia 53. v. 2.

5. Si igitur hæc videmus in Christo Domino, viro de quo dici solet, quod neglecta forma virum deceat, quique non tanti facit similes naturæ dotes, quid dicemus de gloriosa S. Lucia fœmina, inquam, quæ ne dicam pluris, saltem tanti pulchritudinem suam, quanti vitam æstimare consvevit? Quid, quæso, dicam? nisi, quod non minus promeruerit apud Deum, sacrificans illi pulchritudinem suam, quàm offerens in martyrio proprium sanguinem. Idcirco notavi ego, quod non depingant hanc Sanctam cum insignis martyrii sui, sicut alios martyres gestantes manu signum martyrii, sed cum oculis in patina, quasi pluris fecerit Sancta, quòd seipsam propter Deum externè deformaverit, quam quod pro eodem vitam & sanguinē profuderit, hujus enim videtur oblita, & illo adornata comparet. Quadrat rectè instituto nostro, quod Plutarchus in vita Sertorii commemorat ait enim, quod in pugna & certamine oculum amiserat: *Tandem alterum amisit oculum*, & quod hoc magno sibi honori ducebat: *De quo etiam gloriari solebat*. Dicebat enim, quod alij relinquerent domi suæ testimonia, & litteras suæ bellicæ virtutis coronas, quas promeruerant, quia ea omnia secum deferre impedimēto essent, se verò semper deferre faciem, & in nobiliori parte illius testē suæ generositatis: *Quod alii non semper virtutis suæ testimonia secum deferrent, sed torques & hastas, & coronas domi relinquerent, sibi verò bellicæ laudis insignia continuò adessent.* Et si qui viderent dignitatem, & excellentiam suam, etiam illicò, quanto illam sibi pretio comparasset, agnoscerent. *eosdemque haberet fortunæ & virtutis suæ inspectores* Reticeatur ergo ardentissima charitas S. Luciæ, qua dotem suam munificentissimè pauperibus Christi distribuit, nulla fiat mentio integritatis ejus virginalis, silentio involvantur tormenta illa, quæ per manus Tyrannorum constantissimè pro Christo pertulit; oculi enim, quos in manibus gestat, sunt continui testes excellentissimæ virtutis ejus, & si in Ecclesia videmus eam adeò celebrem, & honoratam, ipsi oculi testimonium præbent, quanto labore hunc honorem sibi acquisiverit, quodque cariori pretio quàm alii Sancti cœlum comparaverit: *Oculos eruit, & dedit pro Christo, Vendidit universa, quæ habuit, &c.*

Plutarch. in vita Sertorii.

Vendidit universa.

CONSIDERATIO V.

Non est tanti momenti patrocinium sanctæ Luciæ, ad consequendum exteriorem visum corporis, quanti est ad recuperandum interiorem animæ.

1. CELEBERRIMUS verbi divinini præco, & primus post Apostolos noster S. Vincentius Ferrerius, differens & examinans rationem ob quam S. Lucia pingatur gestans oculos in patina, asserit hanc unicam fuisse, ut scirent homines Deum ipsi contulisse gratiam secundum nomen ejus: *Secundum nomen suum, ita & laus eius in fines terræ*, id est, ad dandum cæcis lumen non solùm corporis, sed etiam animæ, in quo singulariter excelluit tam in vita, quàm

D. Vincent. Ferrer. serm. 5. S. Luciæ.

Psal. 47. v. 11.

quàm post mortem luce sua se mirabilem ostendens. Testes luculentissimi huius veritatis sunt libri, describentes innumera miracula, quæ operata fuit hæc Sancta in iis, qui viva fide, & pari devotione opem ejus implorarunt. Maximum, quod ego hodierna die optarem persuadere devotis erga S. Luciam hoc est, ne solummodo sollicitent eius patrocinium pro salute, & incolumitate oculorum corporis, sed potius ejus favorem exposcant, ad impetrandum interius lumen animæ. Est namque certum & indubitatum, plures esse privatos oculis animæ, quam corporis, pluresque cæcos spirituales, quàm corporales inveniri, imò ipsamet Sancta prius in oculis spiritus, quam carnis miraculum patravit. Sed eheu maximè deplorandum est, quod in mundo plurimi æstimentur oculi corporis ad contuendum pulchritudinem mundanam, & nihili habeatur visus oculorum animæ, tantummodo, ad Deum ipsum contemplandum, donatus. Pulchrè hic disserit S. Ambrosius: *Et si ita amatis oculos corporis, quos citò moriendo perditis, quare non diligitis oculos spirituales, quibus Deum sine fine videre valeatis.* Verba sancti Doctoris clarissima sunt, contendit enim illis oculos corporis avocare à visu rerum caducarum, & provocare oculos spirituales, ad contuendum visione beata ipsam Dei essentiam, & pulchritudinem indeficientem. Si oculo corporis nubecula obducatur, vel musca introrsum involvet, statim, inquit S. Augustinus, prosequens discursum S. Ambrosii: *Quaritur medicus, non differtur, ut aperiatur, atque purgetur, & sanetur; curritur, nemo quiescit, nemo differt.* Quæ verba aliis terminis ita sonant: Omnes irrequieto motu currũt, ut remediũ quærant, tota domus, & familia perturbatur, omnes æquè intendunt curationi & medelæ oculorum corporis: *Multùm duos oculos exteriores diligis, multum illum interiorem negligis.* O imprudens homo, quanta est inconsiderantia tua! quamque improvidum, & inconsultum judicium tuum, quia tãti pendis oculos exteriores, & flocci facis interiores, qui tamẽ primas in tua æstimatione habere deberent! Revera, inquit Magnus Pater, quidam ita negligunt oculos interiores animæ, ut si Deus illis appareret, tantam conciperent verecundiam, ut cum protoparente nostro Adamo sese absconderent, quemadmodum ille cæcutiens, post peccatum, ne divinam lucem Dei venientis videret, umbras, & latibula quæsivit. Vtrùm his omninò necessarium est, ut excutiant cæcitatem suam, & agnito morbo suo, medelam quærant, ne malum inveteratum, tandem insana bile reddatur.

D. Amb. in epist. ad Cor.

D. Aug. serm. 18. de verbis Domini.

De Sedecia Rege dicit Deus per Prophetam Ezechielem, quod iturus esset in Babylonem, non tamen eam visurus: *Et adducam eum in Babylonem, & ipsam non videbit,* id est, curabo ipsum abduci captivum in Babyloniam, videbit quidem eam (largo modo sumptâ visione, quia intrabit illam, manibus palpabit, & pedibus calcabit terram eius) nequaquam tamen videbit eam, quia captivus erit in campis Iericho, & adducent eum vinctum in Reblathâ, ne videat illam. Doctissimus Lusitanus, allegorizans hæc verba, ita fatur: *Babylon mundus est, qui totus est positus in maligno, quid est superbia, avaritia, gula, incontinentia, quid denique mundus, & congeries malorum, nisi Babylon, & detestanda confusio? Quot hodie in mundo versantur, qui illum non agnoscunt? Quot mundi confusione circumfusi, ipsâ confusionem minimè intuentur?* Ac si apertius diceret: Totus mũdus plenus est cæcis, qui sunt similes Sedeciæ, videntes quidem mala, eaque manibus palpantes, neutiquam tamen ea vident aut agnoscunt; quia passionibus excæcati, incapaces sunt luminis, ac per consequens correctionis, aut emendationis. Miserrima sanè, & maximè lamentabilis hominum conditio, qua nihil tristius, aut acerbius homini Christiano in hac vita evenire, aut excogitari potest.

2. Ezech. 12 v. 13.

Hector Pintus hic.

3.

Ingeniosè observavit alter Lusitanus, nempe celeberrimus noster Oleaster, quòd licet omnes plagæ Ægypti fuerint horribiles, & plenæ terroribus, nulla tamẽ in sacris litteris gaudeat hoc nomine, nisi sola plaga tenebrarum: *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti,* inquit sacer Historicus. Ecquam ob causam, inquirit hic Doctissimus, ubi sunt coaxantes ranæ, immundi lacerti, mors animantiũ, occisio primogenitorum, & his similes plagæ, sola plaga tenebrarum horribilis appellatur? Audite responsum Authore suo dignum: *Hoc est ultimum impiorum supplicium, cum obscuratur insipiens cor eorum.* Solam hanc plagam reputat Spiritus sanctus horribilem, & metuendam, & meritò quidem, quia maximum, & crudelissimum est supplicium, quod Deus peccatori infligere potest, est hoc, quòd non agnoscat homo gravitatem peccati sui. Rogare debemus sanctam Luciam, ut suo patrocinio, & inter-

Exodi 10. v. 22.

Oleaster hic.

cessione ab illo nos liberet, in hoc namque singulariter obit vices Dei, estque, ceu dixit noster S. Vincentius Ferrerius: *Lucis via.*

4. Postulemus ab ea id, quod pœnitens David supplicabat Deo in Psalmis: *Tu illuminas lucernam meã, Deus meus illumina tenebras meas* id est, à te, Domine, omne lumen meum, tu semper nova me recreas luce, & claritate doctrinæ tuæ intellectum, & mentem meam jugiter illustras; ne cesses ergo, ô Domine, sed continuato favore me prosequere. absque illo enim cœcutiam, & obtenebrabor, neque videbo, aut cognoscam, quid mihi fuerit salutare. De oculis animæ spiritualibus loquitur regius Vates, non autem de oculis corporis, uti sacrorum Interpretum Primas S. Hieronymus adnotavit: *Non videt enim intellectus anima, nisi à Christo illuminetur.* Cæcus est intellectus humanus ex natura sua, & nihil videre potens est, neque rectè discernere, nisi speciali à Deo lumine illustretur. Plurima sparsim reperiuntur testimonia in sacris Bibliis, quæ hanc veritatem dilucidè confirmant.

Psal. 17. v. 29.

Carceres ibidem.

D. Hieronym. hic.

5. Rectè meministis illius vestis pullæ, qua cœlum obductum luxit mortem Redemptoris nostri: *Tenebræ factæ sunt super universam terram*, quemadmodum scripsit sanctus Evangelista Matthæus, ita ut terra tota quasi in noctẽ esset conversa. Indagant Expositores sacræ Scripturæ, qua de causa tenebræ ita invaluerint, & terram occupaverint, ut mundus totus tantâ obscuritate offunderetur? Maximè pia est meditatio S. Maximi, & intento nostro commodissima: *Quid mirum, si apud superos sunt tenebræ, cum lux descendit ad inferos.* Non judico ego hoc magnum miraculum sicut alii sentiunt, quia si tenebræ secundùm saniorem Philosophiam nihil aliud sint, quàm privatio lucis; quid tantopere mirandum, quòd mundus tenebris involvatur, & obscuretur, si lux ad profundum terræ abyssum descenderit? Si Sol justitiæ Christus Deus noster, ita eum indigitat sacra Pagina apud Malachiam: *Orietur vobis Sol justitia*, si, inquam, vera lux mundi, ut ipsemet proprio ore profitetur per Ioannem: *Ego sum lux mundi*, orbem terrarum refuga deserat, quid mirum, si totus mundus obtenebrescat, & obscuretur? In signum, quod anima carens gratia Dei in tenebris ambulet, nam nulla cæcitas horribilior illa, quam peccatum mortale secum adducit. Vnum ex efficacioribus mediis, ad obtinendam medelam illius, & recuperandum visum oculorum spiritualium, præstantissimum est patrocinium gloriosæ Virginis S. Luciæ. Rogate ergo eam, Auditores, ut, cùm illa sit *Lucis via*, per quem Deus nobis simul lucem communicat, illuminet mentes nostras, dirigat animas nostras, quò securam assequantur viam cœli, & ibi eius societate in æterna perfruantur gloria. *Ad quam nos perducat, &c.*

Matth. 27. v. 45.

D. Maximus sermon 2 de Paschate.


Malach. 4. v. 11.

Ioan. 8. v. 12.

TRACTATUS III.

IN FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ.

Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Iesus sequentem. **Ioan. 21.**



REFERT sacer Chronicus Ioannes, quod, postquam Salvator noster mandasset Petro, ut Magistrum post Resurrectionem sequeretur, ipse habens Dominum suum ducem præeuntem, conversus respexerit, & viderit Discipulum, quem præ cæteris diligebat Iesus, qui & in cœna recubuit supra pectus Domini, sequentem. Prima fronte videtur Petrus in hoc facto parùm civilis, & urbanus, respiciens Ioannem Discipulum eo tempore, quo eum Magister alloquebatur. Porro Metaphrastes conatur eũ excusare hisce verbis: *Noverat enim id quod Christus erat apud ipsũ, hoc Ioannẽ esse apud Christum: & quod ipse quidem diligeret, ipse autem*

Metaphrastes.

tem dilectus esset. Prudenter egit Petrus, noverat siquidem, amorem taliter Christum transformasse in Ioannem, quod respiciendo Ioannem, non deerat obligationi, quâ Christo debebat, quia ad videndum Christum, qui erat in Ioanne, omisit videre Ioannem, qui erat in Christo. Ad agendum de uno, opus est gratia alterius: quæ illâ impetrare debet, est mater amborũ; qui eã petere debent, nos sumus, utentes communi illa supplicandi forma: *Ave Maria.*

Conversus Petrus, &c.

CONSIDERATIO I.

Sicuti est actus virtutis, inspirationibus divinis acquiescere, ita etiam est argumentum maximæ perfectionis, eas prævenire.

1. SIT primum, & excellentissimum elogium magni Evangelistæ, quod Christum fuerit secutus non vocatus, quodq; promptus obediverit, non iussus, aut mandato adactus. Petro prius mandatur, & ideo fuit secutus: *Dixit Iesus Petro, sequere me*; at Ioannes non præcepto, sed solo amore ductus, spontaneè sequitur: *Vidit sequentem*, inquit mellifluus Doctor, *non tam corporis gressu, quàm prompto devotionis affectu.* Pergit (nostro rudi & agresti modo loquendi) amore aquæ, vel ignis, est enim amor talis, ut non opus sit, quod attrahatur, aut vocetur, sed ultroneè accurrit, & laudibus extollitur, non solũ à sanctis Patribus, sed etiam à sacra Scriptura S. Patriarchæ Abrahami promptissima illa obedientia, qua Deo præcipienti sacrificium unigeniti Filij sui protinus obtemperavit: *Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum, quem diligis Isaac.* Incunctanter manum operi applicuit, ligna composuit, ignem admovit, & gladium distrinxit. Quorsum tanta festinatio ad sacrificandum unicum, & dilectum filium, quem habebat ex Sara uxore sua? *Filium tuum unicum, &c.* Magna plane generositas, & heroicum facinus, quod nunquam, etiam summis encomiis satis condignè laudatur: non potuit enim amor quidpiam excellentius præstare, quàm quod pater charissimo pignore filii sui seipsum orbaret, ad imolandum illum Deo, sacrificium tale postulanti. Bellè adnotatum. Verùm reperio ego in sacris Litteris matrem, quæ, postquam filium unicum innumeris lacrymis comparasset, eumque ingenti labore ablactasset, tulit eum, & cultui divino consecravit: *Et adduxit eum ad domum Domini.* Et conferens hæc duo inter sese, illico cœpi ambigere, uter amborum gratius Deo amoris obsequium præstiterit? vel cui illorum præmium, & corona debeatur? Num Annæ matri Samuelis, vel Abrahamo parenti Isaac? Ambo magna animi propensione obtulerunt Deo filios suos, iisque se orbarunt, ad dandum illi pretiosissimum amoris, & cordis sui pignus. Eja ergò, cui palmam triumphi deferemus, aut quem amborum dicemus Deo acceptius sacrificium immolasse? Dicant alii quod sentiunt, S. Ioannes Chrysostomus singularem aliquam animi generositatem, & cordis nobilitatem animadvertit in Annâ cum Deo, quam nequivit reperire in Abrahamo: *Ille*, inquit aureum os, *postquam petitus erat filium obtulit, ista verò ante petitionem dedit.* Abraham ad immolandum filium suum præstolatus fuit petitionem, & mandatum Dei, porrò Anna, non expectata Dei petitione, aut mandato, summo animi affectu spontaneè obtulit filium suum, ideòque sanctus Chrysostomus nobis facultatem concedit dicendi, & liberè pronuntiandi, quod si in Abrahamo fuerit argumentum magnæ virtutis, obedientia post mandatum Dei, in Anna, oblatio spontanea filii sine præcepto, majoris perfectionis indicium. Pariformiter philosophari possumus, & debemus inter Petrum, & Ioannem. Hoc sonant verba de utroque prolata: *Tu me sequere*: & illa de Ioanne: *Vidit discipulum &c. sequentem.*

D. Bern. serm. de S. Evangelista.

Gen. 22. v. 1. & 2.

1. Reg. 1. v. 24.

D. Chrys. sost. hom. 24. in Epist. ad Ephes.

2. Ingrediuntur Moyses & Aaron palatium, seu aulam regiam Pharaonis, eique intimant Dei mandatum, ut dimittat populum captivum ex Ægypto, quatenus liberè vadat in desertum, ad sacrificandum: *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum, in solitudinē, & sacrificemus Domino Deo nostro*, id est præcepit nobis, ut procul hinc abeamus, ad immolandum sacrificium. Magnus noster Lusitanus, Oleaster, allegorizans hunc locũ legit juxta versionem doctissimi nostri Pagnini ex Hebræo: *Deus Hebræorum occurrit nobis.* Itaq; ubi vulgata habet, *vocavit nos*, trãsfert ipse *occurrit nobis*, ex quib⁹ insignem elicit doctrinã moralē: *Disce etiam hic, qualiter Deo tuo obedias, non dicunt Deus Hebræorum nobis hoc præcepit, sed tantùm occurrit nobis, & statim quasi divinãtes voluntatem eius, volũt ire viam trium dierum.*

Exod. 5. v. 3.

Oleaster Pagninus hic.

Ac si clarius diceret, quod ex his normam Deo obtemperandi addiscere debeamus. Non dicunt Moyses, & Aaron, quod Deus præceperit eis ire, ad sacrificandum, sed tantummodo, quod apparuerit & occurrerit eis, & statim, ac eum viderunt, egerunt de sacrificio offerendo, quasi divinantes voluntatem eius, in quo virtutis perfectio consistit. Sequi, & servire Deo post vocationem, multorum est; sequi autem, & servire ei absque præcepto, aut mandato prævio solummodo perfectorum est, uti magnus Euangelista egit.

31 In eodem libro Exodi aliam habemus insignem discursus nostri confirmationem; quia narrat sacer Textus, quod post egressum ex Ægypto Dominus Deus apparuerit Moysi, eiq; mandaverit, ut populum memorem redderet obligationis, qua cuncti arctissimo vinculo obstringebantur ei propter beneficium liberationis è dura, & tyrannica servitute Ægypti; quodque insuper Deus se obligaret ad conferendum eis maiora, & cumulatiora beneficia, si humiles, & grati divina præcepta, & mandata exactè observarent. Annuntiavit hæc Dux populi omnibus Israëlitis, qui protinus communi, & unanimi voto coniurârunt in perfectam, & integram observantiam omniū eorum, quæ Deus mandarat: *Respondítque omnis populus simul; cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus*, id est, præsto sumus, & parati ad quæcumque ad amussim exequenda; Magnus Ecclesiæ Pater sanctus Augustinus sequens versionem Septuaginta Interpretum, ita legit. *Cuncta, quæ locutus est Dominus faciemus, & audiemus* Notate, inquit S. Doctor, mysticam horum verborum transpositionem; debuissent enim dicere, ad servandum formam loquendi, audiemus, & faciemus, dicunt autē contrarium: *Faciemus, & audiemus*. Argumētum evidens, quòd erant promptissimi, ad servanda Dei mādata, absque eo, quod intimatione ullam expectarent, ad ea adimplenda: *Nam si audiemus*, ait ingeniorum Phœnix, *pro eò positum est, quod est intelligemus, prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ, ipso præcipiente, fiunt, merito devotionis, quâ non contempta, sed facta sunt, ipse perducat*. In signum, quod in perfecto obediente, priùs debeat esse obedire, quàm audire, operari, quàm intelligere. Tanta animi alacritate studebant Deum amare, & servire, cui se maximè devinctos profitebantur.

Exodi 19. v. 8.

D. Aug. lib. 2. quæst. in Exod. quæst. 6.

Æmulabatur in hac occasione promptitudo Israelitarum obedientiam Angelorum. Egregia fuit observatio Authoris Incogniti, explicantis versum illum Davidicum, in quo Regius Vates monet, & invitat omnes Angelicos Spiritus, ut laudes creatori suo decantent: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute*. Declarat conditiones Angelorum, qui maiori polleant potentia: *Facientes verbum illius*, satis est, quòd Deus loquatur solum verbum, neque iteratis præceptis opus est. Parum dico, vixdum ore protulit verbum, quin iam voluntas eius sit executioni mandata; *ad audiendam vocem sermonum eius* Rectius dixisset, inquit hic Doctor, primo *ad audiendum vocem, &c* & postmodum, *facientes verbum illius*, priùs enim est audire, quam exequi mandatum, sed in hoc præcipuè elucet excellentia Angelorum, quòd tanta celeritate obtemperent mandatis Dei, ut videatur supervacaneum audire voces divinas, ad statim illis obediendum. Plurimum extulit David obedientiam cœlestium spirituum: & nescio, an non comprehenderit etiam inter illos divinum nostrum Evangelistam, quem devotissimus Abbas Gvertricus, ex sententia Deiparæ Virginis per illum relata, non veretur inter Angelos annumerare: *Sufficit mihi meus novus in carne Angelus Ioannes* Non quidem fuit Angelus per naturam, sicut cæteri spiritus cœlestes, sed Angelus beneficio divinæ gratiæ Incarnatus, & illis in plurimis dotibus simillimus, & singulariter in præveniendo divina mandata, & sequendo Dominum, ac Magistrum suum absque ulla prorsus præmissa vocatione, aut præcepto: *Qui facitis verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius*. Prudenter quidem, meo iudicio, dicebat doctus quidam Contemplativus, se reperire inter Petrum, & Ioannem, in sequendo Christum Dominum, talem differentiam, qualis invenitur inter carbones ignitos, & flammas ignis. Ut ex carbonibus accensis prodeat flamma, & in altum exurgat, prius necessarium est, ut eruantur è cineribus, & sufflentur, priùs namque prunas revolvis, & flatu accendis, & illicò flamma ibidē recondit exurgit in altum: verū flamma ignis neutro horū indiget, sed suaptè absq; alterius adminiculo ad centrū suum in altum: conscendit. Ardebat Petrus, & cor Petri, amoris igne, tamquā fornax accensa, ast, ut flamma erumperet, flatu excitanda erat, & prunæ accendendæ *Petre, amas me*

Psal. 102. v. 20.

In regi. tus hic.

Guerricus Serm. 2 de Assumpt.

me? Tertiò Christus eamdem movit quæstionem Ecquid hoc aliud, quam folle emortuum quodammodo amoris ignem succendere, ut flamma in lucem prodeat? *Tu scis, Domine, quia amo te*: attamen Ioannes, veluti Angelus, semper flammas amoris emittebat, ceu Dauid loquitur, *flammam ignis*, neque opus erat folle, aut flatu, sed absque præcepto, spontaneè Christum secutus fuit, nec momento quidem ipsum deseruit, quia nec in summo discrimine ignominiosæ Crucis, cæteris discipulis præ timore mortis fugam capessentibus, ipsum dereliquit. Semper fidelissimus comes adhæsit lateri eius, inquit Cluniacensis: *Et quis inter Discipulos fidelior Ioanne, qui eum comitatus est usque ad mortem? Petro negante, & cæteris absentibus.* Quicumque respexerit Ioannem, semper videbit, *sequentem*.

Ioan. 21. v. 15.

Psal. 28. v. 7.

Raulin. serm. 1. de S. Ioan.

Quem diligebat IESVS &c.

CONSIDERATI. II.

Maxima sanctitatis excellentia [illegible] annis Euangelista colligitur ex priuilegio [illegible] ris, quo fuit à Christo dilectus.

1.

MOuet quæstionem Angeli[illegible] noster Præceptor S. Thomas, & inquirit: *An Deus semper diligat meliora?* Et postquam respondit conclusione affirmatiua, obijcit contra doctrinam suam quædam argumenta, quorum unum sub hac forma proponit: *Petrus melior fuit Ioanne, quia plus Christum diligebat*, ergò si reciprocatio amoris sit infallibilis ex parte Dei, & reddat vnicuiq; secundùm propriam mensuram: *Ego diligentes me diligo*, æquum est dicere, Petrum fuisse magis dilectum. Ad quod respondet S. Doctor varijs solutionibus, quarum una hæc est: *Quòd Petrus plus dilexit Christum in membris: Et sic etiam à Christo plus fuit dilectus Vnde ei Ecclesiam commendauit. Ioannes verò plus dilexit Christum in se ipso: Et sic etiam plus ab eo fuit dilectus Vnde ei commendauit Matrem.* Itaque Petrus plus amauit Christum in membris suis, quia enim erat caput, infudit Deus ipsi singularissimum amorem erga fideles, quos feruentissimo amore prosequebatur: *Diligis me plus his?* Verumtamen Ioannes plus amauit Christi personam, qui amor nobilior est, utpotè excellentius habens obiectum: quapropter absolutè asserendum est, fuisse magis dilectum, potioribusque gauisum priuilegijs dilectionis illum, qui sinceriori cordis affectu, & familiariori amore Dominum fuerat prosecutus: *Ioannes plus dilectus, quantum ad quædam familiaritatis indicia, quæ Christus ei magis demonstrabat.*

D. Thom. 1. p. q. 20. art. 4.

Prov. 8. v. 17.

D. Thom in resp. ad 3.

2.

Ex his facili negotio colligetur ratio, ob quam sancto Ioanni attribuitur titulus Dilecti, & non Amantis. Docet Angelus Ecclesiæ S. Thomas, quod actus amoris sumant speciem, & nobilitatem suam ex subiecto, & personâ amante, quemadmodum actus offensæ grauitatem suæ malitiæ ex dignitate personæ offensæ. Vnde, inquit sanctus Doctor, quodlibet peccatum mortale est infinitæ simpliciter malitiæ, quia committitur contra Deum simpliciter infinitum, & econtrà amor, quo nos in hac, vel alia vita Deum diligimus, simpliciter est finitus; quia tametsi Deus, ad quem terminatur, sit res infinita, nos tamen, qui amorem elicimus, & principium, quod habemus ad eum operandum, puta, gratia, est quid finitum. Breuiter, & succinctè, supposita hac doctrinâ, affirmo, ideò Ioannem appellari Dilectum IESV, & non Diligentem, ut, nomine desumpto ab amore infinito, qualis est amor Christi Domini, nobis manifestius declararetur significatum per illud, scilicet, Ioannem, esse quodammodò infinitum. Si namque Spiritus sanctus eum amicum Christi indigitaret, illum communi lineæ, & catalogo Sanctorum inscriberet, omnes quippe sunt amici Sponsi, & tolleretur occasio concipiendi magnitudinem, & excellentiam eius, quâ omnibus supereminet: quapropter hoc nomen Dilecti, veluti desumptum à dignitate infinita, solummodò fuit sufficiens, & adæquatum ad exprimendum ommmodam tam excellentis significati adæquationem, & eminentiam. Alium rationem assignat Angelicus Doctor in articulo allegato: *Deus semper diligit meliora.* Et si diuina bonitas est causa effectiua bonitatis, quæ in creaturis relucet, cui abundantiorem contulerit bonitatem, haud dubiè opus est, ut eam plus diligat, quia iuxta dictum Aristotelis: *Amare, est velle alicui bonum*, id est, amor beneficus est amato. Mensura maioris bonitatis est amor, & signum, ex quo maior dignoscitur amor, est maior bonitas, idcircò docent Scholastici proprium obiectum amoris supernaturalis in Deo esse gratiam, imò absolutè dixit Angelicus Doctor: *Deum diligere magis aliquem, nihil aliud est, quàm ei maius*

D. Thom. 3. p. q. 1. art 2. ad 2.

D. Th. 1. p. q. 20. art. 4.

Aristoteles citatus à D. Thoma.

D. Thom. citatus.

maius bonum velle, voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus: ergò per bonam, & formalem consequentiam possumus deducere, Ioannem nobiliorem habuisse bonitatem, quia singulari priuilegio amoris fuit à Christo dilectus.

3. *Recti diligunt te.* Verba hæc secundùm Interpretes Græcos sunt filiarum Ierusalem, sodalium Sponsæ sanctæ, quibus laudes eius decantârunt. Et hunc reddunt sensum: ô anima sancta! ecquis æmulari valet gratiam, dotes, & perfectiones tuas, quæ tot, tantæque sunt, vt omnes iusti, & recti corde te diligant? Doctus Lusitanus, commentator Apocalypseos, adducit quamdam versionem septuaginta Interpretum, quæ magnam dictis nostris vim, & authoritatem confert: *Rectitudo*, inquiunt illi, *dilexit te.* Quasi dicerent, iuxta Glossam huius Commentatoris: *O te felicem! ô beatam! siquidem ipsamet rectitudo, hoc est, Sponsus, qui rectissimus est in amore, cuiusque est certissimum, nulloque modo fallax de pulchritudine iudicium, te dignam præ cæteris amore suo iudicauit. Quare iam nihil nobis superest, cur tecum de pulchritudine certemus.* O millies, ter, quaterque beata es, quia ipsa sanctitas ipse Sponsus, amor æternus, qui semper diligit meliora, cuiusque iudicium semper est infallibile, te dilexit plurimùm, & singulari amoris prærogatiua dignam iudicauit. Videntur loqui cum S. nostro Euangelista cæteri Sancti, & ingenuè confitentes, se impares & indignos tanto fauore, humiles ei deferunt palmam. Ita sanè, nullus audet competere cum Ioanne, hoc ipso, quo est discipulus IESV præ cæteris dilectus: *Quid huic beatitudini par?* Verba sunt Chrysostomi, ponderantis illud, *discipulum, quem diligebat* IESVS.

Cant. 1. v. 4.

Septuaginta Interp. hic.

Viegas in cap 12. Apoc. comment 2. sect. 4.

D. Chrysost. hom. 32. in Ioan.

4. Est hæc circumstantia valdè gravis, omnique ponderatione digna, quæ sola satis superque maiorem sanctitatem S. Ioannis confirmat, uti prudenter cecinit S. Gregorius Nazianzenus: *Non etenim summa est paruos præcedere laudis*, id est, exigui meriti est, inter paruulos eminere; qui autem inter magnos excellit, meritò titulo supremi gloriatur. Duo loca sacræ Scripturæ occurrunt, quæ diligentiùs examinata, nobis viam adaperient, ad comprobandum huius doctrinæ discursum. Noë, sicuti Spiritus sanctus attestatur, fuit sanctitate celebris: *Noë vir iustus*, additque, hoc intelligendum esse, *in generationibus suis*, id est, iuxta Lyrani expositionem, comparatus hominibus sui temporis. Variant quidem Interpretes in explicatione horum verborum, ast præ cæteris arridet huius Doctoris sententia, vel saltem ea, quam ipse ex alijs refert, scilicet, hanc esse particulam restringentem, & diminuentem laudes Noëmi: *Ad diminutionem laudis suæ, ac si diceretur; Licet Noë fuerit iustus, & perfectus, in comparatione ad homines illius temporis, qui mali erant, tamen si fuisset tempore Abrahæ, parùm fuisset respectu eius.* Non est virtus Noëmi tot, tantisque elogijs digna, uti apparet, quamquam enim fuerit sufficiens, ad placendum Deo, attamen quod vixerit in peruerso sæculo, in quo defecerant boni, & iusti, addidit ei gloriam, & splendorem, quod tam eximiam laudem non promeretur. Si iustus, & perfectus fuisset temporibus illis aureis, in quibus heroës illi Abraham, Isaac, & Iacob, magni amici, & serui Dei floruerunt, & inter eos eminuisset, illa fuisset singularis prærogatiua excellentiæ, quæ, teste Origene, mansit reseruata sancto Iobo, de quo disserens sacer Historicus, affirmat, eum fuisse justum inter omnes homines ad orientalem plagam viuentes: *Vir fuit in terra Hus, nomine Iob, eratque ille magnus inter omnes Orientales.* Indagant expositores, quinam, qualesve fuerint illi Orientales? Ad quod respondet doctus Commentator Iobi, inhærens sententiæ Origenis, illos fuisse incolas Palestinę, puta Abrahamum, Isaac, & Iacob, aliosque seruos Dei, qui tunc temporis habebantur maximi Sancti, quibus Dominus præstantissimos contulit fauores, & tot sanctitatis prærogatiuis, & dotibus condecorauit: *Illud tantùm adiungam, Origenem ita locutum, loco superiùs indicato, Iob vixisse temporibus Patriarcharum, & Moysis.* Quia igitur Iob inter tales, tantosque Sanctos virtute eminuit, sacra Pagina appellat eum maximum omnium, in hoc totus illius excessus, & excellentia. Pulchrè, & ingeniosè obseruatum.

D. Nazianz. carm. 5.

Gen. 6.

Lyranus hic.

Iob. 1. v. 1.

Pineda c. 1. v. 1. append. 3.

5. Sed quæ comparatio inter Sanctos veteris, & nouæ legis gratiæ? Certum namque est, illos fuisse pygmæos, & pumiliones, hos verò esse gigantes. Est hæc doctrina adeò indubitata, ut esset oleum, & operam perdere, illam velle rationibus, aut sacris testimonijs comprobare. Et quòd inter Sanctos nouæ legis Apostoli sint Principes propter primitias spiritus, & copiosam gratiam, quam receperunt, est constans doctrina nostri Angelici Doctoris S. Thomæ, ideò, cognitâ excellentiâ S. Ioannis inter ipsos, facili negotio patebit primatus, quo cæteros Sanctos excessit. Sit itaque prima probatio desumpta

D. Thom. 1. 2. q. 106. art. 4. in corpore.

sumpta ex Euangelio, quòd nobis insinuat, Christum Dominum, cœlestem Magistrum, omnes discipulos suos magno charitatis affectu
Ioan.15. v.5. dilexisse: *Vos autem dixi amicos, &c.* quamuis Ioannem speciali amoris privilegio dilexerit, nuncupat enim ipsum discipulum dilectum: *Quem diligebat* Iesvs. Volens Moyses enumerare seriem generationis, seu progeniei Patriarchæ Iacob, desijt, & conclusit in filio eius Io-
Gen.37. v.2. seph: *Hæ sunt generationes Iacob, Ioseph cùm sedecim esset annorum pascebat gregem,* & particulariter ad amussim refert totam ipsius vitæ seriem. Animaduertit S. Abbas Rupertus, quòd promittens Moyses, se contexturum chronica Iacob, enarret historiam solius Ioseph, cùm sanctus Patriarcha duodecim haberet filios, quorum, recto ordine seruato, non minùs meminisse debuisset. Ait itaque deuotissimus Ab-
Rupert. hic. bas, hanc fuisse causam, quia, *Licèt duodecim fuerint Iacob filij, in uno tamen Ioseph suam Iacob generationem, scilicet, paternæ similitudinis transfudit pulchritudinem.* Ipse namque instar omnium erat: *Solus in omnibus filijs paternorum morum, atque virtutum perfectus imitator.* Ipse solus conseruauit decorem, & gloriam familiæ, ac domus Iacob, cuius gentilitium scutum fuit honor Dei, & obseruantia diuinæ legis, eapropter solummodò ipsius fit mentio singularis. Cunctos amabat filios pius pater, attamen de
Ibid. v.3. solo Ioseph prædicatur: *Israël autem diligebat Ioseph.* Nunc haud difficulter intelligetur mysterium verborum in benedictione eius toties
Gen.49. v.22. repetitâ contentum: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens* Vbi appositè eminentissimus no-
Hugo hic. ster Cardinalis Hugo: *Accrescens secundùm virtutem, accrescens secundùm dignitatem,* id est, ideò Ioseph fuit cæteris fratribus prælatus in donis, a patre, quia illos meritis excedebat. Et si rectè animadvertatur, somniauit Ioseph, seu Propheticè prædixit, ceu sacra Historia testatur, se in sole à fratribus suis, per stellas adumbratis, adoratum. Et nullus adeò hebetis est ingenij, qui ignoret hunc pulcherrimum Planetam cæteros decore, & lucis excellentiâ excedere, ipsumque omnia astra cœli, quantumuis innumera, pulchritudine, splendore, &c. superare.

6. Symbolum fuerunt duodecim filij Iacob, totidem Apostolorum Christi, quemadmodum iam alibi diximus. Hoc posito, audite, quid sanctus Prochorus discipulus S. Ioannis Euangelistæ referat de suo Magistro, nimirùm, quòd Vicarius Christi in terris S. Petrus totius collegij Apostolici interpres factus, dixerit quodam tempore S. Ioanni: *Nos omnes te veneramur, tamquàm primum, habentes patientiam tuam, exemplar, & adhortationem omnium nostrum.* S. Prochorus in vita S. Ioan. Euangelista. Hoc est, ô discipulorum dilectissime, totum hoc collegium Apostolicum te veneratur, & reueretur, veluti primatem, quia tua vita, tua virtus, tua potentia nobis omnibus est veluti exemplar præfixum, cui conformemur. Quibus consonat responsum sancti Petri, quando Christo amorem eius examinanti, & confessionem ex ore eius sciscitanti: *Diligis me plus his?* circumspectè respondit: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Ioan.21. v.15. & 16. Ipse namque, ut suprà cum S Augustino adnotauimus, respondit ad primum, *diligis,* & subticuit ad secundum, *plus.* O Apostolorum princeps (inquit S. Augustinus) non interrogaris de simplici amore, an diligas, sed de feruentiore, quo collegas tuos excedas, & superes, *plus his:* ego, inquit Petrus, sto verbis meis, & constanter repeto: *Tu scis, Domine, quia amo te.* Rem acu tetigi, nisi me fallat opinio, quòd, cùm Ioannes connumeraretur cæteris, iudicauerit Petrus, neminem esse Ioanni comparandum, & coram ipso, tamquam supremo, nullum debere amoris sui excellentiam evulgare. Hoc denotât voces illæ: *Tu scis, Domine, quia amo te.*

Verumtamen unam potest pati instantiam hæc doctrina, nimirùm, quòd jurisdictio, quam Christus commisit Petro, sit nobilior, & excellentior illâ, quam dedit Ioanni. Etenim huic, 7. teste sancto Thoma, solummodò sanctissimam Matrem suam commendauit, illi autem totam Ecclesiam sanctam. Ast facilem habet solutionem hocce dubium, quia jurisdictio, non secundùm quantitatem, sed qualitatem subditorum, est metienda. Qui paucos habet Magnates regendos, manifestum est, jurisdictionem illius esse ampliorem potestate illius, qui habet xenodochium pauperum, seu nosocomium plurium infirmorum, quia illi pauci hos plures nobilitate, & dignitate excedunt. S. Ioannes Euangelista habuit jurisdictionem in sacrosanctam Virginem, cuius virtus, & sanctitas conformiter ad doctrinam plurimorum Doctorum, est suprema Ecclesiæ militantis, & consequenter amplior est potestas, & jurisdictio Ioannis, quàm ipsius Petri totius Ecclesiæ Pontificis, & vicarij Christi. Poterit tamen quispiam denuò replicare, potestatem, & authoritatem Petri se extendere, ad corrigendum, & repre-

reprehendendum subditos, quod jurisdictioni Ioannis attribuere, nefas apparet, ac proindè in hoc singulari admittendum esse, quòd jurisdictio Petri potestatem Ioannis excedat. Huic obiectioni facillimè respondeo cum sancto Augustino, quòd Christus tali limitatione contulerit Petro authoritatem super Ecclesiam, ut semper sibi dominium, & proprietatem illius vendicauerit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est, fundamentum & basis eris tu, sed ædificium ad me pertinebit. Imò loquens singulariter de Ouibus, non abdicauit omninò possessionem earum, ad dandum eas Petro, sed solummodò, tamquam suas commisit Petro pascendas: *Pasce oues meas*. Ad insinuandum ei, ut S. Augustinus, quanta sollicitudine, & cura subditos suos, veluti rem non propriam, sed alienam, regere, & custodire teneretur: *Pasce oues meas*. Sed Ioanni commendauit sanctissimam Matrem tamquam propriam ipsius, & non ut suam: *Ecce Mater tua*, & ipse, veluti rei propriæ, possessionem Matris accepit: *Accepit eam Discipulus in sua*. Quapropter nullatenus cunctandum, aut hæsitandum, quin iurisdictio Ioannis sit amplior, & excellentior, quia fuit amoris & confidentiæ, quæ, suffragio S. Augustini, multò nobilior, & præclarior est potestate timoris, & dominatus. Agedum, maneat Petro universalis Ecclesiæ regimen, & jurisdictio, quia Ioannes habens solam Virginem Deiparam curæ suæ commissam, ter, quaterque excellentiori gaudet dignitatis honore. Totum hoc illi contulit titulus dilecti IESV Magistri sui, quod priuilegium, meditante Euthymio, euidens est ipsius incomparabilis sanctitatis argumentum, & maioris excellentiæ manifestum indicium: *Ioannem diligebat* IESVS *præ cæteris, ut qui plus diligi dignus erat, quàm cæteri, Discipulus, quem diligebat* IESVS.

Matth. 16. v. 18.

Ioan. 21. v. 17. D. August. hic.

Ioan. 19. v. 27.

Euthym. in hunc locum.

Qui, & recubuit, &c.

CONSIDERATIO III.

Quòd reclinauerit Christus Ioannem super suum pectus diuinum, manifestum, & euidens fuit signum maximæ dilectionis, quâ eum amabat.

1 NArrat de se Euangelista, quòd in cœnâ recubuerit super pectus Domini. Res ita contigit: Prædicit Salvator funestum scelus proditoris: *Vnus vestrûm me traditurus est*. Quod audiens Ioannes, tanto cordis dolore concussus est, ut admirabiles effectus dolor in eo causauerit. Sanctus Ioannes Chrysostomus affirmat omnes pariter fuisse mœrore summo perculsos: *Contristati sunt valdè*, sed tristitiam Discipuli præ cæteris dilecti tantam fuisse, ut Christus, ad consolandum eum permiserit, ne dicam præceperit, ut caput super pectus suum reclinaret. Eidemque subscribit Chrysostomo; Theophylactus, magistro discipulus. Euthymius verò addit, quod Christus nedum ei facultatem fecerit recumbendi, verum etiam, quòd videns angustiam animæ eius mœrore, & tristitiâ absorptæ, quæ etiam in vultu apparebat, eum accersiuerit, & ipsemet languentem super pectus suum reclinauerit, ad refocillandum, & leniendum dolorem eius: *Magistri morte admodum mœstus, propterea accitus fuerat, ibique recubuerat*. Alij denique, existimant eum fuisse passum animi deliquium, & cecidisse super pectus Domini, quando tam triste nuntium proditionis ex ore Magistri sui audiuit. Huic opinioni adstipulantur eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus, & doctus quidam Modernus, qui casum hunc extaticum ita describit: Cum Ioannes proximior Christo accumberet, cumque de morte suâ disserentem audiret, recubuit super dulcissimum Magistri sui pectus, & vehementiâ doloris, quasi deliquium patiens: *Cùm assideret* IESVS *proximus pro ea, qua ipsi* IESVS *indulgebat familiaritate, reclinauit caput suum in pectus* IESV: *quasi præ luctu, & condolentiâ non valens tenere corpus rectum*. Igitur omnes hi Doctores unanimi consensu affirmant reclinationem Ioannis in cœna super pectus Domini in leuamen & solatium summæ tristitiæ, quâ cor eius conflictabatur, fuisse singulare priuilegium, & signum sincerioris dilectionis, quâ eum Saluator prosequebatur, & meritò quidem, quia tales reliquiæ, quales erat Ioannes, tale Altare, seu thecam postulabant. Ingens sanè beneficium, & favor, quòd Ioanni pectus Christi pro lecto, & cor pro puluinari concedatur.

Matth. 26. v. 21.

Ibidem v. 22. D. Chrysost. hom. 71. in Ioan.

Theophyl. hic.

Euthym. in Ioan. cap. 13.

Caietan. hic.

Francisc. Lucas Burg. in Ioan. c. 13.

Optimè recordor, quòd Euangelicus Vates Isaias aliquando viderit Deum, & ut significauit iam incarnatum residentem in excelso solio, viditque Seraphim assistentes, qui laudes, & gloriam eius decantabant, insuper subiunxit, quòd quilibet illorum senas habebat 2

Isaia 6. v. 2. bebat alas: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri: Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabãt.* Quæri potest, inquit Abbas Rupertus, quare hi Seraphim non habeant alas, quibus operiant pectus Domini? *Quomodo non datur ala? qua operiat pectus, & cor?* Ast respõsio in promptu est: *Quippe est locus, & habitatio amoris*, id est, pectus est centrum amoris: *Amor enim celari non potest*, hoc est, amor, maximè divinus, abscondi nequit. Bellè dictum, sed, salva tanti Doctoris venia, dicerem ego, quòd hoc privilegium tangendi pectus Dei, & occupãdi cor eius, noluerit concedere cœlestibus spiritibus, soli Ioãni, Seraphim magis ardenti, reservatum. Lucẽ aliquam, seu vestigium huius conceptus præbuit mihi S. Petrus Damianus: *Eos, qui ob ardorem charitatis Seraphim vocantur, imitatur.* Quamobrem non se occultavit Ioanni amor divinus, sed affluentissime se illi communicavit, nemini enim legimus, nisi Ioanni, hanc prærogativã amoris fuisse concessam. *Qui, & recubuit suprà pectus eius*, omnia paucis perstrinxit sanctus Augustinus: *Quia ipsum præ cæteris, & familiarius diligebat, ita ut in cõvivio suprà pectus suum recumbere faceret*: Non est ambigendum, quin præ cæteris fuerit magis dilectus, quia videmus eum præ cæteris munificentiùs honoratum.

Rupertus hic.

D. Petr. Damian. Serm. 2. de Evangelist.

D. August. hic.

3\. Accipite ad rem nostram sanctum Cæsarium Arelatensem, qui secundùm mentem nostram apposité explicans ineffabilem illam unionem, & intimam æqualitatem, summumque honoris gradum, quem Vnigenitus Dei Filius habet cum Patre æterno in sinu eius, comparat illum honori, quem Ioannes Euangelista habuit in pectore Christi: *Neque alius quisquã Incarnati Dei, & Verbi ausus attingere, illud formidabile pectus, super quo hic Ioannes, velut pater super filium diffusus, recubuit, inde de Verbo Verbum hausit.* Videtur sanctus Doctor alludere id illud S. Ioannis: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Itaque, quò attigit summa æqualitas Verbi cum Patre, eò pervenit in gradu, & modo possibili familiaritas S. Euangelistæ cum Christo, quando Dominus eum recumbere fecit super pectus suum, & deduxit ad intima secreta cordis sui, dum velut fornax accensa, & rogus amoris factum, spirabat flammas in caput Ioãnis, ex quo, inquit Sanctus, adeò perspicax, & illuminatus fuit intellectus Ioannis, ut inde turmatim eruperint per os eius tot tantaque arcana mysteria, quæ humanum ingenium, quamvis solertissimum, neutiquam assequi valet.

D. Cæsarius dialog. 3. Ioann. 1. v. 18.

4\. Comitia quædam generalia refert sanctus Ioannes habita in cœlis, quibus præerat Dominus sedens super solium excelsum nimis, & circumquaque assistebant viginti quatuor seniores, cum coronis, & quatuor animalia plena oculis, quæ incessanter Dei supremam Maiestatem collaudabant. Modum autem assistentiæ enarrat sacer Euangelista: *Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia.* Et explicans qualia fuerint, depingit quartum simile aquilæ volanti: *Et quartum animal simile aquilæ volanti.* Per hanc verò aquilam intelligunt SS Hieronymus, & Augustinus sanctum Euangelistam, & hæc est communior Doctorum sententia: per viginti quatuor *Seniores* intelligit S. Augustinus Apostolos, & cæteros Sanctos: *In duodecim Apostolos, & præpositos & in alijs duodecim, reliquam Ecclesiam intellige.* Per quatuor autem animalia passim quatuor Euangelistæ declarantur. Quod verò mihi maiorem movet difficultatem in hoc loco, est, quòd hæc eadem animalia visa fuerint in medio Throni, & circũcirca eum, quæ duo, prima fronte, contraria videntur. Varijs modis dissoluunt Expositores nodum huius difficultatis, attamen optarem ego nouam addere solutionem (forsitan minoris momenti, quia mea est) pro eius elucidatione, suppono tamquam certum, & indubitatum hæc animalia esse prorsus eadem cum ijs, quæ Ezechiẽl quondã vidit. Huius opinionis sunt pleriq; Antiquorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, SS. Hieronymus, Thomas, Rupertus, Richardus de S Victore, Ansbertus, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Glossa ordinaria, Abulensis, & alij. De quarto igitur animali adnotat Propheta Ezechiẽl, quòd cætera velocitate volatûs superabat: *Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Quæ ponderans Cardinalis Vitriacus, ita effatur: *Ioannes enim inter alios Euangelistas præeminentiam obtinuit*, Ioannes, velut aquila insignis, altiùs volauit socijs suis, & velocitate superauit omnes, qui Thronum Dei cingebant; nunc ergò manifestus fiet Textus: *Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia*; id est, tria alia animalia, & viginti quatuor Seniores immobiliter adhærebant Throno Dei, quando quartum, nempè Ioannes, volabat in medio sedis, & in pectore Agni requiescebat, fruens secretis, & arcanis cordis illius, ut manifestum sit omnibus, nullum illo-

Apoc. 4. v. 6. & 7.

D. Hieronym. & August. citati à Viegas hic.

D. Hieronym. D. Thom. Rupert. Ansbert. Hugo. Glossa ordin. Abulẽsis. Ezech. 1. v. 10. Iacobus à Vitriaco.

illo-

illorum, neque in amore, neque in notitia Ioanni posse æquiparari, neque tandem dari posse ullam hyperbolen, aut exaggerationem, quæ idipsum satis explicare valeat.

5. Apparuit Christus Dominus post resurrectionem suam discipulis juxta mare Galilææ, & cùm illi Magistrum non cognoscerent, diu hæserunt dubii & suspensi animo, ignorantes an verè esset Dominus, qui apparebat. Tandem haud dubius de veritate apparentis Discipulus dilectus intrepidè in has voces prorupit: *Dixit ergò Discipulus ille, quem diligebat* Iesus *quia Dominus est.* Profectò salus fuissem jurare inquit disertissimus S. Petrus Chrysologus, quod Discipulus excellens alios amore, etiam excederet cognitione, & eodem passu, quo primitias habebat in dilectione Magistri sui, etiam cæteros in agnitione ipsius superaret: *Primus, qui diligitur, videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper vivaciùs, qui diligitur, sentit.* Lynceos oculos habet anima amore capta, ad cognoscendum rem amatam quid ergo mirum, quod Discipulus magis dilectus penitius introspiciat secreta Magistri sui, & singulari dispensatione omnia ipsius ineffabilia Sacramenta penetret, & radicitus investiget?

Ioan. 21. v. 7.

D. Petr. Chrysol. Serm. 4.

6. Potest hæc insignis meditatio Ravennatis corroborari egregio quodam ingenii acumine eminentissimi nostri Cardinalis Cajetani, qui observat idem prorsus contigisse Patri æterno cum Filio suo unigenito, Verbo Divino. Idemque adnotavit noster S. Ioannes: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Notate, inquit Cajetanus, supernam illam, & pulcherrimam connexionem, quam constituit Christus Dominus inter amorem quo diligitur à Patre, & cognitionem, seu notitiam, quam ab illo recipit & participat: *Hoc declarat à priori, quia Pater diligit Filium, ita, quod dilectio est causa monstrationis, & monstratio causa visionis.* Neque hoc magnum est, cum origo, & fons cognitionis soleat esse amor, & ille recipiat copiosiorem thesaurum sapientiæ, qui plus ex scaturigine amoris participavit, cumque erga animam, quam teneré diligit, munificentiorem, & largiorem in donis, ad intellectum, & scientiam pertinentibus se exhibeat, ideò intellectus Ioannis fuit copiosiùs illustratus, & maximè arcana mysteria cognovit: ceu S. Hieronymus asserit, quæ nec ipsi Angeli acie ingenii sui assequi potuerunt: *Ea ausus est propalare mysteria, quæ fortè mens nescivit*

Ioann. 5. v. 20.

Caiet. hic.

D. Hierō. super Zachar. iam.

Angelica, quia tenerrimè & privilegio amoris erat à Christo dilectus: *Discipulus quem diligebat Iesus.*

Qui, & recubuit in cœna, &c.

CONSIDERATIO IV.

Videntur omnes Sancti, post Deum, debere deferre Sancto Ioanni Evangelistæ omnem suam virtutem, & illum solus valere pro omnibus.

1. ANimam sanctissimam indigitat nostrum Evangelistam S. Dionysius Areopagita inscripto à quadam a titulo: *Salveto te sanctissimam animam.* Oratores Evangelici communiter ita exponunt hæc verba: Cùm Sanctus Ioannes, totus spiritus effectus, vitam duceret ab omni cupiditate humana alienam, existimavit Sanctus Dionysius, se illi injuriam facturũ, si hominem sanctum appellaret, unde eum volens promerito titulo condecorare, veluti omnino spiritualem, animam sanctissimam nũcupavit. Pulchrè notatum. Porro autumo ego, sanctum Doctorem quidpiam sublimius verbis illis excogitasse, nimirum, voluisse illis insinuare, Ioannem esse quodammodo animam cæterorum Sanctorum, & quemadmodum hæc, uti Philosophia docet, est *Tota in toto, & tota in qualibet parte,* ita S. Evangelista erat in omnibus & singulis Sanctis, in quem omnes optima quæque dona, & virtutes suas aliquatenus referre tenentur. Et ne videatur peregrina, & exotica hæc mea cogitatio, assumo in testem inclytum Martyrem S. Cyprianum, qui disertissimis verbis meditationi meæ suffragatur: *Spiritus sanctus omnium viventium anima est*, id est, anima totius Ecclesiæ, & subjungit: *Non quod ipse sit spiritualis anima singulis, sed de plenitudine sua distributor magnificus.* Vocatur ergò hic Spiritus divinus anima, non quia informat corpora hominum, sed quia vitam spiritualem tribuit omnibus. Duplici officio fungitur anima in corpore, primò namque dat seu confert vitam, & secundo informat corpus, & hoc secundum est minus principale. Spiritus sanctus ergo, inquit sanctus Cyprianus, fungitur in nobis primario officio animæ, in corpore, scilicet, tribuit vitam animę, & omittit secundarium, quia non informat corpus.

D. Dionys. Areopag.

Aristot.

D. Cypr. Serm. de Spiritu sancto. & D. Aug. tom. 10. ser. 186. de temp.

corpus. Dionysius ergò vocans S. Ioannem animam in superlatiuo gradu, *animam sanctissimam*, voluit significare, sanctitatem eius esse adeò eximiam, & eminentem, ut esset anima cæterorum Sanctorum: & vitam spiritualem, quæ est virtus omnium in commun, & singulorum in particulari, esse quamdam participationem sanctitatis benedictæ animæ Ioannis.

2. Isai 40. v. 31. Ex his facilè capietis spiritum verborum Isaiæ Prophetæ, in quibus de justis disserit: *Assument pennas sicut aquila, volabunt, & non deficient.* Ad hunc siquidem sensum interpretantur passim sacri Expositores præfata verba,
Raulin. serm 1. huius Festi. & præsertim doctus Cluniacensis in quadam Concione huius Festiuitatis, ubi primatum defert nostro Euangelistæ inter reliquos Sanctos Verùm hæc doctrina est iam toties repetita, & prædicata, ut proposuerim nouam explicationem adhibere hisce verbis, quæ absque iniuria Textus magnam vim, & authoritatem, discursui nostro conferet. Quapropter dico, meo iudicio, iy, *aquilæ*, non in nominatiuo pluralis, sed genitiuo singularis numeri esse legendum,
Ps. 54. v. 7. iuxta illud Dauidis: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ*: & sic facit Textus hunc reddit sensum. Iusti, & perfecti induent pennas aquilæ, & ad imitationem illius volabunt, & non deficient. Alludit Vates Evangelicus ad aquilam illam magnarum alarum, quæ, attestante Ezechiële, ascendit montem Libani, & tulit inde medullam Cedri, & posuit illam in terra extraneorum. Quod ænigma quamuis ad litteram, iuxta mentem S. Hieronymi, & aliorum intelligatur de Nabuchodonosore, quando magnis alis elatus, & plurimis militum manipulis stipatus Ierosolymam ingressus, abduxit medullam, seu primates populi illius captiuos in Babyloniam, tamen quidam contemplatiui in sensu mystico, & spirituali illud interpretantur, & accommodant nostro Euangelistæ, habentque sibi patrocinantem S. Laurentium Iustinianum
D. Laurent. Iustin. in serm. Euangelista. sub hisce verbis: *Hic geminæ puritatis suffragio fultus, tamquam spiritualis Aquila spiritualiter figurata universa transcendens, usque ad æternum Verbi solium pertingens, inquit: In principio erat Verbum, &c.* Dicit itaque doctissimus Patriarcha, quòd Ioannes conscendens Libanum sanctissimæ Trinitatis, tulerit inde medullam, puta, Verbum diuinum è sinu Patris,
Ioan 1. v. 18. id est, quoad cognitionem diuinitatis: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* In eadem essentia diuina didicit tam altè, & sublimiter loqui de supremo, & ineffabili Mysterio sanctissimæ Trinitatis, & de gratissimo nobis mysterio Incarnationis: Ipse nos edocuit Deum
dari divinum: *In principio erat Verbum*: & si Ioan. 1. v. 1.
mul hominem factum, seu humanum: *Et Verbum caro factum est.* Ex illo addiscimus, Deum Ibid. v. 14.
& esse immortalem, & mortalem, Deum immortalem in cælo empyreo, & mortalē in præsepi Bethlehemitico; hoc fuit ponere medullam Cedri in terra extraneorum, quæ sumus nos: *In urbe negotiatorum posuit illam.* ad hoc enim in præsenti vita commoramur, ut negotia salutis nostræ diligenter pertractemus, juxta illud Evangelii: *Negotiamini dum venio* Sed restat sciendum, quæ qualesve fuerint plumæ illæ Luc. 19. v. 13.
hujus supernæ aquilæ, quibus adeò sublime volavit, ut altitudinem cœli penetraverit? Audite sacrum Textum ita loquentem: *Aquila magnarum alarum, plena plumis & varietate.* Ezechiel. 19 v. 3.
Permagnæ erant alæ, & pulchræ illius plumæ propter varietatem, quæ illas adornabat; ita ut per plumas gratiæ & virtutes intelligantur, quibus Deus animam Ioannis mira varietate, & speciali excellentia cumulatissimè dotaverat. Redeundo ergò, unde digressi sumus, quando Evangelicus Vates dixit: *Assument pennas sicut Aquila, volabunt; &c.* Idem fuit ac si diceret, quòd virtutes forent alæ, quibus volarent, quasque petituri essent ab Evungelista Ioanne, quibus hæc divina Aquila omnibus abundat, & cæteris communicat: *Plena plumis, & varietate* sive alæ illæ sint charitatis, sive sapientiæ cœlestis, sive castitatis, sive amoris proximi, sive patientiæ sive martyrii: *Assument pennas sicut Aquila.*

Duo sunt apprimè necessaria, ut quis in virum sanctum evadat, fides, nimirum & amor, 3.
& si ego ostendero amorem, & fidem, quam habuerunt reliqui Sancti, fuisse participatam à Sancto Ioanne, manifestè constabit, omnes sanctos suam illi debere sanctitatem. Auscultate magna attentione Cardinalem Viguerium non infimæ notæ inter Catholicos Doctores Conatur hic Doctor efficacissimis rationibus probare verba illa: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes hic venit in testimonium, &c.* non de alio, quàm de nostro Evangelista esse intelligenda, quia si attentiùs animadvertemus, reperiemus in illis formam, & titulum quo hic divinus Evangelista seipsum in suis scriptis indigitat. Iuxta Crucem, *Et qui vidit* Ioann. 1. v. 6. Viguer. in Decachord. Ioann 19. v. 35.

testimonium perhibuit. In calce Evangelicæ suæ historiæ: Hic est Discipulus ille, qui testimonium *perhibet de his, & scripsit hæc.* In principio primæ suæ Epistolæ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis.* Et tandem Apocalypsim suam hisce exorditur verbis: *Apocalypsis Iesu Christi, quem dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito loquens per Angelum suũ servo suo Ioanni qui testimonium perhibuit Verbo Dei, & testimoniũ Iesu Christi, quæcumque vidit.* Credens ergò, argumentum est, inquit Viguerius, cum Discipulus Christo dilectus non se indigitet nisi per testimonium fidei, quod ipse sit homo, qui dicitur Ioannes, qui testimonium perhibuit: *Hic venit ut testimonium perhiberet de Lumine.* Egregiè excogitatum. Recurramus nunc ad amorem; amor quippè, quo Apostolus Petrus Christum dilexit, eum ad tantæ dignitatis vestigium evexit, ut Salvator propter amorem vices suas illi in terris commiserit. Trina vice interrogat eum Dominus an se diligeret? & singulis vicibus addit nomẽ Ioannis, hoc nomine enim vocabatur Pater Petri. *Simon Ioannis diligis me?* Nonne sufficeret nominasse Petrum, ut intelligeret Apostolus, quod Dominus secum loqueretur? vel dixisse, Simon, ut cognosceret ad se dirigi sermonem? Quorsum igitur hic Ioannes appellatur? revera supervacanea videtur hæc iterata commemoratio Ioannis, cum Dominus loquatur filio patris illius? Dicant alii sensa cogitationum suarum, ego meam declaro (nisi alius me prior adverterit) sententiam: erat Evangelista S. Ioannes adeò Dominus amoris Christi: *Quem diligebat Iesus,* ut qui Ioannem intueretur, in eo effigiem expressam amoris divini conspiceret; & idem foret eum aspicere, ac memoriam facere amoris Christi Redemptoris, igitur ut Petrus agnoscat specialem & singularem esse amorem Ioannis, eàpropter resonat in auribus eius hoc nomẽ Ioannis, dum circa amoris materiem examinatur: *Simon Ioannis diligis me?* Et sciat amorem ubicumq; viget semper habere individuum comitem Ioãnem, & illum qui Deum diligit amore eum habere à Ioanne participatũ hoc sonat: *Simon Ioannis diligis me?* Ex qua doctrina sic deducta constat omnes Sanctos debere S. Ioanni fidem & amorem suum, per quæ tales existunt, & nisi ab illo didicerint fidei & amoris normam, nequaquam ad perfectionis culmen perventuros.

Ioan. 21. v. 24.
1. Ioan. v. 1. & 2.
Apocal. 1. v. 1.
Ioann. 1. v. 8.
Ioan. 21. v. 15. 16. & 17.

41 Tandem ut paucis plura complectar, est Ioannes unus pro mille, & ipse solus tantùm valet, quantum cæteri collectivè sumpti. Supponamus in præsentiarum tanquam indubitatum Evangelistam nostrum Sanctum Ioannem adnumeratum fuisse per sponsam illam Deo singulariter dilectam, quemadmodum longè lateque probat Pelbartus disserens super verba illa Canticorum: *Dilectus meus mihi & ego illi* quæ & ipse assumit pro themate secundæ Concionis huius festivitatis, & mox attentiùs perpendamus sensum illum, seu interpretationem quam idem Author excogitavit super illa verba Canticorum quarto capite. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.* Semel atque iterum affirmavit sponsam suam esse hortum fertilissimum, & conclusum contra quascumque invasiones eum deprædari volentium, quod autem subjungit, directè discursum nostrum confirmat, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum universis lignis Libani myrrha, & aloe cum omnibus primis unguentis,* id est, ex horto illo concluso exhalat fragrantia florum adeò grata olfactui, sapor adeò oblectans gustum, ut merito nomine & titulo gaudeat paradisi, siquidem in illo reperiuntur nardus, cinnamomum, cæteræque arbores fructiferæ cum omnibus plantis odoriferis, quas mons Libani copiosè producit. Ingreditur hunc deliciarum hortum Gilbertus Abbas: & curiosè observat omnem fertilitatem, & pulchritudinem eius, quà mirè oblectat oculos Sponsi fuisse multitudinem arborum, & varietatem plantarum, quibus affatim erat ditatus & exornatus. Utiq; si unam, alteramve solummodo plantam haberet, nequaquam ita gustui ejus placeret, sed quia omnibus abundat, varietate sua mirum in modum oblectat: Loquitur Sponsus de anima Sponsa sua omnium virtutum genere exculta, quæ in arboribus & plantis jam commemoratis adumbratur, & quod maximè animum ejus in illa recreat, & exhilarat, est, quod multiplices præferat flores, & fructus, id est, varia virtutum germina emittat, *Ubi tantùm flos unus est, quis ibi hortum esse diffiniat?* Non meretur anima titulum, seu no-

Cant. 2.
Pelbartus serm. 2. de S. Evangelista.
Cant. 4. v. 12.
Ibid. v. 13.
Gilbertus serm. 37. in Cant.

seu nomen si paradisi, tantummodo unum alterumve florem procrearet, quia etiam in campo quandoque unus, vel alter flos reperitur, hoc est in alia anima minus perfecta, quod omnigeno florum genere fuerit consita, illi titulum horti tribuit: *Sic nec una castitatis plantatio, nec una justitia, horti potest integritatem explere.* Necesse est animam Sponsæ Dei omnibus abundare floribus, ut hortus voluptatis dici queat; id est, omnes debet habere virtutes, ut nomē horti promereatur, ex quo reliqui justi colligant, & seligant florem, qui sibi maximè arriserit, & placuerit. Talis fuit noster S. Ioannes Evangelista paradisus cœlestium plantarum, in quem prodiga manu cœlum contulit, & congessit omnes virtutes, ex quo cæteræ animæ devotæ sanctitatem suam participare & mutuari possent.

5. Quapropter sanctus Bonaventura S. Evangelistam Ioannem nuncupat: *Microcosmum sanctitatis*; id est, mundum abbreviatum perfectionis, seu integrum mundum sanctitatis in uno supposito conclusum. Ad declarationem autem conceptus Seraphici Doctoris revocanda est in memoriam celebris quædam doctrina S. Gregorii Magni. Mittens Christus Dominus post gloriosam resurrectionem suam Discipulos ad prædicandum Evangelium, mandavit eis, ut prædicarent illud omni creaturæ: *Euntes in mundū universum: prædicate Evangeliū omni creaturæ.* Qui ita, mi Redemptor! An fortasse prædicabunt Apostoli tui montibus, collibus, arboribus, quercubus, mari, lapidibus, & brutis animantibus ratione carentibus? Hoc namque videntur sonare tua divina dicta: *Omni creaturæ.* Non sic intelligenda sunt, inquit magnus Gregorius, sed per omnem creaturam homo designatur: *Omnis creaturæ nomine significatur homo: Omnis autē creaturæ aliquid habet homo.* Est namq; homo omnium creaturarū veluti quoddam compendium, quocircà veteres etiam eum Microcosmum, seu mundum abbreviatum appellarunt, ut rectè S. Petrus Damianus adnotavit: *Homo Græco sermone dicitur, Microcosmos, hoc est, minor mundus,* quia habet homo aliquid cum omni creatura commune, esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum brutis animantibus, & intelligere cum Angelis, & hocce modo est homo quasi omnis creatura. Ad hunc igitur sensum appellavit Sanctus Bonaventura Evangelistam Ioannem, mundum abbreviatum totius sanctitatis: *Microcosmus sāctitatis,* quatenus omnes excellentiæ, prærogativæ sanctitatis in cæteris SS. ctis dispersæ, & diffusæ, in illo, veluti cumulo, fuerunt congestæ, & coacervatæ. Quapropter Virgo est cum virginibus, Confessor cū confessoribus, Martyr cum Martyribus, Evangelista cum Evangelistis, Apostolus cum Apostolis, Propheta cum prophetis, ut liquidò constet, ipsum fuisse, quod cæteri fuerunt, & sunt Propheta, Apostolus, Evangelista, Martyr, Confessor, & Virgo, in quo maxime assimilatur cœlesti mannæ. Quemadmodum enim illud omnē referebat saporem: *Omne delectamentū in se habentem,* ita etiam S. Ioannes omnium virtutum, & perfectionum refert saporē. Hæc videtur fuisse meditatio S. Petri Damiani considerantis, miraculum illud, quod gravissimi Authores de sepulchro eius referunt, nimirum, quòd continuò suavissimū Manna distillet in remedium, & medelam plurium morborum: *Iam verò illud quis dignè miretur, quòd in sepulchro eius Manna reperitur, non semel, sed quotidie nasci tur Manna: quippe, salvo altiori mysterio, scriptum est: Panem de cœlo dedisti eis habentem omne delectamentum.* In evidens signum, quòd Ioannes sit Manna Sanctorum, quia omnium saporem habet, nisi velimus dicere, quod cæteri Sancti referant saporem Ioannis; hic enim est singularis effectus cordis, & pectoris, amantissimi Iesu, supra quod ipse dulciter in cœna requievit: *Qui recubuit in cœna.*

D. Bona. de S. Evangel. — D. Greg. in Cat. D. Thō. — D. Pet. Damian. Opusc. 11. c. 10. — Sapien. 16. v. 20. — D. Pet. Damian. serm. 2. huius festi.

Qui recubuit in cœna, &c.

CONSIDERATIO V.

In multis transcendit Sanctus Ioannes limites humanæ conversationis, & pertigit ad sphæram cuiusdam divinitatis.

NEmo miretur hunc loquendi modum veluti peregrinum, & exoticum, quia non meus, sed magni Venetorum Patriarchæ est S. Laurentii Iustiniani: *Humanā transcendebat conversationem, mortaliumque consuetudinem,* id est, transiliit sanct. Ioannes sphæram hominum? & non contentus apparere homo, quodammodo divinitatis speciem expressit. Nolo dicere, quod hic S. Patriarcha reputaverit, S. Ioannem esse Deum, hoc enim erroneū foret in fide, sed quod fuerit adeò dilectus à Christo, eique tam similis, ut facili negotio potuisset devotio in illo idololatrare, nisi fides judicium, & intellectum humanum correxisset.

D. Laur. Iustiniā. serm. de S. Evangel.

Quemadmodum sanctus Procherus ille Discipulus refert de Asianis, alioquin doctissimis, quòd attonita mente considerantes sanctitatem vitæ illius, & firmiter credentes, ipsum esse verum Deum humana sub specie velatum, non semel, sed sæpissimè illi supremam Messiæ dignitatem ex animo obtulerint: *Ad illum sic verba faciebant: Tu es magnus Deus, qui illuminas omnem hominem mirabiliter*, quia in solo magno Deo talem, tantamque gratiam, tam raram ingenii perspicacitatem tamque incredibilem sapientiam reperiri posse autumabant.

D. Procher. in vita S. Ioannis

2. Et diligenter adnotandum est, illos solis miraculis per Ioannem patratis commotos, ipsum esse Deum existimasse: *Qui illuminas omnem hominem mirabiliter.* Quod etiam consonat dictis S. Petri Damiani, affirmantis totam vitam Ioannis nonnisi continuum miraculum fuisse: *mirabiliter vixit*. Tali namque modo videtur ei Deus communicasse gratiam patrandi miracula, ut ea non alienâ, sed propriâ virtute facere putaretur. Solus Deus est, qui est, & apparet Deus, & nulli totum suum esse communicare creaturæ, ut vel multis operibus appareat Deus, vel habeat quidpiam divinum, vel tandem solam externam Dei speciem referat. Plures Sancti, quia nulla operati sunt miracula, licèt in aliis quædam divinitatis indicia exhiberent, protinùs tamen constabat, illis desse divinitatem neque veri esse dii luce meridiana clarius apparebant, verum sacer Euangelista noster, propter innumeram multitudinem miraculorum, quæ operabatur. (quod est proprium solius Dei) videtur nedum habere solam exteriorem speciem Dei, sed etiam quidpiam proprium ipsius divinitatis: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*, aiebant barbari quidam Gentiles videntes mirabilia, quæ per SS Paulum, eiusque consodalem Barnabam Deus operabatur. Videntur profectò incongruè fuisse locuti, magis enim genuinè, & propriè dicere debuissent, veros homines naturâ, apparuisse similes Diis effectos. Ast quòd natura Dii, & homines sola similitudine appareant, ingenuè fateor, me nequaquam capere, aut intelligere. Doctus Lorinus existimat, eos, quamvis barbarè, prudentissimè tamen fuisse locutos: *Cùm igitur Lystrii tam singulare beneficium includo vidissent, humana specie Deos se habere præsentes sunt arbitrati.* Videntur

D. Petr. Damian. citatus.

Actor. 14 v. 11.

Lorinus hic.

[illegible] huiusmodi effomasse discursum: Sancti, qui [illegible] portentosa faciunt miracula, quæ sunt propria solius Dei, potiùs videntur Dii sub humana specie absconditi, quàm homines Diis similes. Si itaque illustrissimus noster Euangelista in omnibus, & singulis vitæ suæ actibus fuerit portentum quoddam, & perpetuum miraculum, non magnopere admirandum est, cum sibi conciliasse apud homines opinionem veræ divinitatis, & non solam exteriorem speciem, quemadmodum alii Sancti.

Ecquid mirum est, hos quamquam prudentes, & doctos, ita fuisse argumentatos, erant enim Gentiles. Maioris ego facio (quocirca id etiam, licet antiquum refero) illum discursum, quem celeberrimus Origenes tot Ecclesiæ Doctorum Magister in laudem nostri Euangelistæ efformavit, quamvis ad aliud intentum, & finem. Magnus Apostolus, & Doctor gentium S. Paulus, inquit hic insignis Author, raptus fuit quondam ad tertium cœlum, &, cùm ingressus esset cæcus, rediit mutus, quapropter, tametsi non viderit, quod audivit, adeò tamen absconditum fuit, & ineffabile, ut in has sequentes proruperit voces: *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ac si diceret; verè quidem, uti homo, audivi, sed, uti homo, ea loqui non valeo; quia id præsumare nefas est, & impossibile. Attendite modò, & audite consequentiam, quam Adamantius ex hoc antecedente depromit: *Non ergò Ioannes erat homo*, id est, evidens est igitur, & infallibile est, sanctum Ioannem, qui de eisdem mysteriis tam diserte locutus est quæ Paulus palam profitetur se, uti hominem, non potuisse eloqui, esse plus quàm hominem, *Sed plusquam homo?* Ecquid ergò erat Ioannes? *Non aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus.* Manifestum itaque est, ipsum fuisse hominem divinum, vel divinitate aspersum, & multùm divinitatis participasse, adeò ut quodammodò fuerit exemptus a legibus humanæ naturæ, & modo possibili gavisus stipendio divinitatis.

Ex cruce, cui pendebat affixus Author vitæ, condidit testamentum, & legavit sancto Ioanni Virginem sanctissimam, & huic vicissim illum commendavit. In verbis autem, quibus testamentum suum expressit, sacri Doctores arcanum mysterium deprehenderunt, quapropter curiosè observant, Salvatorem hac tem-

3.

2. Cor. 12. v. 4.

Origenes in diversas hom.

1. Ioan. 1.

4.

temporis tempestate nequaquam Virginem sanctissimam appellasse Matrem suam, sed tantummodò mulierem, *Mulier, ecce Filius tuus*

Ioan 19 v. 26. Præ cæteris autem magis apposité ad rem nostram locutus est S. Epiphanius, dicens, Redemptorem ex industria subticuisse nomẽ Matris ad confusionem Hæreticorum, qui futuris temporibus illam, veluti Deam, adorandam suspecturi, & veneraturi erant. Quod, teste eodem S. Patre etiam reapse postmodùm evenit. Nam quidam adeò illecti fuerunt admiranda eius sanctitate, ut illam, nedum tamquam sanctam, & probam coluerint, sed etiam uti Deam, adoraverint. Eapropter hic S. Doctor sancto quodam zelo ductus assumit calamum, & acriter invehitur in falsos illos Deicolas, & impios Mariæ cultores, eosque hisce verbis perstringit: *Non convenit colere Sanctos ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum. Cesset itaque error seductorum. Neque enim Deus est Maria neque de cœlo corpus habet, sed ex conceptione viri, ac mulieris.* Tamquam diceret: cuilibet attribuendũ, quod ratio, & æquitas dictat, & SS. solùmodo concedendũ, quod meritũ justitiæ postulat; nequaquam ergo honor Deitatis surripiendus Domino, ut in Matrẽ cõferatur, quæ nec Deus est, neque ex corpore cœlesti efformata, aliquam sibi vendicat Deitatem. Cesset igitur omnis error seductorum, qui impiè Mariam colunt, quia ipsa, quemadmodum cæteri filii Adæ, ex corpore terreno conflata, humanæ naturæ limites non excedit. Id quod egit S. Epiphanius ad confutandum errorem Hæreticorum, hoc, teste eodem Sancto, prius fecit Christus in Cruce pendens, dũ prævidens mala futura, voluit anticipatè eis occurrere, ostendens in postrema vitæ suæ hora; (in qua maximè veritas prædicatur) virginem sacrosanctam esse veram mulierem, filiam hominum, sororem eorum, & ex eadem massa cum illis compositam. Huc collimabant verba illa Salvatoris iam iam agonizantis: *Mulier, ecce filius tuus*, ut hisce dictis mundo propalaret, & indubitatam faceret hanc veritatem, nimirum, Mariam esse mulierem putam, & nequaquam Deum. Hactenus sanctus Epiphanius, iam alicubi citatus.

D. Epiphan. lib. 3. contr. hæret. c. 78.

5. Verùm ego salvo beneplacito huius Sancti, urgeo hanc doctrinam, ac proinde constanter affirmo, quod Redemptor mundi hisce vocibus nedum contenderit evitare errorem Deitatis Marianæ, sed etiam illum, qui de divinitate Ioannis poterat præsumi, sicuti etiam reipsa contigit, quia hoc ipso, quò Salvator ipsum declaravit filium Mariæ: *Filius tuus*, manifeste sequebatur (cùm partus soleat sequi ventrem) hæc consequentia, Mater est Dea, ergò etiam filius est Deus. Ne igitur Hæretici, Virginem Matrem reputarent Deam, neque Gentiles Ioannem filium arbitrarentur esse Deum, Christus Dominus divinâ suâ providentia hosce præveniens errores, & obstaculum opponens tam petulanti, & sacrilegæ devotioni, mox ut enuntiavit, Virginem esse mulierem, statim declaravit etiam eius filium Evangelistam esse hominem. Hoc sonant verba illa iam relata: *Mulier, ecce filius tuus.*

Et, meâ quidem sententiâ, fuit hic novus quidam modus, quo Redemptor Mundi dilectissimum suum discipulum Ioannem honorare contendit Notate quæso, diligenter hanc doctrinam, quamvis enim paradoxa videatur, est tamen vera, & sacræ Scripturæ testimoniis confirmata. Summis encomiis extulerat Dominus Deus servum suum Iob, eique magnam apud omnes conciliaverat opinionem, dixerat namque, eum in mundo esse primum, nullumque ei reperiri parem: *Non erat similis ei in terra* Et post tam immensos favores cœpit Deus verbis, & argumentis cum illo contendere: *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiã. Quis posuit mensuras eius si nosti? Vel quis tetendit super eam lineã? Super quo bases eius solidatæ sunt? Aut quis dimisit lapidẽ angularem eius, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei?* Dicito mihi, Iob, ubinã eras, quando ego creavi terram? Et si hoc ignoraveris, responde tu mihi, quisnã huius machinæ fuerit artifex, &c. Tamquam diceret: An forsitan tu fabricasti hanc mundi molem, sicuti ego Creator eius? Num fortassè te Deum esse existimas? Ita explicat hæc verba S. Gregorius Magnus, falleris sanè, nequaquam Deus es. Audit hæc magnus Pontifex, & attonitus, ac quasi obstupefactus, in has penè divinas prorumpit voces: *O quàm potenter erigitur, qui tã sublimiter humiliatur! ô quanta est hominis victoria, hanc ex Dei comparatione perdidisse! ô quãto hominibus maior est, qui testimoniis convincitur Deo minor!* Quasi diceret, maximam fuisse Iobi excellentiam, & sublimitatem, quòd ab ipso Deo taliter humilietur, & illustrissimã esse hominis victoriam, quòd

6.

Iob. 1. v. 8

Iob. 38. v. 4. & sequentibus.

D. Greg. lib. 28. moral. c. 1.

quòd à solo Deo superetur, & devincatur, imò & sit hominibus superior, cuius inæqualitas cum Deo rationibus, & argumentis convincenda est: *Mulier, ecce filius tuus* Deus est maior Euangelistâ Ioanne, neque Euangelista est Deus, sed filius mulieris, & purus homo & hoc excellentius est honoris decus, quàm fuerit honor ille, quo Asiani, illius sanctitate permoti eum Messiam appellabant: *Tu es Deus, &c.* Ne quis aliud cogitare præsumat: *Ecce, filius tuus.*

7. Non fuit quidem Ioannes, Deus, fuit tamen omne id, quod non est Deus, ipse namque fuit amor Dei incarnati, seu obiectum voluntatis Christi amantis. Quemadmodum enim Pater æternus, quærens singulare amoris sui obiectum in terris, elegit dignissimum post Deum excogitabile, videlicet, humanitatem sacro sanctam Vnigeniti Filij sui: *Hic est filius meus dilectus.* & Spiritus sanctus sibi assumpsit amandam sanctissimam Virginem electam ex millibus, quam aperto ore, & plenis buccis Sponsam suam dilectissimam nuncupavit: *Vna est columba mea, una est perfecta mea*, ita etiam Filius Dei selegit ex omnibus filiis hominum Ioannem, quem speciali amoris privilegio diligeret, & cumulatioribus honoraret beneficiis: *Quem diligebat Iesus, &c.* Quapropter etiam ab omnibus, tamquam dilectissimus Christo discipulus, indigitatur, & in opinione omnium, ceu Benjamin Salvatoris, anima, & corculum Iesu habetur, & revera, qui tot favoribus fuit dotatus in terris, non minus meritis valebit in cœlis. Rogemus eum, ut potenti sua intercessione nobis impetret gratiam, &c. *Amen.*


Matth. 3. v. 17.

Cant. 6. v. 8.

TRACTATUS IV.

IN FESTO BAPTISMI CHRISTI DOMINI, ac Salvatoris nostri.

Vidit Ioannes Iesum venientem ad se.
Ioan. 1. cap.



CElebrat hodierna die S. Mater Ecclesia unum ex sublimioribus Fidei nostræ mysteriis, non solum, qua secundum intrinseca sua consideratum, est maximæ substantiæ, uti sacri Doctores observant, verùm etiam, quia propter gravissimas circumstantias, quibus exornatur, est valde mirabile, summaque suavitate & spiritali solatio plenum: Est namque mysterium grave, delicatum, amabile, & devotum, &, ut paucis in ipso vestibulo Concionis complectamur, omnia continet. Hodie cœli aperiuntur, paterna vox auditur, Spiritus S. visibilis apparet. Verbum Dei incarnatum palpatur, & authoritas, dignitasque S. Ioannis Baptistæ mũdo revelatur. Hodie, inquã, præclarissima duo luminaria, seu duo optimi homines, quos mundus protulit, mutuos commiscent sermones & unus alterũ reveretur. Munus, quod peragunt, est Baptismus, & munditîes. Rogat puritas Angelorum, & postulat à Ioanne baptizari, & lavari, & vicissim Ioannes petit a Christo purificari. Videmus unum genuflexum, & alterum prostratum, factum revera adeò peregrinum, & spectaculum adeò stupendum, inquit S. Bernardus ut Angelici Spiritus, reseratis cœlorum fenestris, attoniti prospiciant in terrã, *Pavet cœlum, mirantur Angeli Dominum Sabbaoth inter manus baptizantis concludi.* Ægrè dixero, an ad considerandam humilitatem Dei, an verò ad contemplandã sublimitatem Ioannis. Nescio sanè, Auditores, an Angeli accurrant spectaturi magnitudinẽ divinam humiliatam, an autem miseriam humanam adeo exaltatã, & in eodem supposito divinitatem unitam. Videntur Angeli propriæ gloriæ, & beatitudinis suæ oblivisci, ubi attentius conspiciunt Verbum divinum ita exinanitum, ut ad pedes hominis sese demittat, & fragilitatem naturæ humanæ ad tantam dignitatem evectam, ut locum ipso,

D. Bern. serm. 2. de Baptismo Ioan. Baptistæ.

ꝑ Deo incarnato, superiorem, & nobiliorem occupet. Vixdum vident Angeli hominem, quia tam sublimem obtinet locum, & ægrè agnoscunt Deum, quia ad tam profundam se submisit humilitatem. Non cognoscunt hominem, quem vident ad cœlos usque exaltatum, ignorant (si dicere liceat) ipsum Deum, quem contuentur adeò exinanitum, & in terris prostratum. Fœlices nos per Christum, in quo ad remedium salutis nostræ tantam pertulit divinitas humilitatis demissionem; imò ter, quaterque beati nos etiam per Ioannem, in quo ad consolationem nostram humana natura, ad tantam altitudinem conscendit. Quamvis mysterium hoc suggerat plurima ad instructionẽ, & doctrinam nostram, ea tamen succinctè pertractabimus, quia præcipuum temporis spatium elogiis, & laudibus magni Præcursoris, & Baptistæ impendendum est, ad gloriam Dei, honorem Sancti, & ædificationem Devotorum eius *Ave Maria.*

Vidit Ioannes Iesum, &c.

CONSIDERATIO I.

Promeruit sanctus Ioannes titulo humilitatis, quod Christum quæsiverit eum, ut ab illo baptizaretur, & hoc pacto eius authoritatem, & dignitatem manifestaret.

I. *Prima Pars Considerationis.* *Aristoteles.*

AD tres classes, ut alibi expendimus, solent communiter reduci omnia bona huius vitæ, nimirum, ad bona honoris, sensus & divitiarum, seu, ut Philosophorum Princeps dixit: *Bonum honestum, utile, & delectabile.* Indagant Doctores, quodnam genus istorum bonorum sit magis gratum, & appetibile? Respõdent autem, prophanos, filios huius sæculi, & peccatores maximo in pretio habere bonum huius vitæ; prudentes verò, iustos, ac timentes Deum, pluris æstimare honorem, tamquàm pretiosius, & desiderabilius bonum, & hoc verum est, & indubitatum. Si igitur honor sit bonum excellentius quod homines omni studio, & conatu ambiunt consequi, qui fit, ut mundus sit adeò inops honoris, &, ut Christianè loquamur, pauciores sint honesti? Dicam, quod sentio, quia pauciores sunt, qui viam perveniendi ad honorem inveniunt. Quodnam igitur medium necessarium est, ad reperiendum illam? Sequenda sunt vestigia Christi, eiusque Præcursoris Baptistæ, qui per semitas humilitatis ad honoris apicem pervenerũt. Qui ergo ad imitationem eorum, operam dederint humilitati, & contempserint humanam gloriam, spreverintq; honorem mundanum, ipsi maiorem excellentiam, altioremque dignitatem sibi cõparabunt. Abundant sacræ Litteræ testimoniis quæ hanc doctrinam nostrã stabiliunt, quorum aliqua videri possunt in concione nostra de Mandato, seu cœna Domini, ad quam curiosum Lectorem remittimus.

2.

Sufficiat modò, ad corroborandum hunc discursũ, annotationes eminentissimi nostri Cardin. Caietani præsens Euangelium, seu mysterium enucleantis. Cõsiderat hic acutissimus Doctor Christum Servatorem tam profundè sese humiliantem, ut dignatus fuerit baptizari à Ioanne, quod nihil aliud fuit, quã induere habitũ peccatoris; baptismus enim ad abluendam maculam peccatorum ordinatur. Enarrans igitur sacer Histor. Matthæus huius rei seriem, & ordinẽ, ad hunc modum describit: *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua.* controvertũt quidã Expositores, & dubitant in præsenti, quonã modo Salvator noster fuerit baptizatus, an, scilicet, per infusionem aquæ super caput Christi, veluti Ecclesia consuevit facere in baptismo adultorũ, an verò per immersionẽ, seu submersionem corporis, quemadmodũ in baptismo infantiũ fieri solet; Existimat doctissimus noster Caietanus, baptismum Christi per submersionẽ corporis fuisse peractum, & hoc mysterium adnotavit in verbis S. Euangelistæ: *Ascendit de aqua* Nã dicit: *Non per aspersionem, aut desuper infusionem, sed per immersionem, seu submersionẽ corporis baptizatus est Iesus à Ioanne.* Ecquæ causa, ob quam Salvator sub hac forma voluit baptizari? Videtur, nisi me fallat opinio & studium meum, non fuisse contentus humiliatione, permittendo se baptizari, sed voluit in modo ostẽdere maiorem sui abiectionem; etenim cũ posset baptizari recipiendo aquam super caput suũ, voluit se magis demittere, vel, ut rectius loquar, seipsum sub aquis sepelire. Quomodò ergò hoc silentio præteriit S. Matthæus, & solũmodo advertit, Servatorẽ ascendisse ex aquis *Ascendit de aqua.* Hoc satis, superq; dictum est Quòd Christus aquis sese submittat, fuit opus profundissimæ humilitatis, dicere autẽ, quòd ascenderit, maximi honoris indicium, hoc enim verbo utitur sacer Textus ad declarandũ summum Christi in cœlo regnantis honorẽ: *Ascẽdit Deus in iubilo, Ascendisti in altum* Taceat igitur Euangelista, & silenter prætereat humilitatis opus, & quod honoris est aperto ore pronunciet, ad confirmandum veritatem instituti nostri, puta, Christum, quando maximè fugit honorem, tunc à nobis mirificè honoratum, & exaltatum videri.

Matth. 3. v. 16.

Psal. 46. v. 6.

Psal. 67. v. 19.

Suppono, tamquam constantem sanctorum Patrum doctrinam, unum ex præcipuis, imò & supremum honoris encomium Ioannis fuisse, quòd Redemptorem mundi baptizauerit, quòd forsitan infrà latiùs expendemus. Considerat itaque S. Chrysostomus Baptistam in hoc statu, contemplaturque eum hoc diuino munere, & ministerio fungentem, manibus positis super verticem illius, qui totius Ecclesiæ, teste S. Paulo, verum est caput. In memoriam reuocat profundissimam illius humilitatem, quâ respuit oblatos sibi honores à Iudæis in celebri illa legatione: *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis*, quodque ijs responderit: *Qui post me venit, maior me est, cuius ego non sum dignus, ut soluam eius corrigiam calceamenti*, & prudenter componens has duas præclarissimas actiones, hæc sequentia effatur verba: *Manum, quam calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit.* Nonne meministis, inquit, profundissimæ humilitatis Baptistæ, quâ ultrò sibi à Iudæis oblatam supremam Messiæ dignitatem recusauit? Maximè recordamur. An non videtis eumdem adeò sublimatum, ut ipsi Christo coæquari videatur? Scitote ergò illam humilitatem, hanc peperisse honoris excellentiam, eumque per gradus propriæ abiectionis ad tantæ gloriæ dignitatem ascendisse, quò enim semetipsum magis per humilitatem demittit, eò magis Christus ipsum exaltat, ideoque manum, quam ipse reputat indignam, ut tangat pedes, qui erant pars inferior corporis illius, attrahit Christus ad partem superiorem corporis sui, vultque, ut eam capiti suo superponat. Hæ gloriæ profectò, quibus modò fruitur Ioannes, stipendia sunt, & merces anteactæ humilitatis.

Ioan. 1. v. 19. & 27.

D. Chrys. hom. 38. ad popul.

4. Quis dubitet, quin Ioannes magis sit notus mundo per titulum Baptistæ, quàm per nomen Ioannis, quod ipsi miraculosè in circumcisione fuit impositum. Mox enim ubi Baptistam nominamus, illicò Præcursorem intelligimus, secùs tamen in nomine Ioannis, quia plures in Litanijs habemus Ioannes. Ecquis honoris titulus est Baptista? Egregiè Caietanus noster, est, inquit, gloriosum honoris cognomen, quod baptizans Christum in Iordane, tamquam primus baptismi minister, iure promeruit: *Baptista fuit cognomen Ioannis, ex eo, quòd primus instituit baptismum.* Ast quis illi tam illustre cognomentum comparauit, per quod mundo magis, quàm per proprium natiuitatis innotesceret? Sanè humilitas, uti ex aureo Chrysostomi ore deprompsimus; cęterum non parum corroboratur sancti Antistitis meditatio ijs, quæ statim subijciam. Venit Salvator ad Iordanem, ut baptizetur à Ioanne, &, uti sacer attestatur Euangelista: *Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Refugiebat Ioannes Christum baptizare, & maluisset ab illo baptizari, dicens: *Tu venis ad me?* poteróne ego consentire petitioni tuæ, qui baptismo tuo indigeo? Quid ita, mi sancte Præcursor? siccine tenuis honorem, quē adipisci potes baptizando eum, qui omnium est baptismus? Esto certus, & firmiter crede, quòd eademmet humilitas, quâ te indignum reputas, maiorem tibi pariet æstimationem, nobilioremque conciliabit dignitatem, quia nomini tuo imprimet Christus hunc honoris titulum, & potiùs te mundus cognomento Baptistæ, quàm Ioannis dignoscet, & uniuerso terrarum orbi manifestum erit, Deum ipsum ad pedes tuos prostratum iacuisse, &, veluti purum hominem, suppliciter è tuis manibus baptismum efflagitasse. Tantam, tamq; immensā æstimationem tibi tua humilitas comparauit.

Caietan. hic.

Matth. 3. v. 14.

5. Pergamus nunc ad secundam Considerationis nostræ partem. Certum est, & in fide Catholica indubitatum, Christum Dominum, utpotè impeccabilem, nullatenùs indiguisse baptismo. Quamobrem igitur voluit baptizari? Baptismus Ioannis nullam conferebat gratiam, sed solummodò disponebat ad condignè agendum pœnitentiam. Ergò, si æmuli Christum viderent baptizari, meritò suspicarentur eum esse peccatis obnoxium, ideoque se per baptismum disponere ad agendum condignam de illis pœnitentiam. Quare igitur tale non euitatur absurdum, & inconveniens? aut cur Saluator tanto non obuiat malo, & incommodo? Videtur mihi sanè Salvator voluisse in hac occasione dubiæ committere aleæ, & exponere periculo immaculatam suam innocentiam. Tamquam diceret: Quidquid inde euenerit, cupio, & volo baptizari. Rationem autem huius facti assignat S. Bonauentura: *Baptizatus est Christus, ut baptismum Præcursoris approbaret, & ostenderet Iudæis, quòd Ioannis testimonio credendum erat, sicut cœlesti.* Voluit Saluator mundi baptizari ad conferendam vim, & authoritatem ministerio Ioannis, erat quippè baptismus, cæremonia Ioannis, ad hanc ergò approbandam spontaneè Christus sese baptismo submittit.

Secunda Pars considerationis.

D. Bonavent. hic.

mittit. Hæc adæquata est ratio dubij, quod antea proposuimus: ubi notandum est, Christum tertiò excessisse limites ordinatæ generositatis suæ (loquendo more humano) totiesque periculo exposuisse famam, & æstimationem suam, nimirum semel in defensionem honoris paterni, & iterum ad tuendam famam Matris, & tandem ad approbandum æstimationem, & ministerium Præcursoris sui. Egit Christus in hac occasione eodem prorsus modo, quo in Circumcisione, voluit se adstringere præcepto Circumcisionis: *Vt circumcideretur puer*, ad approbandum legem Circumcisionis, quæ erat cæremonia à Patre instituta, uti pulchrè disseruit sanctus Episcopus, & Martyr Cyprianus: *Ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit Circumcisionis aptare signaculum.* Igitur tantum facit Christus pro obseruantia cæremoniæ Ioannis, quantum pro defensione rituum Patris, quia enim baptismus est cæremonia Ioannis, baptizatur, & quia Circumcisio est instituta à Patre, voluit circumcidi, & legis obligationem subire.

Lucæ 2. v. 21.

D. Cypr. citat. à Toleto hic.

6. Valdè controuersa est quæstio inter sacros Doctores, cur voluerit Christus Dominus Matrem suam Virginem desponsari: *Ad Virginem desponsatam viro.* Omissis varijs aliorum placitis, arridet præ cæteris S. Ambrosij sententia, instituto nostro apprimè accommoda: *Non putauit ortus sui fidem Matris iniuriis assumendam.* Maluit potius existimari homo vulgari modo natus, quam reddere suspectam honestatem Matris, si innupta Filium pareret; ac proinde, ad conseruandam famam, & honorem Virginis, maluit propriæ æstimationis facere periculum, & iacturam: tantumdem ergò fecit Christus cum diuino suo Præcursore, & non renuit propriam famam exponere discrimini, ad conciliandum authoritatem Ioanni, voluitque baptizari, ut hoc pacto ministerium illius approbaretur. De utriusque agitur, seu certatur honore, Christi, & Ioannis, periclitetur ergò, inquit Dominus, & quodammodò labefactetur honor meus, dummodò Ioannis authoritas stabiliatur, & confirmetur. O quantus favor, quantaque excellentia Præcursoris, quòd Christus ipsum Patri, Matrique suæ coæquet, quodque dicatur in eius opinione, & æstimatione, honores trium, quasi essent ipsamet Trinitas, pares reputari & æquales.

Lucæ 1. v. 27.

D. Ambr. hic.

7. Vult Christus Dominus, ut omnes fideles veniant, & ipsum quærant, uti dilucidè constat ex Evangelio: *Venite post me. Venite ad me.* Ioannem autem ipsemet quærit, ita ut hic Sanctus per excellentiam sit quæsitus à Deo, & hac prærogativa, sicuti plurimis aliis titulis, reliquos Sanctos antecellit. Appositè quadrat huic proposito locus quidam sacræ Paginæ, quem jam alibi ad alium finem expendimus. Convenerunt tres Reges, nimirum Rex Israël, Iuda, & Edom, qui, cum possent per nuntios accersere & advocare Prophetam Elisæum, ipsimet personaliter descenderunt ad quærendum eum: *Descendit ad eum Rex Israel, & Iosaphat Rex Iuda, & Rex Edom.* Ast quare ipsimet descenderunt, & non miserunt nuntios quærit magnus Abulensis, & accommodè ad rē nostram respondet: *Non miserunt ad vocandum illum, ut veniret ad se, sed descenderunt, ut per hoc honorarent ipsum.* Si fuisset quispiam alius Propheta, inferioris classis, vel Sanctus duodenalis, ut vulgò dicitur, mandassent ipsum accersiri, verùm Prophetam superiorem cæteris, tam eminentem virtute, tamque celebrem sanctitate, æquum erat, ut Reges isti illum potiori honore afficerent, & ipsimet ad visitandum eum descenderent. Si Christum Dominū alius quispiam Sanctorum, aut eius servus inferioris Ordinis, & paris dignitatis cum aliis baptizare debuisset, non dubito, quin eum vocasset ad se (uti plures vocavit) & misisset ipsi nuntios, ipseque vocanti statim obtemperasset: cæterùm ad Sanctum, qui singularem constituit classem, teste S. Petro Damiano: *Vnus est, & secundum non habet*, neque ponitur in numero cum reliquis, veniant tres Reges, veniat Filius Dei, unius & trini, personaliter ad quærendum, & singulariter eum honorandum: & quamvis illa actio videatur indecens & indigna personæ illius, quod superior quærat inferiorem, attamen quia ille est Sanctus singularis excellens seu eminens gratia, & sanctitate, condecens est, ut etiam cæteris in honore, & beneficiis præferatur.

4. Reg. 3. v. 12.

Abulens. hic quæst. 8.

D. Petr. Damian. serm. de hoc Sanct.

Sed quid mirum, quod modò quærat ad honorandum ipsum præ cæteris, quem antea dudum quæsivit in utero Matris ad sanctificandū? Insignis est & Authore suo digna ponderatio S. Laurentii Iustiniani super ingressum sanctissimæ Virginis in domum Zachariæ, quando Deipara Virgo magnifica sua præsentia cohonestans humile tugurium, & casulam campestrem Zachariæ, illam in cœlum commutavit. 8.

 mutavit.

mutauit Agnoscit Elizabeth cognata eius fortunatam suam sortem cum aduentu tantæ hospitis, contemplansque tantum solis limina domus suæ penetrantem, elatâ voce exclamat: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quandonam ego talem, tantumque promerui honorem? Quibus obsequijs potui deuincire mihi Matrem Dei ut me visitatione sua dignaretur? Siste, sancta sterilis, modò tamen maximè inter natos mulierum fœcundata, non capio, neque intelligo peregrinum tuum loquendi modum. Ecquid dicis? Nosti Deum ingredi domum tuam, & nequaquam attonita turbaris ad eius visitationem, & terrer, obstupefacitque te Matris illius præsentia, & visitatio. Sanè, barbara, & agrestis, errorem, & solœcismum in dictis tuis committere videris. Quare non dicis, unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Ecquando promerui tantum fauorem, ut Dominus veniat, & visitet domum meam? Egregiè satisfacit huic dubitationi S. Laurentius Iustinianus: *Non inquit, unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me, sed signanter, ut veniat Mater Domini mei ad me. Non enim ad Elizabeth Christus, sed Maria in montana eamdem visitatura perrexit: Venerat autem ad Ioannem Christus in Matre, &c.* Quasi apertius diceret: Cognouit Elizabeth à spiritu sancto illuminata visitationem Christi non ad se, sed ad Ioannem dirigi, eumque solum esse tanto honore condignum. Nonne Elizabeth erat sancta, & uti talis canonizata: *Incedentes in mandatis Domini sine querelâ*, & iam actu Spiritu sancto plena; *Repleta est Spiritu sancto?* Maximè, imò idcircò cognoscit, quòd esse Sanctum à Deo visitatum, sit priuilegium singulare soli Ioanni filio suo concessum, quodq; Deus non dedignans eum tunc quærere, videatur eum obligare ad tantumdem præstandum, ut videlicet, postposito omni honoris puncto, Christum vicissim hodierna die honoret, vel baptizando eum, vel illum mundo, tamquam verum Agnũ Dei, manifestando: quemadmodum pulchrè subiungit idem sanctus Patriarcha: *Propterea erudítus in spiritu, illum ostendit digito, baptizauit in alueo, prædicauit populo.* Et hoc sonant verba S. Euangelistæ: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.*

D. Laur. Iustin. serm. de Bapt.

Luc. 1. v. 6.

Ecce Agnus Dei.

CONSIDERATIO II.

Ex urbana comitate, qua Christus, & Ioannes se mutuò excipiunt, colligitur æqualitas, quam inter se se habent.

Demonstrans Ioannes Christum, eumque Agnum Dei indigitans, manifestè ostendit, quòd, uti diximus, licèt Dominus venerit ad quærendum, & honorandum eum hoc singulari, & inusitato modo, etiam venerit ad conciliandum sibiipsi famam, & honorem per Ioannem. Non minima, sed maxima est hæc Ioannis prærogatiua. Christus, & Ioannes reciprocas sibi rependunt vices honoris, & unus alterius alternatim studet honori, & famæ, &, tamquam si fidelissimi amici, unus alteri vicissim authoritatem, & æstimationem conciliat. Quod officij genus, iuxta doctrinam Sanctorum, non nisi inter æquales reperiri solet; & quia unus alterius partes, & causam agit, & inuisit Christus Ioannem, & vicissim Ioannes Christum, haud dubiè inter Christum, & Ioannem aliqua paritatis, seu æqualitatis ratio inuenitur. Subsignat S. Chrysostomus hunc discursum, ponderans verba illa, quæ Ioannes Christo respondit: *Ego à te debeo baptizari.* Verba autem Chrysostomi hæc sunt: *Ostendit, quia Christus posteà baptizauit Ioannem.* Ex quibus infert, quòd nedum Ioannes Christum, sed etiam Christus Ioannem baptizauerit, ac proinde in æstimatione hominum videntur ambo æquales: maxima sanè excellentia, quæ siue in cœlis, siue in terris dari potest. Magister erat Christus, & Ioannes Discipulus, nam etiam Sancti veteris Legis, iuxta saniorem Theologiam, eodem titulo ante ipsum gauisi fuerunt: verùm cùm amor soleat unire, & assimilare extrema, quæ amantur, amor, qui erat inter utrumque, adeò eos æquales reddidit, ut ambo viderentur Magister, & Discipulus, & nunc hic, nunc ille alternatim utrumque subiret officium. 1.

Matth. 3. v. 14.

D. Chrysost. hom. 4. in Imperfect.

Insigni quadam ponderatione eminentissimi Cardinalis nostri Caietani rem planius elucidabo. Ingeniosè obseruauit doctissimus Caietani calamus, S. Paulum Doctorem gentium in plurimis Epistolis seipsum plerumq; Apostolum nuncupasse, uti videre licet in ijs, quas Romanis, Corinthijs, Galathis, Ephesijs, & alijs 2.

aliis destinavit: *Paulus Apostolus &c.* in iis verò quas nomine suo, & dilectissimi Discipuli sui Timothei scripsit Philippensibus, Thessalonicensibus & Philemoni, nequaquam se Apostolum indigitasse, quemadmodum clarè patet in Epistola ad Philippenses, in qua, mutato stylo, seipsum solummodò Paulum nominavit: *Paulus, & Timotheus servi Iesu Christi,* & ad Philemonem: *Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater:* Si illustraverit vestibulum quarumdam Epistolarum hoc eximio titulo Apostoli, cur non adornavit exordium cæterarũ hoc eodem inclyto cognomine? In solo Commentario Cajetani solutionem hujus difficultatis comperiemus. Plurimum diligebat Paulus Timotheum, tam propter singulares ejus virtutes, quàm etiam propter sedulam opem, quâ in prædicatione Evangelii eum adjuvabat, non erat Timotheus Apostolus sicut Paulus, & existimabat se injuriam facturum amori, cujus munus est æquales facere amantes, si Apostolicam ostentaret dignitatem, adjunctus dilectissimo suo, qui ea dignitatis excellentia carebat. Vnde egregiè gentilis Poeta Ovidius:

Ad Philippens. 1. v. 1.

Ad Philemon. v. 1.

Ovidius.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur,
Majestas, & amor.

Prætereantur igitur & intermittantur omnes tituli, & apices honoris, sintque Paulus & Timotheus pares honore, hoc enim exigunt leges charitatis, qua se invicem arctissimè complectuntur, & prosequuntur. Si perscrutati fuerimus in Evangelus, quisnam per antonomasiam sit amicus Christi, comperiemus, divinum Baptistam hoc speciali gaudere titulo, & honore, siquidem id sonant verba illa: *Amicus Sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocẽ Sponsi.* Quæ nedum passivè, sed etiam activè intelligenda sunt, quoniã inter Christum, & Ioannem mutua versatur amicitia. Posita hac veritate, tamquam certa, æqualitas inter illos (in sensu dicto) infallibilis esse debebat, necessarium enim est, amorem vires suas exercere, & æqualitatem inter amantes componere, ideòque in eodem paralello ponitur Messias, & ejus Præcursor, quemadmodum pulchrè adnotavit Guerricus Abbas, accõmodans Christo, & Ioanni verba illa, quæ Sponsa de Sponso gloriatur in Cantico amoris sui: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi:* dum has subjunxit voces: *Ioannes Iesu, & Iesus Ioanni: Ioannes Iesum prædicat, Ioannem Iesus commendat; par pari redditur, & tam amica, quam justa vicissitudine charitas invicem provocatur, aut remuneratur.* En, quomodo sibi invicem vices amicitiæ, & reverentiæ rependunt.

Ioann. 3. v. 29.

Cant. 2. v. 16.

Guerric.

ser. 4. de Baptista.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Paraphrasis horum verborum communiter recepta, ita sonat, quasi nullus in cœlis possit coæquari Christo, & tametsi etiam justissimi nubes conscendant, nullatenus tamen illi æquales fient. *Quis in nubibus æquabitur Domino?* Ac si diceret, etiam postquam nubes conscenderint, inferiores sub pedibus illius erunt, & non solum hoc, sed etiam *in filiis Dei*, quia nullus Angelorum, qui sũt primogeniti filii ejus, poterit assimilari Deo aut ejus Filio incarnato: Hæc communis est expositio hujus versus Davidici, quamvis idem Guerricus aliam instituto nostro accommodã excogitaverit, ait enim, quod qui in nubibus aut aquis fuerit æqualis Domino, ille erit inter justos & filios Dei similis ipsimet Deo. Ecquis est iste adeò felix & fortunatus? *Hæc utique illa magnitudo Ioannis fuit.* Quis, inquam, in nubibus, aut aquis par fuit Domino, nisi Ioannes Baptista? sive per nubes intelligamus eas, quæ è cœlis descenderunt, eosque obumbrarunt, sive ipsas aquas in nubibus designatas, dum unus ab altero baptizatur. Evidens argumentum, quod ipse inter filios Dei, sive homines sive Angelos maximè emineret, solus enim Deus est illi similis, & ipse solus per excellentiam Deo æqualis.

3. Psalm. 88. v. 7.

Guerric. serm. 3 de Baptista.

4 Hoc adeò verum est, tantique Deus æstimat testimonium propheticum Ioannis, ut quodammodo illud sapientiæ suæ Divinæ æquiparet. Audite insignem ex aureo Chrysost. ore ponderationem. Erat sanctus Andreas discipulus Baptistæ, ejusque lateri adhærebat, quando Sanctus Præcursor hæc protulit verba; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* & continuò Andreas secutus est Christum, absque eo, quod Dominus illi aliquod suæ divinitatis specimen exhibuisset. Abiit Andreas, occurrens germano suo fratri, eum illicò adducit ad Christum, auditque ex ore ejus admirabiles illos eventus futuros, quos sola infinita Salvatoris sapientia assequi poterat. *Intuitus eum Iesus, dixit, tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Tu es filius obediens columbæ, id est, Spiritus S. ad hunc enim sensum plures cum S. Hieronymo expo-

Ioannis 1. v. 29.

Ioann. 1. v. 42.

nunt

D. Hieron. hic. nunt hæc verba: *Et filius Iona, scilicet columbæ illius*, nempè, quæ in Iordane super caput Redemptoris descendit, vocaberis aliquando Cephas, quod interpretatur Petrus, erisque Petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam, ubi eleganter S. Chrysostomus: Si Dominus Petro tam evidens suæ sapientiæ, & divinitatis præbuit testimonium, cur non eamdem, aut æquivalentem fecit demonstrationem fratri illius Andreæ? Dicam, inquit aureum os: D. Chrys. hom. 18. in Ioannem. *Quoniam ille Ioannis habuit testimonium, non parvi ad fidem momenti*; hocque testimonium Ioannis efficax, & potens erat commovere cor Andreæ, ad credendum & confitendum & adorandum Christum, tamquam verum Deum. Sequatur igitur Andreas Salvatorem, quia verba Ioannis demonstrantis, Christum esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, tanti ponderis & momenti sunt, ut supervacaneum sit Salvatorem aliquod de se ferre testimonium ut autem Petrus, qui neutiquam audivit Ioannem, Christum agnoscat, eique fidem præbeat, necesse est, ut Salvator ipsemet ei futuros eventus prædicat, & efficaciter suorum verborum, suæque infinitæ sapientiæ vim & effectum testimonio Ioannis coæquet, & opponat. Nonne videtis, quot mediis satagit cœlum ostendere, quod inter Christum & Ioannem summa reperiatur æqualitas & similitudo?

5 Adducit ad confirmationem hujus doctrinæ doctus Barradius insignem observationem Basilij Magni, exponentis verba Psalmi Davidici: Psal. 28. v. 3. *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit*, quorum sensus litteralis hic est: Deus cum majestate exaltat vocem suam, & cuncta ad ejus nutum fiunt, *super aquas multas*, tametsi abundantes aquæ, & copiosi imbres decidant è cœlis, si Dominus verbulo jubeat, aut paulisper vocem exaltet, illicò tonitrua replent aërem, nubes condensantur, fulgura coruscant, fulmina è cœlis vibrantur, gravidæque nubes in pluviam dissolvuntur, & admirandi in cœlis effectus producuntur. Hæc litteralis est expositio horum verborum, juxta Paraphrasten nostrum Hispanum. Episcop. Carcer. Verum S. Basilius Magnus autumat, Davidem in sensu Prophetico locutum fuisse de vocibus, quæ auditæ fuerunt in Iordane, videlicet, de voce æterni Patris, & Ioannis Baptistæ: Basil. ad Barrad. *Vox verbi super aquas Iordanis fluvii Ioannes erat baptizans; illic & Deus maiestatis intonuit: Venit enim vox de cœlo, dicens, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Itaque vocem Domini super aquas Ioannem interpretatur, & per Deum majestatis intonantem, vocem Patris æterni intelligit, quæ consonabat voci Ioannis; ars namque musica exprimit uniformitatem vocum, quando una vox est unisona alteri, auscultate ergo vocem Patris è cœlo, & vocem Ioannis in mundo, & mox audietis consonantiam utriusque, quia substantialiter idem sonat vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, & vox Ioannis: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, idemque omninò est, esse Filium Dei, ac tollere peccata, quia nequaquam potuisset purificare sordes peccatorum nostrorum, nisi Deus fuisset, & infinitè æterno Patri placuisset. ex hac namque causa talis processit effectus. Talem igitur consonantiam causat vox Verbi, quæ est Ioannes, *ego Vox*, cum voce Patris æterni, quod una non sit magis altisona, quam altera, ut ambarum musica unisona fiat, & æqualis. (tom 2. Concord. Evang.; Matth. 3. v. 17.; Ioan. 1. v. 28.)

Et si mutuam urbanitatem inter Christum, & Ioannem notaverimus ad hunc enim modum explicat Abulensis verba illa: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me, &c. Dici potest quod Ioannes dixit hoc ex urbanitate*, reperiemus insignem discursus nostri confirmationem, quia certum est, quod urbana comitas, ut sit rationi consentanea, debeat esse inter æquales, haud enim moris est, quod superior inferiorem magna comitate excipiat. Egregiè ad rem nostram hoc observavit doctissimus Lyranus in loco illo sacræ Paginæ, quando Deus noster sub specie trium peregrinorum dignatus est hospitio excipi in domo Abrahæ, ubi illis mensæ assidentibus, sanctus vir famulantium more, mensæ assistebat *Stabat iuxta illos*, &, triclinarii fungens officio, convictoribus ministrabat. Considerat enim Lyranus in hac corporis positione stantem, dum Deus, seu peregrini illi manducantes, mensæ accumbunt, loquitur in hæc verba: *Ipsis recumbentibus, ipse stabat iuxta eos, quasi non audens considere cum eis, nec etiam illi ipsum ad hoc invitabant. Quæ omnia attenta dignitate Abraha, & eius senectute, irrationabiliter fierent. nisi hac apparitio esset sibi repræsentativa divinorum.* Att protinus ubi Deus, & homo extrema tam inæqualia & distantia conjunguntur, nullum habet inter illos urbanitas locum non enim debet contendere Mechanicus cum Nobili, quis eorum primus debeat capere sedem, neque Nobilis cum Rege 6. (Gene. 18. v. 8.; Lyran. hic.)

.. vestibulum portæ, quis eorum sit prior ingressurus, sed inter duos magnates aut dominos paris conditionis, rectè talis contentio admittitur

Monebat quondam Philippus Rex Macedonum filium suum Alexandrum Magnum, ut adiret stadium, seu ludos Olympicos, & unà cũ aliis de cursu certaret: at respondit filius, si eò concurrerent Reges, vel alii meæ conditionis, & paris animi mecum, libenti animo congrederer, verùm ubi plebs catadromium ingreditur, potiùs damnum, quam lucrum acquiritur. Iudicabat hic Princeps, se notam injuriæ majestati suæ inurere, si consentiret homines minoris fortunæ, aut imparis conditionis secum in stadio concurrere, ideòque noluit, ut aliquis dispar meritis suæ personæ, in externo apparatu sibi æqualis videretur. Hinc colligitur ex hac doctrina unam ex maximis elogiis Sancti Ioannis, quod Christus ipsum adeò sibi coæquaverit, ut ad januam cœli, puta Baptismum, ambo subsistentes, inter sese mutua quadã æmulatione contendant, quis eorum prior sit ingressurus, quasi Ioannes non foret minor Christo, nec Christus major Ioanne Nescio quid de puro homine excellentiùs dici queat, quam quod, Deo ipso ad pedes Ioannis prostrato, sine ulla inurbanitatis nota, ambo inter sese disputent, uter eorum ab alio prior baptizandus foret Manifesta indicia, uti diximus in principio hujus Considerationis, quod inter utrumque detur quædam quasi æqualitas, quodque in hunc modum unus alterum visitaverit ad conciliandum, & stabiliendum mutuam utriusque authoritatem, & æstimationem. *Vidit Ioannes &c.*

Venientem ad se.

CONSIDERATIO III.

Debet Christus partim sancto Ioanni æstimationem, & authoritatem suæ personæ.

1. DIximus obiter in præcedenti Consideratione, Christum Salvatorem nostrum quæsivisse Sanctum Ioannem, ut ipsius testimonio suam apud homines confirmaret opinionem. Non mea, sed magni Patris Augustini est hæc meditatio. Considerat sanctus Doctor magnum Baptistam digito monstrantem humani generis Redemptorem, dum eum agnum Dei, peccata mundi tollentem appellat, atque in hæc verba: *Tamẽ, quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit, unde videretur, ipsa lucerna Ioannes erat.* Tamquam diceret, nullam vult Christus habere authoritatem, nisi per Ioannis testimonium corroboretur, & ad depellendas obscuras noctis ignorantiæ tenebras, quibus homines in cognitione Messiç erant involvendi, propter obscurum velamen humanitatis, quo obtegebatur, accendit sua majestas hanc lucernam Ioannis, ut ipse expellens tenebras, tollensque confusum mundi Chaos, ipsum cunctis reveler, & manifester. Alludit sanctus Præsul, ad regii vatis prophetiam, ubi describens Regnum Salvatoris, illudque à splendore & majestate impensiùs commendans, quod toti mundo splendorem, & illustre decus conferret, affirmat, quod lucernam paraverit Filio suo: *Paravi lucernam Christo meo*, quæ juxtà declarationem ipsius Christi, nulla alia fuit, nisi Ioannes Baptista. *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens* estque hæc omnium Sanctorum Interpretum unanimis, & concors expositio. Verum quidem est, quod postquam Christus Sol divinus calore, & radiis divinitatis suæ cœpit caliginosas dissipare nebulas, quibus mundus erat offusus, & splendore vitæ, ac doctrinæ suæ illuminare homines protinùs lucerna illa propter profundissimam humilitatem suam retraxit radios luminis sui, quemadmodũ verba illa apertè testantur: *Illum oportet crescere, me autem minui*, attamen toto illo tempore, quo obscuritas & confusio dominata fuit, haud dubitandum est, quin Baptista præbuerit lumen soli, eum mundo manifestans, & honorans, fuit namque occasio, cur Christus Dominus in honore, & pretio haberetur.

D. Aug. Tract. in cap. 1. Ioan.

Psal. 131. v. 17.

Ioan. 5. v. 35.

Ioan. 3. v. 30.

2. Cùm sanctus Augustinus hunc nobis suggesserit discursum, æquum est, ut etiam probationes ejus ab illo mutuemur, & facili negotio eas reperiemus in doctrina ejus, qui ingenii sui acumine omnia perlustravit. Depingebat regius Propheta absolutissimum imperiũ, quod Verbum incarnatum, seu Dei Filius habiturus erat in mundo, quando inter cætera hæc protulit verba: *Et dominabitur à mari, usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*, Ac si diceret, erit Dominus absolutus, flumina, montes, & colles cunctaque creata ejus obsequentur imperio, neque ullus erit

Psal. 71. v. 8.

Quemadmodum sanctus Prochorus ill[illegible] Discipulus refert de Asianis, alioquin doctissimis, quòd attonita mente considerantes sanctitatem vitæ illius, & firmiter credentes, ipsum esse verum Deum humana sub specie velatum, non semel, sed sæpissimè illi supremam Messiæ dignitatem ex animo obtulerint: *Ad illum sic verba faciebant: Tu es magnus Deus, qui illuminas omnem hominem mirabiliter*, quia in solo magno Deo talem, tantamque gratiam, tam raram ingenii perspicacitatem tamque incredibilem sapientiam reperiri posse autumabant.

D. Prochor. in vita S. Ioannis

2. Et diligenter adnotandum est, illos solis miraculis per Ioannem patratis commotos, ipsum esse Deum existimasse: *Qui illuminas omnem hominem mirabiliter.* Quod etiam consonat dictis S. Petri Damiani, affirmantis totam vitam Ioannis nonnisi continuum miraculum fuisse: *mirabiliter vixit* Tali namque modo videtur ei Deus communicasse gratiam patrandi miracula, ut ea non alienâ, sed propriâ virtute facere putaretur. Solus Deus est, qui est, & apparet Deus, & nulli totum suum esse communicare creaturæ, ut vel multis operibus appareat Deus, vel habeat quidpiam divinum, vel tandem solam externam Dei speciem referat. Plures Sancti, quia nulla operati sunt miracula, licèt in aliis quædam divinitatis indicia exhiberent, protinùs tamen, constabat, illis deesse divinitatem neque veri esse dii luce meridiana clarius apparebant, verùm sacer Euangelista noster, propter innumeram multitudinem miraculorum, quæ operabatur, (quod est proprium solius Dei) videtur nedum habere solam exteriorem speciem Dei, sed etiam quidpiam proprium ipsius divinitatis: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*, aiebant barbari quidam Gentiles videntes mirabilia, quæ per SS Paulum, eiusque consodalem Barnabam Deus operabatur. Videntur profectò incongruè fuisse locuti, magis enim genuinè, & propriè dicere debuissent, veros homines naturâ, apparuisse similes Diis effectos. Ast quòd natura Dii, & homines sola similitudine appareant, ingenuè fateor, me nequaquam capere, aut intelligere. Doctus Lorinus existimat, eos, quamvis barbarè, prudentissimè tamen fuisse locutos: *Cùm igitur Lystrii tam singulare beneficium in claudo vidissent, humana specie Deos se habere præsentes sunt arbitrati.* Videntur [illegible] Lystrii hunc efformasse discursum: Sancti, qui [illegible] portentosa faciunt miracula, quæ s[illegible] propria solius Dei, potiùs videntur Dii s[illegible] humana specie absconditi, quàm homines Diis similes. Si itaque illustrissimus noster Euangelista in omnibus, & singulis vitæ suæ actibus fuerit portentum quoddam, & perpetuum miraculum, non magnopere admirandum est, eum sibi conciliasse apud homines opinionem veræ divinitatis, & non solam exteriorem speciem, quemadmodum alii Sancti.

D. Petr. Damian. citatus.

Actor. 14 v. 11.

Lorinus hic.

Ecquid mirum est, hos quamquam prudentes, & doctos, ita fuisse argumentatos, erant enim Gentiles. Maioris ego facio (quocirca id etiam, licet antiquum refero) illum discursum, quem celeberrimus Origenes tot Ecclesiæ Doctorum Magister in laudem nostri Euangelistæ efformavit, quamvis ad aliud intentum, & finem. Magnus Apostolus, & Doctor gentium S. Paulus, inquit hic insignis Author, raptus fuit quondam ad tertium cœlum, &, cùm ingressus esset cæcus, rediit mutus, quapropter, tametsi non viderit, quod audivit, adeò tamen absconditum fuit, & ineffabile, ut in has sequentes proruperit voces: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ac si diceret; verè quidem, uti homo, audivi, sed, uti homo, ea loqui non valeo, quia id præsumere nefas est, & impossibile Attendite modò, & audite consequentiam, quam Adamantius ex hoc antecedente depromit: *Non ergò Ioannes erat homo*, id est, evidens est igitur, & infallibile est, sanctum Ioannem, qui de eisdem mysteriis tam disertè locutus est, quæ Paulus palam profitetur se, uti hominem, non potuisse eloqui, esse plus quàm hominem, *Sed plusquam homo?* Ecquid ergò erat Ioannes? *Non aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus* Manifestum itaque est, ipsum fuisse hominem divinum, vel divinitate aspersum, & multùm divinitatis participasse, adeò ut quodammodò fuerit exemptus à legibus humanæ naturæ, & modo possibili gavisus stipendio divinitatis. 3.

2. Cor. 12. v. 4.

Origenes in divers. hom.

1. Ioan. 1.

4. Ex cruce, cui pendebat affixus Author vitæ, condidit testamentum, & legavit sancto Ioanni Virginem sanctissimam, & huic vicissim illum commendavit. In verbis autem, quibus testamentum suum expressit, sacri Doctores arcanum mysterium deprehenderunt, quapropter curiosè observant, Salvatorem hac

tem-

temporis tempestate nequaquam Virginem sanctissimam appellasse Matrem suam, sed tantummodò mulierem, *Mulier, ecce Filius tuus*
Ioan 19 v. 26. Præ cæteris autem magis apposité ad rem nostram locutus est S. Epiphanius, dicens, Redemptorem ex industria subticuisse nomē Matris ad confusionem Hæreticorum, qui futuris temporibus illam, veluti Deam, adorandam suspecturi, & veneraturi erant. Quod, teste eodem S. Patre etiam reapse postmodùm evenit. Nam quidam adeò illecti fuerunt admiranda eius sanctitate, ut illam, nedum tamquam sanctam, & probam coluerint, sed etiam uti Deam, adoraverint. Eapropter hic S Doctor sancto quodam zelo ductus assumit calamum, & acriter invehitur in falsos illos Deicolas, & impios Mariæ cultores, eosque hisce verbis perstringit: *Non convenit colere Sanctos ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum. Cesset itaque error seductorum. Neque enim Deus est Maria neque de cœlo corpus habet, sed ex conceptione viri, ac mulieris.* Tamquam diceret: cuilibet attribuendū, quod ratio, & æquitas dictat, & SS. solùmodo concedendū, quod meritū justitiæ postulat; nequaquam ergo honor Deitatis surripiendus Domino, ut in Mariē cōferatur, quæ nec Deus est, neque ex corpore cœlesti efformata, aliquam sibi vendicat Deitatem. Cesset igitur omnis error seductorum, qui impiè Mariam colunt, quia ipsa, quemadmodum cæteri filii Adæ, ex corpore terreno conflata, humanæ naturæ limites non excedit. Id quod egit S. Epiphanius ad confutandum errorem Hæreticorum, hoc, teste eodem Sancto, prius fecit Christus in Cruce pendens, dū prævidens mala futura, voluit anticipatè eis occurrere, ostendens in postrema vitæ suæ hora; (in qua maximè veritas prædicatur) virginem sacrosanctam esse veram mulierem, filiam hominum, sororem eorum, & ex eadem massa cum illis compositam Huc collimabant verba illa Salvatoris iam iam agonizantis: *Mulier, ecce filius tuus*, ut hisce dictis mundo propalaret, & indubitatam faceret hanc veritatem, nimirum, Mariam esse mulierem puram, & nequaquam Deum. Hactenus sanctus Epiphanius, iam alicubi citatus.

D. Epiphan. lib. 3. contr. hæret. c. 75.

5. Verùm ego salvo beneplacito huius Sancti, urgeo hanc doctrinam, ac proinde constanter affirmo, quod Redemptor mundi hisce vocibus nedum contenderit evitare errorem Deitatis Marianæ, sed etiam illum, qui de divinitate Ioannis poterat præsumi, sicuti etiam reipsa contigit, quia hoc ipso, quò Salvator ipsum declaravit filium Mariæ: *Filius tuus*, manifeste sequebatur (cùm partus soleat sequi ventrem) hæc consequentia, Mater est Dea, ergò etiam filius est Deus. Ne igitur Hæretici, Virginem Matrem reputarent Deam, neque Gentiles Ioannem filium arbitrarentur esse Deum, Christus Dominus divinâ suâ providentia hosce præveniens errores, & obstaculum opponens tam petulanti, & sacrilegæ devotioni, mox ut enuntiavit, Virginem esse mulierem, statim declaravit etiam eius filium Euangelistam esse hominem. Hoc sonant verba illa iam relata: *Mulier, ecce filius tuus.*

Et, meâ quidem sententiâ, fuit hic novus quidam modus, quo Redemptor Mundi dilectissimum suum discipulum Ioannem honorare contendit Notate quæso, diligenter hanc doctrinam, quamvis enim paradoxa videatur, est tamen vera, & sacræ Scripturæ testimoniis confirmata. Summis encomiis extulerat Dominus Deus servum suum Iob, eique magnam apud omnes conciliaverat opinionem, dixerat namque, eum in mundo esse primum, nullumque ei reperiri parem: *Non erat similis ei in terra* Et post tam immensos favores cœpit Deus verbis, & argumentis cum illo contendere: *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiā. Quis posuit mēsuras eius si nosti? Vel quis tetendit super eam lineā? Super quo bases eius solidatæ sunt? Aut quis dimisit lapidē angularem eius, cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei?* Dicito mihi, Iob, ubinā eras, quando ego creavi terram? Et si hoc ignoraveris, respondeto mihi, quisnā huius machinæ fuerit artifex, &c. Tamquam diceret: An forsitan tu fabricasti hanc mundi molem, sicuti ego Creator eius? Num fortassè te Deum esse existimas? Ita explicat hæc verba S. Gregorius Magnus, falleris sanè, nequaquam Deus es. Audit hæc magnus Pontifex, & attonitus, ac quasi obstupefactus, in has penè divinas prorumpit voces: O *quàm potenter erigitur, qui tā sublimiter humiliatur! ô quanta est hominis victoria, hanc ex Dei comparatione perdidisse! ô quātò hominibus maior est, qui testimoniis convincitur Deo minor!* Quasi diceret, maximam fuisse Iobi excellentiam, & sublimitatem, quòd ab ipso Deo taliter humilietur, & illustrissimā esse hominis victoriam, quòd

6.
Iob. 1. v. 8
Iob. 38. v. 4. & sequentibus.
D. Greg. lib. 28. moral. c. 1.

quàm Deo incarnato, superiorem, & nobiliorem occupet. Vixdum vident Angeli hominem, quia tam sublimem obtinet locum, & ægrè agnoscunt Deum, quia ad tam profundam se submisit humilitatem. Non cognoscunt hominem, quem vident ad cœlos usque exaltatum, ignorant (si dicere liceat) ipsum Deum, quem contuentur adeò exinanitum, & in terris prostratum. Fœlices nos per Christum, in quo ad remedium salutis nostræ tantam pertulit divinitas humilitatis demissionem; imò ter, quaterque beati nos etiam per Ioannem, in quo ad consolationem nostram humana natura, ad tantam altitudinem conscendit. Quamvis mysterium hoc suggerat plurima ad instructionē, & doctrinam nostram, ea tamen succinctè pertractabimus, quia præcipuum temporis spatium elogiis, & laudibus magni Præcursoris, & Baptistæ impendendum est, ad gloriam Dei, honorem Sancti, & ædificationem Devotorum eius *Ave Maria.*

Vidit Ioannes Iesum, &c.

CONSIDERATIO I.

Promeruit sanctus Ioannes titulo humilitatis, quod Christus quæsiverit eum, ut ab illo baptizaretur, & hoc pacto eius authoritatem, & dignitatem manifestaret.

1. *Prima Pars Considerationis.* AD tres classes, ut alibi expendimus, solent communiter reduci omnia bona huius vitæ, nimirum, ad bona honoris, sensus & divitiarum, seu, ut Philosophorum Princeps dixit: *Bonum honestum, utile, & delectabile.* *Aristoteles.* Indagant Doctores, quodnam genus istorum bonorum sit magis gratum, & appetibile? Respōdent autem, prophanos, filios huius sæculi, & peccatores maximo in pretio habere bonum huius vitæ; prudentes verò, iustos, ac timentes Deum, pluris æstimare honorem, tamquam pretiosius, & desiderabilius bonum, & hoc verum est, & indubitatum. Si igitur honor sit bonum excellentius quod homines omni studio, & conatu ambiunt consequi, qui fit, ut mundus sit adeò inops honoris, &, ut Christianè loquamur, pauciores sint honesti? Dicam, quod sentio, quia pauciores sunt, qui viam perveniendi ad honorem inveniunt. Quodnam igitur medium necessarium est, ad reperiendum illam? Sequenda sunt vestigia Christi, eiusque Præcursoris Baptistæ, qui per semitas humilitatis ad honoris apicem pervenerūt. Qui ergo ad imitationem eorum, operam dederint humilitati, & contempserint humanam gloriam, spreverintq; honorem mundanum, ipsi maiorem excellentiam, altioremque dignitatem sibi cōparabunt. Abundant sacræ Litteræ testimoniis quæ hanc doctrinam nostrā stabiliunt, quorum aliqua videri possunt in concione nostra de Mandato, seu cœna Domini, ad quam curiosum Lectorem remittimus.

2 Sufficiat modò, ad corroborandum hunc discursū, annotationes eminentissimi nostri Cardin. Caietani præsens Euangelium, seu mysterium enucleantis. Cōsiderat hic acutissimus Doctor Christum Servatorem tam profundè sese humiliantem, ut dignatus fuerit baptizari à Ioanne, quod nihil aliud fuit, quā induere habitū peccatoris; baptismus enim ad abluendam maculam peccatorum ordinatur. Enarrans igitur sacer Histor. Matthæus huius rei seriem, & ordinē, ad hunc modum describit: *Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua.* *Matth. 3. v. 16.* controvertūt quidā Expositores, & dubitant in præsenti, quonā modo Salvator noster fuerit baptizatus, an, scilicet, per infusionem aquæ super caput Christi, velut Ecclesia consuevit facere in baptismo adultorū, an verò per immersionē, seu submersionem corporis, quemadmodū in baptismo infantiū fieri solet; Existimat doctissimus noster Caietanus, baptismum Christi per submersionē corporis fuisse peractum, & hoc mysterium adnotavit in verbis S. Euangelistæ: *Ascendit de aqua.* Nā dicit: *Non per aspersionem, aut desuper infusionem, sed per immersionem, seu submersionē corporis baptizatus est Iesus à Ioanne.* *Psal. 46. v. 6. Psal. 67. v. 19.* Ecquæ causa, ob quam Salvator sui hac forma voluit baptizari; Videtur, nisi me fallat opinio & studium meum, non fuisse contentus humiliatione, permittendo se baptizari, sed voluit in modo ostēdere maiorem sui abiectionem; etenim cū posset baptizari recipiendo aquam super caput suū, voluit se magis demittere, vel, ut rectius loquar, seipsum sub aquis sepelire. Quomodò ergò hoc silentio præteriit S. Matthæus, & solūmodo advertit, Servatorē ascendisse ex aquis *Ascendit de aqua.* Hoc satis, superq; dictum est Quòd Christus aquis sese submittat, fuit opus profundissimæ humilitatis, dicere autē, quòd ascenderit, maximi honoris indicium, hoc enim verbo utitur sacer Textus ad declarandū summum Christi in cœlo regnantis honorē: *Ascēdit Deus in iubilo, Ascendisti in altum* Taceat igitur Euangelista, & silenter prætereat humilitatis opus, & quod honoris est aperto ore pronunciet, ad confirmandum veritatem instituti nostri, puta, Christum, quando maximè fugit honorem, tunc à nobis mirificè honoratum, & exaltatum videri.

Suppono, tamquam constantem sanctorum Patrum doctrinam, unum ex præcipuis, imò & supremum honoris encomium Ioannis fuisse, quòd Redemptorem mundi baptizauerit, quòd forsitan infrà latiùs expendemus. Considerat itaque S. Chrysostomus Baptistam in hoc statu, contemplaturque eum hoc diuino munere, & ministerio fungentem, manibus positis super verticem illius, qui totius Ecclesiæ, teste S Paulo, verum est caput. In memoriam reuocat profundissimam illius humilitatem, quâ respuit oblatos sibi honores à Iudæis in celebri illa legatione: *Miserunt Iudei ab Ierosolymis*, quodque ijs responderit: *Qui post me venit, maior me est*, cuius *ego non sum dignus*, *ut soluam eius corrigiam calceamenti*, & prudenter componens has duas præclarissimas actiones, hæc sequentia effatur verba: *Manum, quam calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit*. Nonne meministis, inquit, profundissimæ humilitatis Baptistæ, quâ ultrò sibi à Iudæis oblatam supremam Messiæ dignitatem recusauit? Maximè recordamur. An non videris eumdem adeò sublimatum, ut ipsi Christo coæquari videatur? Scitote ergò illam humilitatem, hanc peperisse honoris excellentiam, eumque per gradus propriæ abiectionis ad tantæ gloriæ dignitatem ascendisse, quò enim semetipsum magis per humilitatem demittit, eò magis Christus ipsum exaltat, ideoque manum, quam ipse reputat indignam, ut tangat pedes, qui erant pars inferior corporis illius, attrahit Christus ad partem superiorem corporis sui, vultque, ut eam capiti suo superponat. Hæ gloriæ profectò, quibus modò fruitur Ioannes, stipendia sunt, & merces anteactæ humilitatis.

Ioan. 1. v 19. & 27.

D. Chrys. hom. 38. ad popul.

4. Quis dubitet, quin Ioannes magis sit notus mundo per titulum Baptistæ, quàm per nomen Ioannis, quod ipsi miraculosè in circumcisione fuit impositum. Mox enim ubi Baptistam nominamus, illicò Præcursorem intelligimus, secùs tamen in nomine Ioannis, quia plures in Litanijs habemus Ioannes. Ecquis honoris titulus est Baptista? Egregiè Caietanus noster, est, inquit, gloriosum honoris cognomen, quod baptizans Christum in Iordane, tamquam primus baptismi minister, iure promeruit: *Baptista fuit cognomen Ioannis, ex eo, quòd primus instituit baptismum*. Ast quis illi tam illustre cognomentum comparauit, per quod mundo magis, quàm per proprium natiuitatis innotesceret? Sanè humilitas, uti ex aureo Chrysostomi ore deprompsimus; cæterum non parum corroboratur sancti Antistitis meditatio ijs, quæ statim subjiciam. Venit Salvator ad Iordanem, ut baptizetur à Ioanne, &, uti sacer attestatur Euangelista: *Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Refugiebat Ioannes Christum baptizare, & maluisset ab illo baptizari, dicens: *Tu venis ad me?* poterone ego consentire petitioni tuæ, qui baptismo tuo indigeo? Quid ita, mi sancte Præcursor? siccine tenuis honorem, quē adipisci potes baptizando eum, qui omnium est baptismus? Esto certus, & firmiter crede, quòd eademmet humilitas, quâ te indignum reputas, maiorem tibi pariet æstimationem, nobilioremque conciliabit dignitatem, quia nomini tuo imprimet Christus hunc honoris titulum, & potiùs te mundus cognomento Baptistæ, quàm Ioannis dignoscet, & uniuerso terrarum orbi manifestum erit, Deum ipsum ad pedes tuos prostratum iacuisse, &, veluti purum hominem, suppliciter è tuis manibus baptismum efflagitasse. Tantam, tamq; immensā æstimationem tibi tua humilitas comparauit.

Caietan. hic.

Matth. 3. v. 14.

Pergamus nunc ad secundam Considerationis nostræ partem. Certum est, & in fide Catholica indubitatum, Christum Dominum, utpotè impeccabilem, nullatenùs indiguisse baptismo. Quamobrem igitur voluit baptizari? Baptismus Ioannis nullam conferebat gratiam, sed solummodò disponebat ad condignè agendum pœnitentiam. Ergò, si æmuli Christum viderent baptizari, meritò suspicarentur eum esse peccatis obnoxium, ideoque se per baptismum disponere ad agendum condignam de illis pœnitentiam. Quare igitur tale non evitatur absurdum, & inconveniens? aut cur Saluator tanto non obviat malo, & incommodo? Videtur mihi sanè Salvator voluisse in hac occasione dubiæ committere aleæ, & exponere periculo immaculatam suam innocentiam. Tamquam diceret: Quidquid inde euenerit, cupio, & volo baptizari. Rationem autem huius facti assignat S Bonauentura: *Baptizatus est Christus, ut baptismum Præcursoris approbaret, & ostenderet Iudeis, quòd Ioannis testimonio credendum erat, sicut cœlesti*. Voluit Saluator mundi baptizari ad conferendam vim, & authoritatem ministerio Ioannis, erat quippè baptismus, cæremonia Ioannis, ad hanc ergò approbandam spontaneè Christus sese baptismo submittit.

Secunda Pars considerationis.

5.

D. Bonavent. hic.

mittit. Hæc adæquata est ratio dubij, quod anteà proposuimus: ubi notandum est, Christum tertiò excessisse limites ordinatæ generositatis suæ (loquendo more humano) totiesque periculo exposuisse famam, & æstimationem suam, nimirum semel in defensionem honoris paterni, & iterum ad tuendam famam Matris, & tandem ad approbandum æstimationem, & ministerium Præcursoris sui. Egit Christus in hac occasione eodem prorsus modo, quo in Circumcisione, voluit se adstringere præcepto Circumcisionis: *Vt circumcideretur puer*, ad approbandum legem Circumcisionis, quæ erat cæremonia à Patre instituta, uti pulchrè disserit sanctus Episcopus, & Martyr Cyprianus: *Ne antiqua religio prorsus reproba videretur, in se voluit Circumcisionis aptare signaculum.* Igitur tantum facit Christus pro obseruantia cæremoniæ Ioannis, quantum pro defensione rituum Patris, quia enim baptismus est cæremonia Ioannis, baptizatur, & quia Circumcisio est instituta à Patre, voluit circumcidi, & legis obligationem subire.

Lucæ 2. v. 21.

D. Cypr. citat. à Toleto hic.

6. Valdè controuersa est quæstio inter sacros Doctores, cur voluerit Christus Dominus Matrem suam Virginem desponsari: *Ad Virginem desponsatam viro.* Omissis varijs aliorum placitis, arridet præ cæteris S. Ambrosij sententia, instituto nostro apprimè accommoda: *Non putauit ortus sui fidem Matris iniuriis assumendam.* Maluit potius existimari homo vulgari modo natus, quam reddere suspectam honestatem Matris, si innupta Filium pareret; ac proinde, ad conseruandam famam, & honorem Virginis, maluit propriæ æstimationis facere periculum, & iacturam: tantumdem ergò fecit Christus cum diuino suo Præcursore, & non renuit propriam famam exponere discrimini, ad conciliandum authoritatem Ioanni, voluitque baptizari, ut hoc pacto ministerium illius approbaretur. De utriusque agitur, seu certatur honore, Christi, & Ioannis, periclitetur ergò, inquit Dominus, & quodammodò labefactetur honor meus, dummodò Ioannis authoritas stabiliatur, & confirmetur. O quantus favor, quantaque excellentia Præcursoris, quòd Christus ipsum Patri, Matrique suæ coæquet, quodque dicatur in eius opinione, & æstimatione, honores trium, quasi essent ipsamet Trinitas, pares reputari & æquales.

Lucæ 1. v. 27.

D. Ambr. hic.

7. Vult Christus Dominus, ut omnes fideles veniant, & ipsum quærant, uti dilucidè constat ex Evangelio: *Venite post me, Venite ad me*, Ioannem autem ipsemet quærit, ita ut hic Sanctus per excellentiam sit quæsitus à Deo, & hac prærogativa, sicuti plurimis aliis titulis, reliquos Sanctos antecellit. Appositè quadrat huic proposito locus quidam sacræ Paginæ, quem jam alibi ad alium finem expendimus. Convenerunt tres Reges, nimirum Rex Israël, Iuda, & Edom, qui, cum possent per nuntios accersere & advocare Prophetam Elisæum, ipsimet personaliter descenderunt ad quærendum eum: *Descendit ad eum Rex Israel, & Iosaphat Rex Iuda, & Rex Edom.* Ast quare ipsimet descenderunt, & non miserunt nuntios quærit magnus Abulensis, & accommodè ad rē nostram respondet: *Non miserunt ad vocandum illum, ut veniret ad se, sed descenderunt, ut per hoc honorarent ipsum.* Si fuisset quispiam alius Propheta, inferioris classis, vel Sanctus duodenalis, ut vulgò dicitur, mandassent ipsum accersiri, verùm Prophetam superiorem cæteris, tam eminentem virtute, tamque celebrem sanctitate, æquum erat, ut Reges isti illum potiori honore afficerent, & ipsimet ad visitandum eum descenderent. Si Christum Dominū alius quispiam Sanctorum, aut eius servus inferioris Ordinis, & paris dignitatis cum aliis baptizare debuisset, non dubito, quin eum vocasset ad se (uti plures vocavit) & misisset ipsi nuntios, ipseque vocanti statim obtemperasset: cæterùm ad Sanctum, qui singularem constituit classem, teste S. Petro Damiano: *Vnus est & secundum non habet*, neque ponitur in numero cum reliquis, veniant tres Reges, veniat Filius Dei, unus & trini, personaliter ad quærendum, & singulariter eum honorandum: & quamvis illa actio videatur indecens & indigna personæ illius, quod superior quærat inferiorem, attamen quia ille est Sanctus singularis excellens seu eminens gratia, & sanctitate, condecens est, ut etiam cæteris in honore, & beneficiis præferatur.

4. Reg 3 v. 12.

Abulens. hic quæst. 8.

D. Petr. Damian. serm. de hoc Sanct.

8. Sed quid mirum, quod modò quærat ad honorandum ipsum præ cæteris, quem anteà dudum quæsivit in utero Matris ad sanctificandū? Insignis est & Authore suo digna ponderatio S. Laurentii Iustiniani super ingressum sanctissimæ Virginis in domum Zachariæ, quando Deipara Virgo magnifica sua præsentia cohonestans humile tugurium, & casulam campestrem Zachariæ, illam in cœlum commutavit.

mutauit. Agnoscit Elizabeth cognata eius fortunatam suam sortem cum aduentu tantæ hospitis, contemplansque radium solis limina domus suæ penetrantem, elatâ voce exclamat: *Vnde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quandonam ego talem, tantumque promerui honorem? Quibus obsequijs potui deuincere mihi Matrem Dei ut me visitatione sua dignaretur? Siste, sancta sterilis, modò tamen maximè inter natos mulierum fæcundata, non capio, neque intelligo peregrinum tuum loquendi modum. Ecquid dicis? Nosti Deum ingredi domum tuam, & nequaquam attonita turbaris ad eius visitationem, & terret, obstupefacitque te Matris illius præsentia, & visitatio. Sanè, barbara, & agrestis, errorem, & solœcismum in dictis tuis committere videris. Quare non dicis, unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Ecquando promerui tantum favorem, ut Dominus veniat, & visitet domum meam? Egregiè satisfacit huic dubitationi S. Laurentius Iustinianus: *Non inquit, unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me, sed signanter, ut veniat Mater Domini mei ad me. Non enim ad Elizabeth Christus, sed Maria in montana eamdem visitatura perrexit: Venerat autem ad Ioannem Christus in Matre, &c.* Quasi apertius diceret: Cognouit Elizabeth à spiritu sancto illuminata visitationem Christi non ad se, sed ad Ioannem dirigi, eumque solum esse tanto honore condignum. Nonne Elizabeth erat sancta, & uti talis canonizata: *Incedentes in mandatis Domini sine querelâ*, & iam actu Spiritu sancto plena; *Repleta est Spiritu sancto*? Maximè, imò idcircò cognoscit, quòd esse Sanctum à Deo visitatum, sit priuilegium singulare soli Ioanni filio suo concessum, quodq; Deus non dedignans eum tunc quærere, videatur eum obligare ad tantumdem præstandum, ut videlicet, postposito omni honoris puncto, Christum vicissim hodierna die honoret, vel baptizando eum, vel illum mundo, tamquam verum Agnū Dei, manifestando: quemadmodum pulchrè subiungit idem sanctus Patriarcha: *Propterea eruditus in spiritu, illum ostendit digito, baptizauit in alueo, prædicauit populo.* Et hoc sonant verba S. Euangelistæ: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.*

D. Laur. Iustin. serm. de Bapt.

Luc. 1. v. 6.

Ecce Agnus Dei.

CONSIDERATIO II.

Ex urbana comitate, qua Christus, & Ioannes se mutuò excipiunt, colligitur æqualitas, quam inter se se habent.

1. Dum monstrans Ioannes Christum, eumque Agnum Dei indigitans, manifestè ostendit, quòd, uti diximus, licèt Dominus venerit ad quærendum, & honorandum eum hoc singulari, & inusitato modo, etiam venerit ad conciliandum sibiipsi famam, & honorem per Ioannem. Non minima, sed maxima est hæc Ioannis prærogatiua. Christus, & Ioannes reciprocas sibi rependunt vices honoris, & unus alterius alternatim studet honori, & famæ, &, tamquam si fidissimi amici, unus alteri vicissim authoritatem, & æstimationem conciliat. Quod officij genus, iuxta doctrinam Sanctorum, non nisi inter æquales reperiri solet; & quia unus alterius partes, & caussam agit, & inuisit Christus Ioannem, & vicissim Ioannes Christum, haud dubiè inter Christum, & Ioannem aliqua paritatis, seu æqualitatis ratio inuenitur. Subsignat S. Chrysostomus hunc discursum, ponderans verba illa, quæ Ioannes Christo respondit: *Ego à te debeo baptizari.* Verba autem Chrysostomi hæc sunt: *Ostendit, quia Christus posteà baptizauit Ioannem.* Ex quibus infert, quòd nedum Ioannes Christum, sed etiam Christus Ioannem baptizauerit, ac proinde in æstimatione hominum videntur ambo æquales: maxima sanè excellentia, quæ siue in cœlis, siue in terris dari potest. Magister erat Christus, & Ioannes Discipulus, nam etiam Sancti veteris Legis, iuxta saniorem Theologiam, eodem titulo ante ipsum gauisi fuerunt: verùm cùm amor soleat unire, & assimilare extrema, quæ amantur, amor, qui erat inter utrumque, adeò eos æquales reddidit, ut ambo viderentur Magister, & Discipulus, & nunc hic, nunc ille alternatim utrumque subiret officium.

Matth. 3. v. 14.

D. Chrysost. hom. 4. in Imperfect.

2. Insigni quadam ponderatione eminentissimi Cardinalis nostri Caietani rem planius elucidabo. Ingeniosè obseruauit doctissimus Caietani calamus, S. Paulum Doctorem gentium in plurimis Epistolis seipsum plerumq; Apostolum nuncupasse, uti videre licet in ijs, quas Romanis, Corinthijs, Galathis, Ephesijs, & alijs

aliis destinavit: *Paulus Apostolus &c.* in iis verò quas nomine suo, & dilectissimi Discipuli sui Timothei scripsit Philippensibus, Thessalonicensibus & Philemoni, nequaquam se Apostolum indigitasse, quemadmodum clarè patet in Epistola ad Philippenses, in qua, mutato stylo, seipsum solummodò Paulum nominavit: *Paulus, & Timotheus servi Iesu Christi,* & ad Philemonem: *Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater*: Si illustraverit vestibulum quarumdam Epistolarum hoc eximio titulo Apostoli, cur non adornavit exordium cæterarū hoc eodem inclyto cognomine? In solo Commentario Cajetani solutionem hujus difficultatis comperiemus. Plurimum diligebat Paulus Timotheum, tam propter singulares ejus virtutes, quam etiam propter sedulam opem, quâ in prædicatione Evangelii eum adjuvabat, non erat Timotheus Apostolus sicut Paulus, & existimabat se injuriam facturum amori, cujus munus est æquales facere amantes, si Apostolicam ostentaret dignitatem, adjunctus dilectissimo suo, qui ea dignitatis excellentia carebat. Vnde egregiè gentilis Poeta Ovidius:

Ad Philippens. 1. v. 1.

Ad Philemon. v. 1.

Ovidius.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur,
Maiestas, & amor.

Prætereantur igitur & intermittantur omnes tituli, & apices honoris, sintque Paulus & Timotheus pares honore, hoc enim exigunt leges charitatis, qua se invicem arctissimè complectuntur, & prosequuntur. Si perscrutati fuerimus in Evangeliis, quisnam per antonomasiam sit amicus Christi, comperiemus, divinum Baptistam hoc speciali gaudere titulo, & honore, siquidem id sonant verba illa: *Amicus sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocē Sponsi* Quæ nedum passivè, sed etiam activè intelligenda sunt, quoniā inter Christum, & Ioannem mutua versatur amicitia. Posita hac veritate, tamquam certa, æqualitas inter illos (in sensu dicto) infallibilis esse debebat, necessarium enim est, amorem vires suas exercere, & æqualitatem inter amantes componere, ideòque in eodem paralello ponitur Messias, & ejus Præcursor, quemadmodum pulchrè adnotavit Guerricus Abbas, accōmodans Christo, & Ioanni verba illa, quæ Sponsa de Sponso gloriatur in Cantico amoris sui: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*: dum has subjunxit voces: *Ioannes Iesu, & Iesus Ioanni: Ioannes Iesum prædicat, Ioannem*

Ioann. 3. v. 29.

Cant. 2. v. 16.

Guerric.

Iesus commendat; par pari redditur, & tam amica, quam justa vicissitudine charitas invicem provocatur, aut remuneratur. En, quomodo sibi invicem vices amicitiæ, & reverentiæ rependunt. ser. 4. de Baptista.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Paraphrasis horum verborum communiter recepta, ita sonat, quasi nullus in cœlis possit coæquari Christo, & tametsi etiam justissimi nubes conscendant, nullatenus tamen illi æquales fient. *Quis in nubibus æquabitur Domino?* Ac si diceret, etiam postquam nubes conscenderint, inferiores sub pedibus illius erunt, & non solum hoc, sed etiam *in filiis Dei*, quia nullus Angelorum, qui sūt primogeniti filii ejus, poterit assimilari Deo aut ejus Filio incarnato: Hæc communis est expositio hujus versus Davidici, quamvis idem Guerricus aliam instituto nostro accommodā excogitaverit, ait enim, quod qui in nubibus aut aquis fuerit æqualis Domino, ille erit inter justos & filios Dei similis ipsimet Deo. Ecquis est iste adeò felix & fortunatus? *Hæc utique illa magnitudo Ioannis fuit.* Quis, inquam, in nubibus, aut aquis par fuit Domino, nisi Ioannes Baptista? sive per nubes intelligamus eas, quæ è cœlis descenderunt, eosque obumbrarunt, sive ipsas aquas in nubibus designatas, dum unus ab altero baptizatur. Evidens argumentum, quod ipse inter filios Dei, sive homines sive Angelos maximè emineret, solus enim Deus est illi similis, & ipse solus per excellentiam Deo æqualis.

3. Psalm. 88. v. 7.

Guerric. serm. 3. de Baptista.

4

Hoc adeò verum est, tantique Deus æstimat testimonium propheticum Ioannis, ut quodammodo illud sapientiæ suæ Divinæ æquiparet. Audite insignem ex aureo Chrysost. ore ponderationem. Erat sanctus Andreas discipulus Baptistæ, ejusque lateri adhærebat, quando Sanctus Præcursor hæc protulit verba; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & continuò Andreas secutus est Christum, absque eo, quod Dominus illi aliquod suæ divinitatis specimen exhibuisset. Abiit Andreas, occurrens germano suo fratri, eum illicò adducit ad Christum, auditque ex ore ejus admirabiles illos eventus futuros, quos sola infinita Salvatoris sapientia assequi poterat. *Intuitus eum Iesus, dixit, tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Tu es filius obediens columbæ, id est, Spiritus S. ad hunc enim sensum plures cum S. Hieronymo exponunt

Ioannis 1. v. 29.

Ioann. 1. v. 42.

D. Hieron. hic. nunt hæc verba: *Et filius Iona, scilicet columba* illius, nempè, quæ in Iordane super caput Redemptoris descendit, vocaberis aliquando Cephas, quod interpretatur Petrus, erisque Petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam, ubi eleganter S. Chrysostomus: Si Dominus Petro tam evidens suæ sapientiæ, & divinitatis præbuit testimonium, cur non eamdem, aut æquivalentem fecit demonstrationem fratri illius Andreæ? Dicam, inquit aureum os: D. Chrysost. hom. 18. in Ioannem. *Quoniam ille Ioannis habuit testimonium, non parvi ad fidem momenti*; hocque testimonium Ioannis efficax, & potens quæ commovere cor Andreæ, ad credendum & confitendum & adorandum Christum, tamquam verum Deum. Sequatur igitur Andreas Salvatorem, quia verba Ioannis demonstrantis, Christum esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, tanti ponderis & momenti sunt, ut supervacaneum sit Salvatorem aliquod de se ferre testimonium ut autem Petrus, qui neutiquam audivit Ioannem, Christum agnoscat, eique fidem præbeat, necesse est, ut Salvator ipsemet ei futuros eventus prædicat, & efficaciter suorum verborum, suæque infinitæ sapientiæ vim & effectum testimonio Ioannis coæquet, & opponat. Nonne videris, quot mediis satagit cœlum ostendere, quod inter Christum & Ioannem summa reperiatur æqualitas & similitudo?

5 Adducit ad confirmationem hujus doctrinæ doctus Barradius insignem observationem Basilij Magni, exponentis verba Psalmi Davidici: Psal. 28. v. 3. *Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit*, quorum sensus litteralis hic est: Deus cum majestate exaltat vocem suam, & cuncta ad ejus nutum fiunt, *super aquas multas*, tametsi abundantes aquæ, & copiosi imbres decidant è cœlis, si Dominus verbulo jubeat, aut paulisper vocem exaltet, illicò tonitrua replent aërem, nubes condensantur, fulgura coruscant, fulmina è cœlis vibrantur, gravidæque nubes in pluviam dissolvuntur, & admirandi in cœlis effectus producuntur. Hæc litteralis est expositio horum verborum, juxta Episcop. Carcer. Paraphrasten nostrum Hispanum. Verum S. Basilius Magnus autumat, Davidem in sensu Prophetico locutum fuisse de vocibus, quæ auditæ fuerunt in Iordane, videlicet, de voce æterni Patris, & Ioannis Baptistæ: Basil. ud Barrad. *Vox verbi super aquas Iordanis fluvii Ioannes erat baptizans; illic & Deus maiestatis intonuit: Venit enim vox de cœlo, dicens, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Itaque vocem Domini super aquas Ioannem interpretatur, & per Deum majestatis intonantem, vocem Patris æterni intelligit, quæ consonabat voci Ioannis; ars namque musica exprimit uniformitatem vocum, quando una vox est unisona alteri, auscultate ergo vocem Patris è cœlo, & vocem Ioannis in mundo, & mox audietis consonantiam utriusque, quia substantialiter idem sonat vox Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, & vox Ioannis: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, idemque omninò est, esse Filium Dei, ac tollere peccata, quia nequaquam potuisset purificare sordes peccatorum nostrorum, nisi Deus fuisset, & infinitè æterno Patri placuisset. ex hac namque causa talis processit effectus. Talem igitur consonantiam cantat vox Verbi, quæ est Ioannes, *ego Vox*, cum voce Patris æterni, quod una non sit magis altisona, quam altera, ut ambarum musica unisona fiat, & æqualis.

[tom 2. Concord. Evang.] [Matth. 3. v. 17. Ioan. 1. v. 28.]

Et si mutuam urbanitatem inter Christum, & Ioannem notaverimus ad hunc enim modum explicat Abulensis verba illa: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me, &c. Dici potest quod Ioannes dixit hoc ex urbanitate*, reperiemus insignem discursus nostri confirmationem, quia certum est, quod urbana comitas, ut sit rationi consentanea, debeat esse inter æquales, haud enim moris est, quod superior inferiorem magna comitate excipiat. Egregiè ad rem nostram hoc observavit doctissimus Lyranus in loco illo sacræ Paginæ, quando Deus noster sub specie trium peregrinorum dignatus est hospitio excipi in domo Abrahæ, ubi illis mensæ assidentibus, sanctus vir famulantium more, mensæ assistebat *Stabat iuxta illos*, &, Gene. 18. v. 8. tricliniarii fungens officio, convictoribus ministrabat. Considerat enim Lyranus in hac corporis positione stantem, dum Deus, seu peregrini illi manducantes, mensæ accumbunt, loquitur in hæc verba: *Ipsis recumbentibus, ipse* Lyran. hic. *stabat iuxta eos, quasi non audens considere cum eis, nec etiam illi ipsum ad hoc invitabant. Quæ omnia attenta dignitate Abrahæ, & eius senectute, irrationabiliter fierent, nisi hæc apparitio esset sibi repræsentativa divinorum*. Ait protinus ubi Deus, & homo extrema tam inæqualia & distantia conjunguntur, nullum habet inter illos urbanitas locum non enim debet contendere Mechanicus cum Nobili, quis eorum primus debeat capere sedem, neque Nobilis cum

Rege

... vestibulum portæ, quis eorum sit prior ingressurus, sed inter duos magnates aut dominos paris conditionis, rectè talis contentio admittitur.

Monebat quondam Philippus Rex Macedonum filium suum Alexandrum Magnum, ut adiret stadium, seu ludos Olympicos, & unà cũ aliis de cursu certaret: at respondit filius, si eò concurrerent Reges, vel alii meæ conditionis, & paris animi mecum, libenti animo congrederer, verùm ubi plebs catadromum ingreditur, potius damnum, quàm lucrum acquiritur. Iudicabat hic Princeps, se notam injuriæ majestati suæ inurere, si consentiret homines minoris fortunæ, aut imparis conditionis secum in stadio concurrere, ideòque noluit, ut aliquis dispar meritis suæ personæ, in externo apparatu sibi æqualis videretur. Hinc colligitur ex hac doctrina unum ex maximis elogiis Sancti Ioannis, quod Christus ipsum adeò sibi coæquaverit, ut ad januam cœli, puta Baptismum, ambo subsistentes, inter sese mutua quadã æmulatione contendant, quis eorum prior sit ingressurus, quasi Ioannes non foret minor Christo, nec Christus major Ioanne. Nescio quid de puro homine excellentiùs dici queat, quàm quod, Deo ipso ad pedes Ioannis prostrato, sine ulla inurbanitatis nota, ambo inter sese disputent, uter eorum ab alio prior baptizandus foret. Manifesta indicia, uti diximus in principio hujus Considerationis, quod inter utrumque detur quædam quasi æqualitas, quodque in hunc modum unus alterum visitaverit ad conciliandum, & stabiliendum mutuam utriusque authoritatem, & æstimationem. *Vidit Ioannes &c.*

Venientem ad se.

CONSIDERATIO III.

Debet Christus partim sancto Ioanni æstimationem, & authoritatem suæ personæ.

1. Diximus obiter in præcedenti Consideratione, Christum Salvatorem nostrum quæsivisse Sanctum Ioannem, ut ipsius testimonio suam apud homines confirmaret opinionem. Non mea, sed magni Patris Augustini est hæc meditatio. Considerat sanctus Doctor magnum Baptistam digito monstrantem humani generis Redemptorem, dum eum agnum Dei, peccata mundi tollentem appellat, atque in hæc verba: *Tamẽ, quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit, unde videretur, ipsa lucerna Ioannes erat.* Tamquam diceret, nullam vult Christus habere authoritatem, nisi per Ioannis testimonium corroboretur, & ad depellendas obscuras noctis ignorantiæ tenebras, quibus homines in cognitione Messię erant involvendi, propter obscurum velamen humanitatis, quo obtegebatur, accendit sua majestas hanc lucernam Ioannis, ut ipse expellens tenebras, tollensque confusum mundi Chaos, ipsum cunctis revelet, & manifestet. Alludit sanctus Præsul, ad regii vatis prophetiam, ubi describens Regnum Salvatoris, illudque à splendore & majestate impensiùs commendans, quod toti mundo splendorem, & illustre decus conferret, affirmat, quod lucernam paraverit Filio suo: *Paravi lucernam Christo meo*, quæ juxtà declarationem ipsius Christi, nulla alia fuit, nisi Ioannes Baptista, *Ille*, inquit, *erat lucerna ardens & lucens* estque hæc omnium Sanctorum Interpretum unanimis, & concors expositio. Verum quidem est, quod postquam Christus Sol divinus calore, & radiis divinitatis suæ cœpit caliginosas dissipare nebulas, quibus mundus erat offusus, & splendore vitæ, ac doctrinæ suæ illuminare homines protinùs lucerna illa propter profundissimam humilitatem suam retraxit radios luminis sui, quemadmodũ verba illa apertè testantur: *Illum oportet crescere, me autem minui*, attamen toto illo tempore, quo obscuritas & confusio dominata fuit, haud dubitandum est, quin Baptista præbuerit lumen soli, cum mundo manifestans, & honorans, fuit namque occasio, cur Christus Dominus in honore, & pretio haberetur.

D. Aug. Tract. ... in cap. 1. Ioan.

Psal. 131. v. 17.

Ioan. 5. v. 35.

Ioan. 3. v. 30.

2. Cùm sanctus Augustinus hunc nobis suggesserit discursum, æquum est, ut etiam probationes ejus ab illo mutuemur, & facili negotio eas reperiemus in doctrina ejus, qui ingenii sui acumine omnia perlustravit. Depingebat regius Propheta absolutissimum imperiũ, quod Verbum incarnatum, seu Dei Filius habiturus erat in mundo, quando inter cætera hæc protulit verba: *Et dominabitur à mari, usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Ac si diceret, erit Dominus absolutus, flumina, montes, & colles cunctaque creata ejus obsequentur imperio, neque ullus

Psal. 71. v. 8.

erit in terris, qui ejus voluntati contradicat. Hic est sensus litteralis horum verborum: verùm magnus Ecclesiæ Doctor Sanctus Augustinus altius meditatur arcana horum verborum, asseritque Regium Vatem hisce vocibus spirituale Regnum Messiæ super animas nostras delineasse, & prophetico spiritu prædixisse possessionem, quam earum accepturus erat in flumine Iordanis, dum a S. Ioanne baptizaretur: *Et dominabitur, &c.* ubi eleganter Sanctus: *A flumine quippe dominandi sumpsit exordium, ubi baptizatus est à Ioanne.* Aquarum Iordanis recordabatur David, quando prophetice de flumine loquebatur, ubi Christus cœpit regnare, baptizatus a Ioanne, qui eum discipulis monstravit, tamquam verum magistrum audiendum, & legitimum Messiam adorandum. Regnum quidem jure ipsi competebat, sed subditi nondum ipsum agnoscebant. Ioannes igitur effecit, ut possessionem eorum caperet, quod idem fuit ac si Regnum illi denuò contulisset: *Eodem monstrante cœpit agnosci*, concludit Sanctus Doctor. Nullum est dubium, quin statim ac Baptista eum introduxit, mox cœperit regnare: *A mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarũ*, ac proinde negari nequit, quin Christus propter tot tantaque obsequia plurimum sit Ioanni devinctus, & quod ipsi quodammodo debeat æstimationem suæ personæ, qui est scopus hujus nostræ Considerationis.

D. Aug. lib. 17. de civit. Dei c. 8.

3. Valdè torquent ingenia Interpretum verba illa Psalmi: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ passim omnes de Christo Salvatore nostro interpretantur, verùm tamen communior explicandi modus est, Dominum hic loqui de sua temporali generatione, quando humanam naturam assumpsit, & addere *hodie*, quia quemadmodũ novus hic dies exoritur sine novo sole, & nova luce, & tamen hoc die quasi noviter eadem lux apparet, & perlustrans nostrum hæmisphærium, novam efficit diem, ita adventus Filii Dei in carnem, qui est ipsemet Sol, eademque lux æterni Patris, prodiit incarnatus, & apparuit verus, & novus homo Sanctus Chrysostomus exponit hoc verbum, *hodie genui te* de die Resurrectionis Iesu Christi, ac proinde hunc reddit sensum: idem est, ac si hodie nascereris, sicuti dicere solemus, quando quispiam è magno & periculoso discrimine liberatur, illum quodammodo renasci, & dicitur de Christo quod superata jam passione, & triumphata morte, re... gens, jam quasi denuò nascatur; quamvis enim per incarnationem natus fuerit in mundo, id fuit ad moriendum, sed quod fuerit renatus per Resurrectionem, fuit ad sempiternè vivendum, quia, *vivit Deo*, ideoque existimare potest se genitum fuisse in die, quo fuit resuscitatus.

Psalm. 2. v. 7.

D. Chrys. apud Carcerem hic.

Bellæ sunt hæ explicationes, sed ad propositum nostrum declarat hunc versiculum S. Hilarius de Baptismo Redemptoris nostri: *Scriptum est autem*, inquit Sanctus, *cum ascendisset ex aqua Filium meum, ego hodie genui te.* Alludit S. Præsul ad verba, quæ Pater æternus declarans Christum esse Filium suum dilectissimum, protulit: *Ego hodie genui te*, existimatque sensum illum a Propheta fuisse intentum; ita ut Christus Dominus tunc dicatur genitus, seu natus, quando a Ioanne fuit baptizatus. Luculentius hoc ipsum, licet paucis, egregiis tamen verbis, perstrinxit S. Augustinus, quia vocat Christum Salvatorem, non solum hodie baptizatum, sed etiam renatum: *Hodie natalis quodammodo est Salvatoris*, id est, hæc dies est quasi secunda nativitas Salvatoris. Manifestationem appellat Sanctus, nativitatem, quasi Filius Dei non foret contentus nativitate, qua ex Matre prodiit in mundum: *Natus ex Maria Virgine*, nisi etiam, nostro modo intelligendi, aliquatenus ex aquis, & baptismo Ioannis renasceretur. Quapropter, si rectè animadvertantur, inquit S. Augustinus, eædem circumstantiæ, quæ intervenerunt in nativitate Christi ex Matre, etiam competienter incurrisse, dum fuit à Ioanne baptizatus. Spiritus enim sanctus, qui astitit in visceribus Virgineis, *Quod natum est in ea, de Spiritu sancto est*, hodie præsentià sua Iordanem cohonestat: *Descendit Spiritus sanctus*, Et ille, quem ille peperit Virgo, hic aquas sanctificat, & qui ibidem virtute sua Virginem obumbravit. *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*, hic è nubibus clara voce intonat: *Et ecce vox de cœlis, &c. Et quasi maturiori consilio, qui tunc umbrà præstitit nativitatis, modo veritati perhibet testimoniũ, hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene coplacui.* Siste gradum, ô sancte Euangelista, absurdus enim videtur tuus loquendi modus. Et quando enim non fuit gratus æterno Patri Filius, aut quando non complacuit sibi Pater in illo? Qui igitur affirmas, audicam fuisse vocem Patris è cœlo maximè sibi complacentis in eo dum à Ioanne baptizare-

D. Hilar. in Psal. 2.

D. Aug. serm. 36.

Symbol. fidei.

Matth. 1. v. 20.

Luc. 3. v. 22.

Luce 1. v. 35

Matth. 3. v. 17.

tur? Videor mihi audire sacros Historicos, seu ipsum Patrem æternum, respondentem: quòd tametsi semper sibi complacuerit in Filio suo dilectissimo, tam propter generationem æternam, quando per actum notionalem paterni intellectus fuit genitus, quam propter temporalem, quando ex V. Matre fuit natus; porro tunc demum sibi absolutissimè complacuisse in illo, quando vidit eum non solùm ex visceribus Matris nascentem, sed etiam ex aquis Ioannis renascentem. Et ne videatur exoticus hic discursus, accipite sententiam S. Augustini has duas Redemptoris nostri nativitates inter se cõferẽtis, & ex ea dilucidã intenti nostri confirmationem elicietis. Si ex me quæsieritis, inquit S. Doctor, quænam istarum fuerit excellentior, an nativitas in præsepi Bethlehemitico, aut regeneratio baptismi in Iordane: Incunctanter assevero, *Præclarior est hæc nativitas, quam prima.* Dura sane apparet prima fronte hæc propositio, imò & censuris digna, quia videtur non parum derogare authoritati & devotioni sanctissimæ Virginis: Ast Sanctus facili negotio rationem dictorum suorum reddit, & non minùs gravi, quàm prudenti responso huic dubitationi satisfacit, quia nimirum prima nativitas fuit occulta, & in tenebris peracta, Dominus namque in illa fuit absconditus, in hac autem secunda fuit divinæ vocis præconio manifestatus, illa præbuit occasionem suspicandi, quòd esset filius Ioseph, in hac verò declarat eum Pater æternus Filium suum, In prima potuit illibata Virginitas Matris esse obnoxia suspicionibus, quia incognitus erat pater Filij ipsius: & in hac cælum ipsum attestatur, Patrem ipsius non esse hominem, & consequenter Matrem Virginem ipsum peperisse. Omnia hæc bona comparavit & contulit Christo Baptismus Ioannis, & profũda obedientia, qua se illi subjecit, maximos ei peperit honores: quemadmodum etiam solemne illud testimonium, quod sanctus Præcursor in commendationem illius personæ protulit, siquidem induxit eum in possessionem Regni animarum.

D. Aug. cit.

5. Magna ponderatione dignum est illud factum Christi Salvatoris, quando ingressus Tẽplum Ierosolymitanum, & videns abominanda sacrilegia, quæ tum vendendo, tum emendo in eo perpetrabantur, animadvertensque sacrorum prophanationem, & reverentiam Dei præsentiæ, & cultui debitam, audaci insolentia protritam, sacro attestante Euangelista, totus divino zelo inflammatus, intrepida manu, cœpit flagellis ejicere ementes, & vendentes. Conveniunt unanimiter sacri Doctores, quòd in hoc opere maximè omnipotẽtia, & maiestas Redemptoris eluxerit, quia factum adeò heroicum solus Deus præstare poterat. Quis enim hominem, solus, inermis, tot, tamque potentibus inimicis undique cinctus, solis viribus humanis fretus, simile quid adoriri, aut tentare præsumeret; Ecquis eorum evaderet manus, nisi Deus. Hoc generosum facinus tantum stuporem incussit æmulis Christi, inquit sacer Euangelista Matthæus, ut accesserint, eumque interrogaverint: *In qua potestate hoc facis*: Quibus Dominus, vicissim interrogans, respondit: *Baptismus Ioannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus?* Quis umquam tam peregrinum audivit respondendi modum? Certè videtur responsio exotica, & nequaquam proposito quadrans. Probè novi Sanctũ Augustinum, existimare Dominum, illos, tamquam indignos audire divina mysteria, dedignatum fuisse formali responso, sed quæstionem eorum pari quæstione refellisse, quo pacto magis confusi redderentur: *Quoniam autem, non erant digni audire talia mysteria, propterea nõ dat eis responsum, sed è contra interrogat.* Rectè excogitatum. Sed salva tua veniâ, ô mi Redemptor, liceat mihi te interrogare. Nonnè intentum tuũ est, probare, te verum esse Filium Dei. Nonnè scopus tuus est, ut te, talem agnoscant & venerentur: Quorsum igitur inferis, & in memoriam revocas Baptismum Ioannis. Fateor ingenuè, me non capere mysteriũ, magis quippe formale, & appositum foret responsum, si tacitus, prætermisso Baptismo Ioannis, solius vocis paternæ meminisses, quæ te verum Filium suum acclamavit: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* vel Spiritus sancti, qui in specie columbæ capiti tuo insedit: *Descendit Spiritus sanctus, sicut columba*, quo manifestè te eumdem esse comprobares. Verùm baptismus Ioannis, quid confert fini à te intento: Huic dubitationi plures possunt assignari rationes, sed ea, quæ menti meæ occurrit, (nisi alius quispiam prius illam excogitaverit) hæc est, quòd cum Dominus vellet, tamquam legitimus Dei Filius, ostendere se habere authoritatem, ad defendendum honorem Patris sui, noluit ad hoc allegare vocem Patris, neque apparitionem Spiritus Sancti, sed solã prophetiam Ioannis, & solidissimum

Matth. c. 21. v. 23.

D. Aug. in catena D. Thom. hic.

Matth. 3. v. 17.

mum illius testimonium, quod in Iordane pronuntiaverat, quasi vaticinium, & testimonium Baptistæ maioris fuisset roboris, & virtutis ad persuadendum, Christum esse verum Dei Filium. Ecce quantum dependet æstimatio, & authoritas Christi, à testimonio Ioannis. Quid igitur mirum est, quòd eum ex industria quæsiturus veniat, cum sua tantùm interesit: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se &c.*

Ecce Agnus Dei, &c.

CONSIDERATIO IV.

Est excellentissimum Baptistæ elogium, quod cœlum demonstret ipsum non esse Christum, ne mundus, circa personam ipsius hallucinans, crimen idololatriæ incurreret.

1. SOlus hic Dominus (inquit S. Ioannes, digito monstrans Christum Redemptorem nostrum) tollit peccata mundi. Ne vos inanis fallat opinio, neve hallucinemini in me, jam sæpius dixi vobis, me nullatenus simili esse præditum virtute, neque me esse Messiam, tametsi enim baptizem, solummodo in aqua id præsto, ut vos disponam, & præparem ad recipiendum Dominum, qui in Spiritu sancto baptizabit. Hic est, de quo dixi vobis, quod medius vestrûm stabat, & me maior erat; cuius non sum dignus corrigiam calceamentorũ solvere. Quod aliquoties dixi verbis, modo digito demonstro, ut tandem aliquádo, expurgata oculorum acie, ipsum, uti verum Dominũ, & me, tamquam humilem eius servum, & creaturam agnoscatis: *Hic est de quo dixi, &c.* Equis scopus sancti Ioannis in tam prolixo, & exacto discursu: Meâ quidem sententiâ, duo voluit persuadere, primum manifestare, quòd Christus esset verus Messias, & alterum probare, quòd ipse non foret Christus. Res sanè adnotatione digna, & maximum elogium, quod de Ioanne prædicari potest, videlicet, ipsum esse sanctum, de quo necessarium fit affirmare non esse Deum, idque rationibus convincere, ne hominum devotio circa ipsum idololatriæ crimen committat. Omnia hæc necessaria sunt ad distinguendum Christum à Ioanne Baptista, tanta enim fuit sanctitas, & authoritas quam sibi præcursor in mundo acquisivit.

Inquirit Angelicus noster Doctor S. Thomas, quam ob causam sanctus Ioannes nulla patraverit miracula, assignatque rationem, ut aliqua inter Christum, & ipsum differentia daretur: *Si Ioannes fecisset signa, homines ex æquo Ioanni & Christo accessissent: & ideò ut homines principaliter Christo intenderent, non est datum Ioanni, ut faceret signum.* Videtur insinuare Angelicus Præceptor, quod antequam miracula ederet, erant ambo adeò similes, Christus & Ioannes, ut vixdum aliqua inter illos differentia reperiretur, ideòque necesse fuerit unum signa facere, alterum verò nequaquam, ut saltem in eo mundus claram aliquam diversitatem inter eos dignosceret. Erant miracula signaculum, & confirmatio veritatis Messiæ juxta Prophetæ vaticinium: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Si itaque Ioannes habuisset hoc sigillum, ægrè potuisset mens humana discernere, quis eorum tali felicitate gauderet, & idcirco caruit hoc miraculorum privilegio, alioquin signa illa confusionem quemdam peperissent in notitia, & modo dignoscendi verum Messiam. — 2. — D. Thom. 3. p. q. 38. art. 2. — Isaia 35. v. 5.

Attonita mente obstupescit S. Petrus Damianus, considerans singulare privilegium Ioannis, quod Dominum servus baptizet: *Tibi, ô Ioannes, datum est, quod omnibus est negatũ, baptizare eum, qui baptizat in Spiritu sancto, & igne, Virginemq; Virginis Filium virgineis manibus tractare. Totus stupeo baptizantis hominemq; Dei Magistrum revereor, dignantem admiror, veneror dignationem, &c.* Plurimùm admiror, quod solus Ioannes inter omnes creaturas, tam Angelicas, quàm humanas, tanto donatus fuerit honore, & dignatus, ut promeruerit baptizare eum, qui cunctos baptizat, & fieri Magister ipsius Dei, & manu sua supremum Dei verticem contingere. Meritò extollit Sanctus hanc singularem actionem, videtur enim ipsi Ioannes in illa quoddam Deitatis, seu divinitatis specimen præbere; ibi enim superponit manum, ubi Deus ipse suam extendit. Ad intelligendum autem emphasim conceptus, & cognoscendum causam stuporis, quo Sanctus admirabundus in ea verba prorumpit, operæ pretium est, meminisse, Spiritum Sanctum in sacris Litteris appellari digitum Dei, quo etiam titulo S. mater Ecclesia indigitat: *Dextera Dei tu digitus,* sed hic quem locũ hodie occupavit in Iordane? *Descendit sicut columba in ipsum,* recubuit super caput Salvatoris, ita ut manus Ioannis — 3. — D. Petr. Damian. de S. Baptista. — Hymnus de Spiritu Sancto.

Ioannis eò ascendat, quò digitus Dei descendit, ut manus amborum, Dei, & Ioannis, æquales fiant. Nonnè hæc sunt quædam diuinitatis indicia? Ne ergò mundus hallucinetur, & attribuat Ioanni quidpiam iure indebitum, necessè est, ut cœlum, eodem tempore, publico præconio attestetur, Christum esse Messiam, utque idem digitus, seu manus Dei, quæ descendit ad honorem Ioannis, ipsum sibi adæquando, unà sit, veluti quædam admonitio circa personam Ioannis, quâ singulariter designetur Christus, & non Ioannes, esse Messias.

4. Perpulchrè obseruauit sanctus Hieronymus, duos illos comites, Moysen, & Eliam, qui apparuerunt cum Christo in transfiguratione, ubi tantus fuit eius splendor, ut solem æmulari, & superare videretur, ambos fuisse participes eiusdem claritatis: *Iusti fulgebunt sicut Sol.* Peractâ autem hac breui gloriæ manifestatione, & auditâ paternâ voce, disparuit omnis gloriæ splendor: *& neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Moyses, & Elias disparuerunt, & Iesus solus remansit. Non mihi placent hi sancti viri, comitantes enim Dominum in gaudio, & fruitione gloriæ, mox ut illa disparuit, eum deseruerunt; certè videtur eorum amicitia nimis mundana, & inconstans. Verùm sanctus Hieronymus eorum causæ patrocinetur, & ostendit, quòd nedum conueniens, sed etiam summè necessarius fuerit eorum recessus: *Quod rationabiliter factum est, ne, si Moyses, & Elias perseverassent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium.* Res ita se habuit, cùm Moyses, & Elias adeò similes apparerent Christo in gloria, & splendore, durante claritate diuina, non habebant Apostoli aliquod signum differentiæ ad distinguendum illos. Præcepit eis statim vox de cœlo, ut Christum, tamquam Magistrum, colerent, & venerarentur, *ipsum audite:* Porrò si duo illi Prophetæ remansissent cum Christo, ignorassent Apostoli, quem Pater allocutus fuerat, erant siquidem adeò splendidi, & refulgentes, ut quilibet eorum diuino testimonio æquè dignus haberetur. Disparéat igitur Moyses, & Elias, ut, remanente Christo solo, Discipulis omnis ambigendi, & dubitandi occasio auferatur.

Matth. 13 v. 43.

Matth. 17. v. 8.

D. Hieron in catena D. Thom.

5. Philosophemur ex his cum eodem sancto Doctore circa vocem, quæ fuit in Iordane audita: *Hic est Filius meus dilectus,* & altiùs expendamus descensum Spiritûs sancti super caput ipsius; videtur enim supernacanea hæc secunda demonstratio, seu testimonium cœli, cùm paterna vox eum satis superque Filium suum declaret; sed, re diligentiùs examinata, apprimè conueniens, imò, & veluti necessaria fuit: *Sedit columba super caput Iesu, ne quis putaret vocem Patris ad Ioannem factam, non ad Dominum.* Ordinatione cœlesti dispositum fuit, inquit S. Hieronymus, ut audiretur vox illius in specie columbæ, & sederet super caput Salvatoris, & manifestaret eum esse, quem vox Patris prædicabat, quia si Spiritus sanctus non determinaret, & audientibus permitteretur libertas iudicandi, cuinam ex duobus facta esset vox de cœlo, plures magno Baptistæ nomen, & excellentiam Filij Dei attribuissent, ipsumque, veluti Deum, adorassent, & verisimilior ibidem fuisset deceptio, quàm in monte Thabor, nam hic exterior claritas Apostolorum erat extranea, & mutuò accepta, illic verò radij cœlestis luminis, veluti naturales, tamquam cum illo congeniti. Quapropter summè necessarium fuit, ut cœlum vigilanti curâ semper intenderet, operamque daret differentiæ, & inæqualitati amborum, ne Ioannes Christo similis omninò, aut æqualis reputaretur. Ad tam sublimem dignitatis gradum euexit Deus Ioannem, vult tamen palam facere mundo, Ioannem non esse Deum, quia nequit tollere peccata mundi: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.*

Matth. 3. v. 17.

D. Hieron. ubi suprà

6. Existimo ego, hoc in maiorem redundare gloriam Baptistæ, quàm honorem illum, quem Iudæi, cæca quadam passione præpediti, eum Messiam indigitantes, ipsi deferebant. Refert Tertullianus in suo Apologetico, quòd Gentiles, tamquam Deos, adorabant suos Imperatores, & hoc ipsum Catholicis persuadere adnitebantur, cùm tamen eos curru triumphali circumducerent, humanæ fragilitatis memores reddebant: *Respice, post te hominem memento te,* id est, recordare, Imperator, te mortalem esse hominem. Igitur, inquit magnus Tertullianus, non vocarem ego Imperatorem Deum, sed hominem, & arbitror me ipsum, hoc nomine, maiori extollere honore, ipsumque potiùs hoc titulo sibi gloriam conciliare: *Hic utique magis gaudet tanta gloria coruscare, ut illi admonitio sua conditionis sit necessaria.* Nonne maioris æstimare debet homo, se esse constitutum in statu adeò sublimi, & glorioso, ut necessaria sit ei admonitio, quòd sit homo, & non Deus, quia nequaquam est Deus? Ita sanè, quia

Tertul. in Apologet.

minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur, dicere enim quòd erat Deus, fictio, & mendacium foret, quod haud difficulter profertur: *Maior est, qui revocatur, ne se Deum existimet.* Hæc postrema verba egregiè instituto nostro deseruiunt, maior enim honos est homini, ut moneatur, quòd non sit Deus, quia signum est ipsum proximum Deitati, ipsumque esse primum à Deo, adeoque vicinum, & similem, ut cum illo competere videatur, nullumque post Deum, ipso esse meliorem. Christus est maior Ioanne, quia est Deus, & habet potestatem dimittendi peccata, Ioannes non est Deus, neque Christus, quia hæc virtus ei deficit, &, ut verbo dicam, est creatura Deo subordinata: ne quis ergò altiùs quidpiam de illo excogitet, sentiat, aut loquatur: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit, &c.*

7. *Episc. de Carcer. serm. de Baptista.*

Idem prorsùs examen instituit hodie cœlum in Iordane. Appositum est simile huic loco, quo utitur doctissimus quidam Episcopus ordinis nostri in Concione huius Festi. Idem omninò contingit hodiè, inquit hic præclarissimus Author, quod fieret, si modò miraculosè appareret novus Sol æquè refulgens, & huic Soli vicinus, & proximus in cœlo, (quemadmodum Authores non infimæ notæ aliquando accidisse referunt) certissimum est, quòd ægrè inter unum, & alterum Solem, etiam adhibito peculiari studio, & diligentia, distinguere valeremus, quodque opus esset Deum revelare, quis è duobus Sol naturalis, aut miraculosus foret. Pari modo contingit in his duobus mundi luminibus, quæ hodiè in Iordane apparuerunt: Christus, & Ioannes, unus erat Sol iustitiæ, cui debito connaturali lux, & splendor competit, secundus autem Sol noviter per miraculum productus, in quo voluit omnipotentia Dei maximum sanctitatis miraculum, & prodigium manifestare, quo nullum maius inter homines hactenus visum. Fuit S. Ioannes ipsummet miraculum, quapropter etiam, inquiunt Sancti, nequaquam opus fuit Ioannem miracula patrare, neque ullum fecit, quia sola ipsius persona, tamquam miraculum miraculorum, sufficiens erat. Ad distinguendum hos duos Soles, & discernendum, quis naturalis, & quis miraculosus esset, aperuit Deus cœlum, seu fenestram in illo, ut cunctis innotesceret, se velle fixo oculorum intuitu discernere diversitatem, & inæqualitatem amborum, & unicuique suum tribuere. Hinc demonstrans Christum, dixit: *Hic est Filius meus dilectus:* Et totum hoc fuit necessarium ad faciendam differentiam unius Solis ab alio, & opus fuit ut Sol miraculosus suos occultaret radios, quo verus, & naturalis suos extendere posset, & agnosci verus agnus Dei, cuius sacrificium, est unicum mundi remedium. Hanc emphasim continent verba illa: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Sancte & gloriose Baptista! etsi non fueris Christus, saltem eum digito demonstrasti, quamuis non fueris reputatus Messias, id fuit, quia noluisti, fateor, non dimisisti peccata, ad eorum tamen confessionem homines excitasti, non dedisti quidem gratiam, sed baptismo tuo ad eam disposuisti. Succurre ergò nobis, quia tua intercessione, & meritis vales apud Deum, impetra nobis ab ipso donum lacrymarum, baptismum pœnitentiæ, dispositionem ad gratiam, quæ est certum futuræ gloriæ pignus. *Amen.*




TRA-

TRACTATUS V.

IN FESTO INVICTI MARTYRIS S. SEBASTIANI.

Beati estis cùm vos oderint homines.
Lucæ 6.



CONSECRAT hodiè S. Mater Ecclesia solemne Festum insignissimo heroi gloriæ, & decori suo, fortissimo nimirum athletæ, inclyto duci exercituum Dei, & acerrimo fidei catholicæ defensori, invictissimo Martyri S Sebastiano, qui non hac, vel illa via, veluti cæteri Sancti, cœlos conscendit, sed per diversas semitas, quas mellifluus Doctor S. Bernardus ad tres reduxit hisce gravissimis verbis: *Via, quæ ducit ad vitam, una sanguinea in Martyribus*, id est, per sanguinem transeunt Martyres ad triumphantem Ierusalem: *Purpurea in confessoribus*, qui veluti nobiles purpura condecorati regna cœlorum petunt: *alia lactea in virginibus*, hoc est, per candorem virginitatis, omnes casti, & continentes ad astra volant. Has siquidem semitas omnes percurrit hic illustrissimus Martyr ad fruendum Deo, omniumque gaudet Laureola in cœlesti illa beatorum patria; quia non solum est sanctus tamquam Martyr, sed etiam veluti Confessor, neque solum martyrium ipsum sanctum effecit, sed jam dudum antea sanctitatem adeptus fuerat; quemadmodum manifestè ex eius sacra historia constat, ipsum plurima, eaque portentosa ante mortem miracula patrasse. Quinimmo in defensione fidei adeo constans fuit, ut nedum plures in ea conservaverit, verum etiam innumeros ad illam cõverterit. Fuit tandem adeo castus, ut, juxta antiquorum traditionem, virginitatem semper illibatam coluerit Itaq; cœlum, profusa liberalitate cumulatim contulit illi omnes gratias, & dona virtutum, quæ divisim erant alijs sanctis collata; quapropter etiam singulari indigemus auxilio gratiæ, ut encomia, & laudes eius edicere valeamus. *Ave Maria.*

D. Bern. in sentent.

Beati estis cum vos oderint homines.

CONSIDERATIO I.

Maior generositas, magisque heroicum fuit in S. Sebastiano refellere seu retundere blanda Cæsarei favoris jacula, quam crudeles sufferre martyrij sagittas.

CONSTANS est SS. Patrum doctrina, prosperitatem, maximam esse veræ virtutis probationem, per quam qualis quisque sit dignoscitur. I.
Id eleganter expressit sanctus Anselmus hisce luculentis verbis: *Tribulatio probat unam patientiam, prosperitas vero virtutes omnes examinat.* In prosperitate excellentia humilitatis dignoscitur quia nihil efficacius illa animum hominis ad superbiam incitat; in illa charitatis perfectio elucet, quia dives, & secũda fortuna utens maximo eam perdendi periculo exponitur; in illa singulariter eminet virtus mansuetudinis & magnanimitatis, quia abundans opibus pollet viribus ad vindicandum injurias sibi illatas Et tandem si singulas virtutes percurreretis, comperietis prosperitatem se omnibus opponere, & hocce modo eas examinare: *virtutes omnes examinat*, ideoque pulchre ajebat Seneca: *Melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt.* Et Boetius *fœlix fortuna à vero homines devios blanditiis trahit*: omnium tamen elegantissimè expressit mellifluus Doctor Bernardus hisce verbis: *Multò plures prosperitatis fallacia, quã adversitatis flagella deijciunt*; id est, plures secundo vento prosperitatis navigantes, pereunt quam procellosa adversitatis tempestate submerguntur.

D. Anselm. sentent.

Seneca lib. 14. epist 95.

Boet. de consolat. prosa 8.

D. Bern. de transitu Malach.

Pon-

Ponderans magnus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus celeberrimam illam Elisei petitionem, qua rogavit Eliam dum per turbinem levaretur in cœlum: *Fiat in me spiritus tuus duplex*; hisce Eliseum vocibus compellat: Ecquæ, vir Dei, est hæc tam inusitata postulatio; an forsitan magistrum tuum Eliam præire, & superare contendes? cur non es simplici spiritu, dignitate, & virtute magistri contentus? certè toto cœlo errare videris, quia, *non est Discipulus super magistrum*. Appositè patrocinatur S. Doctor justæ obsecrationi Prophetæ Elisei: *Eliseus cum magno honore, & sæculi dignitate, virtutum, & Prophetiæ donum habuit: quod Elias profugus, & persecutus in montibus & speluncis degens, ejectus ab hominibus retinebat*. Prævidebat Eliseus spiritu prophetico periculum, quod sibi imminebat, propter applausum mundi, & gratiam Principum, & Regum, apud quos in maximo pretio, & honore erat habendus; quemadmodum in Tractatu præcedenti ostendimus; idcircò veluti sanctus, & prudens timuit naufragium in prosperitate, & ne hæc illum demergeret, postulavit à magistro suo duplicatum spiritum, quo præmunitus, omnes posset superare & evincere superbiæ afflatus: quo non indiguit Elias, qui tametsi illustris fuerit Propheta, & melioris notæ sanctus, adversitates tamen, & infortunia, quæ expertus est, non fuerunt minora ipsius sanctitate, & ad vincendas tyrannorum persecutiones simplex ei spiritus suffecit.

4. Reg 2. v. 10.

D. Aug. lib. 2. de Mirab. c. 26.

3. Præparo me ad omnem eventum, & jugiter legem Dei ob oculos habeo, ajebat regius Vates: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*; id est, semper fixis oculis Deum intuebar, & nullius alterius curam habebam nisi solius Dei, ad quascumque ingruentes difficultates superandum, neque umquàm mihi necessarium defuit ipsius adjutorium: *Quoniam à dextris est mihi ne commovear*, semper mihi præstò est, & vires præbet brachio dextero, quibus contra hostes meos prævaleam. Ecquis latus sinistrum, ô mi Rex, defendet, & proteget? interrogat mellifluus Abbas. Nonne tam periculosi sunt impetus contra manum sinistram, quàm dexteram, qui igitur non imploras Dei opem ad tuam defensionem? audite responsum ejusdem melliflui Doctoris: *Tondeatur interim, & tundatur latus sinistrum, pulsetur injuriis, vellicetur opprobriis, libens illud expono, dum à te custodiar, dummodò sis ipse protectio mea, super dexteram meam*. Supponit David lites, & contentiones inter animam, & generis humani adversarium, qui à duplici latere eam oppugnat, quædam enim tela adversus dexteram manum & alia contra sinistram ejaculatur, hoc est, duplici modo solet dæmon nos tentare, vel per prosperitatem in dextera obumbratam, vel per adversitatem, quæ in sinistra designatur: ait ergò sanctus Rex, non tanti facio, ô Domine, bellum, quod mihi diabolus per adversitates & tribulationes infert, quia ad tolerantiam earumdem me satis superque armatum, & munitum experior; verum prospera fœlicioris fortunæ bona, quæ cumulatissimè, & profusa quadam largitate in me confers, timorem incutiunt, animumque meum non mediocriter affligunt, illis enim contrarius meus adeò corroboratur, ut si mihi singularis tua protectio defuerit, impossibile sit illum devincere, aut prosternere. Tu ergo succurre mihi tuo auxilio, dona mihi gratiam tuam, qua fortiter resistam, ne me inimicus ignominiosè prosternat, & debellet. Notum sit, o Domine, toti mundo, quod servus tuus sum, quia etiam in maxima rerum prosperitate ne lato quidem ungue à mandatis, & præceptis tuis deflecto.

Psal. 15. v. 8.

D. Bern. serm. in Psal. 90.

Moliebatur Benadab Rex Syriæ prælium adversus Israelitas, inivitque certamen cum eis tempore, & hora incongrua; & quamvis in numerosissimo ejus exercitu jam victoria cantaretur antè prælium, attamen Israelitæ tam dextre conseruerunt manus, tantaque animositate pugnaverunt, ut profligatis Assyriis, insignem & celebrem reportaverint victoriã. Videntes Assyrii cladem, quam ab Israelitis passi erant, pudore confusi adierunt Regem suum, eique dixerunt: *Dii montium sunt Dii eorum, ideò superaverunt nos, sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos*. Ac si dicerent; non in montibus, sed in vallibus instauranda est pugna, & certò certius omnes ad internecionem delebimus. Cardinalis Vitriacus discutiens hoc dictum Assyriorum, insignem nobis suggerit allegoriam discursui nostro accommodissimam: *Quos enim dæmones non possunt vincere per adversitatem, tentant vincere per prosperitatem*. Ecce expressum symbolum eorum quæ inter dæmones, & animas hominum fiunt, quas enim nequeunt sibi subjicere in montibus, totis viribus adnituntur 4.

Reg. 20. v. 23.

Vitriac. dom. 21. post Penthec. serm. 2.

tur vincere in vallibus, id est Christianos quos nequeant per fragosas tribulationum adversitates deijcere, omni studio conantur, per blandas prosperitatis delicias superare, certam securamque sibi hac via pollicentes victoriam, quia licet plures in præruptis montibus salventur, pauci tamen sunt numero, quin in amænis vallibus ruinam patiantur, uti ex S. Gregorio idem Cardinalis commemorat: *Cum utraque fortuna sit timenda, magis est timenda prospera, quam adversa, nam adversa saviendo erudit, & prospera blandiendo seducit.* Ac si diceret, quamquam utraque sit periculosa, adversa tamen fortuna asperitate sua hominem cohibet, frænum inijcit, & rigore suo instruit, quem prospera lenocinijs suis facile illaqueat, & seducit.

D. Greg. citat à Vitriaco.

5\. Quam difficulter virtus inter prospera conservetur, egregiè colligit S. Ioannes Chrysostomus enucleans parabolam illam Patrisfamilias, qui conduxerat operarios ut irent in vineam suam. Vbi cum serò esset factum, vocatis operarijs, jussit per procuratorem vineæ suæ singulis reddi mercedem laboris, incipiendo à novissimis usque ad primos; cumque illi, qui postremi venerant, singulos denarios acciperent, hi qui à crepusculo diei laboraverant, arbitrati se plus accepturos, videntesque se æquali denario donatos, murmurarunt adversus Patremfamilias, dicentes: *Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus.* Supponendum est hic cum sancto Antistite, hunc diem per horas divisum, quemadmodum nox in vigilias dividi solebat, denotari tempus illud mundi ab origine, usque ad finem, & consummationem eius; ita etiam sentiunt sanctus Irenæus, Origenes, SS. Hilarius, Gregorius, Optatus, & alij. Idemque plurimum confirmat, quod illud serò finale, & extremum judicium designet, sicuti enim vesperi cuilibet operario sua persolvitur merces, ita etiam in postrema judicii die cuilibet reddet Deus præmium, vel pœnam operum, quæ in corpore gessit. Ast mox, inquit S. Chrysostomus, ratio dubitandi occurrit, quomodò illi primi operarii obmurmurant, cum nacti fuerint florentia illa mundi tempora, vixerintque aurea illa ætate tam fœlici, prospera, & abundanti? Si namque tot tantisque delicijs, & voluptatibus gavisi fuerint, qui fieri potest, quod tantopere suos extollant, & magnificent labores? Qui, inquam, querula voce asserunt successores suos, respectu sui nullam passos fuisse laboris defatigationem, cum tamen haud dubie vixerint tempore maxime ærumnoso, miseriarum, & calamitatum perpleno? Imo ea propter, inquit aureum Chrysostomi os, protestantur primi se maius præmium fuisse promeritos. Accipite insignem Sancti rationem apprime instituto nostro accommodam. *Tunc ergò mundus in juventute constitutus, omnibus bonis prosperabatur, & fœlix erat: nunc autem mundus senescens omnibus adversitatibus premitur, & ideò concupiscibilis non est. Qui ergò tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate justitiam servarunt; quia ipsa fœlicitas mundialium rerum satis impedimentum est animæ, ad iustitiam faciendam.* In primævo mundi flore homines magis inter opes, & delicias patiebantur, quam in hocce calamitoso sæculo, tot miseriis, & infortunijs obnoxio, incomparabiliter enim crudelius est bellum, quod prosperitas infert homini, quam omnes adversitatis insultus. Ideoq; nobilior, excellentiorq; fuit virtus primorũ inhabitantium orbem terræ, quam successorum seu posterorum, quia hi infortuna, & laboriosa, illi verò prospera, & fœlicia nacti fuerunt tempora.

Matth. 20. v. 12.

D. Irenæus lib. 4. c. 7. Orig. tract. 20. in Matth. D Greg. hom. 19. in Evan. Optat. lib. 5. cont. part.

D Chrys. sost. in imperfect. hom. 34. in Matth.

Dexterrimus sagittarius est humani generis hostis, duplicisque generis sagittas seu jacula in pharetra sua defert, quædam diu, quædam verò noctu eiaculatur, teste regio Psalmista: *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Instruit, præmunitque regius Vates justũ divino auxilio, & protectione etiam contra vehementissimas tentationes, polliceturque ei, quod Deus eum liberabit tum à sagittis volantibus in die, tum etiam à iaculis nocturnis, additque, quod eum proteget ab incursu, & dæmonio meridiano: per sagittam serenæ diei, & dæmonium meridianum intelligit Diodorus fallacem, & inanem spem mundanæ gloriæ qua dæmon animabus nostris insidiatur, ut decipiat: *Satan cum falsa spe perstringit animã.* Data hac explicatione Doctissimi Patris Diodori, premo mente mea dictum regii Prophetæ. Cur David bis meminit sagittarum, seu tentationum diei, & semel tantummodò commemorat incursus, & sagittas tenebrarum, seu noctis? Dicant alii, quod sentiunt, existimo ego regium Psaltistam dedita opera, & studio id egisse, quo inueret magis esse timendas prosperas mundi fœlicitates, quarum symbolum est serena dies, quam, adversitates, quæ in no- 6.

Psal. 90. v. 6.

Diodorus.

ctæ præfigurantur; hæ enim videntur solummodò sagittæ simplices, illæ vero duplicatæ, hostis autem solus facile superatur, qui consortio alterius adjutus, haud facili negotio debellatur. Nequaquam sanè tantum eminet robur animi Christiani in tolerantia afflictionum, & adversitatum, quantum in æqua terrenæ prosperitatis temperantia, ne propter eam superbiat, aut evanescat.

7. Ex doctrina huius Considerationis sic deducta, rectè colligitur veritas, quam in titulo huius discursus præfiximus; nimirum plus præstitisse sanctum Sebastianum repellendo sagittas favoris, & fœlicitatis mundanæ, quam sistendo tela, & jacula Tyranni. Erat hic gloriosus martyr ob præclaras dotes suas Imperatori gratissimus: *Ob generis nobilitatem, & virtutem Diocletiano charus fuit*. qui cum putaret Sebastianum propter favores, & beneficia in eum collata, maximè sibi devinctum, (erat etenim *Dux primæ cohortis*) suæque partis & religionis, se deceptum, & spe sua frustratum deprehendit, quia se Christianum esse publicè edixit: qua propter eum accersitum, & obiurgatum, postquam invictum illius animum promissis honorum, & gloriæ dignitatibus diu frustra tentasset, ad avocandum eum à vera Christi fide ad Idolorum cultum & venerationem, mox sagittis configi præcepit. Pertulit martyrium invicto animi robore, spernens Imperatoris gratiam, eiusque munifica promissa, quibus Diocletianus regio juramento sese obstringens, eum à fide Christi suscepta deterrere satagebat, maluitque Sebastianus in proposito fidei persistere, quam impiis Tyranni pollicitationibus obtemperare: neque hoc præcipua laude dignum fuit, fuerunt enim sagittæ illæ, parvulorum, quibus pueri ludere solent, quemadmodū egregie dixit noster S. Vincentius Ferrerius, accommodans huic Sancto verba illa Psalmi: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*; id est, fuerunt S Sebastiano jacula Tyranni, veluti inanes puerorum sagittæ; verum majorem incomparabiliter animi constantiam ostendit, in refellendo tela favorum, & munerum, quibus Diocletianus animum eius demulcere nitebatur, & intrepidè retundendo jacula prosperitatis oblatæ, quibus blandiendo Tyrannus eum seducere conabatur, malens esse odio hominibus, quam è gratia Dei excidere, ut in ipso adimpleretur illud Christi in Evangelio: *Beati estis cùm vos oderint homines.*

In vita eius.

D. Vincent. Ferrer. serm. huius Festi.

Ps. 63. v. 8.

Beati estis cùm vos oderint homines.

CONSIDERATIO II.

Fuit circumstantia maximè illustrans virtutem S. Sebastiani, quod in statu, & professione militari, integritatem vitæ illibatam conservaverit.

DOctissimus Cluniacensis describens seriem & ordinem vitæ huius Martyris, post plurima, eaque præclarissima gesta enarrata effatur: *Ille qualis erat Sebastianus sub habitu militari, qui optimus Christianus, ut alij sub illo habitu plusquam Sarraceni & infideles sunt.* Non obfuit Sebastiano nobilitas, aut Principum aula, neque militia, quominus virtute excelleret, quia sub insignijs & stemmate nobilitatis, vere militabat, & serviebat Deo. Nequaquam impedivit eum armorum strepitus, aut dissolutio vitæ militaris, quæ, præsertim in juventute, solet esse veluti equus effrænis, maxime quando insessor fœliciori gaudet mundi fortuna, quia in omni hac prosperitate, & licentia, in qua plurimi Catholici solent vivere uti infideles, erat ipse perfectissimus Christianus, & sub lorica, cæteroque militari ornatu, cilicio indutus, jejunabat, jugiterque carnem suam macerabat: inter lascivos castus, inter superbos, & incompositos humilis, & modestus, utque paucis dicam, inter immorigeratos milites, passim more Sarracenorum viventes, insigni pietate, & singulari sanctitate elucebat. 1.

Raulin. serm. S. Sebastiani.

Nullum genus hominum licentius, aut effrænius vivit, quam milites, uti cecinit Poeta:

Nulla fides, pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Plerique enim rapinis victitant, neque contenti sunt iis, quæ ipsis hospites gratis elargiuntur, sed minis, & verberibus extorquent ab iis etiam impossibilia, ut sæpius eos in desperationem adigant, bonis, & vita spolient, saucient, & occidant. In periuriis, & blasphemiis, qui eminet, generosissimus habetur, & qui plura evomit verba jactantiæ, vere miles reputatur: quid plura? arrogantissimi blasphemi in cœlum & Deum magni æstimantur: imo duces maxime hoc vitio laborantes, præ cæteris pluris fiunt, quo irreligiosius loquuntur; nec videntur aliud commodum elicere ex notitia Articulorum fidei, quam ut singulos impune execrentur, ipsumq; Deum detestentur: quæ omnia & co- 2.

& comas capitis erigunt, & omnibus membris horrorem incutiunt. Impudicitia, & lasciuia ita grassatur in illis, ut nulli eis pares reperiantur, quia adeò connexa est libido vitæ militari, ut asseveret Aristoteles, Poëtas, dum effinxerunt adulterium Veneris cum Marte, voluisse denotare concupiscentiam veneream semper indiuiduam esse comitem effræni militiæ, & incompositis moribus eorum, qui castra sequuntur. Præsertim tamen viget in eorum animis cupido vindictæ, nullamque iniuriam prætereunt inultam; & ut compendio dicam, tam perfrictæ frontis sunt, ut omnem exuerint timorem Dei, omnemque pudorem, & verecundiam amiserint & abjecerint. Iam malè componitur militia cum virtute, arma cum sanctitate, seu vitæ probitate.

Aristoteles Apoth. cap. 17.

3. Curiosiùs aliquando obseruaui, quòd Deus daturus manna Hebræis in deserto, ita, teste sacro Textu, omnia disposuerit, ne panis ille cœlicus intra tentoria decideret, sed foris extra castra eorum colligeretur: *Manè quoque ros iacuit per circuitum.* Videtur sanè quòd convenientius Deus pluisset intra ipsa septa castrensia, ubi quisque faciliùs collegisset sibi necessaria, neque coacti fuissent exire tentorijs suis ad colligendum victum, seu panem necessarium. Varias excogitarunt rationes huius facti sacri Interpretes, sed præ cæteris arridet mihi Ruperti Abbatis expositio: *De castris illis exeundum tibi est, quicumque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendis*; quo pacto denotabat Deus, quòd populus ad fruendum diuinis beneficijs, in pane illo cœlesti adumbratis, necessariò exire deberet è castris, quasi acies militaris eos suis favoribus redderet indignos. Tam ægrè convenit Deus cum strepitu armorum, & virtus cum vita militari.

Exod. 16. v. 13.

D. Ruperi. lib. 3. in Exod. c. 15.

4. Duo adnotata habeo loca noui Testamenti, quæ non mediocriter rem nostram confirmant. Magna, & profunda fuit humilitas, qua dux ille, seu centurio, semetipsum excusauit, indignumque existimauit, cuius domum Saluator intraret, & puerum suum ægrotantem sanaret: *Domine*, inquit, *non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; haud me tanti hospitis dignor honore, & præsentia. Indagant sacri expositores, quam ob causam hic homo tantoperè recusauerit admittere Christum Redemptorem ad domum, & hospitium suum; cùm tamen alij plures eum importunius rogauerint, ut illos præsentia sua cohonestare dignaretur? Diuersas ineunt vias, magnus Origenes arbitratur hominem hunc, mox, ut consideravit se militem, & arma gerentem, se indignum reputasse, qui tantum hospitem exciperet. Grauissima sunt illius verba: *Miles sum gladio accinctus, sanguinem fundens, ad prælium exiens, & ob hoc non sum dignus, ut intres sub tectum meum*; ac si diceret Centurio, homo, qui militiam profitetur, ad prælium exit, sanguinem fundit humanum, vitam aufert, cæteraque militiæ propria, & cognata exercet, non est capax, ut tu illius ingrediaris domum; quapropter ingenuè me tanto honore, & favore indignum profiteor. Nequit commorari virtus, ubi impietas, & improbitas sedem fixit, & stabiliuit.

Matth. 8. v. 8.

Origen. hom. 5. in diversf.

Quodam tempore videntibus, & accuratiùs contemplantibus Discipulis Templum Ierosolymitanum, eiusque magnificam, & superbam structuram, dixit Saluator noster, non remansurum in eo lapidem super lapidem. Ecquando, Domine, hæc fient? *Cùm videritis abominationem desolationis*, videlicet prædictam à Daniele Propheta. Variè exponunt Doctores hoc verbum, *abominationem*, appositissimè tamen ad rem nostram illud enucleat S. Ioannes Chrysostomus ab Angelico Præceptore relatus: *Abominationem desolationis, videtur mihi exercitum dicere, quo scilicet desolata est ciuitas sancta Ierusalem*; itaque Christus exercitum Titi, & Vespasiani, abominationem nuncupauit, militesque devastatores, quia cùm sint perditissimi, omnia disturbant, & depopulantur. Neque potuit magis genuinè loqui in hac materia, quàm appellare milites ipsam abominationem, quia maximè deviant à via virtutis, & solam perditionis viam sectantur. 5.

Matth. 24. v. 15.

D. Chrysost. in Caten. D. Thoma hic.

Et quia homines perditæ, & abiectæ vitæ, nihil, aut parum boni ab illis speratur, & proptereà minus impios & sceleratos, probos, & bonos reputamus. Cum sanctus Ioannes in Iordane omnibus, & singulis methodum, & normam viuendi præscriberet, etiam milites accesserunt, dicentes: *Quid faciemus & nos?* ut obligationi & professioni nostræ satisfaciamus. Quibus ille: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Ingeniosè obseruat Cardinalis Toletus Ioannem nequaquàm ipsis bona facienda præcepisse, sed mala fugienda prohibuisse, in quæ communiter incidere solebant, quæq; dæmon videtur eorum professioni, & statui innexuisse: 6.

Luca 3. v. 14.

Toletus ibi. *Ea, in quibus milites frequentius delinquunt, prudenter prohibet istria hac sunt:* Non dixit, abdicate vos bello, & militiâ, deponite plumeos illos fasciculos, cæterumque militarem ornatum, & assumite cilicium; quia plerumque sunt adeò effrænes in vitia, & peccata, quòd sufficiat illos peccata non facere, ut boni, probique reputentur.

7. Si itaque tam malè componuntur militia & virtus, arma, & sanctitas, considerate, quàm præclara, & excellens fuerit virtus S. Sebastiani, qui licèt tot annis militem, supremique Ducis munus egerit, vixdum tamen ulla fuit virtus, in qua non præfulserit; omni enim virtutum genere anima eius luculenter instructa fuit, & sub habitu militari vivens, etiam reformatissimum quemque religiosum, in quo nihil desideres, longè superauit, & antecelluit. Quadrat huic instituto grauissima Theodoreti ponderatio, enucleantis generosum illud responsum, quo sanctus adolescens David contumelias & opprobria superbissimi illius Goliæ excepit. Cùm enim inspexisset Philistæus, & vidisset Dauidem, despexit eum, maledixitque ei in
1. Reg. 17. v. 42. 43. & 46. dijs suis, dicens: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Itane? inquit animosus adolescens; ex nunc tibi ruinam prædico, & dabit te Dominus in manu mea, & fastum superbiæ tuæ deprimam, caputque tuum pedibus meis calcabo: *Percutiam te, & auferam caput tuum à te, &c.* Auscultat Theodoretus loquentem, & conferens hæc verba cum ipso singulari certamine, seu duello inter Goliam, & Dauidem, comperit illa fuisse vaticinium reapsè illicò adimpletum. Et singulariter videntur ei notatu dignæ circumstantiæ temporis, & loci, ubi hæc à Dauide prolata fuerunt:
Theodoret. q. 40. *Prophetat autem cùm esset in acie, & prædicit universi orbis terræ, Dei cognitionem.* O prodigium grande! quòd David miles & prodiens ad monomachiam cum hoste, vaticinetur, quodque iam accinctum armis ad aggrediendum aduersarium suum non impediverint eum, nec obstaculo fuerint castra, nec acies, nec prælium, quominùs veluti Propheta futuros rerum eventus prænuntiaret. Tam difficulter connectitur militia seu bellum cum dono prophetiæ, & cum vita militari perfecta mysteriorum Dei cognitio, ut hic doctissimus Pater rem omni admiratione dignam existimauerit, adolescentem rufum, pulchrum aspectu, fortem robore, & insuper militem, tanto fuisse Dei favore donatum, ut etiam divina revelatione futuros eventus præsciret, & vaticinaretur. Quantò maiori admiratione dignum est, quòd sanctus Sebastianus, muneri suo militari vacans, sanctus evaserit? Mirum fuit! quod enim nobili sanguine ortus, & iuvenili ardens vigore, sanctitatem coluerit, magnum sanè fuit, sed incomparabiliter excellentius fuit, quod militiam profitens, & castra sequens, indefessè eam exercuerit, & ad summum perfectionis culmen peruenerit. In hoc speciatim magnitudo virtutum eius eluxit, & præstantia sanctitatis eius eminuit, ideoque ut in hoc mūdo inciperet jam inchoativè frui præmio, quod promeruerat, posset que jam gaudere privilegio beatorum, ordinavit divina providentia, ut Sanctus noster propter iustitiam, & amorem Dei, persecutiones pateretur, quibus virtus eius, & sanctitas cunctis innotesceret, & ab omnibus tamquàm legitimè canonizata & approbata, haberetur, quod & Christus in hodierno Euangelio insinuavit, dicens: *Beati estis, cùm vos oderint homines.*

Beati estis,

CONSIDERATIO III.

Crudelissimum sancti Sebastiani martyrium fuit incertitudo mortis, quam singula sagitta ipsi comminabantur.

NVllus est atrocior tyrannus, qui magis torquet vitam hominis, quàm ipse timor imminentis mortis, magisque affligit timor belli, propter mortem, quam instantem minatur, quam ipsum bellum. Huius veritatis luculenti testes sunt humanarum litterarum Scriptores. Vnde tragicus Seneca aiebat. 1.

Peior est bello, timor ipse belli.

Et alibi idipsum gravissimis exprimit versibus: Seneca in Thyeste.

Non pelago quies tranquilla venias.
Saviat ventis mare,
Et bella, & ignis, & mea, & Priami mala, Seneca in Troade
Dumque ista veniant, interim hac pœna Act. 4.
In loco est

Et si ad S. Scripturam recurrerimus, plurima in ea reperiemus exempla, quibus propositionem nostram manifestè comprobemus. In Caino observavit gloriosus sanctus Ambrosius, quòd gravissimè eum commoverit, & penè in desperationem adegerit exilium quo profugus super terram, propter fratricidium semper 2.

perrur.

perturbatus, divagari compellebatur, judicans se jam venditum, & cuiuslibet gladio, & supplicio expositum, ita ut vitam abominans, refugam mortem avidè exoptaverit. Hoc sonant
Genes. 4. v. 13. verba illa: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*: id est, primus, qui mihi occurrerit, interficiet me. Dixitq; ei Dominus: *Nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.* Mori cupiebas: nequaquam optatis tuis frueris, ut enim mors à te longetur, ponam signum super te, cuius aspectu, nullus audeat effundere sanguinem tuum, & quicumque huic signo non obedierit, septies vindictâ exolvet. Premit hæc magno acumine sanctus Ambrosius, & disputat num convenientius fuisset, ad ulciscendam innocentis Abelis mortem, quòd Dominus in ipso flagranti delicto permisisset perfidum parricidæ sanguinem effundi: videtur enim maximè rationi consentaneum, quòd statim ab ipsa cæde aggressor parem luisset pœnam, qui igitur Deus non illicò executus est vindictam, sed potius terminos vitæ prorogavit. Accipite elegantissimum S. Ambrosij responsum:
D. Amb. lib. 2. de Cain. c. 10. *Mors enim una est in successione animæ, & corporis, & in fine istius vitæ, quæ simul ut venit, omnes corporis dolores auferre, nè augere cõsuevit: metus vero, qui hanc vitã viventibus frequenter ingruunt, mæstitia, dolores, gemitus, diversiq; cruciatus, plurimas etiam mortes generi humano inferunt, ut ista mors remedium esse videatur, non pœna.* Adeò tristem, horribilem, & amaram reddidit illi vitam ipse timor mortis, quo conflictabatur & incertitudo finis, seu termini vitæ, qua intus divexabatur, ut sceleratus, fraterna cæde pollutus elegerit potius semel sibi vitam adimi, quam tanto tempore diuturnâ & longæva morte torqueri. Vtinã, inquit, primò obvius me occideret, refrigeriũ hoc foret tormentis meis, quibus incessanter excrucior, nullũ enim acerbius supplicium excogitari valet, quàm quòd infœlix tot patiatur mortes, quia unam diu concupitam obtinere, seu assequi nequit.

3. Nulla crudelior tortura, aut equuleus qui magis affligit, quàm hæc prolongata anxietas, & perplexa dilatio. Testem advoco eumdem sanctum Ambrosium, qui affirmat, reos quandoque, etiam hi qui gravibus flagitiis urgentur, optare pœnam mortis celebritate transigere, ut aliquanta compendia pœnarum lucrentur, malunt enim citò morte plecti, & vitã sibi charissimam amittere, quàm diuturna causæ suæ dilatione, & anxietate torqueri. In hoc sẽsu explicat sanctus Doctor deprecationem illam regij Prophetæ, in qua summis precibus obsecrat Deum, ut dignetur causã, & judicium eius citò absolvere, quo pacto ab intolerabili angore, & afflictione liberari queat: *Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum vivifica me* Esto tu Domine, judex inter me, & inimicos meos, & tibi supplico, ut absq; mora meã judices causam, & eripias me ex hoc tristi servitutis ergastulo, & propter eloquium tuum vivifices me: Ps. 118. v. 154. *Quos miseratur,* inquit Præsul Mediolanensis, *cito castigat, ut non diutius afficiantur futuri exspectatione iudicii.* D. Amb. in Ps. 118. serm. 20. Ecce, quam dilucidè id dicat regius Vates, ne discursus noster absque confirmatione remaneret. Dum Deus miseretur alicuius, aut singulare aliquod beneficium alicui conferre satagit, etiamsi in pœnã delicti id fiat, non patitur moram, sed mox meritis causæ discussis, judicium concludit, & citò reum absolvit, præstat enim citò finem vitæ imponere, quàm diutius angore ambiguitatis, & longiori anxietatis pœna, centies affligi, & mori.

Sæpissimè recogitavi, qualis fuerit animi, quidve intenderit Saul, quando profligato exercitu suo, ignominiosè terga vertens Philistæis, timensq; mortẽ sibi jam imminentem, dixit armigero suo: *Percute me, ne fortè veniãt incircumcisi, & interficiant me,* id est, rogo te, ut evaginato gladio tuo me interficias, ne Philistæi me armis suis perimãt, & occidant. Nota- 4.
1. Reg. 31. v. 4. bile dictum! si diceret, interfice me, ne incidam in manus hostium, qui me captivum abducant, magis rationi cõsona videretur eius petitio, tũc enim ipse foret de numero eorum, qui potius servitutem, quam mortem reformidant, verum eligere ipsam mortem, tamquàm medium ad evadendum eam, non capio, nec intelligo causam, quia est propriis manibus sibi accersere maximum damnum, quod ipsemet hostis inferre potuisset. Inter rationes, quas in hoc loco excogitarũt sacri interpretes, liceat mihi meam adiungere, pro cuius elucidatione suppono celebrem quamdam sententiam eloquentissimi, simul ac disertissimi illius Oratoris Quintiliani qui in suis declamationibus ita effatur, *Mortem, quisquis damnatu præstat, indulget*, id est, accelerare mortem damnato ad moriendum, non iniuria est, sed favor & beneficium reputatur; Ex quo sic ratiocinor Quintilian. declamat. 11.

mor-

mortem, quam Rex Israel sibi inferri poscebat, iam præsentem, & certam intuebatur, illam verò quam timebat inferendam sibi ab hostibus, ipsa dilatio reddebat dubiam, & anxiam, quapropter timor repræsentabat eam longè crudeliorem illâ, quam ab armigero suo erat passurus. Hoc igitur sonant verba illa: *Percute me, ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me.* Eia, inquit, percute me, ne moreris me occidere, quia minus malum, magisque tolerabile reputo, unam subire mortem gladii, quàm mille timoris, & diuturnæ anxietatis.

5

Satis superque vixi, ô Domine, tædet me vitæ tam ærumnosæ, & amaræ aiebat Propheta Elias: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meā,* (3.Reg.19. v.4.) rogo te, ô Deus, ut liceat mihi salva tua venia ad pedem huius arboris commori, sub cuius umbra tristis requiesco. Ecquid efflagitat sanctus Senex, inquirit S. Petrus Chrysologus? certum est quòd mortem expostulet, & nonne venit fugiens illam: Ita sane: *Timuit Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas:* Cervina velocitate fugit comminationes Iezabelis, quæ ei mortem inferre satagebat, quomodò igitur, qui tam celeri gressu mortem fugit, iā tanto desiderio eam repetit: Ne miremini, inquit acutissimus Chrysologus, nodum huius dubii dissolvens, quòd Propheta tam varia curâ distrahatur, & tam parvo temporis intervallo adeò diversas, & contrarias exerceat actiones, (D. Petr. Chrysol. serm.147) *Elias ille, ubi sentit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori.* Deformitas, & horror mortis, quam impia Regina ei cōminabatur, impulit Prophetam ad fugiendum, ideoque prostratis viribus, & examinato corde fugit, quocumque eum fert voluntas, latebrasque quærit donec inveniat, sed tunc nondum perfectè cognoverat, neque cominùs vultum timoris consideraverat, posteaquam autem eum intimius exploravit, & diutiùs expertus fuit eius contubernium, tali angustia horrenda timoris facies viscera cordis eius percullit ut in comparatione eius mortem judicaverit formosam, & amabilem, & veluti gratissimā sibi eam accersiverit, *tolle animam meam:* malens potius mori, quàm timere in confirmationem eorum, quæ in hoc discursu latius deduximus, nimirum adeò crudele tormentum esse, timorem mortis, ad hæc illi comparata, tamquam solatium, & requies summis votis exoptari queat. Hunc sensum reddunt verba illa Cordubensis Philosophi: *Crudelius est, quàm mori, semper pertimere mortem.* (Seneca lib 3. de clamat. 5.)

6.

Prædicabat quondam Salvator noster de extremo iudicij die, & describens preambula horrendæ illius diei, aiebat: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c.* Imò & terra ipsa concutietur, *& in terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore.* Ambulabunt homines emarcidi, & veluti vivæ mortis imagines, metientes timore suo infortunatissimum exitium, quod tam horrenda signa prænuntiant. Mare ululabit, & tremendos edet mugitus, intumescensque aquis ipsos cœlos undis suis involuere, & montes è sedibus suis evellere videbitur: tandem totus mundus susque deque invertetur, & omnis hæc conturbatiò orietur ex corporibus superioribus, per quæ hæc inferiora reguntur. His transactis, videbunt Filium hominis venientem in nubibus stipatum multis Angelorum millibus, cum potestate magna, & maiestate. His autem fieri incipientibus, admonente Christo Domino, arescent homines: *Præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi.* Sufficiunt illa, quæ vident, ad consumendos, & absorbendos homines, hæc tamen non sunt maximum, quod eos excruciat, & affligit; sed quod superventurum est eos crudelissimè torquet, estque lictor, & fidiculæ, quibus sævissimè excruciantur, ipsa dilatio malorum, quæ tam diuturnam protrahunt moram, antequam adveniant. Ad hunc modum explicat præfata verba acutissimus noster Cardin. Caietanus: *Arescentibus hominibus præ timore, in intellectu perplexitas, in affectu timor. Et expectatione non significatur spes, sed mora eventus.* (Caietan. hic.) Hoc est, incertitudo eventuum. & timor eos angit, & tarda dilatio eos affligit; hoc namque sonat illud, *& expectatione,* quæ moram, & non spem significat, & hæc est, quæ maximè aggrauat dolorem, & angustiam illorum, & mallent semel mori, quam sufferre mortem adeò prolongatam, & protractam.

7.

Ex dictis manifestè colligitur, quàm crudele fuerit tormentum, quod pertulit Sanctus Sebastianus in sagittis, quibus fuit confixus, non tantùm propter acerbissimos dolores, quos in illis perpessus est, quosque solent Oratores Euangelici hodierno die summopere extollere, utentes ad hoc authoritate Ecclesiastici, qui unius sagittæ ictū doloris plenum pronuntiat: *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti,* (Eccles.19. v.12.) quantum propter perplexā ambiguitatē, & incertitudinem, quâ illas tremebundus expectabat,

ctabat, nesciens, quænam illarum intima cordis ejus esset penetratura, & vitam peremptura. Et cùm essent tot numero, ut cumulo earum totus fuerit coopertus, procul dubio pars inferior earum spicula persentiebat, quantumvis superiorem gratia divina corroboraret, maximè propter protactam mortis incertitudinem. Velut imber copiosissimus compluebant sagittæ in Sanctum nostrum, & existimans, quod quælibet earum in spiculo suo secum mortem adferret, prius pertulit plurimas, antequam mortifera advolaret, quocirca adeo crudele fuit hoc illius martyrium, ut cæteris martyribus primitivæ Ecclesiæ antecellere videatur: quamvis enim tyranni in eos varia tormentorum genera exercuerint, maximum tamen supplicii genus est, tormentum timoris, quod diuturna comminatæ pœnæ mora efficit & anxietas, quæ cũ ambiguitate expectatur, omnes Diocletiani laminas, equuleos, cæterasque tyrannidis machinas longè superat & excedit. Non potest immanius quidpiam excogitare sæva crudelitas Diocletiani, quantumvis furens, & ab ipso dæmone instructa, neque potest major esse fœlicitas nostri Sancti, quia est martyr adeò gloriosus, ut ipsi plùs profuerit sævitia tyranni, quàm favor, & benignitas ejusdem, ut egregiè in simili dixit S. Augustinus: *Profanus hostis nunquam tantũ prodesse potuisset obsequio, quãtùm profuit odio.* Quare etiam procul dubio in cœlis palmam, & primas feret, qui in sufferendis tormentis omnium antesignanus extitit, dignusque est cujus Ecclesia cantet laudes, & glorias, & quem assumens verba ab ore Redemptoris, ter, quaterque beatum prædicet: *Beati estis, cum vos oderint homines.*

D. Aug. serm. de Innocent.

Beati estis.

CONSIDERATIO IV.

Singulare fuit privilegium sancti Sebastiani, bina vice mori, & rectissime gaudet titulo defensoris Ecclesiæ.

1. RECEPTUM est in Ecclesia Catholica hunc invictum martyrem bina vice vitam cum morte commutasse, idque Oratores Evangelici constanter deprædicant, & valde rationi cõsentaneum est, quod mortem obierit, & denuò resuscitatus revixerit, fueritque bis martyr, quod in maximam ejus laudem & gloriam cedit. Intrepidum animi robur, quo fidem Catholicam propugnavit, satis superque apparuit in eo, quod postquam fuisset sagittis confixus, & omnium opinione mortuus habitus, & clam à sancta quadam muliere Irene verisimiliter miraculosè sanatus (homo enim tot sagittarum spiculis perforatus, factus alter Hericius, vixdum naturaliter supervivere poterat) dum confirmata valetudine, experimento edoctus, debuisset aulam fugere, & Diocletiani aspectũ, & furorem declinare, ne in nova tormentorum genera iteratò incideret, tanta animi constantia, & fortitudine aulam Imperatorum repetiit, ut se illius crudelitatis artificia flocci pendere ostenderit. Videns enim se divina ope à tam horrendo sagittarum vulnere illæsum, Diocletiano obviam factus, quem mortuum credebat, animositate plusquam humana ejus impietatem liberiùs accusavit, eumque majori alacritate crudelitatis in Christianos, & totum Imperium redarguit, quàm ipse Diocletianus quempiam ex subditis suis reprehendere potuisset. Admiratus Imperator, videre vivũ, vel ut melius dicam, resuscitatum, dum ferrea ejus viscera, tanto prodigio emolliri debuissent, novo incensus furore, tamdiu eum virgis, & flagris cædi jussit, donec totum sanguinem effunderet, & animam Deo redderet. Quibus tormentis fortiter superatis, solus titulum martyris promeruit, bis mortui, & antonomasticè vocari Sanctus, qui pro Deo duplex subiit martyrium.

Recordor me aliquando legisse in S. Athanasio curiosam quandam quæstionem, in qua indagat explicationem cujusdã ænigmatis, quod hactenus mihi fuerat novum, & inauditum. Ecquis fuit inter homines secundò resuscitatus & tertiò mortuus? *Quis dicitur ter inter mortuos numeratus in veteri testamento?* Respondet autem Sanctus Doctor talem fuisse Prophetam Ionam, juxtà veterum receptam Traditionem. *Nam ut vetus fama fert, hic fuerat viduæ filius, quem Elias Propheta ex mortuis in vitam revocavit. Iterum in cato vita functus est & tertium supremum obiit diem.* De nullo alio res adeò nova & peregrina narratur, estq; mihi exotica & inaudita: quod nimirum fuisset repertus in mundo quispiam, qui bis diceretũr resuscitatus, quemadmodum Ionas, quem Elias à mortuis resuscitavit. Quod ipse fuerit filius illius devotæ mulieris, apud quam hospitabatur 2.

D. Athanas. ad Antioch. q. 64.

batur Elias, probabile est, & antiquorum Traditione receptum, & posteà secundò fuit in vitam revocatus, quia in ventre ceti lucis usurã amisit, divina sic disponente providentia, ut prædicaturus Niniviris veritatem, novam vitam recuperaret. Ecce contentum hujus emblematis breviter & succinctè declaratum. Hoc dato, liceat mihi aliam adjungere quæstionem, nimirum cur Ionas toties de morte triumphavit, & amissam vitam recuperavit: Scio alios, alia dicturos, verum ego rationem hujus novitatis, ipsius nomini insculptam reperio, quia, juxta doctrinam Lyrani, sequentis omnium Sacræ Scripturæ Interpretum facilè Principem Sanctum Hieronymum, in explicatione illorum verborum, quæ ipsius Historiæ vestibulo præfiguntur: *Factum est verbum Domini, ad Ionam Filium Amathi*, nequaquam existimandum est, illud fuisse nomen Patris Ionæ, sed illud nomen significare veritatem; & Spiritum sanctum ad declarandum nobis personam Ionæ, & compendio dicendum cuncta, quæ in eo erant, usum fuisse hoc nomine: *Nomen est commune Amathi, significans veritatem*. Ac si apertius diceret; quid mirum, quod semel, & iterum resuscitetur Ionas, qui tam animosè prædicat veritatem, tamque intrepidè omnes monet, & ad pœnitendum hortatur: In talem nullam debebat mors habere jurisdictionem, sed æquum erat, ut immortalitate gauderet.

Iona 1. v. 1.

Lyran. in differen. tiu. D. Hieron. hic.

3. Si exactius hanc doctrinam discutere libuerit, comperiemus revera Ionam tantummodo bis fuisse mortuum, semel quando infans fuit resuscitatus ab Elia, & iterum quando homo provectioris ætatis, in ventre enim ceti vixit, cumq. omnipotens dextera Domini à periculo imminentis mortis eripuit & liberavit. Quãtò magis propriè potuisset S. Athanasius applicare solutionem hujus dubii invicto nostro Martyri Sebastiano? ipse namque binam subiit mortem violentam, ne minimum quidem à fide Catholica, quam profitebatur deficeret. Si enim Propheta Ionas propter veritatem constanter propugnatam, & hortamenta sua quibus hominibus salutarem pœnitentiam persuasit, mortem triumphans superavit; ecquis tanta audacia, & libertate admonuit, & redarguit Imperatores mundi, eisque intrepido animo, fidem Catholicam prædicavit: nequaquam igitur admirandum est, quod eum cœlum tamquam legitimum veritatis filium, resuscitet. Privilegio & dote immortalitatis frui debuisset, ne Ecclesia fructu doctrinæ ejus defraudaretur, sed voluit Dominus noster eum quantocius, absque mora, duplici corona exornari, & in cœlo laureola Martyrum condecorari: qui enim propter amorem Dei bis extremum in terris effuderat spiritum, tale promeruerat præmium in cœlis ut phœnix esset martyrum, quorum nullus tam singulari binæ mortis favore donatus comperitur.

Quidam Christiani videntes eum jam à vulneribus sanatum, jamque confirmata valetudine salvum, & incolumem, consulebant illi, ut fugam capesseret, verum ipse ratus se haud satisfacere muneri suo in propugnanda fide Catholica, nisi obsisteret Diocletiano quantumvis sævienti, quasi nullatenus crudelitatis, & sævæ tyrannidis illius experimentum fecisset, intrepida generositate impietatem, & sacrilegam ejus sævitiam redarguit, & in faciem ei exprobravit, non timens acerbissima tormẽtorum genera, quæ ei infligere posset. Non amabat S. Sebastianus vitam, ad servandum eam, sed potius eam ad perdendum ambiebat. Occurrit memoriæ meæ insignis quædam observatio S. Drogonis Episcopi Hostiensis, super verba illa Pauli: *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*, id est, avidè anhelo ex hoc corporis ergastulo liberari, & suavissimis Iesu amplexibus frui, eaque componens cum verbis suspensi latronis, qui pendens in cruce optabat in ea usque ad extremum judicii diem excruciari, & pati. *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Ac si diceret, dona mihi hanc gratiam, ut permaneam in hac cruce, donec tu veneris in Regnum tuum, judicaturus universum orbem, in has meditabundus prorumpit voces: *Nescio, quid Paulus magis isto latrone cupierit.* Tamquam diceret S. Antistes, optabat Paulus mortem, & latro vitam, sed Paulus dissolvi cupiebat, ad fruendum præmio laborum suorum in gaudio sempiternæ beatitudinis, latro autem vitam desiderabat ad tolerandum plura, eaque graviora tormenta pro amore illius Domini, quem pro suis delictis cruci affixum agnoscebat. Et non est dubium quin majoris sit excellentiæ omnibus votis expetere, & desiderare, mori propter Deum, quàm iisdem desideriis anhelare ad fruitionem illius. Solicitè ambit Sanctus Sebastianus semel atque iterum extremum effundere spiritum, non ut sibi acceleret gloriam, sed ut adaugeat pœnas, & tormenta, ita ut manifestè de illo

4

Ad Philippen 1. v. 23.

Luc 23. v. 42.

D. Drog. de sacra Passione Domini.

Psal. 14. v. 5. de illo verificetur: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Quæ verba juxta interpretationem doctissimi Abulensis; hunc Abulens. q 10. in 4. Reg. 3. reddunt sensum: *Vir perfectus pro nihilo habet malignos, non timendo nec honorando eos.* Et quemadmodum obtulit Deo duas vitas, millenas sacrificasset, si in potestate sua habuisset, quia insatiabili ardebat desiderio patiendi, imò si possibile fuisset, inexhausta illa moriendi cupiditas millies resuscitasset vitam, ad toties eam profundendum.

5. *Quotidie morior*, ajebat Gentium Doctor S. 1. Cor. 15. v. 31. Paulus, communis harum vocum explicatio est sancti Ambrosij, videlicet, S. Apostolum ita compositè, & circumspectè vixisse, quasi quælibet dies foret postrema vitæ illius: *Vsum* D. Amb. orat. de fide resurrect. *mortis exercuit, qui mente sua quotidie se mortuum cogitabat.* Quamquam enim reipsa, & effectu non moreretur, consideratione tamen sua & affectu se inter mortuos numerabat. Egregia sane doctrina, & maximè ad instructionem nostram utilis, & pernecessaria. Ast gloriosus S. Isidorus Pelusiota arbitratur S. Paulum hocce loquendi genere significasse promptitudinem animi sui, ad moriendum omni tempore, & momento, quo sibi se occasio offerret, propter prædicationem Evangelij, & salutem animarum: *Hoc omninò dixit Apostolus, quod ad id paratus esset: nam, qui ad aliquid paratus est, etsi re ipsa id non sufferat, expectatione tamen, animiq; promptitudine id suffert:* quasi diceret, rectè possum censeri, & reputari, semel, atque iterum martyr Christi, tametsi enim opere & effectu martyrium non subiverim, saltem affectu hoc mihi unicè in votis, ut quotidiè moriar pro Christo. Videtur omnino Paulus exoptasse sæpius, quam semel vitam finire, sed in solo desiderio, & animi præparatione substitit, & hæsit, nunquam finem concupitũ assecutus, quia hoc singulare privilegium soli nostro S. Sebastiano erat reservatum, & solus ipse hac prærogativa erat condecorandus, quapropter omnibus aliis martyribus prævivit, ita ut illius fortunata conditio longè aliorum decus superet, neque cæteri in hac eminentia cum illo tamquam impares conferri possint, tantummodo enim semel alij vitam Deo sacrificaverunt, ipse verò bina vice mortem amore Christi subivit.

D. Isidor. lib. 3. Epist. 399.

6. Plurimis, iisque acutissimis sagittarum spiculis fuit Sanctus noster confixus, plurima eaque atrocissima flagellorum verbera accepit in corpore suo, neque tamen in minimo defuit partibus suis, quin Deo integerrimam servaret fidem. Quocirca tum amor illius Domini, qui amore nostrûm tot tantaque pertulit tormenta, illum consolidavit, reddiditque insuperabilem, tum etiam, quia probè noverat cruciatus illos esse tesseram amoris & benignitatis, quâ Deus etiã dilectissimos suos fovet & prosequitur. Vestigium, & symbolum hujus veritatis suggerit nobis sacer Textus in Historiis Regum. Voluit Ionathas explorare animum, & experiri amorem patris sui, Saul erga Davidem amicum suum integerrimum, dixitque ei quodam die: cras pater meus, & ego egrediemur foras in agrum ad venationem, tu ergò festinus descende, & veni in montem, seu locum, ubi celandus es, interim intercedam ego apud patrem, ut te benignè recipiat, teque secundum merita, & dotes suas honoret. sit post quàm investigavero sententiam patris mei, animumque ejus erga te ex responsis ejus intellexero, jaciam ego tres sagittas, juxta locum, ubi fueris absconditus, quasi exercens me ad signũ, dicamque puero meo; vade & affer mihi sagittas: *Et si dixero puero: ecce, sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali,* signum tibi sit Regis animum esse placatum, teque gratiam coram oculis ejus invenisse. *Si autem sic locutus fuero, ecce, sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus.* Hoc inquit quidam Modernus non indoctus, ad unguem, & amussim sæpiùs contingit inter homines: *Per sagittas intellige persecutiones, & tribulationes, quasi adsunt nobis, bonum signum sunt, quòd nihil mali sit.* Si sagittæ persecutionum; & tribulationum, quas Deus nobis hic in terris immittit, in altum prætervolaverint, neque te contigerint, caveas tibi, & extimescas, quia sunt signum magnæ indignationis divinæ: *Malum enim signum est, quando sagittæ non sunt in nobis, sed ultra, & contra nos:* semper autem veluti scopum ipsos justos, & amicos Dei contingunt, uti manifestum, & exploratum est in nostro S. Sebastiano. Vnum namque & præcipuum divinæ benevolentiæ signum erga nos est, quod sagittæ illæ nos attingant, penetrent, saucient, & intima cordis nostri configant. Illæ, inquam, sunt signaculum, quo Deus dilectissimos suos notat, & dilectionis suæ artham cordibus eorum infigit.

1. Reg. 20. v. 21.

Mesa ver. Tribulatio n. 45.

7. Habent etiam aliud signum per quod amici Dei dignoscuntur, nimirum flagella, uti luculen-

culenter attestatur S. Paulus admonens Hebræos: *Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit*; id est, quos verè amat Deus, non permittit eos impunè peccare, neque condonat eis culpam, quin hic pœnam exolvant, & filios, quos amātissimis stringit amplexibus, atrocissimis cædit flagellis. Quapropter Angelicus noster Doctor Sanctus Thomas, in Commentario hujus loci, docet flagella esse singulare indicium amoris, & desiderii, quo Deus solicitè quærit salutem nostram: neque fas esse illos computare inter filios Dei, qui hic non flagellantur. *Et ideò, qui non flagellantur, non sunt de numero filiorum.* Fœlix ergò & beata est sors illorum Christianorum qui sagittas & flagella tribulationū non impunè evadunt, quia litteras tutelares seu salvum conductum cœli secum deferūt, uti Christus Dominus insinuat: *Beati eritis, cùm vos oderint homines.* Inter hos autem beatos fortunatissimus simul & beatissimus fuit noster gloriosus Martyr S. Sebastianus, & inter filios Dei adoptivos maximè dilectus, cui Deus tribulationum duplicavit annonam: & si aliis Sanctis, uni sagittas, & alteri flagella immisit, S. Sebastianum & sagittis, & flagellis condecoravit. Et, ut compendio dicam, quilibet aliorū non nisi unam vitam obtulit Deo, porro Sanctus noster modum & dexteritatem adinvenit, qua ex una duplicem vitam faceret ad patiendum: *Unus homo cum duplici vita, quarum unam obtulit ex voluntate, alteram ex necessitate*; dixit quondam magnus Ecclesiæ Doctor S. August. loquens de Isaac, quemadmodum aliquando audivi ex ore cujusdam celeberrimi Concionatoris, quamvis locum & librum non allegaret. Tamquam diceret doctorum Phœnix, habuit Isaac duas vitas, vel unam in duas divisam; unam obtulit veluti spontaneam amoris sui arram, & alteram tamquam debitum naturæ pensum. Primam immolavit, quando ensi paterno submisit collum, ad parendum Dei mandato, tunc enim in præparatione animi eam obtulit perdendam: secundam verò, quando humanæ fragilitatis pensum persolvens, luit pœnas, & stipendia peccati. Hic secundus vitæ modus, inquit magnus Pater, fuit quodammodo à primo distinctus, Prudentissimè excogitatum. Ast hæ fuerunt singularitates, & excellentiæ cujusdam Sancti veteris Testamenti, & legis naturæ, quorum præclara gesta nequaquam cum factis heroum legis gratiæ conferri, aut comparari possunt. Et singulariter elucet hæc præstantia in nostro glorioso martyre, omnibus numeris (ut ajunt) absolutè magis perfecto, quam Isaac, quatenùs ambas vitas, ad modum jam dictum, vel unam in duas divisam, non ex necessitate, sed voluntate immolavit. Unam sagittis, & alteram flagellis exposuit perdendam. Et si in potestate ejus fuisset, sagittæ & flagella defuissent tyranno, & sibi superfuisset multiplex vita ad eam sæpiùs profundendam pro honore Redemptoris sui, & defensione Ecclesiæ Dei sacrosanctæ.

Hebr. 12. v. 6.

D. Thom. hic lect. 2.

D. Aug.

8\. Eapropter sanctus Pontifex Cajus eum defensorem Ecclesiæ appellavit: *Defensor Ecclesiæ*; & Ducem seu antesignanum martyrum in sævissima illa persecutione, qua atrociorem numquam expertus est orbis Christianus. Neque solummodo partes egit defensoris Ecclesiæ, postquam publicè fidem catholicam professus, & Christianus ab Imperatore agnitus fuit, confortans plurimos fideles, qui dantes locum impiæ crudelitati, metu tormentorum animo cadebant, sed etiam quando adhuc aulam & militiam sectabatur: ideò enim curiam Principis frequentabat, ut sub hac specie, absque nota martyres in suis tormentis commodius animaret. Insuper addo, quod si contemplemur sanctum Sebastianum arbori illi seu palo alligatū, & undequaque tot sagittis confixum, cernemus scutum, seu murum Ecclesiæ, ipsumque Christo simillimum, qui inter nos, & Deum constitutus nos protegat, & defendat, velut generosa aquila, contra omnes sagittas quas Deus ex pharetra indignationis suæ emittit: *Vos ipsi vidistis*, inquit Dominus Deus loquens populo Hebræorum, *quæ fecerim in Ægiptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi*, id est; optimè nostis, quantum allaboraverim ad redimendum vos è dura servitute Ægyptiorum quomodo vos eduxerim ex illa acerbissima tyrānide, *Et portaverim vos &c.* Controvertunt in hoc loco Sacri Expositores, cur Dominus potiùs mentionem faciat aquilæ, quam cæterarum avium? Placet mihi præ cæteris insignis Rabbi Salomonis responsio: *Omnes reliquæ aves pullos suos ponunt inter pedes suos, eo quod timeant sibi ab avibus, quæ super se volitant: verùm aquila non timet sibi, nisi ab homine, ne petat eam iaculis. Cum enim nulla avis altius ipsa volitet, propterea collocat pullos suos in alis suis, cogitans satiùs esse, quod in me penetret iaculum,*

Exod. 19. v. 4.

Rabbi Salomon apud Agellium hic.

iaculum, quàm in pullos meos. Perpulchra sanè verba, quibus sollicitudo, & anxia cura aquilæ circa pullos suos egregiè elucidatur, illa solas sagittas venatorum, seu aucupum pertimescit, & ea de causa pullos suos super humeros gestat, ut eos protegat, & defendat, quasi diceret, si jaculum aut sagitta emittatur, me sauciet, vulneret, & configat, dummodo, pullos meos servet incolumes, & illæsos, moriar ego, & non patiantur pulli mei. Scio quidem in sensu literali, juxta interpretationem Origenis, Sancti Ambrosij, & Lyrani, per aquilas intelligi Moysen, & Aaronem, quorum amor, & sollicitudo ergà bonum Reipublicæ Hebraicæ, similis erat curæ aquilarum, tanta enim sollicitudine hi veri pastores, & populi defensores eorum negotia procurabant, ut eos super humeros suos portarent, tantaque cura eorum quieti invigilabant, commodisque afflictorum prospiciebant, ut pretio laborum suorum, eorum libertatem compararent, & mille periculis sese amore populi objicerent. Et in hoc sensu interpretantur prædicti Patres verba illa Deuteronomij: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Ecce, sensum literalem horum verborum.

Origen. Ambros. Lyran.

Deuter. 32. v. 11.

Verùm ergo allegorizans eumdem locum in sensu mystico, dicerem, salva illorum Patrum licentia, Redemptorem mundi videri in illis alloqui homines, ijsque dicere: ego vos portavi, quasi super alas aquilarum, & studui ut sagittæ indignationis Patris mei, emissæ manibus hominum impiorum, & tyrannorum, confoderent, & penetrarent pectus, manus, & pedes meos, ut vos immunes evaderetis, non servitutem veræ Ægypti, sed miseram captivitatem peccati, tanti, tamque caro pretio mihi constitit vestra libertas, & munus defensoris quo pro vobis perfungor. Quantò jure potest S. Sebastianus eodem Christi idiomate & loquendi stylo uti, quod enim Redemptor pro salute totius mundi præstitit, hoc sanctus Sebastianus, pro populo Christiano, & ipso Salvatore insigniter effecit. Ita ut dicere possimus, quod si Christus, juxta Esaiam, fuit murus: *Salvator ponetur in ea murus,* Sanctus noster fuerit antemurale, quod se jaculis, & sagittis divinæ indignationis, & furoris opposuit, easque in corpore suo excepit, ut eas à nobis depelleret. Ac proinde totus factus est sylva, seu nemus sagittarum, undequaque jaculorum spiculis perforatus, ad liberandum nos à pestifera labe, qua Deus peccatis nostris exulceratus, & iustissimè indignatus aperto Marte nos vult configere, & extinguere. Quemadmodum luculenter plurimis miraculis, per eius merita, in Hispania, & alibi patratis, exploratum habemus. Perseveremus igitur, ô Fideles, in eius devotione, & toto cordis affectu ei supplicemus, ut nobis semper succurrere dignetur, suaque potentissima intercessione, qua modò in cœlis apud Regem supremum maioris æstimationis est, quàm apud Imperatorem Diocletianum in terris valuit; & haud dubie cuncta pro votis impetrabit. Hoc unicum superest, ne nos peccatis, & delictis nostris ipsi remoram injiciamus, & continuò præpotens, & infallibile patrocinium eius experiemur, hic in terris per gratiam, & in cœlis per gloriam. *Amen*


Isaia 26. v. 1.



TRACTATUS VI.

IN FESTO MIRACVLOSÆ CONVERSIONIS Sancti Pauli Apostoli & Doctoris Gentium.

Quid ergo erit nobis? Matthæi 19.



Necessum est nos hodie expansis carbasis veliferam conscendere navim, altum profundumque penetrare pelagus; quia operosius agendum est nobis de admirandis divinæ omnipotentiæ effectibus, qui in miraculosa Conversatione sancti Pauli Apostoli mirum in modum eluxerunt. Verùm si Sanctus Chrysostomus expertissimus nauclerus ingenuè confiteatur scapham suam evidenti fuisse periculo naufragii expositam, qui poterit inerudita mea lingua fari, ubi ipsa mundi eloquentia obmutescit, & hebetudinē suam incusans, veluti pumilo, & pygmæus, tam immensas Pauli laudes suo ingenio metiri non præsumit: *Quæ autem lingua laudibus eius invenietur æqualis. Cùm omnia, quæ in omnibus sunt bona, anima sua una possideat, & ea cuncta plena accumulet, non solum hominum sed etiam (quod est amplius) Angelorum.* Nulla gratia aut virtus fuit in cæteris Sanctis, quin in Paulo, veluti compendio, & maiori cum perfectione, & eminentia fuerit accumulata. Et nedū loquor, inquit aureum Chrysostomi os, de virtutibus, in quibus excellunt homines, verùm etiam de iis, quæ in Angelis maximè refulgent. Est Propheta, Apostolus Doctor, Martyr, Virgo, Confessor. Quid plura? Est Angelus, Archangelus, Thronus, Dominatio, Potestas, Virtus, Cœlū, Cherubim, & Seraphim, & ut verbo dicam, est perfectionum omnium epilogus, & cæterorū Sanctorum compendium, & breviatium. Huic celebrat hodierno die Festum S. Mater Ecclesia, & cunctos filios suos convocat, ut votivis solemniis eidem applaudant: *Lætemur omnes in Domino,* cantat introitus Missæ, *hodiernum diem solemniter celebrantes:* Iubilemus igitur omnes, & festivis animis spiritualiter recolamus diem, tanti Sancti, solemnem, cui Deus tantum contulit honorem, ut, præmium visionis beatificæ, quod non nisi post ultimam vitæ periodum aliis solet elargiri, ei in principio Conversionis suæ singulariter concesserit. Ipse namque quemadmodum clarissima Ecclesiæ lumina SS. Augustinus, & Thomas constanter docent, vidit divinam essentiam, & meruit perfrui (saltem, *Per modum transeuntis*) eô, quod amicissimi Deo, æternum possident in gloria, nimirùm inchoativè in terris per gratiam, quâ unicè indigemus: ne ergo naufragemur, sed securi ad portum concionis appellamus, rogemus Deiparam, ut nobis eam impetret, dicentes: *Ave Maria.*

D. Chrys. apud Novarin in Adag. ex. eur. s. 1.

Introitus Missæ.

Quid ergo erit nobis?

CONSIDERATIO I.

Vera, & perfecta virtus, semper metuit, & diffidit sibi ipsi.

1. Accessit ad Christum adolescens quidam, interrogans eum, quid faciens vitam æternam possidebo, cumque asseruisset se ab infantia maximum fuisse præceptorum Dei observatorem, respondit ei Salvator mundi: *Si vis perfectus esse, vade, & vēde, quæ habes, & da pauperibus.*

Matth. 19. v. 21.

bus. Audiens hæc Petrus, teste Evangelista S. Matthæo, accessit ad Christum, dixitque ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Disputant sacri Expositores, quorsum Petrus in hac occasione præsumpserit Christum interrogare? Doctissimus Gandentissium Episcopus insignem meditatus est rationem, nimirum, quia Salvator responderat adolescenti, vade, & vende cuncta quæ possides, & da pauperibus; ideo Petrum accessisse ad Redemptorem mundi, cumque sollicite interrogasse; *Quid ergo erit nobis?* dubitans an fortasse muneri, & obligationi fecisset satis: *Metuens interrogavit, ne forte minus fecisset*; quia timebat Petrus an defecisset, ideoque interrogat. Et tametsi cuncta reliquisset, & Christum secutus fuisset attamen videtur ei, se nihil fecisse, & in nullo opere sibi securitatem spondet. Idcirco pavidus, & suspicans venit ad Christum, interrogaturus numquid agendum superesset? quia magna est deceptio spondere sibi securitatem operum suorum, quantumvis quispiam etiam maxime heroica præstiterit

Ibidem v. 27.

Iansen in Concordia. Evang. cap. 10.

2\. Mysterio plena est lex illa, quam Deus mandavit populo suo: *Non ascendas per gradus ad altare meum.* Prætereo modo sensum litteralem horum verborum, quia non servit instituto nostro. Gloriosus S. Hieronymus sentit Dominum Deum hisce verbis voluisse docere fideles suos in cultu, & obsequio divino nullum interstitium esse admittendum, sed indesinenter esse operandum. Eo quod sit maxime detestabile coram Deo intermissionem ponere in actibus virtutum, seu pietatis: *Propterea graduum numerus incertus relinquitur, ut quantocumque studio ascendere ad alteriora poterimus, in inferioribus nos putemus collocatos.* In via virtutis nequaquam lento gradu, aut certo numeratoq; passu est incedendum, sed quanto magis profecerimus, tanto magis nobis persuadere debemus, & firmiter credere, quod adhuc plura restent peragenda, & cogitare nos tunc adhuc subsistere in primo limine itineris, quemadmodum hic egit Petrus, in signum perfectæ suæ fidei, & solidæ virtutis, quia timida fuit, & sibi in nullo complacens, sed diffidens.

Exod. 20. v. 26.

D. Hieron. hic

3\. Vidit quondam Evangelicus Vates Isaias Dominum Deum sedentem super solium excelsum, & elevatum: animadvertitque eidem throno assistentes duos Seraphim, qui æmula contentione Dominum venerantes, divinas laudes intonabant. Quodque singuli senas haberent alas: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Id quod mihi in præsenti occurrit, notatu dignum est. Translatio Hebraica, quam insignes nostri Lusitani, Foreirus, & Oleaster sequuntur: *Duabus velabant faciem suam*; id est, alligeri illi spiritus, qui Domino laudes decantabant, applaudebantque gloriæ eius, occultabant vultus, & facies suas. Non capio, nec intelligo. Fas enim erat, ut quilibet eorum oculos Argi optaret, imo & in oculos converti, ad commodius gloria, & aspectu Dei fruendum. Quid ergo causæ, quod occultent facies suas? Memini me in Mariali, huius difficultatis, ad aliud intentum, nodum dissolvisse. Nunc igitur insistemus vestigiis antiqui Patris Galfridi, qui apposite ad rem nostram, huius visionis mysterium elucidat. Præ pudore velant facies suas, inquit, timentes, ne forte ipsum pro viribus, & obligatione sua satis amaverint: *Quod si aliter faciem velare intelliguntur, quasi non videant, timor, & pudor possunt non inconvenienter intelligi, metuunt enim, & erubescunt ad vultum gloriæ magni Dei.* Itaque etiam ipsi Seraphim divino amore ardentes, non audent revelata facie apparere coram Domino supremæ majestatis, propter incertitudinem, & amandi diffidentiam amoris sui, an recte muneri suo satisfecerint, suoq; nomini, (quod ardentes significat) rite corresponderint; vel, ut clarius loquar, dubitant, an Dominum, si non debito, saltem possibili affectu dilexerint.

Isaia 6. v. 2.

Foreirus, Oleaster.

Galfridus apud Tilman. in cap. 6. Isaia.

4\. Si Angeli cœlestes non sunt securi, neque sibi complacent in obsequio, & ministerio Domini sui, quid mirum, quod Angeli terreni, puta Apostoli sancti, timeant suos defectus, & imperfectiones? Verba pavidi, & timentis erant illa S. Pauli: *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini.* O Fratres charissimi, inquit Gentium Doctor, si Deum habetis, cavete, ne perdatis, & totis viribus allaborate ad conservandam eius præsentiam. Optimum autem medium ad id consequendum, est, indesinenter absque ullo interstitio, semper cum metu, & tremore salutem operari. In his verbis, secundum explicationem Angelici nostri Doctoris, intimat S. Paulus discrimen inter superbos, elatosque Christianos, spiritu superbiæ & præsumptionis percussos, & inter humiles justos, qui spiritu humilitatis reguntur: *Superbus non timet,* inquit Magister Angelus, *sed humilis.* Illi, quibus dominatur timor filialis Dei, exacti sūt, & val-

Ad Philippen. 2. v. 12.

D. Thom. hic.

& valdè scrupulosi in obseruantia divinæ legis, tam quoad præcepta, quàm consilia: semper videntur sibi minùs æquo, & iusto præstitisse, ideoque semper timent, & expavescunt. Filij autem huius sæculi superbi, & fastu insolentes, quia facilè sibi complacent, & in negotio salutis nullam imaginantes difficultatem, omnem sibi pollicentur securitatem, omninò non timent, nec verentur. Vixdum pedem fixerunt in via virtutis, & se iam ad supremæ perfectionis gradum pertigisse, ingentemque meritorum cumulum conquisiuisse, sibi falsò persuadent. Monet itaque Paulus Philippenses, ut omni studio conentur esse de numero, & cætu seruorum Dei humilium, & semper timentium, non autem de gremio mundanorum, inaniter superbientium, qui sibi ipsis complacent, & confidunt; idcircò enim hi tales reputantur, quia pauca, quæ præstant, magni æstimant, & pensi faciunt, illi verò Heroica opera, quæ in honorem Dei exequuntur, flocci pendere, & parvi æstimare consueverunt.

5. Et ne videatur vobis hæc doctrina S. Pauli nova, & exotica, addit S. Thomas illam esse in utero fundatam, & hocce Paulinum consilium ex Psalmo Dauidis esse depromptum: *Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore,* id est, cum hilaritate seruite Deo, non tamen excluso timore, estote hilares, sed timidi. Ænigmaticè profectò videtur loqui Propheta; ecquis enim vidit umquam, inquirit S. Augustinus, fieri aliquod obsequium hilariter, simul & meticulosè, vel quis umquam iucundè iubilat, & simul pavidus pertimescit, una enim est actio contenti, & confidentis, & altera scrupulosi, & diffidentis? Prudenti deliberatione, inquit magnus Pater, fuit hoc consilium præscriptum, qui enim novit, quàm facili negotio Deus amittatur, manifestè intelligit, quanti momenti sit, semper esse timidum, & trementem: *Exultate cum tremore,* id est, ambulante in lætitia cordis coram Deo, sed nolite oblivisci timoris. Deus vos custodiat à negligentijs ex nimia confidentia ortis, quia in illis exitium, & ruina vestra fundatur.

D. Thom. supra cit. Psal. 2. v. 11.

D. Aug. serm. 2. de verbis Apostol.

6. Iustorum est timere, & virtutes suas quantumcunque maximas, tamquam minimas, reputare. Accommodatissimus est huic proposito locus, quem jamjam referam ex Apocalypsi Sancti Ioannis. Loquens Deus cuidam Episcopo Philadelphiæ, communicabat ei intellectum sacrarum Litterarum, mysteriorumq; in ijs contentorum claram notitiam, & scientiam, quod summi beneficij loco habendum erat. Causam autem tanti muneris, & favoris illi præstiti, ipsemet Deus subjungit: *Dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere quia modicam habes virtutem;* & mox adiungit: *Et quia servasti verbum meum, & non negasti nomen meum.* Et quomodo, Domine, tantum, tamque singulare beneficium confers ei, qui tam modicam habet virtutem? Et tam parvi facis observantiam mandatorum tuorũ, & venerationem sanctissimi nominis tui, ut hæc omnia modicam appelles virtutem? Certe non capio, nec auderem difficultatem hanc suscipere solvendam, nisi mihi excellentissima Glossæ Ordinariæ explicatio patrocinaretur: *Modicam virtutem secundum tuam opinionem, sed secundum se magnam.* Vocat parvam huius Antistitis virtutem, quia ipsemet trutina humilitatis suæ illam parvi pendebat, cum tamen revera maxima, & perfectissima foret. Iam consummatus & in ipso virtutis culmine constitutus judicabat se adhuc puerum elementarium, quasi vixdum perfectionis rudimentum posuisset, timebat, sibique diffidebat, existimans se muneri suo nondum fecisse satis. Vere innata conditio justorum, qui semper se imperfectos putant.

Apocal. 3. v. 8.

Glossa Ordin. hic.

7. O quantum distant ab his peccatores! Egregie expendit Rabanus differentiam responsi, quod justi, & reprobi dabunt Redemptori nostro, in tremendo illo iudicii die, quando salvabit electos, & condemnabit reprobos. Boni videntes se ad vitam æternam destinatos, in has voces prorumpent: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te?* sitientem, & dedimus tibi potum? Mali autem, potiùs damnati, quando conspicient se æternis deputatos flammis, igneque interminabili arsuros, exclamabunt: *Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?* Notate, inquit ingeniosissimus Rabanus, quòd reprobi respondeant, quasi omninò partibus suis non defuissent, sed omnia exactè, & ad amussim peregissent, è contra verò electi omnibus numeris absolutè perfecti, quique ad unguem omnia Dei præcepta observarunt, quasi admirabundi respondeant se nihil penitùs fecisse: *Quia videtur eis parum esse bonum, quod egerunt.* Ad maiora enim se adstrictos reputantes, tale referunt Iudici responsum. Vt ex his eliciamus, quod

Matth. 65. v. 37.

Ibidem v. 44.

Raban. in catena D. Th. hic

quòd ficuti cœlum inhabitatur à iustis diffidentibus sibi ipsis, ita etiam Infernus plenus est peccatoribus, qui facilè sibi complacent, etiam in operibus, quæ nunquam exercuerunt.

8. Idcircò Christianus, qui est verè candidatus salutis suæ, seu qui ambit gloriam cœlestem, semper debet esse timidus, ne fortè minus faciat, quam tenetur, utque tandem finem salutis suæ securè assequatur, debet interrogare Christum cum Apostolorum Principe Petro: *Quid ergò erit nobis?* & cum Doctore Gentium Paulo: *Domine, quid me vis facere?* Idioma, quo sanctus Apostolus nedum verbis usus est, sed etiam operibus per totum vitæ suæ curriculum comprobauit. Ad hunc siquidem modum explicat Angelicus Magister S. Thomas verba illa ad Philippenses crebrò repetita: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse Vnum autem, quæ quidem retrò sunt, oblivi scens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum: ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis, in Christo Iesu;* hoc est, quantum iudicio meo assequi possum, sentio me adhuc longius distitum à statu perfectionis, omnia, quæ hactenus in obsequium Dei præstiti, vel nulla sunt, vel minima, cupio omni desiderio proficere, & ad ea, quæ priora sunt, me extendere, totis viribus conabor, & enitar non quiescere, donec salutem consequar, ad quam Deus per benignissimam misericordiam suam me dignatus est vocare. Hæc est una interpretationum Angelici nostri Doctoris: *Ostendit, quòd deseruit merita præterita, quia non debet homo computare Deo merita præterita.* Postquam ferventissimus Gentium Doctor maxima quæque, & penè innumera Deo obsequia præstitisset, & plurima pro eius amore pertulisset, ostendit se pauidum, & diffidentem operibus suis, quasi nihil, vel parum fecisset; magnus profectò in virtute, & minimus per humilitatem. *Ego sum minimus Apostolorum:* id est, inferior merito, & dignitate cæteris Coapostolis meis. Sed quomodo hoc combinari potest cum eo, quod hodierno die in Conversione eius cantat S. Mater Ecclesia? *Magnus Sanctus Paulus verè est glorificandus*, si enim, uti magnus, verè est efferendus laude, qui fieri potest, ut se minimum indigitet? Iam antea diximus cum Glossâ super verba Apocal. *Modicam secundùm tuam opinionem, sed secundùm se magnam.* In meritis primas fert Paulus, æqualem non habet, omnibus præit, & antecellit, in opinione tamen propria se omnibus inferiorem reputat, seque omnium minimum prædicat. Et post plurimorum annorum labores pro Christo exantlatos, semper timidus est, & diffidens sibi, quemadmodum socius eius Petrus; quapropter in idem incidit dictum huius: *Stupens ac timens*, sacro attestante eloquio, *Domine, quid me vis facere?* cum solicitâ, & anxiâ interrogatione Petri: *Metuens, quid ergò erit nobis?*

[Margin: Actor. 9. v. 6 — Ad Philip. 3. v. 13 — D. Thom. hic. — 1. Cor. 15. v. 9. — In officio eius.]

Quid ergò erit nobis?

CONSIDERATIO II.

Vera conversio consistit in totali subiectione, & perfectâ conformitate volũtatis humanæ cum divina.

Ecce, Domine, ad nutum tuum adstamus, inquit S. Petrus, impera, quod lubet, & mox fiet, in omnibus, & per omnia verbis tuis obediemus; non secus Paulus suum offert obsequium: *Domine, quid me vis facere?* tamquam diceret, iam non viuo mihi, sed totus in alterum mutatus, propriam abnegaui voluntatem: deinceps voluntas tua actionum mearum erit regula, & norma. Hanc affirmat Sanctus Bernardus esse veræ, & integræ conversionis formam, & modum. Meministis, ni fallor, responsi illius cæci ad portas urbis Ierichuntinæ, qui sciens Iesum pertransire, iteratis vocibus cœpit inclamare, Iesumque Filium David interpellare: *Iesu, Fili David, miserere mei.* Audit Christus importunos cæci clamores, quidve quærat, interrogat: *Quid vis ut faciam tibi?* Respondet ille, & orbitatem visus sui deplorans, supplex Salvatorem obsecrat: *Domine, ut videam.* Premit hæc mystica verba ingenio suo mellifluus Doctor Bernardus, eaque cum Paulino responso, *Domine, quid me vis facere?* egregiè componit. Et discussis utrimque verbis, attentioríque studio perpensis eorumdem mysterijs, altius exclamat, & ingemiscens in has grauissimas prorumpit voces: *Eheu! plures habemus Euangelicos cæci, quam novi Apostoli imitatores,* eheu! & millies eheu! plures sequuntur vestigia huius cæci, quàm veram conversionem noui Apostoli: *Domine, quid me vis facere?* *Breue verbum, sed efficax, ed dignum omni acceptione: quàm pauci inueniuntur in hac perfecta obedientia forma.* Rara profectò obediẽtia unius animæ iam Deo omninò subiectæ, & ad pedes eius

[Margin: 2. — Luc. 18. v. 39. — ibid v. 42 — D. Bern. serm. huius festi.]

eius prostratæ. Ast hæc in quo singulariter eluxit? In hoc præsertim, quòd veluti humile mancipium omnimodam ostenderit voluntatis suæ promptitudinem ad obsequendum omnibus Dei iussis, seque in omnibus, & per omnia diuinæ subiecerit voluntati, totus dependens ab eius nutu, & imperio. Cæcos video, & non paucos, inquit devotissimus Abbas, cæco illi simillimos, qui in omnibus cæcutiebat: *Verè cæcus ille non considerauit, non expauit, non exclamauit; absit hoc, Domine, tu magis dic, quid me facere velis.* Verè fuit cæcus homo ille, qui adstans diuino conspectui, Deoque colloquens, nesciuit suam resignare voluntatem in diuinam, & dicere, non mea, sed tua fiat voluntas, quemadmodum Paulus egit, veræ conversionis speculum, & exemplar.

2. Nulla datur vera, & perfecta conversio, absque totali (liceat mihi ita loqui) annihilatione propriæ voluntatis. Ideoque addit Bernardus, tam admirandam fuisse conversionem sancti Pauli, quia, *Suam ita abiecit voluntatem, ut nec etiam proprium cor haberet*; adeò alienus fuit à propriæ voluntatis affectu, ut etiam excors esse videretur. Quo pacto adæquauit, & assecutus est resignationem Angelorum, & æmulatus obedientiam Redemptoris. In secundo libro Paralypomenon referens sacer Textus modum, & positionem corporis, qua Cherubim assistebant propitiatorio, ita fatur: *Alæ Cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus.* Stabant duo Cherubim expansis alis, & erectis pedibus: Glossa explicans hunc locum ex sententia Petri Comestoris, ita loquitur: *Habebant unum pedem magis elatum altero, quasi disponerentur ad ambulandum.* Notabilis positio corporis, alas habebant explicatas quasi ad volandum, unum quoque pedem elevatum, & alterum fixum in terrâ, quasi procincti ad ambulandum. An forsitan tunc volabant, aut ambulabant? Minimè gentium, sed hæc erat emphasis, & significatio, quòd verè videantur obedire, etiam, quando ipsis nihil omninò mandatur: *Quia Angeli*, inquit Glossa, *semper habent animum obsequio diuinæ voluntatis paratum.* Cui respondet illud dictum Petri: *Quid ergò erit nobis?* & illud S. Pauli: *Domine, quid me vis facere?* Nonne videtur hæc Angelica resignatio? Parùm dico, imò videtur diuinam æmulari, propter circumstantias quibus mirum in modum associatur.

2. Paralip. v. 13.

Glossa ex Magistro hist. schol.

3. Celeberrimus est apud SS. Patres actus conformitatis, quo Filius Dei in horto agonizans, suam penitus paternæ voluntati subiecit, quando tristis, paratus tamen mori, hæc protulit verba: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*; id est, non mea humana, sed tua diuina fiat voluntas. Examinant sacri Interpretes in quo sita fuerit excellentia, & dignitas huius tam generosæ actionis? Non omnium concors est ratio; sed variè, licèt rectè, suas exprimunt meditationes. Beda affirmat maximè hoc factum Christi illustrasse, & præ cæteris extulisse, quòd ad conspectum tot iniuriarum, tormentorum, pœnarum & flagellorum, quæ postero die erat perpessurus, illam exercuerit, & præclaram suæ voluntatis indolem in illa generosè manifestaverit: *Appropinquans etiam Passioni Saluator, infirmantium in se vocem sumpsit, ut cùm nos imminet, quod fieri volumus, sic per infirmitatem petamus, ut non fiat, quatenus parati simus, ut voluntas Conditoris nostri, etiam contra nostram voluntatem fiat.* Vt ad eius exemplum, nos idē præstemus. Itaque tametsi hæc actio Saluatoris multis alijs titulis fuerit summa laude digna, illam tamen circumstantiæ plurimum extulerunt, excellentissimamque effecerunt. Nunc igitur, submissio Pauli æmulatur Christi submissionem, & in hoc singulari, iuxta obseruationem doctissimi Lyræ, competit cum Christo, eique par, & æqualis videtur; ad conspectum enim persecutionum, flagellorum, naufragiorum, &c. quæ ipsi imminent, hæc effatus est: *Domine, quid me vis facere?* Quia enim Dominus ei revelauerat, quod esset plurima passurus, suam diuinæ conformauit voluntatem: *Vidit in raptu præmia beatorum, quæ excedunt totam facultatem, viditque non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram gloriam &c.*

Luc. 22. v. 42.

Beda in caten. D. Thomæ hic.

Lyra apud Lorin ad illa verba: Ego ostendam illi.

4. Vtinam Fideles Christi, essemus nos adeò fœlices, quòd hodiè nostram celebraremus Conversionem, & ad imitationem Pauli, omninò nostram subijceremus voluntatem diuinæ, eique nos totos devoueremus, & polliceor vobis, quòd salutarem in nobis mutationem experiremur. Audite, & grato animo accipite præclarum, & apprimè necessarium regij Prophetæ monitum, quod nobis in Psalmo præscribit exequendum: *Benedic anima mea Dominum.* O anima mea, cupis placere Deo? Secum loquitur agens partem peccatoris, & in se omnium peccatorum personam repræsentans, seu exprimens; vis illi seruire, vis eum magnificare, & laudibus extollere? Eia, præstò est remedium

Psal. 102. v. 1.

Ibid. v. 5. medium: *Renouabitur ut aquila iuuentus tua*, id est, renovetur, & refloreat juuentus tua, quemadmodum aquila, depositis antiquis plumis, juuenescit. Duo sunt præcipuè pro explicatione huius versiculi adnotanda. Primum, quænam sit hæc aquila, & alterum, quæ, qualesve sint proprietates aquilæ in sua renovatione. Suppono doctrinam quamdam valde familiarem, & communem magni Patris Augustini, nimirùm optimum, & sanissimum modum interpretandi sacram Scripturam esse, quòd unus Textus, per alterum elucidetur; quo dato, deprehendi, & incidi in quemdam locum Libri Iob; ubi suprema Dei majestas speculo patientiæ sanctissimo Patriarchæ Iobo, inter alias, hanc proposuit quæstionem soluendam:

Iob 39. v. 27. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila?* id est, putasne quod imperio tuo obsequetur aquila? *in arduis ponit nidum suum*, id est, in fragosis rupibus, & præruptis montium fastigijs collocat nidum suum, & consequenter ad hæc tres indicat proprietates illius. Ecquæ aquila est hæc, de qua loquitur Dominus Deus, vel de quo interrogat Deus Iobum sub hac metaphora aquilæ? Sacri expositores in varias distrahuntur opiniones, ex omnibus tamen selegi placitum Glossæ Ordinariæ, tamquam votis, & desiderio nostro maximè appositum, &

Glossa Ordin. commensuratum: *Hoc intelligitur de Paulo, qui post raptum ad tertium cælum, descendit ad subsidium peccatorum.* Aquila illa gloriosa est S. Paulus, qui raptus velocissimo volatu usque ad tertium cœlum, fixis oculis intuens Solem illum inaccessibilem diuinæ essentiæ, delicias interminabiles gaudij prægustauit; ibi pastus fuit cibo illo cœlesti Deitatis vescens, & fruens oculis, quod in terris, puta Ecclesiâ militante,

Rom 10. v 6. nobis per aures communicatur: *Quia fides ex auditu*, ut ipsemet edoctus nobis ostendit. Et aquila, teste S. Iobo, volatum habet indefessum, & perennem, omnia huc illucque ocyssimè pervolat, & pernici cursu cuncta perlustrat, & tamen haud-quaquam fatigatur. Hanc proprietatem videtur ei accommodare S. Ioannes

D. Chrys. tom. 5. lib. de Orando Deum. Chrysostomus, dicens: *Paulus per totum Orbem terrarum volat, alatus discurrens*, alas ei, tamquam regali aquilæ, volatumque adeò constantem, attribuit, ut totum peragrauerit orbem terrarum, uti cantat S. Mater Ecclesia in hodierno Festo: *Deus, qui universum Mundum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti.*

5. Ad rem redeamus. Considerate mecum in Paulo modum, quô aquila renovat juuentutem suam, ut omnes ad imitationem ipsius totis viribus enitamini idipsum præstare. Sanctus

D. Basil. in Hexamer. Basilius Magnus rem novam, & peregrinam de ea enarrat, videlicèt, quòd, quando se sentit senescere, & annis grauem, librat se in altum, dirigitque volatum suum contra ardentissimos Solis radios, concutit alas suas, & vehementi agitatione, calore incensa, demittit se in stagnum aquarum, & penetrante frigore poros corporis illius, facili negotio deplumatur. Ascendit igitur divinus Paulus directè contra Solis impetum, concutit alas suas, & pertingit ad Thronum Dei, incenditurque calore, igneque amoris, & timoris, & inde se demittit in stagnum aquarum Baptismi, & pœnitentiæ. Intingit eum Ananias aquis novæ regenerationis, seu baptismi, & mansit ille Damasci

Act. 9. v 9. per triduum absque cibo, & potu: *Non manducauit, neque bibit*, ingemiscens haud dubiè, & præteritas ignorantias, perditissimosque mores vitæ suæ, lacrymis expians, & deplorans. Quo facto, abjecit veteres peccatorum plumas, & in vas electionis Dei commutatus est. Et si tu, ô Christiane, desideres hodie renovare juuentutem tuam, veteremque pilum, & plumam vitiorum tuorum deponere, seu exuere attolle alas terrenarum cogitationum tuarum, & evola ad cœlum, time Deum, ipsum super omnia dilige, qui optatissimus est amoris nostri scopus, & finis. Obverte tergum tuum, & desere terram peccati, quod, velut onus graue, hactenus cor tuum depressit, & grauauit, & tandem demitte in stagnum Sacramentorum, & immerge te balneo lacrymarum, ut sic ablutus reuiuiscere valeas. Ita sanè, *renovabitur, ut aquila, iuuentus tua.* Paulum, aquilam illam divinam imitaberis, plumas veteres excuties, pristinumque Adamum exues, ingredietur lux gratiæ habitaculum animæ tuæ, eamque divina claritate illustrabit, & hoc pacto fiet perfecta conversio tua.

6. O, Pater mi, sum ego vas contumeliæ, sum ego miserrimus peccator, tot iam annis exul à gratia Dei, qui prodegi omnem substantiam animæ meæ, sum sentina, & cloaca omnium vitiorum, qui non sum dignus altitudinem cœlorum intueri, neque ad hoc mihi vires suppetunt. Hoccine credis, ô peccator? Eia bono esto animo, resume vires, qui convertit Paulum, furijs invectum, dum maximè effrenis diuinam lacesseret bonitatem, uti perpulchrè notauit

D. Thom. 1.2 q. 112. a. 1. 2. ad 2.

tauit noster Angelicus Doctor: *Subitò cùm esset in progressu peccatorum, motum est perfectè cor eius à Deo audiendo, & addiscendo, & veniendo, & ideò subitò gratiam consecutus est*; id est, dum maximè eius ferveret impietas, eiusque proteruia diuino obsisteret lumini, misericors Dominus eius illustrauit mentem, ille ipse consimili secum utetur misericordia. Hanc ob causam referens Sanctus Apostolus suam conversionem, tanto studio nobis inculcauit Dei misericordiam, & benignitatem: *Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*. Ac si diceret: Venit Christus saluare peccatores: lætentur ergò omnes, quantumcunque grauissimis oppressi sceleribus, neque despondeant animo, quia ego, maximus omnium, misericordiam sum consecutus. Ecquid Dominus Deus in illo prætendit? *Ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam*, ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet omnem patientiam, & mansuetudinem cordis sui erga peccatores eum offendentes, quæ adeò immensa est, ut, quamvis ego grauissimè omnium deliquerim, itamque eius iustissimam provocauerim, mihi tamen per infinitam suam bonitatem pepercerit, & innumeram delictorum multitudinem condonauerit. Carpit ingeniosè Theodoretus verbum illud, *Ad informationem*, & enucleans Emphasim illius, asserit Apostolum uti metaphora Medici expertissimi, qui accedens ad Civitatem aliquam, exhibet præclara artis, & experientiæ suę iudicia, ut sibi magnam apud omnes conciliet opinionem, ostendit infirmum aliquem, quem iam desperatâ valetudine pristinæ sanitati restituit, quo exemplo cæteris spem addit, quòd etiam periculosissimam curabit infirmitatem, quodque ad eum accedentes, etiam gravissimè laborantes, quantocius liberabuntur: *Quemadmodum medicus, cùm in unâ domo multi simul ægrotant & omnes de salute desperant, si unum pessimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis, ad perfectissimam sanitatem adduxerit, facit, ut alij omnes bono sint animo, & fiduciam concipiant; ita Dominus Christus animarum medicus, cùm factus esset homo pro salute peccatorum, Saulum Ecclesiæ persecutorem iniquissimum, non solùm à prioribus liberauit maculis, sed maximis etiam donis cumulauit, & exornauit*. Vultisne, inquit Paulus, certam, securamque habere instructionem viscerum misericordiæ, & pietatis diuinæ ergà peccatores? convertite oculos vestros in me, qui blasphemus, contumeliosus, pessimus persecutor, & conjuratus Dei hostis fui, qui non tanto desiderio vitam, & salutem optaui, quanto odio studui memoriam Dei exterminare, & tamen ipse gloriosus residens in cœlis, ad terram descendit, ut me illuminaret, & ad veritatis agnitionem converteret; utque hoc facto comprobaret se tanto amore affici ergà unum peccatorem, ut causâ illius, si necessum fores, denuò è cœlis descenderet, naturam humanam assumeret, & atrocissimam mortem Crucis subiret. In quem finem existimat Angelicus noster S. Thomas: *Epistolas Pauli frequentari in Ecclesia, ut ex hoc peccatores ad spem veniæ erigantur*, quasi non ob aliam causam legantur in Missis Epistolæ Pauli, quam ut animentur peccatores, fiduciam concipiant remissionis, & veniæ peccatorum suorum, utque certò certius sibi persuadeant, se etiam turpissimorum criminum labe pollutos, celerrimam obtenturos indulgentiam; tametsi enim summi peccatores remotissimè fuerint à Deo elongati, eiusque gratia exciderint, & voluntate sua diuinæ extiterint difformes, subitò, & in momento, nisi, uti Paulus egit, diuinæ restiterint motioni, sed cum illo Dei acquieverint inspirationibus, se in alios viros commutatos experientur. Et, quemadmodum de eo affirmat S. Bernardus, quòd, *suam ita abiecit voluntatem, ut nec etiam proprium cor haberet*, idem de illis affirmari poterit, & audacter cum illo proferre poterunt: *Domine, quid me vis facere?* & tandem cum sancto Petro: *Quid ergò erit nobis?*

1. ad Timoth. 1. v. 15.

Theodoret. in 1. ad Timoth.

D. Thom. in prolog. in Epistol. ad Rom.

Amen dico vobis, quòd vos, &c.

CONSIDERATIO III.

Fuit sanctus Paulus singulariter donis quibusdam cœlestibus dotatus, & in iis reliquis Sanctis prælatus, & veluti Antesignanus, palma donatus.

DVo genera reddituum, seu præmiorum pollicetur Christus Dominus in hodierno Evangelio mundum contemptui habentibus, aut quidpiam eius amore relinquentibus. 1.
Vnum in præsenti, & transitoria vita, & alterum perenne, sed perpetuum in futura, in hoc sæculo fœnus centesimum: *Centuplum accipietis*, & in cœlis vitam perpetuam: *Et vitam*

æternam

æternam possidebitis. Idque tanta certitudine, ut solutioni promissionis suam oppignoraverit omnipotentiam, & verbo suo irrefragabili securitatem illius confirmaverit. Verùm seriò observandum est, quod ad hanc solutionem obtinendam, & hisce redditibus seu præmiis fruendum, necessaria sit renuntiatio rerum terrenarum, ut nempe priùs valedicamus mundanis, & caducis, & Christum Redemptorem presso vestigio sequamur. Hic namque familiaris est modus agendi Christo, quem communiter cum servis suis observat; sed longè aliter egit cum Saulo, antequam enim ipse sequeretur, aut se divino consecraret obsequio, jam Deus eum suis donis & speciali favore prævenit, & quasi anticipata solutione futuram ejus caducarum rerum abdicationem remuneravit.

2. Idcircò David extollens munificam Dei liberalitatem, ostendensque quàm exactè Deus remuneret etiam in hoc seculo obsequia sibi præstita, in hæc verba effatur: *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus*, id est, adeò munificus es & amans omnium, ut etiam maximè egeno optima quæque & delicatissima fercula porrexeris. Res ita se habuit in tempore caritatis annonæ, quo populus gravissimè conflictabatur, & summam omnium, præsertim eduliorum penuriam patiebatur, quia in deserto commorabatur, tūc suavissimum ac dulcissimum panem de cœlo præstitit ei, in symbolum convivii quod nobis modo præparat in Ecclesia sua, dando scil. Eucharisticam cœnam, seu Sacramentum Altaris. Hic est sensus litteralis horum verborum, in mystico autē voluit David insinuare exactam compensationem, qua Deus eorum remunerat obsequia, qui amore ipsius mūdum deserunt, & paupertatem voluntariam profitentur. Porrò ego perscrutans varias Authorum opiniones, reperi versionem quandam Tygurinam, quæ mihi ansam præbuit explicādi, & exponendi ea de immensa liberalitate Dei erga sanctum Apostolum Paulum in hoc solemni die miraculosæ eius conversionis: *Præparasti in dulcedine tua pauperi Deus* hoc est, anticipatè, ô Deus, præparasti dulcedinem, & delicias gloriæ tuæ illi, quem præsciebas & præcognoscebas amore tui pauperem futurū. Non expectasti, quousque paupertatem esset amplexus, & relictis omnibus te sequeretur, sed præveniendo merita ipsius, officia futura præsenti beneficio compensasti, eique aditum cœlorum reserando, ad possessionem bonorum æternæ beatitudinis admisisti. Non novi alium Sanctum, præter gloriosum Paulum nostrum, cui hæc ad litteram adaptari queant, & forsan ad hoc allusit, quando tanta suavitate absorptus in similes prorupit voces: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illū.* Explicate, & extendite oculos vestros, quātùm poteritis, auscultate nova, & peregrina omnia, quę ex maximè dissitis regionibus, ex toto inquam orbis terrarum ambitu referuntur, seu narrantur, laxate habenas imaginativæ vestræ, & apprehendite cogitatione vestra omnia, quæ sub objecto intellectus vestri cadere possunt, & ut paucis dicam, fingite quæcumq. magna, & pretiosa, omnia nihil sunt cum delitiis gloriæ, quas Deus electis suis præparavit, comparata. Alludit Sanctus ad raptum illum, in quo ineffabilia vidit Sacramenta, quæ nec lingua valet eloqui, nec humanum ingeniū perspicacitate sua assequi potest. Præparata inquit Deum habere hæc bona, & reservata amicis suis, quia, cùm omnimodè in ejus beatifica visione consistant, ab æterno illa præparavit, quamquam ea possidere, propriè loquendo, ante merita singulare fuerit privilegium soli Paulo concessum. Et de eodem rectè, maximoque fundamento verificari potest, & debet illud: *Præparasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

Psal. 67. v. 11.

Tygurina hic.

1. Cor. 2. v. 9.

3. Ecquis favor magis singularis, quàm quod Christus præstet pro solo Paulo, quod pro toto fecit mundo. *Tu autem idem ipse es &c. filij servorum tuorum habitabunt.* inquit regius Vates, quæ verba hunc reddunt sensum: Tu, Domine nequaquam similis es rebus fluxis, & caducis, quæ hodie subsistunt, & cras in aliud mutantur, & evanescunt, sed potiùs, tamquam in centro & loco suo habitabunt servi tui, & requiescent. Accipite magnum Pontificem Gregorium: *Locus hominis ipse conditor extitit, qui hominem, ut in semetipso consisteret, creavit.* Ordo naturalis fuit, ut homo se moveret, & Deū quæreret, Deus autem tamquam terminus, & finis omnis motus ipsius, quiesceret. Supponit sanctus notissimam illam Philosophiam de loco, & locato, seu eo quod locum occupat, nimirùm, quod locus semper sit permanens, & immobilis, locatum verò moveatur, & mutationē subeat; & quia Deus est locus hominis, æquum erat, & rationi consonū, ut homo se moveret, & motu suo eum, tamquam centrum suū,

Psal. 101. v. 28. & 29.

D. Greg. Magn. lib 8. moral. c. 15.

quæreret: & Deus propter nimiam charitatem, qua eum prosequitur, invertit ordinem rerum, seu mutavit vices, ita ut ipse immutabilis descenderit, ad quærendum hominem: *Ipse fugitivi sui vestigia subsequens, ad retinendum, quem amiserat hominem, locus venit.* Eumdem efformavit conceptum idem Sanctus alio in loco ponderans celebratissimam illam Dei deambulationem: *Deambulantis ad auram post meridiem.* Vbi pereleganter idem Pontifex: *Post peccatum hominis in paradiso, Deus iam non stat, sed ambulat.* Peccavit homo, & cùm Deus foret connaturalis ejus locus, & eum non quæreret, movet se Deus, eumque quærit, ut ad se revocet aberrantem. Miracula sunt hæc, quæ solus amor divinus efficit, uti disertè & ingeniosè in Sermone Nativitatis Domini S. Fulgentius animadvertit: *Homo Deum contemnens à Deo discessit: Deus hominem diligens, ad hominem venit inaudito miraculo.* Hæc igitur amoris indicia, quæ Deus universo orbi, cunctoque hominum generi exhibuit, hodie solius Pauli amore præstitit, quasi non minoris faceret solum Paulum, quam cæteros collectivè, seu reliquos homines. Et ne videatur hic discursus noster minus solidè fundatus, adnotate verba, quibus Sanctus supremum Incarnationis beneficium, seu adventum Filii Dei immundum, describit: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* Vbi magna ingenii dexteritate animadvertit Angelicus Doctor, Deum non apparuisse tantummodo uni populo, uti alio tempore solis Hebræis, sed universo orbi terrarum: *Hac autē gratia non proponitur uni solum populo Iudæorū, sicut olim, sed omnibus hominibus.* Et enarrans apparitiones, quibus Salvator post gloriosam Resurrectionem suam dignatus est Discipulos suos cohonestare, singulariter commemorat illam, qua idem Salvator post admirabilem ascensionem ad cœlos dignanter sibi apparuit. Ad hunc siquidem modum explicat verba illa Angelicus noster S. Thomas: *Novissimè autem omnium, tamquam abortivo, visus est mihi.* Itaque iteratò descendit Christus è cœlis ad terram, juxta saniorem sanctorum Patrum doctrinam, propter salutem unius Pauli, hoc namque ei insinuare voluit Ananias, quando destinatus à Deo, ipsum quærebat ad baptizandum: *Dominus Iesus, qui apparuit tibi in via*, id est, Dominus Iesus, qui tibi apparuit in via, qua veniebas, præcepit mihi, ut aquis baptismi te abluam, & implearis Spiritu sancto. Premitte verbum illud *apparuit*, est etenim idem, quo Apostolus usus est, ad delineandum nobis adventum Verbi incarnati in mundum: *Apparuit gratia Dei, &c.* in confirmationem eorum quæ dicimus, nimirum, quod Deus quodammodo tantum fecerit descendendo è cœlis in terram, ad convertendum Paulum, quantum præstitit descendendo è solio gloriæ suæ, ad salvandum totum genus humanum: *Apparuit omnibus hominibus*, & antea: *Apparuit tibi in via.* Eodem termino & verbo utitur Sanctus Lucas ad referendum descensum, & apparitionem Christi, quando venit quærere Paulum ad convertendum, quo utitur Paulus ad enarrandum eam, quando venit quærere homines, ad salvandum.

(Margin: Genes. 3. v. 8. — D. Greg. lib. 28. moral. c. 3. — D. Fulgent. Serm. de Nativit. — Ad Titum 2. v. 11. — D. Thom. hic. — 1 Cor. 15. v. 8. — Actor. 9. v. 17. — Videte Lorinum hic.)

4. Pauca sunt, quæ dixi, si cum jam dicendis comparentur. Majoris videtur Christus æstimasse unum Paulū, quàm omnes cœlestes Hierarchias Angelorum. Quis Pastor, inquit Salvator noster, habens centum oves, si unam perdiderit ex illis, *Nonne dimittit nonaginta novē in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam*, cumque invenit eam, imponit humeris suis gaudens & rediens ad sodales, & amicos suos dicit: Congratulamini mihi, quia ovē, quam perdideram inveni. Interpretes sacri varias assignant huic parabolæ explicationes. Gloriosi SS. Ambrosius, Gregorius, & alii antiquiores Patres, Angelos intelligunt, quos divinus Pastor reliquit in excelso cœlorū monte, tum quia homo, respectu Angelorum, est unus inter centum, tum etiam, quia novem sunt chori eorum, & in singulis sunt annumeratæ species cœlestium spirituum, per ovem autem perditam, hominem peccatorē denotari volunt. *Dimittit nonaginta novem in deserto, quia scilicet Angelorum choros reliquit in cœlo, & ut perfecta summa ovium integraretur in cœlo, homo perditus quærebatur in terra.* Verba sunt S. Gregorii, ex quibus luculenter apparet, quanti Deus æstimaverit hominem, & in iis unà comprobatur argumentū infiniti amoris, quo Deus eum diligit, qui tamquam verus, & bonus pastor, majorem gerit curam hujus perditæ ovis, quam aliarum nonaginta novem, quas salvas, & incolumes reliquit in deserto. O quam perditus ibat Saulus, velut ovis errabunda, nisi Deus eum perquireret, absque remedio remaneret, & procul dubio periret. Non sisteret gradum in perversitate sua, sed indies in deteriora scelera prolaberetur, & de peccato in pec-

(Margin: Lucæ 15. v. 4. — D. Amb. lib. 7. in Lucam. — D. Greg. in caten. — D. Thom.)

in peccatum præcipitaretur, luce enim meridiana clarius est, peccatorem non hærere, aut pedem figere in malitia sua, unum siquidem crimen aliud invocat, abyssus enim abyssum invocat, & unũ damnum alterum provocat, & singulis horis impius, & depravatus homo se novis commaculat sordibus. In hoc tanto miseriarum barathro virtutem, & potentiam suam adeo manifestavit amor divinus, ut è cœlis in illum oculos misericordiæ, & pietatis suæ converterit, neque solo benefico visu contentus, ipsemet animarum pastor, & sponsus, denuò descenderit in mundum, & deserens Angelicam societatem, venerit ad perquirendũ, Paulum, & quid dico, perquirendum, non solum multum studij posuit in perquirendo eo, sed etiam eumdem rogavit, &, ut melius loquar, eius reditum ad ovile, & gregem, summis precibus sollicitavit. Et graviter advertendum est, quod, quando Filius Dei descendit è sinu Patris ad hanc miseriarum vallem, ad quærendũ homines, idcirco fuerit, quia, adnotante S. Gregorio, sine illis numerus beatorum fuisset incompletus, & imperfectus; postquam Deus statuerat, & suæ voluntatis decreto firmaverat, quòd homines, sedes, per lapsum, & ruinam Angelorum evacuatas, occuparent. Et toto illo temporis intervallo, quo Deus in cœlis contubernio hominum caruit, videtur quodammodò malè contentus, & impatiens quietis, ipsaque cœlestis gloriæ Curia, quasi inculta solitudo, & desertum. Verum, quando venit ad perquirendum Paulum, iam cœlum erat inhabitatum, multisque frequentatum incolis, ipseque Dominus jam Sanctos ad societatem suam admiserat. Et nihilominus nondum ei satisfactum erat, quasi desiderato uno Paulo, (liceat nobis agresti modo loqui) nullum adhuc haberet consortium. Ne videar vobis paradoxa eloqui, quia tam mira, & inaudita fecit Christus ad revocandum hanc perditam ovem, ut, perpensis omnibus circumstantiis, nobis præbuerit occasionem dicendi, ipsum quasi multò maiorem habuisse sollicitudinem in accersendo uno Paulo, quàm in tota humani generis natura perquirenda.

5 Non excedemus limites veritatis, meo judicio, si hanc doctrinam, fundati in sanctis Patribus, & sacræ scripturæ testimoniis, paululum extulerimus, & dixerimus, ipsum Christum pluris æstimasse obsequia, & officia sibi à Paulo præstita, quàm ea, quæ ipsemet pro mũdi redemptione operatus est. Prudenter, & ingeniosè observavit Theophylactus, quod Apostolus, commemorans ea, quæ pro Christi nomine, & gloriâ pertulerat, dixerit, quòd patiendo suppleverit defectũ passionis illius: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Quæ verba in sensu Grãmatico sumpta, videntur malè sonantia, & rigidis digna censuris, quia primo intuitu videãtur innuere aliquid tã copiosæ redemptioni defuisse, sed nodũ difficultatis solvit præfatus Author, enucleans mẽtem Pauli in illis expressam, itq; perinde fuisse ac si diceret, tanta benevolentiâ nos dilexit amantissimus Dominus, tantamque nobis amoris sui benignitatem apud nos testatam reliquit, ut, perpessis, amore nostrûm, plurimis tormentis, se nondum officio suo satisfecisse demonstret. Et quasi omnia nihilum fuissent; neque amor hactenùs exactè suas probasset vires, denuo in me patitur, qui omnium minimus sum, & servorum illius facilè humillimus: *Quod existimet nondum passum, quod debuerit*, inquit disertissimus Pater. Hocce mysterium adnoto ego in eo, quòd Apostolus vocat merita sua formam, & complementum passionum Redemptoris nostri. Forma alicuius rei, secundũ Philosophiam, est, quæ tribuit perfectionem, & absque ea res imperfecta denominatur. Affirmat igitur Paulus tribulationes, & persecutiones suas fuisse formam, & complementum passionum Christi, quia absque illis omnia reputat hic Dominus modica, & incompleta, quæ amore hominũ fecit & toleravit, nisi hac forma perficiantur, & exornentur. Ideoq; minimum Pauli factum maximi æstimat, & sua, quantumvis maxima, flocci pendet. Fortasse hoc mysterium continent verba illa, quæ iam alibi expendimus, & quæ Christus Ananiæ dixit: *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* In quibus declaravit onera, sub quibus Paulo erat munus prædicationis Evangelicæ commissurus, & positurus in eo nomen suum sanctum, ut portaret illud coram Regibus, & gentibus universis, videlicet, quòd propter fidei propagationem innumeras esset passurus tribulationes, ardua quæque tolerans, ut hoc nomen sacratissimum per fidem & amorem cordibus hominum, quos erat conversurus, altiùs impressum remaneret. Capio illud nomen, *quanta*, quot adversa, quot tribulationes quot ærumnas quot miserias, quot carceres & vincula, quot nau-

Ad Colossens. 1. v. 24.

Theophylact. hic.

Actor. 9. v. 10.

naufragia, quot afflictiones in fame, & siti, quot flagella, quot, quantasque persecutiones propter justitiam, omnia hæc sonat, *quanta*, & millies plura. Quæ omnia complexus est S. in illis verbis ad Corinthios: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modū, in mortibus frequenter.* Ita ut, conferendo illud, *Adimpleo, Pauli cum illo quanta*, Christi, non minus manifestam, quàm veram eliciamus resolutionem, videlicet, Christum Salvatorem indicasse, se maioris pensi habuisse minimum, quod egit Paulus amore sui quā infinitū illud, quod sua Maiestas causa nostrum præstitit, quia hoc maximum minimi facit, & illud minimum maximi æstimat. Quæ cùm ita sint ex dictis in hoc discursu dilucidè comprobatur propositio Considerationis nostræ, nempè gloriosum nostrum Apostolum in plurimis donis, & favoribus supernis, primas tulisse, & reliquis Sanctis fuisse prælatum, & cum nullo alio posse conferri, quia nullum alium novimus Sanctum, cui Dominus, (vel in redditu vitali, aut in perpetuo æternitatis præmio) tam munificè obsequia præstita tali, tantaque mercede remuneraverit, cùm tamen in compensationem, & exactam illorum retributionem, suam oppignoraverit omnipotentiam in hodierno Euangelio: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

2. Cor. 11. v. 23.

Cum sederit Filius hominis, sedebitis & vos, &c.

CONSIDERATIO IV.

Ad tantum dignitatis gradum evexit sanctum Paulum divina Maiestas, ut quasi Christo par, & æqualis fuerit, & aliquando vices egerit Christi, quasi ipsemet Dominus fuisset.

1 IN celeberrimo illo catalogo nominum, quem Euangelicus Vates componit, quæ omnia juxta sancti Hieronymi doctrinam, sunt nomina Christi Salvatoris nostri, apponitur primum nomen admirabilis: *Vocabitur nomen eius admirabilis.* quia vita, eiusque mors tota fuit admirandū prodigiū, undè Virgo, eiusque sponsus Ioseph, continua quadam admiratione suspensi detinebantur. Anno duodecimo ætatis illius, Doctores omnes stupescebāt, & ānno trigesimo inimici eius vehementissima capti admiratione interrogabant, undè hic litteras scit, cùm non didicerit? Auditores attoniti, eius doctrinam, veluti divinam, & admirabilem celebrabant, populi, & nationes omnes obstupescebant, Angeli stupore correpti, inclamabant, quis es iste, qui è mundo ascendit? Sed non legimus usquam hoc nomen appellativum fuisse impositum Servatori nostro; &, si curiosiùs investigare libuerit, quisquam hoc glorioso cognomine fuerit gavisus, reperiemus, juxtà saniorem expositorum opinionem, illum fuisse S. Paulum, cui Christus Dominus, in assumptione ad Apostolatum, nomen Sauli in Paulum commutavit, quod cognomē secundùm adnotationem docti Salmeronis, sequentis vestigia S. Hieronymi, admirabile significat: *Paulus scilicet, admirabilis*, quod est nomen Christi Redemptoris. Vt itaque exactè adimpleretur vaticinium Isaiæ, neq; solus Christus foret admirabilis in operibus suis, sed etiam in nomine, voluit divina maiestas, quod hic novus Apostolus tanto, tamque excellenti condecoraretur honore, ut etiam eodem gauderet nomine, quo Salvator è cœlis fuerat exornatus, & dotatus. Quasi iam recens conversus, existeret adeò æqualis Christo, ut idem foret unum, ac alterum indigitari admirabilē, ad verificandum sacrum illud Isaiæ vaticinium.

Isaia 6. v. 6.

Salmeron, & S. Hieron. Comm. in Epist. ad Philip.

Maiori autem attentione observavi, quòd Dominus noster non tantū Paulo concesserit sacrosanctum nomen suū, quoad dignitatem, & excellentiam, quantum etiam, & quidē magis propriè, quoad virtutem, & efficaciam eiusdem. Excipite aliud Isaiæ testimonium, quod cuilibet magnam pariet admirationem: *Et apprehendent septem mulieres virum unum dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimētis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomē tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Veniet tempus in quo septem mulieres unanimi amore sollicitabunt affectum viri unius, idque adeò sine dispendio illius, ut ipsæ sint promissuræ illi vestimenta, & cætera quæque rei domesticæ necessaria, hac sola lege & conditione, ut nomine suo illas protegat, & defendat. Res stupēda, & millies admirāda! Indagat magnus Origenes, quæ, qualesve fuerint septē illæ mulieres, & quis vir ille, cuius amorem ambiunt? & quod nomen, quo tantopere frui, & gaudere gestiunt? & paucis, sed elegantissimis verbis, ad singula respondet: *Quid est innovetur nomen*

Isaia 4. v. 1.

Origen. hom. 4. in

men tuum super nos; ego sum sapientia; volo tuo nomine vocari, ut ego sapientia dicar Iesus, ut intellectus, & consilium magnum, & fortitudo, & scientia, & pietas, & timor Dei nominetur Iesus, ut omnia in omnibus nomen tuum fiat. Hæ ergo septem mulieres, sunt septem dona Spiritus sancti, vir autem ille, cuius avide amorem expostulant, est Christus Dominus, nomen autem, quod super se invocatum cupiunt, est sanctissimum nomen Iesu, ut per hoc vindicent se ab iniuria, & opprobrio, quod pati coguntur, idemque sonat, ac dicere, quod virtutes patiantur opprobrium, videntes vilipendium hominum, qui immersi rebus terrenis, & transitoriis huius vitæ deliciis inescati, obliviscuntur gaudiorum æternæ beatitudinis, quapropter singulæ virtutes, cupientes a se propulsare iniuriam, quælibet earum exoptat vocari Iesus, pollicens sibi per virtutem huius dulcissimi nominis, certa, & maiora donorum incrementa. Isaiam.

3. Authores quidam non infimæ notæ existimarunt, gloriosum nostrum Apostolum ante conversionem suam fuisse appellatum Saulum, novum vero nomen Pauli a Proconsule Sergio Paulo desumpsisse, quem baptizavit, & ad fidem Catholicam convertit, habetque hæc sententia gravissimos Doctores sibi patrocinantes, inter quos SS Hieronymus, & Angelicus noster Thomas; ast ego, salva tantorum virorum venia, oppositum omnino verisimile, & probabile reputo. Ratio autem, quia ad id ipsum asseverandum moveor, hæc est, quia non apparet decens, quod Magister nomine Discipuli appellaretur, sed potius quod baptizatus, baptizantis nomen assumeret, idque fecit Sergius, qui mox, ubi aquam baptismalem recepit, addidit nomini suo appellativum Pauli, in memoriam beneficii, quod ab Apostolo acceperat, ut & Deus per virtutem illius nominis eum conservaret in fide, gratiãque tribueret, qua ipsi digne obsequi, & servire posset. Persuasit itaque sibi Proconsul, recens ad fidem conversus, tantam esse virtutem, & efficaciam nominis Pauli, ut sufficeret eo nuncupari, ad obtinendum summam virtutis perfectionem. Ecce, hic Vaticinium Isaiæ: *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Quemadmodum ex nomine Christi, virtutes suum sperabant profectum, & incrementum, ita ex nomine Pauli præstolabatur Proconsul Sergius suarum virtutum, & sanctitatis augmenta. Audierat forsitan Sergius, Apostolum Paulum esse vas electionis à Deo præordinatum, ad portandum, & vehendum per universum terrarum orbem nomen sanctum suum: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum.* Et prudentissimum hunc potuit efformasse discursum: vas participat liquorem sibi infusum, cum itaque Paulus sit vas sanctissimi nominis Iesu, absque dubio communicavit ei virtutem, & efficaciam, ad eosdem effectus operandum. Summis ergò votis desidero nomine illius insigniri, credens, quod potens erit, ad impetrandum mihi donum perseverantiæ in fide, & auxilium gratiæ, ad proficiendum de die in diem in amore, & servitio mei Redemptoris, qui ipsum vas electionis effecit.

Dixerat Pater æternus per eumdem Prophetam, quòd suus Filius descendens in mundum, totum esset illuminaturus, quodque lux illa non foret concludenda finibus, seu terminis Iudææ, sicuti hactenus fuerat abscondita, sed dispergenda, quemadmodùm claritas Solis ab oriente in occidentem: *Ecce, dedi te in lucē gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Parum est, mi Fili, te esse restauratorem Tribuū Israel, quæ occiderant in Ægypto, ad hoc enim munus destinavi Moysen, & pertigit Iosue, qui filios Israel ad terram Promissionis introduxit. Totum mundum erigere debes à lapsu, & ruina, qua profligatus iacet, hoc enim solius omnipotentiæ Dei opus est, & illuminaturus es nedum Iudæam, sed universum orbem, horrendas, densasque dispellens tenebras, quibus involutus misere luget. Ad hunc modum explicant passim Interpretes hocce Vaticinium Isaiæ, quoad litteram de Christo Redemptore nostro exponitur, sed curiosius animadvertit doctissimus noster Yanguas, S Paulum in Actis Apostolorum eamdem Prophetiam de seipso exposuisse, & de se fuisse locutum Evangelicum Vatem, dum dixit Deus, *ecce, dedi te in lucem gentium, &c.* id est, universi orbis. Paulus in Actis Apostolorum de se dictum dixit illud Isaiæ, posui te in lucem gentium, &c. componendo has duas expositiones, luculenter colligitur, puta id, quod Christus Dominus per semetipsum nō præstitit discurrendo per totum orbem terrarum, eumque personaliter illuminando per claritatem vitæ & splendorem cœlestis suæ doctrinæ, executus est per Apostolum Paulum, de quo egregie cantat S. Mater Ecclesia: *Deus, qui universum mundum*

4. Isaia 49. v. 6. Yanguas serm. 3. huius Festi.

dum Beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti; hoc est, fuit Præceptor totius universi, & radiis Evangelicæ prædicationis, & virture sanctitatis suæ, etiam obscurissimam, & maxime confusam Ægyptum illustravit, & dispulit horribiles Idololatriæ tenebras, cæterorumque vitiorum caliginosas nebulas, quæ totum obtexerant mundum. Quare pro eadem re computantur personæ Christi, & Pauli, quia de ambabus, juxta relatas opiniones, videmus idem vaticinium opere adimpletum, ut innotescat constans veritas Considerationis nostræ, aliquando Sanctum nostrum vices gessisse Salvatoris, quasi ipsemet Dominus fuisset.

5. Existimat S. Ioannes Chrysostomus, considerato fructu, quem prædicatio Pauli fecit in mundo, ipsum Apostolum quædam edidisse vestigia, seu indicia divinitatis, quia non minores effectus protulit in mundo efficax prædicatio Pauli, quam pretiosus Redemptoris Sanguis, pro salute humani generis effusus. Pervolvite homiliam 25. ad populum Antiochenum: *Paulus cum modico tempore prædicaverit, totum attraxit orbem terrarum: etenim animam habebat non minus cœlo trahere idoneam.* Tantam habebat vim persuadendi, ut, velut magnes, corda hominum alliceret, tantamq; dicendi virtutem, ut non esset cœlo ipso inferior, ad permovendum animos hominum, eosque pertrahendum ad veram Conditoris notitiam, & cognitionem. Premo in genio meo verba illa: *totum attraxit orbem terrarum*, & videtur mihi alludere Sanctus ad id, quod Christus per Ioannem pronuntiavit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, id est, quando fuero cruci affixus, omnia ad me traham. Quæ verba, juxta interpretes, hunc reddunt sonum, attraham ad me totum hominem. Ita eminentissimus, simul, & doctissimus noster Hugo Cardinalis: *Omnia traham ad me ipsum, omnia genera hominum, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in artium licitarum, & utilium professionibus omnibus, sive in aliis omnibus.* Suspensus in Cruce, ait supremus Dominus, tam dulci violentia & tanta amoris efficacia permovebo homines, eosque attraham, ut nullus, cuiuscumque status, aut conditionis, reperiri queat, qui virtutem meam evadat, magnos, & parvos, divites, & egenos, Reges, & subditos, Dominos, & servos, sapientes, & ignorantes, & ut compendio dicam, omnes mihi illaqueabo, & è Cruce mihi subiectos, funiculis amoris mihi irretiam, & devinciam: *Omnia traham ad me ipsum.* Sed illico ratio dubitandi occurrit, quomodo aureum illud os Chrysostomi attribuerit prædicationi Paulinæ conversionem totius mundi, cum tamen veritas ipsa, Christus, prædixerit hunc singularem fore effectum Crucis? Dicant alii, quod sentiunt, & intelligunt, opinor ego, Sanctum Antistitem voluisse extollere vim, & singularem efficaciam verborum Apostoli, dum affirmat tantam fuisse eloquentiæ vim Apostoli (forte quia etiam ad imitationem Christi erat exaltatus a terra, & cum eo crucifixus: *Christo confixus sum Cruci*) ut adduxerit omnes gentes, & nationes mundi, ad agnitionem Dei quemadmodum ipse Dominus de semetipso prophetice prædixerat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Ad tantum honoris gradum extulit cœlum Doctorem Gentium, talemque voluit nos opinionem concipere de eius meritis, & sanctitate, ut nobis ansam, & motivum præbuerit cogitandi, ea pari passu currere cum sanguine, & morte Redemptoris nostri. Et conformiter ad hæc optime conveniunt illud Chrysostomi: *Totum attraxit orbem terrarum*, & illud Christi Domini: *Omnia traham ad me ipsum.*

D. Chrys. hom. 25 ad pop. Antioch.

Ioan. 12. v. 32.

Hugo Card. hic

Ad Gal. 2. v. 20.

6. Et si consuluerimus sacra Oracula circa mortem Messiæ, comperiemus ipsi prædictam fuisse per vaticinia mortem decollationis. Hoc namque denotabant illæ obligationes legis antiquæ, & tanta multitudo animalium, seu pecorum, quæ in sacrificiis immolabantur, & nihilominus, videmus Salvatorem mori suspensum in Cruce. Qui igitur vaticinium illud Zachariæ fuit adimpletum: *Framea suscitare super pastorem meum?* Liceat mihi dicere, quod, quia amor transformaverat Paulum in Christum, uti ipse fatebatur: *Vivo autem ego, jam non ego: Vivit vero in me Christus*, idem fuit Paulum decollari, & Christo caput amputari, & dividentibus illis inter se tormenta in Scripturis prædicta, prophetiæ adimpletæ fuerunt. Hunc etiam sensum facere possunt præfata verba Pauli: *Adimpleo, ea quæ desunt, &c.* jam à nobis explicata; id est, quæ Christus cœpit tolerare, Paulus patiendo perfecit. Ecquis Sanctus umquam tanto fuit favore affectus? nisi Paulus, qui promeruit esse vicarius patientiæ Redemptoris.

Zachar. 11. v. 7.

Galat. 2. v. 20.

Nunc

7. Nunc intime penetro rationem, cur Sanctus noster in prolixa illa enarratione tormentorum, & persecutionum, quas pro gloria, & honore Dei sufferebat, tam exacte omnia enumeret: *Esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur.* & super omnia: *Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus*; id est, gratias agimus Deo, quia nobis vires ad patiendum, & cuncta tolerandum donat, & tribuit. Plurima sese offerunt in hisce verbis magna ponderatione digna; singulariter tamen carpo dictum Apostoli, blasphemamur, & recordor me legisse in sancto Thoma, blasphemiam proprie esse vitium quod opponitur fidelitati, & attribuit Deo, quod repugnat, vel negat ei, quod convenit, ore vel corde: *Blasphemia vitium ad infidelitatem eatenus spectat, quatenus per illam homo corde, vel ore, secundum intellectum, vel affectum Deo tribuit, quæ ei non conveniunt, vel negat, quæ ei conveniunt.* Data hac Angelici Præceptoris doctrina, & quod blasphemia ex natura sua respiciat principaliter Deum, eiusque primarium objectum, sit divina bonitas, cui derogat, quonam fundamento asserit Paulus se continuo blasphemari, quasi ex homine, qualem se esse ingenue profitetur, *scio hominem, &c.* foret in Deitatem trans formatus? Dicam, quod sentio, cum passiones Pauli essent complementum, & ultima perfectio passionum Christi, in sensu jam dicto, quamquam sentiret ut homo, sed patiebatur quasi Deus, & idcirco non est æquum, quod dicat illos sibi obmurmurare, sed se blasphemari. Tot titulis, & modis fuit gloriosus noster Apostolus æqualis Christo; etiam in hac mortali vita, sæpiusque in multis eius gessit vices, adimplevit ea, quæ deerant, passionum Christi; in quo gavisus fuit privilegio hominis divini, superior effectus cæteris Apostolis, quibus Dominus in Evangelio promittit, quod in extremo judicii die, tamquam assessores eius, sedebunt ad judicandum universum terrarum orbem: *Sedebitis, vos &c.*

D.Thom. 22. q. 13. art. 1.

Cum sederit filius hominis, sedebitis, & vos.

CONSIDERATIO V.

Attenta, & visa admirabili Conversione Pauli, potest, & debet etiã perditissimus quisq; peccator sperare suam: estque potentissima eius intercessio mediũ efficacissimũ ad eam impetrandã.

Constituit Deus Paulum in Ecclesia sua, tamquam speculum, & exemplar peccatorum: *Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi, in vitam æternã.* Verba sunt eiusdem Pauli ad discipulum suum Timotheum. Ecquid ais S. Paule? tunc primus omnium? Nonne plures alij fuerunt peccatores, antequã tu nascereris? Ab origine, & primis incunabulis mundi jam peccatores extiterunt. & tu ipse idem protestaris, dicens, cum hominibus una peccatores incepisse; etenim primus illorum talis tantusq; fuit peccator, ut nos omnes peccato suo, veluti labe, commaculaverit, & infecerit. Ex his verbis, inquit Angelicus noster Doctor, quidam Hæretici, credentes transmigrationem animarum de corpore in corpus, ita ut nunc morientes, denuo renascerentur, sumpserunt occasionem affirmandi, animam Adami regressam fuisse ad corpus Pauli, & ea propter ipsum merito potuisse dicere, se primum fuisse peccatorem: sed valeat hæc manifesta hæresis, quia fabula est, & cantilena. Nuncupat seipsum Apostolus primum peccatorem, inquit Angelicus Magister, non quidem quoad tempus, sed quoad gravitatem, & enormitatem peccatorũ, quæ phrasis familiarissima est sacræ Scripturæ; scilicet primum in quolibet genere, appellare id, quod est principale, & supremum in illo. Hoc modo dixit Sacer Textus de Alexandro Magno: *Qui primus regnavit in Græcia*, tametsi enim plures ipsum antecesserint Reges in Græcia, fuit tamẽ ipse omnium prædecessorum suorum nominatissimus, quia adeo extendit Monarchiam Græcorum, ut eam facile principem, & supremam totius mundi reddiderit.

1. ad Timoth. 1. v. 15. & 16.

D. Thomas hic

1. Machab. 1. v. 1.

Verum patitur hæc doctrina instantiam, ait S. Doctor, neq; omnino verum est, quod asseritur, quia alii peccatores fuerunt Paulo nequiores; quis enim dubitet quin proditor Iudas maiori se scelere obstrinxerit, quis ambigat, quin Annas, & Caiphas gravius peccaverint, quin & perfidi Sacerdotes maius sacrilegium, & dedecus admiserint; etsi enim Paulus persecutus fuerit Christum, per ignorantiam, minorem reatũ incurrit, ut ipsemet confitetur, *ignorans feci*: ast illi sceleratissimi nequam, invidiæ œstro perciti, non destiterunt, quousque eum Cruci affigerent; quando ergo Apostolus se primum nuncupat omnium peccatorum, & maximum, inquit sanctus Thomas, nullatenus intelligendũ est de omnibus, sed de peccatoribus prædestinatis, qui salutem æternam sunt adepti: *Est primus,*

1. Ad Timoth. 1. v. 13.

D. Thom. hic.

mus, non quod fuerit maximus peccatorum, qui tunc erant, sed maximus inter peccatores salvatos quasi dicat, venit peccatores salvos facere, quorũ, scilicet peccatorum salvatorum, ego sum primus. Et quia fui primus omnium, ideo vitam æternam consecuturi: *Vt in me primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, &c.*

3. Et quando vocavit te, ô Paule, quid respondisti? Numquid in crastinum distulisti conversionem tuam? Haud quaquam distuli: *Cum autem placuit ei, &c. Et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni, & sanguini.* Protinus ut audivi vocem Dei, illi me Comodavi, & deserui quas præ manibus habebam litteras, commissiones, & instructiones, & ita me commisi manibus, & imperio illius, ut dixerim: *Domine, quid me vis facere?* Eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus loco illius, *non acquievi,* transfert ex Hebræo, *nõ contuli, non consului,* id est, non consului carnem & sanguinem in iis, quæ mihi deinceps erant facienda, neq; subieci partem superiorem inferiori, hoc enim foret omnia invertere, sæpius enim pars sensitiva seducit, & deprimit superiorem, quæ sola recta ratione regulatur, & secundum eius dictamen cuncta operatur. Hic, Auditores mei, vere est peccator prædestinatus, qui & nobis in exemplum proponitur, monetque nos, ne in crastinũ nostram conversionem differamus, sed ut quã primum Deo vocanti, eiusq; divinis inspirationibus acquiescamus. Siste gradum, sanctissime Paule nonne, te dicis constitutum à Domino ut in te patientiam suam erga peccatores ostenderet infinitam, & longanimitatem, qua præstolatur illos, immensam? *Vt in me primo ostenderet omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.* Nonne hæc patientia luculentius manifestaretur, si te vocante semel tuis sordibus, & sceleribus, obduratus hæreres; & dicente tibi, delere peccata tua, tu nova committeres, & tanto tu pervicacior in peccatis perseverares, quanto ipse te ferventius rogaret, ut illa contritione, & vero dolore expiares, & deseres? Videor audire respondentem; scito, quod me non elegerit, neq; statuerit exemplar omnium peccatorum, sed salvandorum illorum, de quibus facile conjici potest, esse prædestinatos: *Qui credituri sunt illi, in vitam æternã.* Recte probat Deus in me misericordiæ suæ magnitudinem erga peccatores, atq; ex illa benignitate, qua me misericorditer prævenit, eximiam possunt concipere spem, & fiduciam, quotquot tales sunt peccatores. Ita legit Chrysost. *Ad confirmationem illorum,* idq; insigni declarat metaphora, & similitudine: exempli gratia, si in una civitate populosa omnes essent peccatis obnoxij, & Regi perduelles, inter cæteros autem unus sit omnibus rebellium caput, & antesignanus, & maximo supplicio dignus: si Rex diceret, se velle omnibus culpas dimittere, maximum foret clementiæ argumentum: sed manifestum erit indulgentiæ indiciũ, si videant eum, qui plus omnibus deliquit, venia donatum, quodque eum Rex ad familiaritatem suam assumat, favoribus afficiat, negotiaque Regni, etiam secretissima, confidat: *Nulla enim jã ambiguitas remanere poterit, quin omnibus ignoscere velle existimetur Rex, qui eum absolverit, qui erat præ cæteris peccatoribus insignis, hoc Paulus, ait &c.* Quasi diceret Paulus, liquido ostendit Deus in me prægrandem misericordiam suam: cum enim tam enormia essent crimina mea, tamen me tulit, cunctaq; ignovit, meque suum Apostolum creavit, ut ego maximus omnium peccatorũ, exemplar essem peccatorum prædestinatorum, qui attendere debent, ut mea sectentur vestigia, neq; hac abutantur patientia, sed à Deo vocati, & illuminati, continuo non acquiescant carni, & sanguini. Quando me vocavit, millena mihi caro objiciebat argumenta, fundata in immensa Dei patientia, quibus mihi moram injiceret; tempus adhuc superesse, necdum esse desperatum, Deum esse patientissimum, locumque dare pœnitentiæ; sed his rationibus omninò non acquievi, non enim constitutus sum exemplum talibus divinæ patentiæ illusoribus, quo potius suam possunt timere perditionem, sed prædestinatis datus sum in consolationem, *Qui credituri sunt illi, in vitã æternã.* Tales vero nõ nectunt moras, sed quantocius Dei vocationẽ percipiunt, velociores accurrũt: *Vocavit me per gratiã suam, &c. Et continuo non acquievi, &c.*

Eia igitur peccatores, animet, & corroboret plurimum fiduciam nostram exemplum Pauli, neque flaccescatis animo, aut deficiatis, quantumvis enormia fuerint vestra delicta, securam habetis indulgentiam, quando videtis maximum delinquentem venia donatum: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquã hesterna die quæ præterijt.* Verba sunt regii Vatis, quæ, secundum litteram, hunc reddunt sensum, est vita nostra inutilis, & otiosa, prætereunt, & effluunt anni nostri absque ullo fructu, quasi sola una diecula præterijsset: ita ut emendatio morum nostrorũ non consistat in diuturniore vita, sed 4.

in

Marginalia: Ad Galat. 1. v. 15. & 10. — Actor. 9. v. 7. — Caiet. hic — D. Chrys. in 1. ad Timoth. c. 1. hom. 4. — Psal. 89. v. 4.

in eo, quòd tu nobis manum porrigas. Hæc est communis omnium Interpretum Paraphrasis horum verborum. Sed singularis est explicatio S. Gregorij Nyceni, intento nostro maximè deserviens: *Quoniam mille anni ante oculos tuos*; ac si diceret sanctus pœnitens: eæ sunt vires, quas Dei misericordia tribuit pœnitentiæ, ut si vera fuerit, ex contrito corde enascens, mille anni, seu sæcula peccatorum, sumpto numero finito pro infinito, nihil sint, ita ut ne diem quidem unam efficiant, nullam faciunt durationem, sed tantum valet pœnitentia, ut mille annorum offensus, & plurima scelerum perpetratorum sæcula ita abolere, & uno momento obliterare possit, ne Deus ea amplius videre queat: *Qui ad rectè viuendi rationem revertitur, licèt vita infinitu scelerum maculis notata sit, ut collectio illa peccatorum, mille annorum esse videatur: pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat.* Pœniteat solummodò peccatorem delictorum, & seriò revertatur ad Dominum, quem grauius offendit, & statim Deus obliviscetur omnium criminum, quæ totis mille annis, totidemque sæculis perpetrasse potuisset, aut certè ita reputabit, tamquam omninò non fuissent. Et adæquatam huius rationem assignat Sanctus: *Nam divinus oculus præsentia semper intuetur, præterita verò non æstimat, sed instar unius diei, vel noctis à Deo habetur.* Quæ verba ita sonant: Deo præteritum iam fuit, solum præsentia intuetur, & talia iudicat, qualia reperit. Convertamur ergò toto conatu, ad tam clementem, & benignum Dominum, quia præterita etiam mille annorum sæcula, si cum ipsius æternitate, in qua omnia sunt præsentia, conferantur, nihilum sunt apud ipsum; neque eorum a nobis exiget rationem: *Præterita non æstimat.*

D. Greg. Nycen. Tract. 1. in Psal. c. 7.

5. Quando Christus Dominus dixit Ananiæ discipulo suo, qui erat in eadem civitate Damasci, ut adiret Saulum, eumque à cæcitate illuminatum, baptizaret: respondet ille Redemptori, dicens, qui hoc fieri ami homini, qui omnium fidelium fuit flagellum, & infensissimus persecutor: *Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem.* Cui satisfecit Dominus, subiungens: *Vade, quoniam vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Esto securus, & perge, quia Saulus iam in alium mutatus est, ego eum converti, & elegi in instrumentum gloriæ meæ, & exaltationis sanctissimi nominis mei, ut illud portet coram universo mundo, tam Iudæis, quam gentilibus. Enucleat eminētissimus noster Cardinalis Hugo responsum Domini, idque conferens cum dictis Ananiæ, in hæc verba effatur: *Mitem eum feci, iam nulli timendum, sed amplectendus est ut frater: quia, mala quæ intulit sanctis, paratus est sustinere cum sanctis.* Anania, non te interrogo, quis fuerit Saulus, sed dico tibi, quis sit modò, & quis sit futurus; non examinemus in præsenti delicta præterita, *quanta mala fecerit*, sed virtutem præsentem attentiùs intueamur, *ecce enim orat*, iam Saulus non est inimicus, sed amicus, non lupus rapax, sed ovis mansueta, iam non persecutor Christianorum, sed frater eorum, utique talem cupio ipsum ab omnibus dici, & haberi. In via, qua veniebat, apparui illi, & ipse mihi dixit firma animi deliberatione: *Domine, quid me vis facere?* indicauit se promptum, & obedientem ad omnia, quæ mandarem, ideò nulla præteritorum criminum eius deinceps habenda est ratio, ubi tanta est animi mutatio. Concipiant ergò hodie peccatores eximiam spei fiduciam, & quantumvis maximè perditi, certam sibi polliceantur delictorum indulgentiam, & si sunt prædestinati, permoti exemplo Pauli, veram sperent conversionem: Deus enim, qui Paulum ex vase contumeliæ mutauit in vas gloriæ, ipsis auxilio suo aderit, quemadmodum illi qui humero æqualis iudici totius mundi: *In regeneratione cùm sederit Filius hominis, sedebitis & vos, &c.*

Act. 9. v. 13.

Ibidem v. 15.

Hugo Card. hic.

Matth. 19 v. 28.

6. *Secunda Pars Considerationis.* Est patrocinium huius gloriosi Apostoli efficacissimum medium, ut peccator suam consequatur conversionem, utque Deus benignis oculis eum intueatur, qui divinam bonitatem offensis suis ad iracundiam provocauit. Quando Filij Iacob, necessitate famis compulsi, descenderunt in Ægyptum ad quærendos panes victui familiæ suæ necessarios, pessimè fuerunt à fratre suo excepti; mille modis eos vexauit, quos sacra Scriptura commemorat, & super omnia, inconditis verbis eos vellicans summopere afflixit, & maxima sermonis asperitate eos alloquebatur: *Quasi ad alienos duriùs loquebatur.* Post varios rerum eventus redeunt ad patriam, & deinde revertentes in Ægyptum, abducunt secum fratrem suum natu minimum, Benjamin: tantoque gaudio, & lætitia fuit perfusus Ioseph ex visu eius, ut vixdum præ jubilo cordis sui, se continere aut cohibere posset. Extemplò iussit illis parari convivium, mandavitque

Genes. v. 7.

Gene. v 16. vitque dispensatori domus suæ: *Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convinium: quoniam mecum comesturi sunt meridie.* Ponderat sanctus Ambrosius peregrinam hanc, & inexpectatam mutationem. In primo adventu tanta asperitate excipit Ioseph fratres suos, & in secundo tam hilari lætoque vultu eos præcipit lautè tractari, & tanto honore affici? Ita sanè: quia omnem hanc mutationem, & honorem peperit eis societas & præsentia Benjamin. Prima vice, quamquam eos agnosceret fratres, dissimulauit, quia aberat Benjamin, nunc verò, quoniam adest dilectissimus Benjamin, se adeò munificum, & liberalem illis exhibet. Et altius hoc ipsum perpendens sanctus Ambrosius, consulit nobis non esse subsistendum in superficie, & cortice rerum gestarum, sed attentiori consideratione indagandum esse mysterium inadumbratum, videlicet, hæc facta fuisse symbolum & figuram illius, quod aliquando fidelibus erat eventurum cum patrocinio, favore, & intercessione S. Pauli, quem, Benjamin, ex cuius Tribu erat nasciturus, tunc præsignabat: *Vidit autem illos Ioseph, & Beniamin fratrem suum ex eadem matre. Iam videntur Hebræi, & videntur à Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Paulo veniunt typo, & loquitur illis mitia, atque mansueta, ut pariter cibum sumant. Supra autem, quia sine Benjamin venerunt, agnoscebat quidem eos, sed ab his se avertebat, ut scriptum est; & loquebatur his dura, quia ipsi non agnoscebant eum, à quo cognoscebantur. Pauli igitur merito profecerunt, quem Dominus Iesus, tamquam iuniorem fratrem, ex eadem matre generatum, amplius cæteris fratribus diligebat.* Evidens argumentum potentissimæ intercessionis S. Pauli, iunioris fratris inter duodecim Apostolos, quem Christus præ cæteris dilexit; cuius si nobis defuerit patrocinium, non aspiciet nos Rex gloriæ benignis oculis suæ pietatis, si verò ipse nobis adstiterit suo favore, propitium experiemur Regem, & cuncta pro votis impetrabimus, inter quæ maximum beneficium est vera conversio ipsius, miraculosæ conversioni simillima.

7. Adducit insignis noster Lusitanus Sotomajor singularem paraphrasim Chaldæi super illa
Cant. 4. v 9. verba Canticorum: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui;* quæ, nisi me fallat opinio, aptissima est ad hanc nostram doctrinam confirmandum. In illis siquidem verbis, si rectè notetur, ostendit diuinus Sponsus se magis, aut efficaciùs, amore captum, quàm alibi, tametsi enim sæpiùs manifestauerit amorem suum erga Sponsam, quantaque dilectione, & affectu eam prosequeretur, numquam tamen amore se sauciatum aut vulneratum declarauit, nisi quando minimi, quod erat in Sponsa, mentionem fecit. Attendite ad verba paraphrasis Chaldaicæ, quia sunt excellentissima, & penè divina: *Infixus est in tabula cordis mei, amor tuus, soror mea Sponsa Ecclesia Israel. Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum.* Sotomaior ex Chaldaico. Ac si diceret, plurimum te diligo, ô Sponsa, omnesque, & singulos filios tuos non paruo prosequor affectu, verùm amor minimi filiorum tuorum rapuit mihi cor, idque venustate, & amabilitate sua vulnerauit. Et ne possimus dubitare, quisnam esset minimus ille filiorum Ecclesiæ, quæ in Apostolis est fundata, ipse Paulus attestatur divinum animatum Sponsum de se fuisse locutum: *Ego sum minimus Apostolorum*; 1. Cor. 15. v 9. cuius amore se sauciatum profitetur Sponsus: ideoque si cæteræ filiæ Ierusalem (puta fideles filij Ecclesiæ) sodales meæ cupiunt obtinere gratiam cœlestis Sponsi, per meam intercessionem debent negotiari, favore meo uti tenentur, si optatis sui votis desiderent. Videte, fideles, quàm utilis, & necessaria sit vobis huius gloriosi Apostoli patrocinium, & intercessio.

Ast ego singulare quidpiam assecutus sum, 8. & reperi in conversione peccatorum, qui in hac die ad meliorem vitæ frugem reducuntur, scilicet, eos, manere constantes & firmi propositi, neque, meritis huius Sancti, facilè redire ad vomitum, aut inveteratam consuetudinem. Rem notabilem refert doctus Lorinus ex Thoma Fazello, & alijs, quæ non parum cogitationi nostræ suffragatur; nimirùm, quòd ubiuis nati, die conversioni S. Pauli sacro, non horreant, aut formident angues, viperas, aut quævis alia venenata animalia, quæ ipsis nocere nequeunt, quin & sola saliua tales horum morsibus mederi valeant, cœlo ita disponente in honorem huius Sancti, & memoriam illius viperæ, quæ cum in Insula Melitensi invasit, & momordit, quæ nequaquam eum vulnerauit, sed in projectu statim extincta est. Dies illa, quâ peccator convertitur, est dies spiritualis eius regenerationis, serpens autem symbolum est diaboli, & peccati: *Quasi à facie colubri*

Lorin. in c. 28. v 6 Actuum Apost.

Eccles. 21. v. 2.

Genes. 3. *colubri fuge peccata*, inquit Spiritus Sanctus per os Ecclesiastici, alludens ad fraudem, qua protoparentes nostri seducti fuerunt. Sed quodnam mysterium continet, natum in die Conversionis S. Pauli immunem esse à morsibus serpentum? Hoc certè denotat, quod spiritualiter hoc die renascens per conversionem, fit liber deinceps à peccato, ut non audeat eum ampliùs invadere, aut impugnare, sed cum eodem Sancto perseverat in gratia, donec perveniat ad cœlestem ejus societatem in gloria. *Ad quam &c.*

TRACTATUS VII.

IN FESTO


Angelici & quinti Ecclesiæ Doctoris.

S. THOMÆ AQUINATIS,

Ordinis Prædicatorum.

Vos estis lux mundi.

Matth. 5.



DIVINO Thomæ, Doctori Angelico, mundi prodigio, perscrutatori veritatis, Theologiæ Principi, oculis Spiritus sancti, linguæ Ecclesiæ, calamo Angelorũ, gloriæ & decori Dominicanæ familiæ dedicat, consecratque hodie festum Sancta Mater Ecclesia. Gloriam appellavi Thomam Ordinis Prædicatorum, non quia hâc gloria totam velim defraudare Ecclesiam sanctam, sed quia jure, & titulo justitiæ singulariter Ordini nostro debetur. Fuit quidem Christus Dominus totius mundi Doctor, utque talem Deus promisit eum per oracula Prophetarum: *Ecce testem populi dedi eum, ducem, & præceptorem gentibus.* & tamen populo Israelitico fuit singulariter honor hujus magisterij concessus. Ad hunc modum ponderat eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus canticum illud Simeonis: *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Lux, inquit Cardinalis omnibus fuit donata: honor tamen & gloria soli populo Israël, ex qua tantum mundo natum est beneficium; nonne enim munificentissimum fuit naturæ humanæ decus, Christum habere Magistrum? Ita sanè singulare tamen hoc fuit Israëlitis, apud quos fuit natus, & educatus. His etiam accinit Eusebius Emissenus: *Magna gloria illis est, quod de eorum gente tantum lumen exortum est;* & hoc solum decus sufficit, ut inter cunctas nationes exaltentur. Sufficiat ergo Prædicatorum familiæ, habere Sanctum Thomam, ut super alias glorietur & triumphet. Plures Conciones possunt efformari discurrendo per virtutes, & dona gratiarum, quibus cœlum animam hujus Sancti Doctoris mirificè exornavit, & dotavit, in præsenti tamen solummodo, solita nostra brevitate, excellentiam doctrinæ ejus expendemus. At quia hoc absque speciali gratiæ auxilio fieri nequit, rogemus sanctissimam Virginem, matrem gratiæ, ut ad prædicandum laudes sui devotissimi clientis, eam nobis impetret.

Ave Maria.

Isaia 55. v. 4. — *Luc. 2. v. 32. Caiet. hic.* — *Eusebius Emissenus hic.*

Ego sum lux mundi.

CONSIDERATIO I.

Videtur doctrina Sancti Thomæ tantùm antecellere doctrina cæterorum Doctorum, quantùm sapientia divina humanam superat & excedit.

1. *Joan. 8. v. 12.* LUX sunt Apostoli à prima luce, quæ est Christus, derivati; idem enim Dominus, qui illis dixit: *Vos estis lux mundi*, etiam de seipso protulit: *Ego sum lux mundi.* Et secundùm communem Interpretum doctrinam, idem fuit dicere, vos estis lux participata ab illa inaccessibili, & divina luce, ac mandare eis, ne aliam doctrinam, quam ab eo hauserant, populum docerent. Ex quibus hanc deduco conclusionem, nempe lucem veræ scientiæ debere è cœlis esse communicatam, & illos, quos instruit Dominus, ut sint Doctores mundi, debere esse lumina, sed talia, quæ Authorem Doctrinæ suæ recognoscant. Præclara sunt encomia, quibus Spiritus S. in Historiis Regum *2. Reg. 23. v. 8.* extollit sapientiā Davidis: *David sedens in Cathedra, sapientissimus Princeps inter tres.* Nominatissimus cathedraticus totius Regni Israël, fuit David, & celeberrimus Magister illius ætatis inter omnes totius mundi Doctores. Sed operæ pretium est indagare, quisnam Davidem tantam sapientiam edocuerit? quas Academias, aut Scholas frequentaverit? quisve ejus præceptor extiterit? Vultis scire, inquit sanctus Hieronymus, audite ipsum loquentem: *Psal. 17. v. 29.* *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine* id est, tu Domine Deus es lux quæ illuminat lucem meam. Si autem libuerit examinare, inquit magnus sacrarum litterarū Interpres, quænam sit illa lux, de qua in præsentiarum loquitur David, vel quænam sit lucerna, quam Deus illuminavit: comperiemus illum de suo intellectu sermonem fecisse, & ad denotandum totam scientiam se habuisse à Deo ideò fateri se lucere, quia Deus radiis suæ claritatis intellectum illustravit. Et meritò quidem concludit *D. Hieron. hic.* Hieronymus: *Non videt enim intellectus anima nisi à Christo illuminetur.* Cæcutit etiā perspicacissimus intellectus humanus ex natura sua, neque quidquā potest perspicere, aut intueri, nisi singulari Dei luce illustretur. Cōponite modò verba Psalmi cum verbis Sapientis ex 2. Regum, & hunc reddent sensum: *David sedens in Cathedra sapientissimus Princeps inter tres, quoniam tu illuminas lucernam ejus*, id est, sapientiam Davidis maximè extulit, quod Deum habeat Magistrum, quodque illius fuerit discipulus, ipsum effecit totius mundi Præceptorem, uti posteà latiùs dicemus; proinde nullatenus est admirandum, quod sapientia humana ex fonte divinæ hausta, sit omnibus superior & excellentior.

Certum, & indubitatum est apud Theologos Cherubim esse omnibus creaturis scientia superiores, quod & ipsorum nomen scientiam significans, manifestè importat. Hoc tamquā infallibili dogmate supposito, ponderat magnus Pater Sanctus Augustinus, quod quando Dominus Deus præcepit fieri duos Cherubim ad latera arcæ Testamenti, unà disposuerit, ut unus dextrum, alter sinistrum latus occuparet, hac tamen lege & positione, ut versis vultibus in Propitiatorium se mutuò respicerent: *Respiciant se mutuò versis vultibus in Propitiatorium.* Ecquarè, quæso, fixo intuitu non se mutuò conspicient Cherubim? aut quodnam periculum, quòd se mutuò intueantur? Dicam, inquit S. Augustinus: *Ideò vultus eorum non sunt nisi in Propitiatorium, quia cuicumq; profectus ad multitudinem scientia spes non est, nisi in Dei misericordia.* Nonne clarè videtis Cherubinos esse symbolum doctorum & sapientū? Eapropter ergò non consentit Deus, ut oculos suos in seipsos retorqueant, sed ut eos in Propitiatorium, in quo erat Deus, convertant in signum, quod qui ad sciendum sibi studet, nihil proficiat, quodque soli illi scientia emineant, qui à Deo addiscent, & instruuntur, & numquàm oculos suos à Propitiatorio deflectant. 2. *Exod. 25. v. 20.* *D. Aug. hic.*

Sæpius Moyses collocutus est Deo, absque eo, quod immutata facie ex monte descenderit, & ex duabus vicibus, quibus tabulas Legis è manibus Dei recepit, solùmodo secunda vice apparuit facies ejus splendore illustrata: *Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Quærunt hic sacri Expositores, quænam fuerit hæc lux aut claritas, qua facies Moysis coruscavit. Celeberrimus noster Lusitanus Oleaster affirmat splendorem illum fuisse quamdam participationem lucis divinæ: *Fuit hac lux quadam partici* 3. *Exod. 34. v. 29.* *Oleaster hic.*

participatio lucis, in qua Dominus apparebat Verùm statim occurrit ratio dubitandi, cur hæc illustratio contigerit Moysi non prima, sed secunda vice? Dicent alii, quod sentiunt, ast ego insistens vestigiis Oleastri, constanter assevero, quòd Moyses prima vice detulerit tabulas Legis fragiles, & brevi confringendas, secunda verò permansuras, quarum doctrinam Moyses, veluti Magister, erat edocturus, & fungens officio lucis, explicaturus. Itaq; tales tabulas, talemque doctrinam, non est æquum ut promulget Moyses nisi splendore ab ipso Deo derivato coruscus, & illustratus. Ne igitur habeat Moyses tabulas sine luce, neque splendorem sine tabulis. Quando ei fuit porrectus liber Legis ad ducendum, tunc data fuit ei lux ad refulgendum, & quidem lux à divina, & inaccessibili derivata, ut omnibus innotescat ipsius magisteriū esse è cœlis, & lucem doctrinæ eius non esse propriam, sed participationem quamdam infinitæ claritatis, & consequenter verā, & infallibilē, cui nullus error, aut falsitas subesse possit.

4. Bina vice præbuit Pater æternus testimonium Filio suo incarnato, una in Baptismo, & altera in Transfiguratione, porrò notat Angelicus noster Doctor S. Thomas, quòd Deus, cum astitisset his duobus solemnissimis actibus, in Iordane solummodò dixerit: *Hic est Filius meus dilectus*, in monte autem Thabor proclamaverit eum Magistrum, & subiunxerit, *ipsum audite*, hoc est, ut ipsum, tamquàm discipuli Præceptorem, audirent. Sed cur ita? Magister Angelus insignem suggerit rationem: *Insinuat eum datum Doctorem omnium, quia author esset idoneus præceptorum.* Quia numquam Christus fuit aptior ād magisterium, quàm quando claritate resplenduit, id est, quando anima eius sanctissima erat perfusa claritate dimanante à Verbo, & corpus eius per redundantiam lucis ex anima, refulgebat, ad designādum doctrinam eius, ut hominis, tantūm habebat veritatis, quantùm à semetipso, veluti Deo, erat participata. *Resplenduit facies eius sicut Sol, ipsum audite.*

Matth. 3. v. 17.

Matth. 17. v. 6.

D. Thom. hic.

Matth. 17. v. 6.

5. Quadrat præsenti instituto locus Apocalypseos, ubi Deus præcepit Ioanni, ut è manu Angeli sumeret librum, quem gestabat apertum. Animadvertit autem Venerabilis Beda sacrum Textum commemorare, seu mentionem facere, quòd Angelus facie esset splendens veluti Sol: *Facies eius ut Sol.* Dic, amabò, quid misterii continet lux illa similis splendori solis, cū quâ Deum insister appareret? *Meritò*, inquit hic gravissimus Doct. *Facies eius sicut Sol, quia librū tam gestabat apertū.* Fungebatur hic Angelus officio cœlestis magistri, & Doctoris, & ideò emittit quasi radios solis, denotante in hoc spiritu sancto, doctrinam in libro contentam, quam Angelus docebat, esse lucem à vero Sole, putà Christo, participatam. Permittite, quæso, ut explicem hunc locum de S. Thoma Angelico nostro Doctore, si enim alius locus eiusdem libri, (loquatur de S. Vincentio Ferrerio eius fratre) ut idem Sanctus de seipso prædicavit, quid mirum, si hic loquatur de Magistro Angelo? cuius doctrina, non minùs, sed multò magis fuit Ecclesiæ Dei necessaria. Nonne animadvertitis, quòd quando Ecclesia ipsum depingit cum calamo in manu, & libro aperto, simul adpingit in pectore eius Solem? Non solùm ad manifestandum ipsum esse Solem Ecclesiæ, qui errorum tenebras dispellit & hæreseôn nebulas suæ doctrinæ radiis dissipat, neque solùm ad contestandum ipsum esse Solem Doctorum, & cæteros in comparatione ipsius esse stellas, seu planetas, sed etiam ad mysticè significandum, quòd radii, & splendores doctrinæ ipsius, sint participatio divinæ lucis, quos Sol Divinus ei tam copiosè communicavit: *Merito facies eius sicut Sol, quia librum gestabat apertum.* In scholis cœli addidicit, quidquid scripsit, & edocuit.

Apoc. 10. v. 1.

Beda hic.

Quapropter Clemens Octavus eum appellat divinæ mentis Interpretem: *Divinæ voluntatis Angelico Interpreti* Quia partem doctrinæ suæ contemplatione, & continuo raptu in extasim assecutus est, & partem cœlitùs habuit per SS. Apostolos Petrum, & Paulum, & per Angelos, aliosque Sanctos, qui descendebant è cœlis ad revelandum ei secreta cœlestia: trina vice ipsi semel Christus illum allocutus fuit, & crebris vicibus Beatissima Virgo Mater eius, & Domina nostra. Singulare quidpiam contigit Sancto nostro cum præfatis Apostolorū Principibus, qui patenter, & publicè ingressi sunt scholam eius ad audiendū eum, & explicandum ei difficiliores quasdam quæstiones, & humiliter Sancto interroganti Paulum, num Epistolas eius rectè exposuisset, respondit ei Gētium Doctor: *Quantùm in hac vita capi potest*, id est, quantum intellectus humanus viatoris etiam singulariter illustratus assequi potest. Qui igitur frequentat universitatem cœlestē, & in ea edocetur, non est admirandum, quòd reli-

6. Clemens Octavus.

reliques Doctores terrenos scientia, & doctrina superet, & excedat: *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine,* inquit regius Propheta: id est, felicissimus ille, imo ter, quaterque beatus, qui sequitur, & frequentat scholas tuas, & ex iis omnem doctrinam suam haurit. Perpulchrè observat sanctus Ambrosius Davidem non dicere, beatum esse Præceptorem, sed Discipulũ à Domino edoctum: *Quem tu erudieris*: quia doctrinas illas sublimiores non novit præsumens, aut ingenio suo confidens sed qui eas per Deum, aut eius illuminationem scire aut comprehẽdere satagit: *Cognoscitur, Discipulus, qui docetur:* Et talem tantumque Discipulum necesse est ut omnes Doctores, antesignanum agnoscant, eique palmam deferant. Accipite gravissima, & penè divina, S. Ambrosij verba: *Cedant necessarium est ei Doctores quoque, quem testimoniorum meditatione cœlestium, Doctrina Dei docentis imbuerit.* Cedant, inquam, omnes illi, qui talem habuit magistrũ, ac Preceptorẽ.

Psal. 93. v. 1. 2.

D. Amb. hic.

7. Excipite aliam rei nostræ confirmationem (licet videamur Psalmos recitare) ex eodem S. Ambrosio: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est*, hoc est, in omnibus primas tuli, & plus omnibus intellexi, etiam iis qui me docebant, ideoque sapientior cæteris, altiora, & sublimiora mysteria intellectu meo sum assecutus. Qui ita David; cùm Christus Dominus dicat: *Quia non est Discipulus super Magistrum*, tunè vis præire magistris tuis? Quid causæ, Quia, familiare studium meum, & meditatio mandatorum Dei, hoc, dicit Archiantistes Mediolanensis, videtur sapere quamdam præsumptionem, & iactantiam, quia Moyses fuit Doctor populi Hebræorum celeberrimus, quia à Deo legem accepit, quam populo promulgavit, summus Sacerdos Aaron frater eius fuit Magister cæremoniarum, & rituum Iudaicorum, qui in sacrificiis observabantur. Iesus nave docuit populum, quemadmodum circumcisio iterari poterat. Propheta Samuel fuit Magister unctionis qua Reges & Prophetas inunxit. An igitur, ó David, his omnibus sapientior cupis haberi: Ita profectò respõdet S. Ambrosius: *Debuit hãc assumere confidentiam, qui docebatur à Domino*, quapropter absque iactantiæ nota potuit suã ostentare sapientiam *Merito super omnes intellexit, quem docebat ipsa sapientia*, glorietur igitur Discipulus, qui talem habebat Magistrum.

Psal. 118 v. 99.

D. Amb. serm. 13. in Ps. 118.

8 Antiquissima, & celeberrima pictura S. Thomæ ab universa Ecclesia recepta est in una manu calamus, & in altera sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum & prætereiens ea, quæ passim hic solent dicere Oratores Euangelici, dico ad confirmationem discursus nostri, insignia illa videri significare SS Sacramentum dictasse ea, quæ calamus descripsit. Commemorans Tertullianus, quales redibant Christiani primitivæ Ecclesiæ à sacra Communione, & conversatione cœlesti, & quàm profusi erant erga egenos post spiritualem illam refectionẽ, in hæc verba effatur: *Vt qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam*; id est potius videbantur prodire è schola, quàm convivio, & idem prorsus erat bene & rite communicasse, ac redire à sacra Synaxi Doctores ac magistros ad docendum, & animas per viam virtutis dirigendum. O sanctissime Thoma, tanta devotio erga sacram Eucharistiam, tanta frequentia cõmunionis, quid aliud fuit, quã Academia, in qua Doctoris lauream es adeptus, & Magister totius mundi es cõstitutus. De manna pane Angelorum dicto: *Panem Angelorum mãducavit homo*, asserunt veteres Hebræi, quòd manducantibus tribuebat illustrationem intellectûs, ideoque fuisse panem Angelorum appellatum. Ita refert Genebrardus ex Rabbi Alçiba, etsi enim Angeli non comedant cibum, tamen quia eorum substantia, sive status, & permanentia, est per Dei fulgorem, & lucẽ. (manna autem est divini fulgoris, supernæque lucis natura) inde est, ut homines manna comedentes, Angelico alantur cibo, id est, quamvis Angeli non manducent, dicimus tamen illos ali radiis divinæ lucis, qua illuminantur, & hanc vocant ipsi cibum: *Ego cibo invisibili utor*, dixit Raphel ad Tobiam. Ita homines vescentes pane illo manna, qui illuminat intellectum, dicimus uti eodem cibo, quo nutriuntur Angeli, *Panem Angelorum manducavit homo.* Vnde non est novum, quod panem Angelorum nuncuper Propheta, illum, qui facit Angelos intellectu. Posito igitur, quam devotus fuerit S. Thomas erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in cuius assidua contemplatione sæpius extra se rapiebatur, liquidò patet ex qua fontali origine, seu scaturigine tãta ei claritas intellectus advenerit: ita ut propter perspicacitatẽ ingenii Doctor Angelicus fuerit indigitatus, & verè de doctrina eius dici queat, quod sit radius, & splendor divinissimi Solis, qui sub accidentibus panis occultatur.

Tertull. in Apolo.

Psal. 77 v. 25

Genebr. hic.

Tobiæ 12. v. 14.

Eru-

9. *Psal. 44. v. 1.* *Episcopus Carcerensis*

Eructavit cor meum verbum bonum, aiebat regius Psaltes, id est, copiosè effudit omne bonum, cor meum, quô erat repletum. Hæc est genuina expositio horum verborum, juxta Paraphrastem nostrum Hispanum, in quibus Propheta regius cupit delineare raras perfectiones, & præclaras dotes Verbi incarnati, & declarare nobis, quòd esset futurus inter natos mulierũ speciosissimus forma, & elegatissimæ pulchritudinis. Magna vi, inquit, protulit cor meum, unum verbum optimum: *Dico ego opera mea Regi*, hoc est, dedico, & consecro omnia opera mea æterno Regi: *Lingua mea calamus scribæ scribentis* Arguté observant Interpretes sacri, & premunt modum loquendi ipsius Prophetæ, & inter cæteros ponderat S. Ioannes Chrysostomus, non dixisse Davidem, prophetavit, aut prædixit cor meũ, sed, *eructavit*, quod, uti insinuavimus, significat idem, quod, violentia quadam protulit cor meum gratissima nuntia sapientiæ incarnatæ, & affirmat aureum os Chrysostomi, ipsum, data opera, usum fuisse hac metaphora, quamvis prima fronte rudi, & crassa, ad attribuendum Deo per illam lætissimum illud nuntium prophetiæ, quia discrimen inter eructare, & loqui, hoc est, quòd effari verba, sit in potestate, & libero nostro arbitrio sitũ, toties enim quoties volumus, loquimur; secus tamen actio eructationis, qua vapores ciborum ex stomacho exhalantes, emittimus, quia hi quandoque tanto impetu eructantur, ut etiam ciborum qualitas, ex quibus proveniunt, facilè dignoscatur. Dicit ergo Propheta David: quamquam annuntiem mira, & stupenda, nulla mihi attribuenda est gloria, neque mihi referendæ sunt gratiæ eorum, quæ profero, aut doceo, quia quæ sentio, & prævideo, magis à potenti manu Dei, quæ me dirigit, quàm à virtute, aut propria ingenii perspicacitate promanant: *Dico ego opera mea Regi*, & statim subjungit: *Lingua mea calamus scribæ*. Nihil operor ego, neque quidquam ex propriis confero, nisi quòd lingua scribam, quæ mihi dicũtur Scribet velociter lingua mea quidquid illi dictatũ fuerit, neque tardus ero in loquendo ea, quæ volo, quia Spiritus sanctus movet, & dirigit linguam meam. Omnia hæc complectitur S. Ioannis Chrysostomi explicatio: *Calamus ea scribit, quæ manus, qua tenetur, scribere iusserit: per velocem autem scribã, gratiam ostendit Qui namque de suo loquitur, tardus est, meditando, componendo.* Manus igitur, quæ direxit calamum, & non calamus, laudem meretur, & hoc modo ait Propheta: Etsi alta, & sublimia loquar, quæ humani intellectus hebetudinem excedunt, nullus tamen mihi gloriam aut honorem attribuat, quia lingua mea est merum instrumentum, estque calamus supernæ illius gratiæ Spiritus sancti, cui soli referendæ sunt gratiæ, ego enim ingenuè fateor, nequaquam esse meum quod lingua mea pronuntiat, cùm luce meridiana clarius sit, linguã hominis, viribus suis relictam, haud posse tam agiliter, aut expeditè de rebus divinis, & sublimioribus mysteriis disserere: *Qui namque de suo loquitur, tardus est meditando, componendo.*

Psal. 44 v. 2.

D. Chrys. hic.

Statim ac mordi in hanc explicationem Psalmi, venit mihi in mentem Angelicus noster Doctor S. Thomas, qui tam in vita, quàm in morte sua semper studuit, ne excellentia doctrinæ suæ meritis propriis adscriberetur, & omni syncaritate solitus dicere Confessariis suis (quemadmodum illi postmodum retulerunt) quidquid sciret, aut doceret, non tam studio, aut labore suo se peperisse, quàm divinitùs traditum accepisse, ac si dixisset, si eructaverit cor meum verba bona, & mysteria, ideo est, quia bonum manducavi cibum, si bene locutus fuerim de Christo, ex virtute sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quod quotidiè sumpsi, provenit si benè de Matre eius sanctissima, id scedula illa, cui inscripta erat salutatio Angelica, quam infans deglutivi, effecit, linguamque suam professus est fuisse obedientem calamum scribæ velociter scribentis, qui sibi à Deo dictata describebat, neque enim possibile fuisset totum tanta velocitate perficere, nisi Deus manum eius movisset. Attendite, quæ, & quanta referant quidam Authores de Sancto nostro, quæ; licèt vera, incredibilia tamen apparent: nimirùm, quòd præterquam res omninò diversas uno tempore tribus, & quatuor amanuensibus quandoque dictaret, contigerit eum inter dictandum obdormire, & dormiendo materiam præconceptam fæliciter absolvere: *Dormiente, simulque dictante, scribente librario, multa ad finem perduxisse ferunt* Ita ut dormiens hæreticos concluderet quia somnia illius erant raptus, & extases, & in illis addiscebat, quæ dictaret, eratque lux doctrinæ eius, à prima, puta Christo, participata. In hoc sensu interpretor ego verba illa, quæ Neapoli ad 10.

Anton. Pizan in vita S. Thomæ

ad imaginem Crucifixi ferventius oranti, dixit Christus è Cruce: *Benè scripsisti de me, Thoma*, hoc est, quæ scripsisti, non tua, sed mea sunt, non sunt partus vigiliarum, aut laboris tui, sed mera misericordiæ meæ beneficia, quamvis profunda tua humilitas, fervensque oratio, tantum beneficium sollicitaverint. Eâ propter S. Mater Ecclesia accommodat ei Euangelium, quod Christus Dominus Apostolis suis applicuit, dicens, *Vos estis Lux mundi*, quod juxta genuinam ipsius Sancti Thomæ explicationem, ita sonat: *Vos estis lux derivata à me, qui sum prima lux*, ego sum fons, & scaturigo lucis, vos autem estis lux participata, *Vos estis lux mundi*

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO II.

Est singularis excellentia Doctoris Angelici, eiusque schola, quod plurium Discipulorum, & Magistrorum illius, una semper & concors sit Doctrina.

1. QVinimò hoc notanter animadvertendum est in modo loquendi Christi Salvatoris, quòd quia, ipse est sapientia infinita, etiam in minutissimis apicibus seu punctulis secretissima complectatur mysteria. Quamquam plures essent Discipuli, seu Apostoli, nō dixit eis pluraliter: *Vos estis luces mundi*, sed solummodo singulariter, *Vos estis lux mundi*, quasi diceret eis, tametsi plures sitis numero, *vos*, doctrina tamē esset una *lux*, una fides, una doctrina. Duo loca annotavi in Illustrissimo Episcopo nostro Barbastrensi, quibus videbar inferre iniuriā, nisi ea, tamquàm instituto nostro apprimè congruentia, vobis apponerem. Docebat cœlestis Magister, propter perditos mores superiorum, non esse contemnendam doctrinā eorum, neque dicta discolorum conferenda esse operibus eorumdem. Omnia ergò, inquit Dominus, quæ dixerint vobis, servate, & facite, & subiungit hæc verba: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi* Premit doct. illimus noster Lanuza modum loquendi Salvatoris, & deprehendit mysterium in eo, quòd Redemptor noster non dixerit: *Super cathedras Moysis*, sed *super cathedram Moysi*. Cur non nominaverit cathedas pluraliter, sed solū cathedrā singulariter, quia indubitatum est, quòd multæ imò plurimæ fuerint cathedræ: Licèt enim unicum tantùm esset Templum, & in tota lege veteri non nisi unum fuerit, in quo Deo sacrificia offerebantur, erant innumera loca, & cathedræ, in quibus sedebant scribæ, & Pharisæi, ut legem Moysi explicarent, populum regerent, & mandata proponerent, quia ad hoc institutæ erant Synagogæ, quæ erant adinstar Ecclesiarum, in quibus erant cathedræ, ut modò habemus pulpita, ex quibus prædicabant legem Moysi, & populum instruebāt. Quinimò addit Philo Alexandrinus, quòd ibidem Psalmos decantarent, orationes fuderent, quapropter Synagogas nuncupat *Oratoria & Scholas omniū virtutū* Erant autem tot similia loca, & Synagogæ, ut quisque etiam pagus suam haberet, quæque civitas multas, & quæque Provincia penè infinitas. Ita legimus in sacra Scriptura Synagogas Galileæ, Damasci, Salaminæ Antiochiæ, &c. In sola civitate Ierosolymitana erant quadringentæ, & octoginta, in omnibus conciones ad populum dicebantur, lex Moysi explanabatur, ut testatur S. Paulus, dicens: *A temporibus antiquis habet in singulis civitatibus Moyses, qui eum prædicent.* Cùm igitur tot fuerint cathedræ, & in singulis civitatibus plures, cur Christus dixit in singulari, *Super cathedram*? Rationem, tamqàm manifestum, subjungit Barbastrensis: *Quia etsi materialiter multa, formaliter tamen una.* Vt indicaret unitatem doctrinę, quia omnis eamdem doctrinam, eamdem fidem, eademque mysteria & Sacramenta tradebant.

2. Ad eumdem planē modum, inquit hic illustrissimus Doctor, & est secunda confirmatio eius, quòd sanctus Zacharias, pater Ioannis Baptistę, dixit: *Sicut locutus est per os sanctorū, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.* Non dicit, *per ora*, sed *per os*. Multi Prophetæ, multa habebant ora, multas linguas, quisque suum os, suamque linguam, ita est, sed omnia erant unum os, quia omninò uniformiter loquebantur, omnes eamdem fidem, doctrinam, & mysteria profitebantur. Vna est cathedra Ecclesiæ, & tametsi plures sint Magistri, pluraque loca in quibus diversi docent, semper tamen est ubique una fides, una doctrina, una lex, eademque Sacramenta: *Vnus Deus, una fides, unum baptisma.* Idē prorsus dico, de Schola Angelici Doctoris S. Thomæ, una est cathedra illius, & quāvis Doctores sint multi verumtamē una est doctrina, & unicus Magister, quē omnes indiscriminatim & unanimes sequuntur, nempe S. Thomas, & palam

Matth. 23. v. 2.

Episcopus Barbast. La Nuza hom. 14. §. 9.

Philo Alexand. lib. 3. de vita Moysi.

Vide Toletum in c. 16. Ioan. Annot. 2. Actor. 15. v. 21.

Luc. 1. v. 70.

palam est, ubi hæc defuerit unio, unicuique Magister, omnia ad interitū, & ruinam vergūt.

3. Magno ingenii acumine adnotavit S. Ambrosius, malum, & infortunium, quod prævenit, & præsagit Dominus Deus in præcepto, quod imposuit protoparenti nostro Adamo, vel in verbis, quibus illud ipsi intimavit, & præcepit, ne ex arbore scientiæ comederet: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ ne comedatis.* Ita legit sanctus Doctor hæc postrema verba, insistens translationi Septuaginta Interpretum, ubi vulgata nostra habet, *ne comedas*, & assignat rationem, quare Dominus in principio dicat singulariter, *comede*, & postmodum pluraliter, *ne comedatis*. Elegantissima sunt eius verba: *Sciebat enim prævaricaturam mulierem, & ideo per pluralitatem, non servaturos ostendit; quia plurium discreta sententia est.* Loquens Deus pluribus, indicavit, quod si plures differentes, & divisi comederent de fructu ligni scientiæ, gravissima inde forent oritura incommoda, & intolerabiles errores, quia profecto nihil peius est in mundo, quam scientia inter plures dispersa, & in plures diversos modos divisa, & intellecta, neq; potest subsistere Lex Dei, & observantia mandatorum, quando quisque suum sequitur cerebrum, & accommodat scientiam palato suo, quando, inquam, plures sunt luces, & sententiæ diversæ. Hoc inquit Mediolanensiū Præsul, significavit Deus in ipsa mundi origine, mandans eis pluraliter, ne ex ligno scientiæ vetito comederent: *Ne comedatis.*

Genes. 1. v. 16. & 17.

Septuag. Interpr.

D. Amb. lib. de paradiso c. 5.

4. Si libuerit sciscitari ex sancto Augustino radicem omnium malorum, quæ ex diversitate opinionum & sententiarum sequuntur? Respondebis nobis, illam esse superbiam, quæ est mater discordiarum, & dissentionum. Inter Philosophos, inquit S. Augustinus, invenies varias, differentes mutatas, & multiplicatas cathedras, quia quisq; suam docebat opinionem particularem, diversam, imo adversam alteri. Erexit Socrates cathedram, quæ Stoicorum inscribitur, in qua suam vendidit Philosophiam. Venit Plato, seque acriter Socrati opposuit, suam erigens cathedram, quam Academiam, seu Platonicam indigitabant. Prodiit in arenam contra illum Aristoteles, eiusdem discipulus, & ex diametro illi repugnans, aliam fundavit cathedrā, quam dicunt: Peripateticam, seu Aristotelicā. Illæ erant multæ cathedræ, quia erant sententiis dissidentes, & directe oppositæ. Natum est hoc dissidium, S. Pater, ex superbia, qua inflati, turgebant mundi sapientes, quia quisque proprio studebat honori, & ingenii sui perspicacitatem ostentare satagebat; quapropter etiā avebat videri, & æstimari primus Author talis doctrinæ, & aliis, ingenii acumine, longe excellere. Præclare hoc dixit S. Augustinus: *Neque mirum, si superbia parit dissentionem, hæc enim germana eius soboles est.* Schola Gentilium defectu lucis cœlestis laborans, in superbia fundatur, imo & schola Satanæ in sola arrogantia firmatur, & propterea illa plena est varietatibus, & dissidiis, quot capita, tot sententiæ, tot luces, quot Authores.

D. Augustinus lib. 18. de civitat. c. 41. & 51.

D. Augustin. li. de Pastor. c. 8.

Verum in Ecclesia Catholica, quia est respublica Dei, qui est Author, & Pater veritatis, ideo etiam una est tantum doctrina, eademque in illa sententia edocetur. Et idem cōtingit in schola S. Thomæ, quia fundata est in revelationibus supernis, nullus discipulus ab illius discrepat doctrina, quod summopere in doctrina Catholica optabat S. Paulus: *Obsecro vos fratres, &c. ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sed sitis perfecti in eodem sensu, & eadem sententia.* Carpit Angelicus noster Doctor verbum illud, *schismata*, quo usus est hic Paulus, & dicit: *Sunt autem proprie schismata, quando vel propter diversam fidei confessionem, vel propter diversas sententias homines unius collegii, in diversas separantur partes.* Itaque ubicumque videritis, quod inter plures eiusdem domus, Societatis, communitatis, aut Collegii reperitur diversitas opinionum, aut sententiarum, & quisque eorum, ut libet, opinatur & docet proprio nomine, & gestit esse author novitatis, aut peregrinarum opinionum; existimate illos schismaticos, perturbatores pacis, de fide suspectos, & pronuntiate illos tamquam veritatis hostes, & inimicos. Fundatur schola Christi in profunda humilitate, & quia superbia est principium, & scaturigo diversitatis doctrinarum, per humilitatem intellectum nostrum captivantes, in una doctrina convenimus; & quod filii Ecclesiæ agunt circa fidem, nos discipuli S. Thomæ facimus circa doctrinam eius, toto terrarum orbe celeberrimam. 5.

1. Corint. 1. v. 10.

D. Thom. hic Lect. 2.

Et quia tantopere abhorret animarum hostis unionem, non est mirum, quod quemadmodum atrocissimum est bellum, quod movit diabolus contra Ecclesiam sanctam per hæreticos, qui ad hoc adlaborant, ut quisque sua instructus opinione, prodeat in aciem, non solum Ecclesiæ contradicens, sed etiam cætero- 6.

rum

tum hæreticorum dogmata evertens, ut suum defendat errorem, stabiliatque magisterium; ita etiam excitet Anti-thomistas, quorum quisque sua singulari opinione veridicam, & Catholicam Angelici Præceptoris doctrinam oppugnet, eo solum fine, ut eam offuscans, ipse commodius cum suis excellere, & eminere valeat. Mysterio plena fuit actio illa fortissimi Samsonis, quando capiens trecentas illas vulpes, junxit caudam unius ad caudam alterius, ad incendendum segetes Philistinorum: *Perrexitque & cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum* ut potitus est Samson votis suis, quia omnes hostium suorũ segetes concremarunt, & incineres redegerunt. In allegoria sancto ũ Patrum fuerunt vulpes illæ ita depictæ, proprissimum symbolum hæreticorum, qui, licet capitibus dividantur, & dogmatibus contrariis dissentiant, caudis tamen sunt coniuncti, & uniti, & face accensa, moliuntur segetes Dei exurere, & Ecclesiam sanctam evertere, & in cineres redigere: *Vulpes capit, ligatis caudis ignem apponit*, inquit S. Augustinus: *quid sibi volunt caudæ vulpium colligatæ? Caudæ vulpium, quid sunt, nisi posteriora hæreticorum, qui prima habent magna, & blanda, & deceptoria opera: posteriora ligata, scilicet damnata, & in ignem in fine trahentia, ut eorum fructus, & acta consumant, qui suis seductionibus acquiescunt.* Quilibet ipsorum novam gestit parturire sectam, maxime carni, & sensibus jucundam, & gratam, hoc solum fine, ut Ecclesiam incendant, & fideles seducant, & penitus evertant.

Iudic. 15. v. 4. & 5.

D. Augustin. serm. 107 de tempore.

7. Dico ego ista animalia colligata, & istas astutas, & callidas vulpes, etiam fuisse symbola quorumdam Authorum, qui id, quod Hæretici moliuntur, suis erroribus contra cathedram S. Petri, scilicet, eam concremare; idem intentant suis opinionibus contra scholam & cathedram Angelici Doctoris S. Thomæ; quoad substantiam enim in idem coincidit, velle obscurare lucem cœlestis doctrinæ huius Angeli, & conari uno impetu totam concutere, & labefactare Ecclesiam. In quo tales assimilantur perfido apostatæ, & impio Bucero, qui continuo latratu hæc sacrilega evomens verba, dicebat: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Nisi Ecclesia Thomam habuisset, ipse temerario ausu totam præsumsisset evertere, & ita ea collimant illi, qui lympidissimum doctrinæ eius fontem perturbare allaborant; & quod peius est, volunt tales mundo persvadere, se esse legitimos S. Thomæ discipulos, eiusque doctrinæ veridicos professores. Omnes conclamant scopum suum esse veram S. Thomæ mentem assequi, & declarare, nimis enim durum videtur solos professores Ordinis Fratrum Prædicatorum, quia ipse Angelicus Doctor illorum frater fuit, recte intelligere, & genuinam eius mentem fuisse assecutos. Dum considero fastum, & arrogantiam, qua tales se inscribunt Interpretes, aut Commentatores S. Thomæ, & simul sinistram ipsorum opinionem, & injuriam, quam inferunt doctrinæ eius; videntur mihi similes Ioab, qui, sub specie amicitiæ, pugione perfodit, & occidit Amasam: *Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum.* Simulans osculum pacis, arripuit barbam eius, quo securius scelus perageret: *Vt undique eum falleret*, inquit eminentissimus noster Cardinalis Caietanus. O si quis videret unum ex his Interpretibus allegare Textum S. Thomæ, & magna veneratione erga S. Doctorem, eius authoritatem revereri, existimaret eum amplecti, & exosculari doctrinam ipsius, sed certe hoc fucato titulo utitur, ut nocentius in authoritatem doctrinæ Thomisticæ sæviat: *Vt undique eum falleret*, & ut prudenter S. Ambrosius dixit: *Nihil tam cogit in mortem, quam fidem sub obtentu fidei violare.* Nullus dolor adeo divexat animam, quam videre quempiam, qui sub blanda specie lenocinii animum demulcens vulnus infligit, & prætendit fucata veneratione suam obtegere iniquitatem.

Caietan. hic.

2. Reg. 20 v. 9.

D. Amb.

Hos ego tenebriones comparo, & merito quidem, Hermogeni, & Manichæo. Negabat hic veritatem Evangeliorum, eorumque errores ex aliquibus locis Evangelicis comprobare nitebatur. Videns Sanctus Augustinus eius insolentiam, dicebat non posse esse maiorem eius impudentiam, neque clarius patere eius calumniam, quam, quod ea vocaret in testes suæ perfidiæ, quorum veritatem abnegabat. Hoc idem est, ac si quis quempiam falsitatis argueret, & protinus eius opera in sui defensionem accerseret. Loca sancti Doctoris possunt videri in margine citata, in quibus fusè hoc Argumentum prosequitur. Manichæi sequaces sunt quidam Authores, qui se venditant Discipulos sancti Thomæ, & eam vim inferunt doctrinæ eius, quam ille veritati Evangelicæ. 8.

D. Aug. l. 32 contra Faustum c. 6. & l. 32. c. 6.

Alii

Alij adhærent vestigijs Hermogenis, quem Tertullianus duplici titulo falsarium appellat: *Bis falsarius, & cauterio, & stylo.* Rem enarro, cùm Dæmon per hunc ministrum suum non valeret per ipsam nudam veritatem, & verbum Dei, suæ falsitatis, & erroris figmentum comprobare, necessarium erat ei aliquid vel addere, vel diminuere ex ipsius Scripturæ testimonijs; idque callidè exequebatur Hermogenes, dum enim sacrum aliquod testimonium impugnaret, utebatur *cauterio,* (quod est instrumentum ad abradendum) & delebat pro libitu suo, id, quod sibi contrarium agnoscebat, & dum non manifestè explicaret suum intentum, utebatur *stylo,* (seu calamo, qui tunc temporis ad scribendum adhibebatur) & hoc pacto duplicatam incurrit falsitatis ignominiam; aliquando interserens quædam diuino Textui, & aliquando demens quædam suo instituto opposita. Ecce, quosdam Expositores Angelici nostri Doctoris ad viuum delineatos, qui dupliciter falsitatis redargui possunt, vel truncando authoritates S. Præceptoris, vel adimendo verba, ne veritas patefiat; temeritas sanè intolerabilis, & Christianis Authoribus indigna. Sequatur quisque opinionem, quam voluerit, non commentando Authorem, sed quod quispiam sub protestatione fidelis Interpretis, violet fidem Authori debitam, & nobis vendat tamquam S. Thomæ, quod Doctor Angelicus numquam somniauit, intolerabile est, & iniuria maxima.

Tertull. lib contra Hermog.

9. Sunt tales similes falsarijs Bullarum Apostolicarum, qui addito, vel dempto uno verbulo, ex veritate, mendacium effingunt. Quid dico, verbulo addito? uno charactere, seu litterâ adiunctâ, ex veritate Catholicâ manifesta hæresis consurgit. Narrat S. Ioannes in sua Apocalypsi, Angelum effudisse phialam iræ Dei in terram, propter peccata hominum, & statim subsecutum fuisse vulnus sævum, & pessimum in homines: *Qui habebant characterem bestiæ,* propter unum solummodò characterem, seu litteram Dæmonis, atrocissima strage puniti fuerunt. Non exigit à te dæmon, nisi ut unicum habeas ipsius characterem, ut te ad ruinam, & damnationem inducat. Tempore Arrianorum unica littera, quæ erat prima in nomine Diaboli, causa, & origo fuit tot bellorum, innumeræ cladis, & effusionis sanguinis, quæ omnia Ecclesiam maximè afflixerunt. Dicebant Catholici: *Alius Pater, alius Filius,* cum littera S. Arriani verò asserebant: *Aliud Pater, aliud Filius,* cum D, quæ est Littera Dæmonis, & hæc sola ad tantam stragem excitandum sufficit. Quapropter tempestivè, antequam similia mala capiti nostro immineant, & malitia in peius serpat, recurrendum est ad lympidissimum fontem doctrinæ, videlicèt S. Thomæ, eiusque Scholam, in qua lux unica, indivisa, & luci fidei simillima, reperitur; cùm enim in illa tot sint numero Magistri, & Authores, omnes unanimiter conveniunt in essentiali substantia doctrinæ. Hoc sonant verba Thematis: *Vos estis lux mundi, & non luces mundi.*

Apocal. 16 v. 2.

Vos estis Lux mundi.

CONSIDERATIO III.

Quamquam Cœlum non approbasset doctrinam S. Thomæ, sufficeret ad eius commendationem, quòd sit fundata in antiquis, & Sanctis Patribus, ne veritas eius suspecta habeatur.

TAntam sibi conciliauit authoritatem, & æstimationem in Ecclesia Dei, Doctrina Angelici nostri Doctoris, ut quodammodò cum sacra Scriptura, quoad dignitatem, competere videatur. Non præsumerem tanto encomio extollere doctrinam eius, nisi sacro-sancta Synodus Tridentina mihi fundamentum, & ansam præberet; in qua Patres congregati, sacris Biblijs, & Summa Theologica S. Thomæ, tamquam formulario, seu directorio in omnibus suis resolutionibus usi fuerunt. Et quemadmodum dixit S. Ioannes Chrysostomus: *Diuinis litteris potiùs credendum est, quàm Angelis de cœlo descendentibus.* Est namque tanta authoritas S. Scripturæ, ut illi potiùs, quàm Angelis è cœlo, aut mortuis è sepulchro resurgentibus, fides sit adhibenda; immunis est omninò doctrina S. Thomæ ab omni suspicionis labe, quia Ecclesia in suis diffinitionibus æquo passu eam cum sacris Oraculis consulit, & audit: *Non potuit Diuus Thomas Ecclesiasticis interesse Conciliis, morte præventus; verùm ecce, superstes, atque in æternum victurus, vobis adest.* Ac si diceret Euangelicus ille Orator: diuinâ quidem disponente providentia ereptus est nobis immatura morte S. Thomas, neque nobis viuens assistere potuit, sed viua & superstes adest eius doctrina, iuxta quam, veluti normam, & regulã omnia decreta sunt efformata, & corroborata. 1.

D. Chrysost. in c. 1. ad Galat.

Oratio habita in Concil. Trident. ad Papam, & Cardinales.

Affirmans S. Ioannes in sua Apocalypsi vera esse, & certa omnia vaticinia in ea contenta, concludit propositionem suam hisce verbis: 2.

Apocal. 3. v. 7. verbis: *Hæc dixit sanctus, & verus, qui habet clauem David*, tamquam diceret, oculis occlusis potestis credere ijs, quæ narraui, quia Author dictorum est sanctus, & verus, & ideò veritates fidei catholicæ, per Deum revelatæ, omni carent dubio, quia Deum habent Authorem. Non secùs voluit Dominus Deus, ut veritates Theologicæ, quæ secundum obtinent locum, post certitudinem fidei, haberent Authorem adeò sanctum, & veracem, uti est S. Thomas; atque hoc rationi consonum fuit, ut credibiles forent, solum quia ipse eas pronunciauerat. Ecquis tuetur illam opinionem? S. Thomas. Satis est, omnia sunt salva, nihil restat replicandum, illa vera est, quia Doctor sanctus, & verus eam defendit: *Hæc dixit sanctus, & verus*. Et observat ibidem doctissimus Pater, Hugo de S. Victore, quòd sacer Textus subiungens, *qui habet clauem David*, alluserit in eo sanctus Ioannes, ad id, quod in aulis Regum fieri solet. Tradit sua regia Majestas clavem vestiarij, & interioris cubiculi familiaribus, & intimis amicis suis, illi omni hora ingrediuntur aulam, & quævis secretissima eius loca perlustrant, gaudent indies alloquio Regis, dum lubet, Regem visitant, eiusque fruuntur præsentia: eodem igitur modo manifestabat se Deus Davidi, qui quotidiè eius potiebatur aspectu, & familiari utebatur colloquio: *Quæ specialiter, & propriè dicitur David propter prærogatiuam manifestationis, quia David nudè & purè, & absque tegumento, in secreto cordis reserauit adventum Redemptoris.* Fuit David eminentissimus Propheta, cui Deus singulariter secreta, & arcana cœlestia revelauit. Nonne ipsemet profitetur; *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*, Familiarissimè Deo usus est, clavi aurea, & dulci eius alloquio, & adspectu donatus. Ita ergò sanctus Euangelista ad declarandum indolem Dei, suamque cognitionem manifestandum, hac utitur metaphora, & dicit: Hæc dixit Dominus, qui clavem secretorum suorum Prophetæ Davidi confidit. Multa assecutus est regius Vates, præ cæteris divinorum mysteriorum gnatus, quę singulari Dei dispensatione intimius penetrauit, verum si comparationem fecerimus cum ijs, quæ Angelicus Doctor minutim, & in particulari exactissimè cognouit, forsitan comperiemus Deum ipsi ad interiora, & secretiora domus suæ aditum, & clavem commisisse, eiusque scripta, vaticinijs Davidicis, quoad æstimationem, æquiparari.

Hugo Victorinus hic.

3. Sufficiebat, inquit Clemens VIII Pontifex Maximus, quòd sanctus Thomas, eiusque doctrina, Christum, æternam sapientiam, habeat approbatorem, ut apud omnes magno habeatur in pretio: *Cuius doctrina tantum fuit attributum, ut Christianæ eruditionis sua, divinum etiam illud habeat testimonium: Benè de me scripsisti, Thoma.* Neque dumtaxat semel, sed trina vice idem Christi testimonium audire promeruit, quasi nulli alteri, nisi sibi ipsi censuram doctrinæ S. Thomæ Christus confideret: quando nouus aliquis liber prodit in lucem, statim conijcis oculos in censuram & approbationem eius, & iuxta qualitatem approbantis, magni, vel parvi æstimas librum. Insignem approbatorem, & testem habent Opera S. Thomæ, quis ea præsumet impugnare? Est tanti momenti hæc approbatio doctrinæ nostri S. Præceptoris, ut si Christus è Cruce fuerit septem verba locutus, & frangens silentium, tam sublimi Sacrificio debitum, non aperuerit os suum, nisi ad ea, quæ maximi erant ponderis, sicut donando latroni converso paradisum, Matri suæ sanctissimæ filium, & dilectissimo discipulo Ioanni Matrem, nunc denuò frangit altum silentium, ut è Cruce octauum pronunciet verbum, ad approbandum doctrinam Angelici Doctoris, tamquam maximi momenti, & summoperè necessariam Ecclesiæ.

Clemens VIII.

4. Sed quid mirum, quòd Deo ea doctrina perplaceat, & ipsi tantoperè probetur, quam ipsemet Deus, uti diximus, illum edocuerat; *de me Thoma* Accipite insignem Tertulliani meditationem, instituto nostro percommodam. Cupitis nosse, quantùm Deo complaceat, rogans Deum oratione Dominica, seu *Pater noster*, quam ipsemet Christus discipulos suos edocuit? Observate, inquit, quòd ipsemet eam Discipulos docuerit, & facilè colligetis quàm grata sit Patri, & Christo; Filius siquidem non habet aliã sapientiam aut intellectum distinctum à Patre; ergò necessarium est, ut ipsi perplaceant opera sui intellectus, quia ipse, tamquam Deus, edocuit hanc orationẽ, quæ suo dotata priuilegio, secura ad thronũ misericordiæ diuinæ penettabit: *Deus solus docere potuit, ut se vellet orari; animata suo priuilegio ascendit in Cœlũ, commendans Patri, quæ Filius docuit.* Ex ipso ore prodiens iam secura pergit, quia per ipsius infinitã sapientiã disposita, & per illius intellectũ dictata, procedit. Litteras cõmendatitias defert secũ doctrina S. Thomę, ut cœlo & terrę, Deo & hominibus

Tertull. lib. de orat.

nibus grata exhibeatur, Deo quidem, quia sua Maiestas eam docuit, hominibus autem, quia ipse Deus publico præconio eam approbavit: *Benè de me scripsisti, Thoma*. Quare, propter hoc divinum testimonium, longè acceptissima est Ecclesiæ, & simul propter attestationē Beatissimæ Virginis Matris, quæ illi dixit, quod quidquid scripserat, aut docuerat, ratum & approbatum haberi, quodq; propter merita ipsius Ordo & Religio Fratrum Prædicatorum usque ad finem mundi, absque ulla vicissitudine foret duratura, ipsius enim doctrina post dogmata Fidei, & decreta Catholica est maximè vera, pura & secura. Idem affirmavit Sacratissima Virgo associata à S. Thoma, & Seraphico Patre S. Francisco, quando apparens cuidam fratri Ordinis Minorum, in difficillima quæstione Theologica hæsitanti, neque veram resolutionem assequenti, dixit, demonstrans S. Thomam, hunc sequere ejusque doctrinam amplectere; & securus eris in fide: *Crede huic quia ejus doctrina non deficiet in æternum*; & quicumq; ab ea deviaverit suspectus erit: ita enim Innocentius VI. Pontifex Maximus attestatur: *Ut numquam qui eam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviasse, & qui eam impugnauit semper fuit de veritate suspectus*. Et in Bulla Apostolica Magistri sacri Palatii asserit Summus Pontifex, quod, quia desiderat, ut Ecclesiæ S. Petri semper sit provisum de insigni aliquo Theologo, & familiæ Pontificis de aliquo digno Præceptore, cùm doctrina S. Thomæ sit maximè solida & secura, se voluisse concedere Ordini Prædicatorum tam eminentem & perpetuum dignitatis locum, ut semper Aula Pontificis tam sana Doctoris Angelici doctrina frui possit. Imò in bulla beatificationis seu Canonizationis S. Ignatii de Loyola, celeberrimæ Societatis Jesu Fūdatoris (prout mihi retulit Romæ Reverendissimus Magister sacri Palatii F. Nicolaus Ricardus) affirmat Summus Pontifex, Vicarius Christi, describens heroicas virtutes & præclaras dotes illius insignis Patriarchæ quod fuerit vir planè perfectus, & verus Catholicus, semper profitens se Discipulum S. Thomæ Doctoris Angelici. Quæ omnia luculenter probant, quanto in pretio semper sit habita in Ecclesia Dei, Schola Sancti Thomæ, & incomparabilem æstimationem, qua Cœlum doctrinam ejus coluit, & approbavit. Quapropter adnotante Magistro Espina, jam inter Magistros, & Doctores ad designandum S. Thomam, sufficit dicere: *Hæc dicit Sanctus Doctor*: non quasi non sint Sancti Augustinus, Hieronymus, & Ambrosius, sed quia per antonomasiam, est præ cæteris eminentissimus, ideò passim dicunt in suis scriptis: *Hæc est sancti Doctoris sententia*.

Alphons. Fern. de Rosar. ultim. impress. fol. 328.

Espina in præf. 22.

5. Et quamvis hæc dicta abundè non sufficerent ad extollendum doctrinam S. Thomæ, sufficeret tamen id, quod perpulchrè animadvertit Doctissimus noster Cajetanus, quia, meo judicio, absque injuria tamen cæterorum Doctorū, illi primas & palmam defert, accipite ejus verba, notatu dignissima: *Cùm Divus Thomas sacros Doctores summè veneratus est, ideò intellectum omnium, quodammodo sortitus est*, id est, quia S. Thomas tanta veneratione sacros Doctores coluit dedit ei Deus intellectum & scientiam quodammodo cæterorum. Doctrinam nempe & ingenium in Scholasticis S. Augustini, Intellectum S. Hieronymi in exponendis sacris Scripturis, Eloquentiam Chrysostomi in Concionibus dicendis, & suavitatem seu dulcedinem Ambrosij, ita ut hic Sanctus, factus quintus Ecclesiæ Doctor, fuerit quodammodo quintam essentiam perfectionis cæterorum in se complexus. Exemplo rem elucidabo. Cupit distillator quispiam extrahere seu cōficere aquam Angelorum (ut vocant) injicit distillatorio rosas, gariophyla, aut quosvis alios flores odoriferos, & ex illis elicit aquam adeò suavem, & grati odoris, ut per excellentiam aqua Angelorum nuncupetur. In hoc sensu ergo affirmat Cajetanus intellectum S. Thomæ esse Angelicum, quia redolet Hieronymū, Cyrillū, Cyprianum, Athanasium, Chrysostomum, & præ cæteris Augustinum, estque quinta essentia omnium, quare ita eorum sectatur doctrinam, quasi suam ex solis illis hausisset, & quāvis major pars doctrinæ ejus fuerit infusa, voluit tamen acquiescens consilio Salomonis, antiquos Patres agnoscere Magistros, & Præceptores in terris. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit*. Hoc unicum fuit studium Sancti Thomæ semper perscrutari, & quærere Sanctum aliquē aut Doctorem gravem, cujus authoritate, suam doctrinam, aut sententiam, tam in Philosophicis quam Theologicis stabiliat & confirmet. Evidentem hujus veritatis experientiam habent illi, qui legendo Summam ejus percurrerunt.

Caiet. 22. q. 148. art. 4.

Eccles. 39. v. 1.

Non

Non ita agunt quidam Doctores hujus ævi, quorum scientia, licet non sit divinitùs infusa, sed proprio studio acquisita, volunt eam sibi vendicare propriam, nullum agnoscentes Magistrum; præsumentes se omnia, absque recursu ad veteres Patres, intelligere, scire & penitus comprehendere. Imò ostentationis ergo jactitant se, quòd à tritis aliorum semitis deviantes, nova excogitare, & paradoxa aliis divendere possint; quam ob causam teste S. Augustino, rectè tales cathedraticos, & professores. Regius Vates unicornibus comparavit: *A cornibus unicornium erue humilitatem meam*, quia singulare & proprium est huic animali, omnem abhorrere societatem: *Odit omne consortium*: neque enim præter unicum reperitur unicornis, & nunquam alterius contubernium admittit. Tales sunt illi Sapientes mundi, nolunt esse Discipuli, ne se aliis conforment, quasi verò ipsi possent esse præceptores præsentium, absque eo, quod fuerint Discipuli prædecessorum. Egregiè, & eleganter hos traduxit mellifluus Doctor S. Bernardus, redarguens quemdam Petrum Abaylardum, qui se singularitatis & novitatis authorem jactitabat, dicens: *Omnes quidem sic, sed non ego sic*, contra quem S. Abbas hocce format argumentum: *Quid ergo tu, quià meliùs affers? quid subtilius? quid secretiùs tibi revelatum iactas, quod Sanctos præterierit, effugerit sapientes? Aquas furtivas, & panes absconditos, apponet nobis iste.* Quæ præsumptio tua vana & inanis? Quæ tu imaginaris grata sunt, & vera, quæ verò alii sapienter dixerunt, ingrata sunt somnia & figmenta? Non credo, sed potius timeo, quod ille novitatis author nos decipiat, & aquas furtivas, & panes absconditos nobis divendat. Et tandem hac demonstratione concludit S. Doctor: *Magister gentium accepit à Domino, quod tradidit nobis, & Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam, ego inquit, à meipso non loquor, ergò non benè tradis, quod à nemine accepisti.* Efficacissimum est argumentum, Christus omnium supremus Magister ad comprobandum doctrinam suam esse veram, asseveravit non esse suam sed Patris, & Paulus Doctor gentium, ut suæ doctrinæ conciliet authoritatem, non suam prædicavit, sed Christi, à quo sibi traditam profitetur, ergò sequitur tuam non esse veram, quam jactitas tuam esse & non aliorum. Nolo reliqua sancti Bernardi verba referre, quia non parum mordent & pungunt. Ad fontem remitto curiosum Lectorem, ut vel ex illa hauriat, depromat, vel relinquat.

Psal. 21. v. 27.
D. Aug. lib. de Pass. c. 10.
D. Bern. Ep. 190. ad Innocens. Pap.

7. Saltem ex præfatis S. Bernardi dictis liquidò constat, nullas posse reperiri aut dari solidas veritates, aut scientiæ conclusiones, in solo unius cerebro fabricatas: insignis ad præsens occurrit allegoria Philonis Alexandrini. Summis votis optabat Iacob nosse statum, resque gestas suorum filiorum, qui in pascendis gregibus commorabantur in Sichem. Accersit filium suum Ioseph, atque illi: *Veni, mittam te ad eos*, ut perquiras an prospera sint cuncta erga fratres tuos, & quid agant. Qui respondit Patri: *Presto sum*, mox mandatum imperantis absque mora exequar & perficiam: Vixdum se juvenis accinxerat itineri, &, *Invenit eum vir errantem*. Hunc tristem successum allegorizans Philo Alexandrinus in has disertissimas prorumpit voces: *Paratum te ais, dicens presto sum argumentum est, quod inveniet te homo paulò post errantem in via.* Estne possibile Joseph, quòd tam facilè præsumas reperire viam, absque eo, quod tibi quispiam iter demonstret? Certè jam teste conscientia mea, brevi à recto tramite aberrabis, quia præsumere multùm de scientia jam media ex parte erratum est, & prognosticon certum erroris futuri est, imaginari, aut sibi persuadere, se nullo prorsùs doctore indigere: & magna ponderatione dignum, quod acutissimus advertit Hebræus: *Inveniet te errantem in via.* id est, reperient eum errantem in via, non extra illam, hoc enim etiam expertissimis, contingere potest, verum errare in ipsa via, nullo nisi superbo, & elato accidit in pœnam vanæ illius præsumptionis & arrogantiæ.

Genes. 37. v. 13. & 15
Philo hic.

8. Si me tales audire vellent, sanum illis præberem consilium, nimirùm ut priùs addiscant esse boni Discipuli, si optant & desiderant esse Magistri. De Jacob commemorat sacer Textus, quod Deus duxerit eum per semitas & vias rectas, eique dederit scientiam sanctorum: *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam sanctorum* In Genesi autem narrat eum commoratum fuisse in Tabernaculis: *Habitabat in Tabernaculis*, id est, juxta Targum Ierosolymitanum, *erat minister doctrinæ*, seu Discipulus docentis. Vnde doctissimus Abulensis, Lyranus & alii docent secundum opinionem Hebræorum, Iacob frequentasse Scholas Heber, & Melchisedech, quas Vulgata nostra

Sapient. 10. v. 10.
Genes. 25. v 27.
Targum Ierosol.

ta nostra Tabernacula nuncupat, qui tamquàm sancti & illuminati docebant arcana & cœlestia mysteria, methodum, & normam, in amando & serviendo Deo, observandam, sanctumque adolescentem Jacob totos quatuordecim annos impendisse studiis rerum divinarum, & diligentem operam navasse in excipiẽda prætatorum magistrorum doctrina. *Et voluñt Hebrei quod Iacob habitavit quatuordecim annis in Tabernaculo Heber.* Tanto tẽpore scholas frequentavit Iacob, tot ingenii & naturæ dotibus exornatus? Ita planè totum id necessarium fuit ad assequendum doctrinam Sanctorum, & postmodum eam alios docendum: uti fecit Angelicus noster Doctor S. Thomas. Quem gnaviter imitari debent, quotquot magisterium aliorum ambiunt, qui autem proprio reguntur cerebro, Abaylardi sequelam profitentur, & ex industria in ipsa veritatis via aberrare volunt.

Abulens. hic.

9. Coronet hunc discursum historia quædam duorum Musicorum, quam, ut verã refert Plutarchus. Erat Phrenides dexterrimus in arte Musices, sed magnus novitatum amator; qui novis oblectabatur tonis & cantiunculis, & veteres flocci pendebat. Prodiit quodam die festo cum cithara novem fidium, instrumento apud plurimos celeberrimo. Magna veneratione colebat ille Ephorum expertissimum etiam aulædum, cui obtulit novum instrumentum, ut ejus exploraret judicium, & opinionem. Accepit Ephorus citharam, manuq; arripiens, duas fides detraxit, & abrupit, dicens: *Noli depravare musicam, prisci cantores non noverunt nisi septẽ chordas: quibus aliquid addere, aut musicã reddere operosiorem erit artis corruptela.* Recede cũ tua cithara, quia veteres aulædi non noverunt nisi chordas, &c. Bellè, & appositè dictum contra omnes novitates & singulariter doctrinæ, cujus vetus & antiquum instrumentum in libris Sanctorum, & Summa Theologica S. Thomæ continetur. Sunt instrumenta septem fidium, seu chordarum, super quæ Doctores possunt discursus, & mentis suæ excogitata fundare, quapropter magni refert non recedere ab antiquitate, quia tantùm habet doctrina antiqua lucis, & veritatis, quia firma & stabilis permanet, quantùm nova falsitatis & erroris, quia inconstans, & vicissitudini temporum subjecta non subsistit. Nolo dicere, doctrinam non posse esse novam, quoad conclusionem, attamẽ debet esse antiqua, quoad principia, & quæ talis non fuerit, suspectam habere, quia non est par, aut similis Evangelicæ, de qua Christus dixit Apostolis: *Vos estis lux mundi.* Vel ut quidam docti Interpretes explicant: *Vos esse debetis lux mundi*, & firmi permanere in ministerio lucis, persistendo & inhærendo doctrinæ, quã ex me didicistis. Prophetæ promiserunt, sacræ literæ declararunt, quæ tantò verior & minus suspecta est, quantò magis in antiquitate fundatur: *Vos estis lux, &c.*

Plutarc. in Instit. Laced.

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO IV.

Impugnantes, seu offendentes doctrinam Sancti Thomæ, jaciunt lapides contra cœlum, & non solùm concepto frustrantur fine, & intento suo, sed etiam temeritatis suæ pœnas luentes, gladium, & ruinam sibi accersunt.

ADmirabundus examinat S. Pater Augustinus, cur lux adeò formosa & pulchra, & ut verbo dicam, testimonio ipsius Creatoris approbata, & à bonitate sua commendata, quia *Dictum est, vidit Deus lucem, quia bona est*, ab aliquibus tamen sinistrè opinantibus, veluti mala & deformis traducatur. *Et denuò sunt, qui dicunt, quod mala est.* Quid foret, inquit Sanctus si sacer Textus non approbasset ejus bonitatem & formam? *Quod si sine testimonio esset relicta*, haud dubiè plures haberet sibi infensos hostes, & quæ modò quibusdam non arridet, tũc multò plures illi sese opponerent. Dum reperi hunc locum in Sancto Augustino, extemplo venit mihi in mentem Angelicus noster Doctor S. Thomas, ecquis enim Sol splendidior hoc glorioso Sancto, aut quæ lux rutilantior ejus doctrina? & tamen suos habet adversarios, quibusdam non placet, sed radii cœlestis illius lucis oculos aliquorum offendunt. Verũ hic defectus non in lucem, quæ pulchra & formosa referẽdus, sed ægris eorum oculis attribuendus est, qui imbecillitate sua eam fixo intuitu aspicere nequeunt, quò enim magis contẽdunt eam intueri, eo magis offuscati hebetantur, quemadmodum perpulchrè dicit idem sanctus Ecclesię Doctor, *Oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis.* Depingebant olim Veteres Solem sagittas ejaculantem, hoc lemmate subjecto, *Lapicida*, id est, lupos interficiens, per sagittas autem significantur radii Solis, quo exoriente omnes 1.

D. Aug. lib. de quæst. Veteris Testam. 9. 5. Genes. 1.

omnes feræ sylvestres ad cavernas, & latebras suas recurrunt, uti appositè cecinit Regius Psaltes: *Ortus est sol, & in cubilibus suis collocabuntur.* Quod hæretici sint lupi Ecclesiæ, familiare est in doctrina Sanctorum Patrum, eosque hoc nomine inscripsit Christus Dominus: *Lupi rapaces*; quantum verò hi pertimescant sagittas Thomæ, palàm fit ex sacrilego illo Buceri Dicto jam relato: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Et in perjuro illo Luthero, quando constituto sibi judice in causa perfidei suæ, Doctissimo simul ac Sanctissimo Cardinali Cajetano forum declinavit, hanc solam prætexens rationem: *Eò quod Thomista esset, & Ordinis Prædicatorum.* Neque hic exiguus est honor discipulorum S. Thomæ, ipsis hæreticis esse suspectos.

Psal. 103. v. 22.

Matth. 7. v. 15.

2\. Et quoties hi conati sunt tentare vires contra sanctum Doctorem, ejusque Discipulos, toties in vanum lapides contra Cœlum projecerunt, qui irrito conatu in caput recidunt jacientis. Plurima hujus veritatis extant exempla, quæ passim curiosi & devoti lectores in chronicis abundè reperient. Recurramus ad sacras litteras, & confirmationem hujus discursus requiramus. Inter elogia, quibus animosus Princeps Ionathas exornatur à sacro Textu, unum est, quod omnis sagitta, quā emisit ex arcu suo, numquam frustrato conatu, semper scopum, in quem collimabat, attigerit. Singularis sanè prærogativa brachii tam dextre jaculantis, ut numquam emiserit sagittam, quin adversarium feriret. Si percontati fuerimus Hugonem nostrum hujus fœlicitatis causam, dicet nobis hanc fuisse quia sagittæ hujus invicti Principis semper erant acutæ, & ideò numquam irrito effectu, quo volebat, eas infigebat, etiam contra thoracem ferreum, aut quodvis armaturæ genus: *Sagitta Ionatha nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul nunquam reversus est inanis.* Vbi eleganter Hugo Cardinalis: *Acuta enim sagitta non abit retrorsum: Obtusa autem retrorsum abit, quia non infigitur.* Dico ergo, quod ipsummet nomen Ionathæ designet dexteritatem ejus in jaculando, & fortunatam ejus sortem in feriendo hostem suum: Ionathas siquidem, secundum communem interpretationem Expositorum, & singulariter nostri Pagnini, idem sonat, quod *Columba dans.* Verificetur hoc de Ionatha, in sensu, quem voluerint docti Expositores, ad oculum patet in Angelico nostro S. Thoma, quod nunquam inanem emiserit sagittam, quin scopum attigerit, quia columba hoc ei singulare dedit: *Columba dans,* Spiritus, inquam sanctus, qui aliquoties visus est sub specie columbæ in aurem ejus susurrans, quæ dictaret. Ipse namque ita direxit brachium & calamum ejus, ut ex centum mille jaculis, quæ emisit, nullum in aërem sine fructu explosserit, semper enim contra Hæreticos Ecclesiæ inimicos optatum sortitus est effectum.

2\. Reg. 1. v. 22.

Hugo Card. hic.

Pagninus hic.

3\. Etiam depingit S. Mater Ecclesia S. Thomam manu gestantem calamum ad instar sagittæ, qua hæresim ad pedes suos prostratam ferit & jugulat, & simul cum calice sacro in altera manu: videtur calix atramentarii loco fuisse calamo S. Thomæ, & idcircò tot, tantosque contra infideles consecutus est victorias. Dignum est memoratu, id quod contigit in sexta Synodo, in qua Photium condemnarunt, cujus sententiam calamo in consecrato Christi sanguine intincto, Patres subsignarunt: *Ipsi verò Salvatoris sanguine tingentes, ita damnarunt Photium.* Calix consecratus atramentariū, & cæremonia horrore plena, sententia damnationis, & character, seu litera, tristis executio Justitiæ. Tinctus est S. Thomæ calamus sanguine Christi, acuminata est sagitta ejus ad lapidem divinum, scilicet ad Petram, Christum, quapropter, licet conjurent in unum omnes totius orbis hæretici, totus conspiret contra illam infernus, & ut compendio dicam, confœderentur omnes ad offuscandam lucem doctrinæ ejus errorum nebulis, omnes radiis suis dissipabit, cunctosque adversarios suos feret vincet, & prosternet. Eveniet Sancto cum illis, quod Moysi & Aaron cum magis ac incantatoribus Ægypti in illa miraculorum contentione, qua se Moysi opposuerunt. Versa fuit virga Aaron in colubrum seu draconem, idipsum conati sunt efficere, & projectis virgis suis mutatæ sunt in serpentes: *Projecerunt virgas suas, quæ versa sunt in dracones* Verùm observat sacer Historicus, quod virga, vel serpens Moysis devoraverit incantationes Ægyptiacas: *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Eveniet, inquam idem, si accuratiùs attenderimus ponderationem Petri Blesensis, qui dicit hæc denotare, quod futura essent tempora, in quibus vera scientia, seu sacra Theologia in serpente Moysis præfigurata, foret mundanam scientiam devoratura. *Dracones enim Pharaonis devorat draco Moysis, & suavitatis Theologicæ lepor evacuat scientiā vanitatis* Quod ad unguem verificatur in lege gratiæ, in qua

Sexta Synod.

Exod. 7. v. 11. & 12.

Petr. Blesens. Epist. 36.

qua Sapientia S Thomæ, quia è cœlis est, evacuat, & enervat scientiam maleficorum, & sapientiam Ægypti, id est, sciolorum huius mundi, & ad præsentiam eius quasi inanes incantationes evanescunt.

4. Applicat huic proposito Doctissimus noster Gravina, id, quod contigit cuidam insidioso æmulo Minervæ, quam Poetæ præsidem sapientiæ effinxerunt; ille, cum nequiret depravatæ suæ intentioni, & rabido stomacho satisfacere, aliâ viâ Bibliothecam eius exurere molitur, in eumque finem Plutonis opem implorat, eumque rogat, ut auxiliares præbeat manus. Agnovit Minerva proditoris technas, & astutiã, & accepta face incendit materiam ab ipso collectã, & iniecto igne in domum Deicoli, qui se Plutoni devoverat, illũ, una cum domo, in cineres redegit: *Minerva ubi dolum detexit, accensa face eamdem, succendens materiam, ad ædes Deicoli, Æolo propitio incendium divertit: spe, & eventu frustrato:* ubi ipse igne consũptus, experimento didicit, & malo suo agnovit, quid sit Principẽ Sapientiæ velle offẽdere. Hoc ipsum moliti sunt adversarii veritatis contra sacram Bibliothecam Angelici Doctoris. Et ne videar peregrina loqui, subiungit insignis ille Doctor doctrinam S. Thomæ rectè appellari Librariã, seu Bibliothecam perfectam, de alio enim, illud minús docto ausus fuit dicere Origenes: *Memoria eius arca, & Bibliotheca efficitur librorũ Dei.* Eapropter potiori jure dici potest, doctrinam S. Thomæ esse Bibliothecam, siquidem Scripta eius compendio complectuntur, quæ cæteri Sancti in innumeris libris sparsa docuerunt. Hanc igitur perfidi Ecclesiæ hostes exurere, & in cineres redigere tentarunt, est enim incendiarij vox illa sacrilega Buceri: *Tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam.* Infernus subministravit eis materiam ad succendendum eam, sed in contrarium versa est eorum depravata malitia, quia eodem igne, quo scientiæ Præsidem amburere procurarunt, miserè sunt consumpti, & incremati: & idem prorsus continget omnibus ijs, qui venenato animo idem moliri præsumpserint: tametsi enim omnia sacra volumina deficerent, sufficit in hac unica SS Patrum animata Bibliotheca, hæc accensa fax divinæ sapientiæ, ad destruendum, & annihilandum omnes Ecclesiæ adversarios, & efficiendum, ne ulla eorum memoria superstes inveniatur.

Gravina in Prolog tom. 3. Præscrip.

5. Quamdiu S. Thomas, eiusque doctrina viget, haud timere debet populus Christianus invasiones, impetus hostium Ecclesiæ. Notate, ambò, id, quod sacra Pagina de Rege Sedecia, eiusque Principibus commemorat, quando exercitus Nabuchodonosoris armata manu irruit in Urbem Ierosolymitanam, ad destruendum illam: *Ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, & sederunt in porta media,* irruerunt, teste Ieremia, duces omnes, & occuparunt inclytæ illius urbis portam mediam. Et mox subiungit: *Cumq; vidisset eos Sedecias Rex Iuda, & omnes viri bellatores, fugerunt*, id est, desperato rei negotio, tamquam victi, urbem hosti cesserunt. Quænam hæc fuerit porta media disputant sacri interpretes: omnes quidem unanimiter conveniunt illam civitatem Ierusalem tres habuisse portas, & mediam earũ hostem occupasse; verùm adnotant quidam, & præsertim noster Pagninus, in hac porta media erectas fuisse scholas Ierusalem, in quibus & artes liberales, cæteræque scientiæ edocebãtur: *Ubi erat Academia, aut domus doctrina*, inquit Paraphrastes Chaldæus. Premo nunc mysteriũ horum verborum, quòd statim ubi Rex Iuda, cæterique Principes animadverterunt hostem potiri domo doctrinæ seu universitate, stationem suam deseruerint, & equis velociores aufugerint. *Omnes fugerunt.* Ecquid Spiritus sanctus hocce facto nobis insinuare voluit? Meo judicio, salva Interpretum venia, voluit indicare, quod jam diximus, nimirum, quod tametsi inimici Fidei Catholicæ coniunctis viribus cõtra militantem Ecclesiam, Sponsam Iesu Christi, sæviant, eamque variis persecutionum telis, & tormentis infestent, & atrocibus bellis, falsorum dogmatum, inquam, erroribus oppugnent, donec non invaserint, & occupaverint portam mediam, seu secundam, sicuti nunquã occupabunt, quemadmodum Cœlum ipsum promisit, donec, inquam, non everterint Academiam scientiarum, id est, Scholam S. Thomæ, nullatenus pertimescendum est. Si verò Deus justo suo judicio eam hac pœna plecteret, ut ipsius doctrina deficeret, meritò seipsam, veluti desolatam, & iam ruinæ proximam, lugere posset. Sed securi sumus ab hac fatali ruina, quia taliter divina providentia disposuit, ut ipsa sit excidium, & mors suorum hostium, & Angelicus Doctor S. Thomas sit malleus eorum, ad eius lucem, veluti vespertiliones, & aves lucifugæ cæcutiant, utque idem contingat omnibus illis, qui insolenti & temerario

Ieremia 89. v. 3. & 4.

Pagnin. Paraph. Chaldæus ad illa verba 4. Reg. 23. v 4 Quæ habitabat in Ierusalem.

rario ausu, veridicam, & catholicam eius doctrinam impugnare præsumpserint.

Videant tales quid faciant, & meminerint celeberrimæ illius sententiæ Pythagoricæ. *Cōtra Solem, ne loquaris*: quod velit pygmæus luctari cum gigante, vana est præsumptio, velle dimicare contra solem, manifesta est amentia. Consulerem ergo talibus, qui dedignantur S. Thomæ primas concedere, ut rogarent Sanctum, quatenus ipse potentissima sua intercessione eis à Deo gratiam impetraret qua humiles ipsius Discipuli fieri mereantur. Si enim Angeli sese subjiciunt magisterio, & instructioni alterius Angeli, cur doctrinæ Doctoris Angelici non se submittent homines? Quadrat huic instituto perpulchra quædam sententia Gilberti Abbatis. Narrat S. Euangelista Lucas, quòd Angelo annuntianti Pastoribus gaudium magnū lætissimæ nativitatis Salvatoris nostri, plures Angeli sese comites adiūxerint, qui veluti Discipuli, unà cum illo jucundissimam Dei Incarnationem, & fortunatissimam hominum sortem festivè celebrarunt: *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Admirandū profectò miraculū, quô maius excogitari nequit, quàm ut homo Deum videat hominem factū: sed hoc non solum percellit animum, aliud nāque prodigium invisum, & inauditum est ei adiunctum: *Vnus annuntiat, & tamen quasi novum, & recens audiunt, quod illis ignotum esse non poterat. O beata novitas quæ Angelico gaudium præstat auditui, & delectat illos ab alio audire, & quasi discere, quod eos ab initio, ipsa veritas docuit.* Nonnè videtis, inquit Doctus Abbas, spiritus Angelicos, quasi discipulos primi annuntiantis nativitatem Domini, etiam jubilo, & canticis celebrare gloriam eius? Nonnè animadvertitis illos iteratò repetere, ea, quæ primus dixit, & simili repetitione verborum ostendere se discipulos, & addiscentes: Sublimis, & alta est meditatio Abbatis qui namque se discipulum præbet alterius, id facit, ut addiscat priùs ignorata, hoc autem in Angelis non habebat locum, quibus Deus præsciens Incarnationis mysterium iam pridem revelaverat, attamen quodammodò discipulorum speciem, & personam induunt, ad erudiendū homines, spiritu superbiæ, & contradictionis laborantes, qui malunt ignorare, quàm alteri se submittere, aut addiscere. Eja, ergò, inquit devotissimus Abbas, omnes imitentur in Sanctis humilitatis exemplum, & qui minus sapiunt, alios scientia eminentiores, tamquam Magistros, fateantur, cùm ipsimet Angeli non dedignentur esse discipuli alterius superioris Angeli, cuius tamen haud quaquàm egent instructione: nec sibi ducant dedecori homines minùs docti se esse discipulos, Doctoris Angelici. Discipulos dico, Scholæ Sancti Thomæ; si enim in sua obdurata perstiterunt pertinacia, in ipsa luce cæcutient, & irreparabile tenebrarum damnum incurrent, qui neglecta luce cæcutire maluerunt, quæ, sicut sanctos recreat, & oblectat, ita etiam ægros offendit, & excæcat *Vos estis lux &c.*

Pythagoras.

Lucæ 2. v. 13. & 14.

Gilbertus Serm. 12. in Cant.

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO V.

Quia reduxit sacram Doctrinam ad methodum, promeruit sanctus Thomas nomen, & titulum Principis Theologiæ. 1.

HAud inficias ire possumus, quin aliqui ex antiquis Doctoribus sedulam naverint operām sacræ Theologiæ studiis, quam ob causam etiam eximiis sunt digni elogiis: Primus tamen qui eam reduxit ad formam, & methodum, sub qua etiamnum traditur, & conservatur in Ecclesia Dei, fuit Angelicus Doctor sanctus Thomas, quapropter etiam eum, veluti Theologorum Principem, veneratur, & communi acclamatione ei præ cæteris primatum concedit. Solus ingeniorum phœnix S. Augustinus posset illi opponi, sed huic obiectioni pulchrè occurrit doctissimus noster Sixtus Senensis, quòd Angelicus Doctor ita inhæserit doctrinæ, & vestigiis S. Augustini, ut quidam opinati fuerint, licet in sensu hyperbolico, animam Augustini videri migrasse in Thomam: *Ita Divus Thomas vestigiis adhæsit Augustini, ut anima Augustini in animam Thomæ migrasse videatur*: Adeo similes fuerunt ambo, & pares ingenio, & profunditate scientiæ, quamvis excellerit Sanctus noster in methodo, quâ doctrinam suam disposuit, & reduxit ad terminos claros, & intelligibiles, qui ab omnibus facile capi, & cū fructu apprehendi possēt.

Sixt. Senensis in Biblioth. sacra.

Inter cætera elogia quæ de sancto Patriarcha Noemo prædicantur, unum est; quòd fuerit primus agrorum cultor: *Cœpitque Noe vir agricola*

2. Gen. 9. v. 20.

agricola exercere terram. Indagant Expositores, qui dici possit ipsum fuisse primum, cum jam dudum Cain illud opus inchoasset: *Et Cain Agricola?* & respondent quidam Noemum promovisse agriculturam, aratra adinvenisse, quibus terram, operâ boum, commodius sulcaret, & idcirco ipsum gloriam primatus adeptum fuisse, & in sacris Litteris antesignanum agricolarum nuncupari: *Cœpitque Noe*, quia multum rem aliquam promovere, æquivalet inchoationi eiusdem. In confirmationem huius responsi adducit sapientissimus Magister Istella id, quod ibidem subnectit sacer Textus: *Et plantavit vineam*; id est, quod etiam fuerit primus vitisator. Quod absolute verificari nequit, cum liquido constet, Deum jam antea creasse vineam, dum mandavit terræ producere arbores, & plantas, inter quas etiam vitis numeratur; quomodo igitur hæc componi possunt? Apposite solvit nodum huius dubii noster Istella: *Iam erant vites sylvestres, sed ipse aptavit ad vindemiam, ut oportebat.* Non est ambigendum, quin author naturæ illam plantam cum reliquis creaverit, sed erant vites incompositæ, & incultæ, quarum fructus non nisi magno labore colligi poterant; & quia Noe fuit primus, qui eas à cæteris segregavit, & tam concinno ordine disposuit, ut facili negotio possent vindemiari, & fructûs earum colligi: ideo ille dicitur primus in mundo vitisator, quia vites excoluit ut humano usui deservirent. Itaque promovere officium agriculturæ, quantumvis hoc exiguum sit, nominat sacer Historicus inchoare de novo, & quod promovens agriculturam, sit omnium agricolarum Princeps, & antesignanus

Istella hic.

3. Delineans sacra Historia prima incunabula, & principia terræ, ita effatur: *Terra autem erat inanis, & vacua*, & tota aquis cooperta, vel, ut transtulit Theodosion: *Terra erat inanis, & nulla*, & Aquila; *Erat nihil, & nihilum.* Non parum torquet ingenia Interpretum hæc tanta Lectionum varietas, quia, *erat*, significat esse, seu existentiam, & *nihil*, negationem eiusdem. S. Gregorius Nyssenus facile componit utrumque, & asserit idem fuisse, ac si sacer Historicus parentesis diceret: *Erat, & nō erat.* Verum ingeniosè replicat noster Hugo Cardinalis, cum jam terra esset opulenta, & suis ditata aurifodinis, & omnium metallorum venis, lapidibus pretiosis cumulatim donata, qui

Genes. 1. v. 2.

S. Greg. Nyssen. in Exam.

verificari potest: *Terra erat inanis, & vacua, & nihil?* sed prosequens conceptum Nysseni, perpulchrè respondet Hugo: *Erat sine dispositione.* Id est, absque ulla concinnitate, & ornatu, eratque terra obscura, tenebris involuta, & ideo dicitur: terra erat nihil, & nihilum, siquidem cum nullus ea frui posset, nihili æstimabatur. Iuxta quem modum tunc Deus dicetur tribuere esse terræ, illaq; incœpisse, quando præcepit aquis cōgregari, & creavit lucē, cuius claritate cunctis fieret visibilis: *Congregentur aquæ, ut appareat arida, & Dixit Deus, fiat lux.* Tunc juxta doctrinam istorum Patrum, possumus dicere Deum creasse terram, illamque accepisse suum esse, quando illam eruit ex tenebris, quibus erat obtecta, fecitq; eam cunctis patentem & manifestam. Creator sacræ Theologiæ fuit Angelicus noster S. Thomas, ut enim prudenter loquitur Ecclesiasticus: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisq;?* Vbi argute Lyranus: *quasi dicat nulla*, id est, nihili æstimatur, quasi in mundo non esset. Ecquis operosius investigavit thesaurum sapientiæ absconditum in fodinis veterum sanctorū, ad eum mundo propalandum, quam S. Thom. merito igitur illi debent Doctores, & Magistri Ecclesiæ, quod tam commode tali thesauro frui valeant. Postquam enim mundus habuit Scholam S. Thomæ, habuerunt & religiosi Ordines viros doctrina conspicuos, quorum præcipui se doctrinæ Thomisticæ sectatores, & discipulos Angelici Præceptoris esse profitentur: imo etiam, qui ipsum impugnant, velint nolint Principem Theologorum eum agnoscunt. Et tanto jure competit illustrissimum hoc elogium Doctori nostro, ut etiam infensissimi eius æmuli hanc veritatem negare non præsumant.

Hugo Card. hic

Genes. 1. v. 9.

Ecclesiast. 20. v. 32.

Lyran. hic.

4. Aliquoties altius consideravi, id, quod sacra pagina de Davide commemorat, quod quando celeberrimam illam arcem Sion occupaverat, eam denuo ædificaverit, & per gyrum novis propugnaculis, aliisque munitionibus adauxerit, quibus securior redderetur; eique nomen suum imposuerit: *Habitavit autem David in arce, & vocavit eam civitatem David, & ædificavit per gyrum à Mello, & intrinsecus.* Certum, & exploratum est tam in divinis, quam humanis litteris, Reges & Principes terræ solas illas civitates solitos fuisse vocare suas, quas ædificaverant, easq; solum nomine suo illustrare, quas è fundamentis erexerant. Quomodo ergo David

2. Reg. 5. v. 9.

vid non condidit civitatem novam habitationi suæ commodam, quam nomine suo insceriberet, sed potius contentus fuit antiquam perficere, eamque nomine suo cohonestare? Ad hanc interrogationem responderi potest, etiam Romulum communiter appellari Conditorem Romæ, quæ ab eius nomine vocabulum sumpsit, cum tamen perspicuum sit Evandrum esse, qui prima illius jecit fundamenta, primaque illius populi extruxit habitacula, seu ædificia, ut testatur Poeta Latinus.

Virgilius. *Tunc Rex Evander Romanæ conditor arcis.*

Solum ergo quia Romulus illam promovit, auxit, & exornavit, titulum Principis promeruit, & eam suo nomine condecoravit, ita ut à Romulo Roma diceretur. Arx fortissima Ecclesiæ, & propugnaculum, quo defenditur, est sacra Theologia, ita enim Spiritus sanctus divinam sapientiã indigitat: *Sapientia ædificavit sibi domum, & misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis* Proverb. 9. v. 1. & 2. Qui primas effoderunt fossas, primaque jecerunt fundamenta Theologiæ, sunt Patres, & Doctores antiqui, & tamen solum Doctorem Angelicum exornat Ecclesia inclyto titulo, & nomine Fundatoris, eumque plenis buccis Principem Theologiæ prædicat, quia fuit Romulus, illius, qui eam tantopere perfecit, & illustravit, ut quasi à fundamentis eam erexisse videatur.

5. In præcedentibus Considerationibus plurimum extulimus cum sanctis Patribus sapientiam Davidis, eo quod illam ex ipso Deo, & Spiritu sancto, tamquam Præceptore, hausisset, qui jam morti proximus, volens declarare fortitudinem suam, qua regiam, & supremam dignitatem, toto orbe celeberrimam adeptus fuerat, cunctasque Tribus Israel sibi subjugaverat, extulit sapientiam suam, & dixit: *Sedens in cathedra, sapientissimus Princeps inter tres* 2. Reg. 23. v. 8. Nihilominus tamen dum sacer Historicus vitam describit filii eius Salomonis, non solum Patri, sed omnibus sapientibus totius mũdi eum præponit: *Et erat sapiẽtior cunctis hominibus*, omnes veteres, qui quondam gigantes apparebant, 3. Reg. 4. v. 31. huic Principi comparati, pygmæi & pumiliones sunt. Si autem investigare libuerit, in quo hæc excellentia adeo incomparabilis sita fuerit, quam Sacra Scriptura Salomoni attribuit; suggeret nobis insignem rationem Optatus Milevitanus, quia tametsi David, cæterique sapientes illius sæculi scientia, & doctrina excelluerint, & quilibet ipsorum functus fuerit officio Magistri: fuit tamen Salomon primus, qui Ierosolymis instituit universitatem, & erexit scholas publicas, ad quas ex omni parte Regni Israel turmatim concurrerent ad audiendum interpretationem legis Domini, & addiscendum cæterorum divinæ scripturæ oraculorum genuinum sensum, & intelligentiam: & conformiter ad hæc explicat, & accommodat temporibus Salomonis nominatissimum illud Isaiæ vaticinium: *Et: fluent ad eum omnes gentes, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Isaiæ 2. v. 2. & 3. Tempore David, cæterorumque Regum, qui Salomonem præcesserunt, erat scientia invisa, & quasi in angulo recondita, & sapiẽtia omnis abscondita; quia cum passim bella vigerent, & armis toga cederet, scientiæ minus florebant. Verum tempore Salomonis Regis pacifici, quo omnes tranquillam, & à bellicis tumultibus immunem vitam ducebant, omnes Scientiæ postliminio revocatæ, ita efflorescere cœperunt, ut de nulla re avidius, quam de scientia, & rerum notitia acquirenda tractaretur, inquit Optatus Milevitanus: *Quia locus erat doctrinæ, non controversiæ.* Optat. Milev. lib. 3. Perm. Nullus armis tractandis vacabat sed omnem operam studiis cuncti impendebant, & nedum ipsemet Rex, sed etiã eius academiæ undequaque consulebantur; ea propter Spiritus sanctus ei inter omnes sapientes illius sæculi, imo inter omnes antiquos, Primatum defert, & adscribit: *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum.* 3. Reg. 4. v. 30 id est, superabat sapientia omnes filios antiquos hominum, omnesq; sapientes Ægypti. Et, ut palam fiat, quam accommode quadret hæc doctrina Angelico nostro Doctori S. Thomæ, revocate in memoriã celeberrimum illud S. Thomæ elogium, ore Pontificis, & Vicarii Christi depromptum: *Ecce plusquam Salomõ hic*; id est, præcellebat Salomonẽ sciẽtia, & quemadmodum Salomon, quia stabilivit, & promovit scientiam, promeruit titulum sapientissimi super omnes homines; ita S. Thomas, quia reduxit sacram Theologiam, ad methodum & formam, dignus fuit, qui communi elogio inter Catholicos Doctores Princeps, & antesignanus nuncuparetur, & extolleretur.

6. Inter encomia, quibus celebrat Iesus filius Sirach laudes veterum antiquæ legis Patriarcharum, unum est, quo sanctitatem S. Henoch extollit: *Henoch placuit Deo, & translatus est* Ecclesiast. 44. v. 16.

est in paradisum. Dubitari potest, ex quonam colligi queat, hunc sanctum placuisse Deo in operibus suis; quia Ecclesiasticus nullum hic suggerit opus singulari laude dignum, sed solummodò dicit, quòd placens Deo, translatus sit ad meliorem vitæ statum, seu ad paradisum terrestrem. Nonne consultiùs adderet sacer Textus quidpiam singulare, ex quo dignoscere valeremus, quam ob causam adeò placuerit Deo? Plura conferunt sancti Patres, ad explicandum huius rei eventum. Quidam Anonymus Græcus, quem refert Lipomanus, addit causam, quòd quia fuit primus qui didicit Litteras seu characteres, eosque scripsit ad instructionem hominum, ideò Deus tam singulare ei contulit beneficium: *Hic verò primus didicit litteras, & signa Cœli, & conversiones temporum, & menses litteris mandauit.* Et huius Authoris etiam meminit S. Iudas in sua Canonica: *De his prophetauit septimus ab Adam Henoch.* At patitur hæc doctrina instantiam quamdam, nimirum, Deum, (iuxta doctrinam Abulensis, & Ruperti, ante ipsum.) fuisse primum litterarum inventorem, primosque characteres scriptos, fuisse tabulas legis: *Scriptas digito Dei, &c.* Quonam igitur modo asserit præfatus Græcus, Henoch fuisse primum, qui litteras didicit, easque homines edocuit? Evidens est responsio; fuit primus, qui characteres, quos Deus docuerat, eo ordine disposuit, quo faciliùs addisci, & retineri possent; & hoc sufficiens est, ut primus eorum inventor, & author dici queat. & tamquam primum in hoc scientiarum genere, Deus eum tam singularibus beneficijs prosecutus est, & favore tam insolito condecorauit: *Translatus est in paradisum.*

Lipoman. in Catena ad c. 5 Genes. Abulens. ad 34. Exodi Rupert. lib. 3. vita c. 4.

7. Quia verò meminimus Iesu filij Sirach, æquum erit scire resolutionem cuiusdam curiosæ quæstionis, quam movent Interpretes, indagantes, quisnam fuerit Author Libri Ecclesiastici, qui sacer, & Canonicus habetur. Plerique Pontifices, & antiqui Doctores autumant illum à Salomone fuisse conscriptum, & Concilium Carthaginense tertium à Sixto nostro Senensi relatum idipsum diffiniuit; attamen videmus Iesum filium Sirach se authorem illius Libri inscribere: *Liber Iesu filii Sirach.* Itaque si hic Liber est verè opus Salomonis, qui fit, quod Iesus Sirach hoc glorietur titulo, & nomine? Varias offerunt responsiones sacri Expositores, sed congruit instituto nostro, ea, quam Senensis ex S. Augustino depromit: *Quia ex Salomonis sententiis collectum est*: id est, quamquam materies, & subiectum huius Libri, eiusque sententiæ hinc inde dispersæ, fuerint Salomonis, quæque ob eam causam difficili negotio poterant deservire usui hominum: Iesus tamen Sirach eas in unum collegit, & ex diversis Originalibus Summam, & compendium sententiarum ita concinnè composuit, & compilauit, quemadmodum hodierno die etiamnum in Ecclesia asservatur: & hæc ratio sufficiens est, quare S. Mater Ecclesia eum hoc honorificentissimo titulo coronet, eumque Authorem libri inter omnes sacros sententijs refertissimi, prædicet, ipse namque Ecclesiasticus cæterorum sacræ Scripturæ voluminum est veluti Synopsis, & Elenchus. Quia ergò hic sanctus vir alienas sententias ad methodum reduxit, inter sacros Authores primatum sibi promeruit. Hac doctrina data (si præsens Liber venerit ad manus eius) instruetur Censor quidam cuiusdam Concionis meæ, quam dixi in Festo S. Dominici de Soriano, & huic tomo inserui, qui carpserat me Salomonem tamquam Authorem Ecclesiastici citasse, nuntiauitque mihi non Salomonem, sed Iesum Sirach esse verum Authorem. Sed reverà parùm videtur hic nasutus Censor versatus in sacris Litteris, & sanctorum Patrum explicationibus, cùm rem adeò notam, & manifestam ignorauerit. Et simul ex hac doctrina comprobabitur assumptum huius Considerationis, scilicèt, iure merito deberi Angelico Doctori S. Thomæ, quia reduxit Theologiam ad methodum & formam, & laureolam Principis Doctorum, ipse namque est corona omnium. Donauit illi Cœlum scientiam scribendi cum magisterio, authoritatem, excellentiam, & principatum super omnes sapientes totius mundi. Quapropter etiam omnes quotquot sunt veri sapientes, & filij Ecclesiæ, Discipuli sunt doctrinæ illius, & iuxta pedes eius sedent, ut eam percipiant, ab ore, & lingua eius pendent, quia ipse est Sol, qui ingenia, & mentes hominum illustrat: *Lux mundi*, ipse est cynosura, & regula fidei Catholicæ, & potentissimus, ut sua intercessione nos adiuuet ad consequendum in hac mortali vita donum gratiæ, & in futura præmium gloriæ.

Ad quam nos perducat, &c.

Con. Carthag. 3. c. 43 apud Sixt. Senens. in Bibliot. tit Eccles

D. Aug. citat. à Senensi.

TRA-

TRACTATUS VIII.

IN FESTO


Gloriosi Patriarchæ, & patris pauperum

S. IOANNIS à DEO.

NOTA. *Hunc Sanctum vocari Hispanicè* S. Juan de Dios, *quod Latinè sonat* Ioannes Dei, *seu commodiùs* S. Joannes à Deo, *cuius festum colitur in Hispaniis, & maximè in Lusitana patria eius, præsertim in Xenodochiis pauperum, quorum patronus est, & instituit Ordinem fratrum, qui pauperibus ministrant. Fateor Sanctum non esse ubique notum, nolui tamen omittere, quin hunc Tractatum insererem, tum ne à concepta fidelitate interpretis deficerem, tum etiam quia plurima, eaque curiosa continet, quæ sæpiùs in festis* SS. Martini, Nicolai, *& similium servire poterunt ad declarandum excellentiam charitatis erga pauperes, & egenos.*

Nolite timere pusillus grex.

Lucæ. 12. cap.



MAXIMO Ecclesiæ Catholicæ Sancto Heroi omnium virtutum splendore illustri, Monarchiæ Hispaniæ decori, Lusitaniæ Regni gloriæ, glorioso sancto Ioanni à Deo dedicant hodiernum festum religiosissimi filij sanctissimo parenti. Et quamvis undique alliciar ad extollendum eius excellentias, eas omninò ad amussim referre est impossibile. Quapropter silebo rara prodigia, quæ in fœlicissimo eius ortu contigerunt, campanis Ecclesiæ per decem integros dies ultroneè resonantibus, ubi etiam in tenello infantis corpusculo visa lux refulgens, & super domum, in qua nascebatur, ignea columna, Cœli portenta, & futuræ sanctitatis recèns nati infantis certa prognostica, & præsagia. Neque recensebo austeras corporis mortificationes, quibus iugiter corpus suum affligebat, quia omnibus notissimum est, ipsum fuisse adeò immisericordem sui judicem, ut condemnauerit caput suum ad perpetuæ nuditatis pœnam & numquam illud nec hyeme, aut æstate, cooperuerit; saccus ei habitus, & vestis erat, pedes excalceati, stratum, aut lectus nuda humus, cervical crux, una tantummodò hora dormiebat, ita ut noctes transigeret insomnes, meditationi divinorum mysteriorum solummodò intentus. Imò etiam arctissimum sibi indixerat ieiunium, ita ut quandoque etiam per triduum ieiunus incederet. Diebus Veneris, multisque alijs diebus suæ elevationis, pane, & frigida vescebatur; &, si quandoque à quopiam invitatus, non nisi flexis genibus ad mensam accedebat, & quæ sibi comedenda sumebat, in mantica, pauperibus distribuenda reservabat. Fërijs sextis crudeliùs solitò corpus suum flagello cædebat, & quidem funibus nodosis, quousque copiosos sanguinis rivos eliceret: ad domandam carnis libidinem, sive stimulos aut incitamenta veneris, ad cum pervenit austeritatis rigorem, ut carni suæ incensos lateres superponeret, quamobrem etiam in grauissimam incidit infirmitatem. Et, ut compendiò dicam, omnia, & singula eius referre nemini concessum est, quia impossibile. Tandem prætereo innumera miracula, quæ in vita

vita & post mortem patrauit. Solùm rudi Minerua delineabo serventissimam huius Seraphim charitatem erga pauperes, unicum sacræ eius familiæ scopum; fuit devotissimus erga sanctissimam Virginem Rosarij, & inter cæteras devotiones, huius observantissimus; quâ de causâ etiam fuit singularibus à Deipara Virgine beneficijs dotatus. Ita, ut considerans eximios favores, quos Beatissima Virgo contulit Ioanni, facilè præsumam, quòd eum specialiter in filium adoptauerit, qui tantoperè matri suæ in omnibus assimilari satagebat, & forsitan idcircò peregrinante Sancto nostro è patria sua, (oppido, videlicet, *Montemaior el nuevo* in Lusitania sito) permisit Cœlum, matrem eius præ nimia doloris vehementia vita defungi: cùm enim Ioannes deberet esse totus Dei, æquum erat, ut nullam etiam in terris, præter Mariam, haberet matrem. Tamquam mater ergo amantissima, necesse est, ut nobis assistat in hac temporis occasione, qua honorem filij sui promovere contendimus; confidenter eam rogemus ut gratiam nobis necessariam impetret. *Ave Maria.*

Nolite timere pusillus grex.

CONSIDERATIO I.

Nemo digniùs promeruit Regnum Cœlorum, in Euangelio Eleemosynarius promissum, quàm sanctus Ioannes à Deo.

1. NOlite timere pusillus grex, quia Pater meus constituet vos Reges, & Dominos, ait Christus Dominus Discipulis suis, & insuper adiungit: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*; id est, venditis omnibus, benefacite proximis vestris, qui ope, & adiutorio vestro indigent in suis necessitatibus. S. Petrus Chrysologus ingeniosè observat in præsenti non videri Christum formaliter loqui, ex una enim parte asserit, quòd Pater æternus omnes sic constitututus Reges, & Principes: *Complacuit dare vobis Regnum*; & ex alia præcipit ut cuncta vendant, nihilque sibi residuum reservent: *Vendite quæ possidetis.* Sed quid ita? si Reges sunt, nonnè magis rationi consonum erit, ut nedum non vendant bona, quæ possident, sed etiam, quæ possunt, coëmant, & sibi accumulent, ut hisce acquisitis, tandem efficiantur Reges opulenti, & potentes? Profectò videtur res se ita habere, quid enim condignius & honestius Principi, quàm opulentia diuitiarum, & maiestas? Non obstante hac instantia, respondet dex-

[illegible]

terrimus magnus Ravennas, dicens, non absque arcano mysterio Salvatorem nostrum, postquam Discipulis suis Regnum addixerat, eosque iam Reges declarauerat, protinùs mandasse, ut cunctas possessiones suas venderent, easq; pauperibus erogarent, ad insinuandum, quòd Rex, & Dominus non debeat acquirere, aut congregare opes, aut divitias, sed eas erogare, neque studiosiùs domum suam ad splendorem familiæ exornare, sed cuncta, quæ in ea habet, vendere, ut subditorum suorum inopiæ succurrat: *Ne sit mendicus animo, qui censu functus est, & honore.* D. Petr. Chrysol. serm 23. 2.

Elegit Pater æternus Ioannem à Deo ad constituendum ipsum Regem, nedum in cœlesti illa Ierusalem triumphante, sed etiam in terrena, & militante, ideoque necessariò iussis Christi Salvatoris obtemperare debebat, & cum Discipulis Domini vendere prædia, & cuncta, quæ possidebat, ad pauperum necessitatibus succurrendum. At quispiam interrogat me, quonam pacto Deus Ioannem Regem effecerit? Ecquem Principatum obtinet in Ecclesia? Aut quænam est monarchia ipsius? Nonnè per excellentiam est pater pauperum? titulus, quo aliquando Iob mutuatò potitus est, uti dicemus: *Pater eram pauperum?* Quis igitur ambigat ipsum esse Regem, & iure merito gaudere primatu? Duos excellentiæ titulos attribuunt Theologi virtuti charitatis, quia sæpissimè appellatur, *Prima virtus, & Regina virtutum.* Primus fundatur in illo Apocalypseos: *Charitatem primam*: secundus autem in illo S. Pauli ad Corinthios: *Maior autem horum est charitas.* Et in hoc sensu communiter exponunt sacri Interpretes hæc præfata verba: ergò quantò charitas fuerit ferventior, magis erit Regina, & Domina. Duo imposuit Christus Dominus Regno Charitatis, vendere, & date pauperibus: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Pauca superant Apostolis vendenda, & distribuenda pauperibus, & tamen cœlum illos in Reges evexit. Minus habebat Sanctus noster, adeò enim inops erat, ut etiam, dum maximè abundaret, tota eius suppellex in quatuor libris consisteret, quos ex devotione vendidit, & aliquando eò redactus est miseriarum, & necessitatis, ut coactus fuerit in montibus ligna exscindere, fascesq; vendere ad victitandum eorum pretio: & interdum omnes suos vendidit libros, totamque reculam suam distraxit, ut pauperum

Iob. 29. v.16.
D.Thom. in multis locis.
Apoc. 2. v. 4.
1.Cor. 13. v.13.

Christi egestati subveniret. Abundè satisfecit præcepto, seu consilio Euangelico: *Vendite, quæ possidetis, &c.* Neque hîc substitit charitas Ioannis, altius quidpiam meditata est, & super communem cantum, musicam addidit harmoniam, hoc est, quia novit Ioannes tantum erogare, novit etiam stipem petere, & emendicans eleëmosynam uti pauper, erogat stipem ut opulentus. Insignis profectò, & penè divinus eleëmosynarius, qui quando ipsemet etiam unius frusti panis penuria premitur, novit tam dexterè, tantaque industria negotiari, ut etiam ducentos pauperes simul, & plerosque ægros, & infirmos alat, & sustentet, providens singulis victum, lectum, & quævis alia necessaria; ut in illo manifestè pateat veritas sententiæ S. Leonis Papæ: *Semper dives fuit Christiana paupertas;* numquam enim defuit charitati elargiendum. Adagium est Lusitanicum, quod in festo S. Lusitani apponi potest: *Naõ de quem tē, se naõ quem quer bem,* quod etiam refert doctus, & antiquus Pater S. Clemens Alexandrinus: *Velis, inquit proverbium, & poteris.* Excellentia charitatis, terminusque eius sphæræ elucet in Ioanne à Deo, qui nedum contentus fuit elargiri pauperibus Christi, quæ possidebat, sed etiam ad erogandum ijs, ostiatim stipem emendicauit.

D. Leo Papa.

D. Clemens Alexand. Stromat.

Rectè ordinat, & disponit Ioannes suam charitatem erga pauperes, & egenos, quam dilectionis methodum ab ipso Deo in antiqua lege didicisse videtur, qui simili cura, & solicitudine eos aluit, & enutrivit. Præcipit Filijs Israël, ut sex annis seminent terram suam, & congregent fruges eius, anno autem septimo dimittant eam, neque colligant fructus eius: *Vt comedant pauperes populi tui.* Ecquid, Domine, nonne tua providentia, quæ pascit vermiculos terræ, & volucres cœli, etiam potest providere alimenta egenis, & pauperibus? Maximè potest. Quorsum ergò mandas opulentis, & divitibus, ut pauperum succurrant inopiæ, & necessitati? ut ex me addiscatis exemplum misericordiæ, utque videntes me exhibere, seu repræsentare personam procuratoris, aut œconomi pauperum, qui à vobis eleëmosynam peto, ut pauperes, & indigentes pascam, & alam. O quam benè novit Ioannes in hoc singulari presso pede insequi vestigia Dei! sciuit namque ab alijs petere stipem, qua pauperum eius indigentiam sublevaret.

Exod. 23. v. 11.

4. Non vacat magno mysterio, parabola illa, quam Christus Dominus nos per S. Euangelistam Lucam edocuit, in qua introducit in scenam amicum, media nocte supervenientem alteri amico hospiti, qui cùm non haberet quidquam ad perhumaniter excipiendum amicum de via venientem, cogente necessitate, adijt ad ædes amici sui, pulsauit ianuam, excitauit dormientem, & rogauit, ut ei tres panes accommodet, quibus amico de via venienti cœnam instruat: at ille deintùs respondit, noli mihi molestus esse, quia iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili. Verum improbitas pulsantis, & petentis instantia, quod voluit, impetrauit. Novi quidem unicum huius parabolæ scopum esse documentum quoddam maximi momenti ab orante diligenter observandum, nimirum, ut orans Deum sæpius iteret preces, importunius pulset, moras dantis patientissimè sustineat, & iudicium largitoris expectet: quia non tantum promittit se exauditurum petentem, quantum perseverantem. Cæterùm in circumstantijs orationis plurima animadvertunt sacri Interpretes: sed ego singulariter premo altiùs in hoc mendico, seu petente, quòd non sibi, sed amico fame laboranti, & ex itinere lasso, & defatigato; & in hoc summoperè eminuit fervor charitatis eius, quòd lassitudinis, & esuriei, seu famis eius compatiatur. Ideoque S. Petrus Chrysologus, elucidans hanc singularem circumstantiam petitionis amici: *Quoniam amicus meus venit de via, & non habeo, quod ponam ante illum;* succurre, porrige mihi necessaria pro amico indigente, quia nihil mihi residuum est in domo, quod ipsi apponere possim, asserit hunc importunum exactorem non potuisse non impetrare, quod voluit, qui tanto charitatis ardore Deum, omnium largitorem, sibi devinciebat: *Qui ut reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegauit.* Qui namque causâ indigentis amici requiem sibi adimit, æquissimum est ut quietem in alio reperiat; quemadmodum apertius loquitur doctissimus noster Hugo Cardinalis: *Propter instantiam, & ardorem,* ac si diceret, homo tanta charitate excellens, qui non habens quidquam ad opitulandum proximorum necessitati, ostiatim petijt stipem ad succurrendum eorum inopiæ, quidquid volet à Deo impetrabit, quia nescit divina Majestas tanto fervori charitatis quidquam denegare.

Luc 11. v. 6.

D. Petr. Chrysol. serm. 39.

Hugo Card. hic.

Statim atque author vitæ expirauit in arbore Crucis, accessit quidam nobilis decurio, homo dives 5.

dives ab Arimathæa nomine Joseph, ut sacri referunt Evangelistæ, eratque hic magnæ authoritatis, & unus è præcipuis primatibus Ierusalem, *vir bonus & justus*, ut loquitur S. Lucas, *qui non consenserat consilio & actibus corũ, expectabat & ipse Regnum Dei, qui*, ut narrat S. Matthæus, *ipse discipulus erat Iesu.* Quapropter adnotante S. Hieronymo, & aliis (uti diximus in Tractatu primæ diei Veneris Quadragesimæ in Consideratione prima) de illo plurimi interpretantur illud Psalmi. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Et frequentabat conciones Christi Domini, sed occultè, quia metuebat Iudæos, ne vel ipsum interficerent, vel aliqua ignominia afficerent. Hic ergo nobilis, antè timidus, & pusillanimis, audaci animositate (quia reverà magna erat audacia loqui de Christo, & maximè agere de ejus sepultura) intrepidè accessit Pilatum, & summis precibus postulavit sibi dari sanctissimum Christi cadaver sepulturæ mandandum: *Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.* Curiosè observat Christianus Druthmarus nullum Evangelistarum hactenùs fecisse mentionem hujus pientissimi decurionis & discipuli Salvatoris, nisi in hac rerum tempestate, quando adiit Pilatum, & petiit corpus Iesu sepeliendum: *Non in alio loco Evangelii de hoc dicitur, nisi hic.* Sed quare sacri Historici solummodo meminerũt hujus Ioseph in fine historiæ suæ, quem anteà hactenus silentio præterierunt, neque verbulũ de eo commemorarunt? præsertim cùm credibile sit eum plura alia, eaque laude dignissima Christo sæpius obsequia præstitisse, quod luculenter in hocce heroico facto satis superque comprobavit, qui tanta animi generositate, nolens suffragari tam perverso concilio egit partes Christi, & acerrimè ejus innocentiam propugnavit. Cur ergò cætera ejus præclara gesta non descripserunt? Proferant alii sententiam, & opinionem suam, mea enim est, sacros Evangelistas siluisse obsequia, quæ Christus ejusque Discipuli ab eò munificè receperant, quia illa ex propriis bonis, & opibus, seu ab ejus persona erant præstita: sed audacter accedere ad Præsidem Pilatum, ab eoque repetere corpus Domini Salvatoris sepeliendum, postpositis omnibus incommodis occurrentibus, erat mendicare & petere pro alio, & hoc est ferventioris & excellentioris charitatis opus, quam ex propriis elargiri, ideoque sufficit, ut Iosephi charitas, & pietas in hac rerum tempestate commendetur: *Non in alio loco Evangelii de hoc dicitur, nisi hic.* Hæc siquidem generosa actio sola sufficiens fuit, ut ejus nomen æternum celebraretur, estque opus charitatis tam heroicæ, ut abundè ejus sanctitas canonizetur, & ab omnibus approbetur. Quæ paucis ad rem nostram complexus est Sanctus Paulinus: *Beatus enim est, qui specialiter intellexit super egenum, & pauperem: neque iudicem pro Christi corpore interpellare veritus.* Et ut Ioannes à Deo triumphet, oblivionemque superet, & nomen ejus æternitati consecretur, sufficit, quod toti mundo innotescat ferventissima ejus charitas, & singularissimus ejus amor erga pauperes, quo adactus subivit officium mendicantis pro Deo, ad sublevandam indigentiam pauperum Christi, vel ut ipsemet Dominus per Sanctum Matthæum loquitur: *infirmus eram & visitastis me &c.* ad ipsum Christum alendum, & recreandum.

Luc. 23. v. 50 & 51.
Matth. 27. v. 57.
D. Hierõ. hic
Psalm 1. v. 1.
Marc. 15. v. 43.
Christian. Druthm.
D. Paulin. Epist. 21.
Matth. 25. v. 36.

Neque satis erat S. Ioanni à Deo succurrere pauperibus fortuitò sibi occurrentibus, aut qui ejus opem, & auxilium efflagitabant, sed studiosè compita, & loca publica, atque etiam domos perlustrabat, pauperes perquirebat, Patriarchæ Abrahamo simillimus, de quo eleganter S. Ioannes Chrysostomus dixit: *Pauperum venator effectus*, ad succurrendum illis. Sed attentius enucleēm' verba illa S. Paulini Episcopi jam relata: *Beatus enim est, qui specialiter intellexit super egenum & pauperem, &c.* In quibus, nisi me fallat opinio, alludit ad duos versiculos Psalmorum Davidis, quos jamjam elucidabimus, & distinguit duo genera eleëmosynariorum, quidam enim sunt eleëmosynarii intellectu, & quidam voluntate: *Beatus* inquit regius Vates, *qui intelligit super egenũ & pauperẽ* id est, qui attendit & curam habet necessitatis egeni. Paraphrastes noster Hispanus ampliat & extendit explicationem horum verborum, aitque hoc verbum *intelligit*, significare exactam & diligentem solicitudinem erga pauperes, ita ut intelligens super pauperem toto studio, & conatu operam suam impendat iis, qui ipsius indigent auxilio, aut favore, & *intelligit* qui invigilat, & indefesso labore perquirit necessitates, quibus subveniat, *intelligit*, sola imaginatio, quod pauperes sint in mundo, ipsi curam inicit: *intelligit super egenum*, studet, recogitat, & anxius discurrit, ut infirmum sanet, & egenum sublevet. Et quod præmium

6.
D. Chrysost. serm. 21 in epist. ad Roman.
Psal 40. v 1.
Episcop. Carcer.

mium promittitur homini tanta charitate ardenti? *In die mala liberabit eum Dominus*: id est, in tempore adversitatis habebit Deum protectorem, qui eum eripiet à malis omnibus, & ad portum quietis adducet: *Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius*, id est, conservabit eum Deus in eodē statu vitæ & salutis, extolletque eum ad talem dignitatis, & excellentiæ gradum, ut hic in terris nihil ultra aut desiderare, aut appetere possit, neque prævalebunt adversùs eum hostes, & inimici: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius*. Aderit ipsi Deus, & assistet lecto infirmitatis ejus, eumque in doloribus solabitur, & recreabit: *Vniversum stratum eius versasti in infirmitate eius* Incompositum eius cubile seu lectum & culcitram sternet, in infirmitate ejus, quibus omnibus dulce ei stratum præparabit. Hic est unus Psalmorum, quem explicandum assumpsi, alter est centesimus undecimus, qui ita exorditur: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatu eius volet nimu. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.* Et hunc reddit sensum, qui timuerit Dominum, fœlix, & beatus erit in corpore, & anima, dives & opulentus bonis gratiæ, & fortunæ; quia mirabilia meditabuntur, & cupiet facere in obsequium Domini. Plurima ditabitur prole, & progenie longæva, eruntque filii ejus potentes, fortes robore, generosi animo, qui in magno pretio apud homines erunt; imò per ipsum fœlicissimi erunt in generationibus suis, & assignans rationem omnium harum benedictionum & fontem, seu scaturiginem undè emanant, subjungit esse charitatem ergà pauperes: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia eius manet in sæculum sæculi.* Est prodigus & profusus in dandis eleëmosynis, quidquid habet erogat egenis nihil possidet proprium, sed cuncta ejus in necessitates pauperum effunduntur & impenduntur.

Ibid. v. 2.
Ibid. v. 3.
Psal. 111. v. 1. & 2.
Ibid. v. 8.

7. Cum ambo hi Psalmi juxta communem doctrinam sanctorum Patrum agant de fructu eleemosynæ, & de beneficiis seu favoribus, quibus Deus prosequitur erogatorem stipis, cur Regius Propheta in primo Psalmo ostendit se ex parte Dei adeò parcum & angustæ liberalitatis, ut limitet beneficia & favores in solam personam eleemosynarii conferendos: *Dominus conservet eum & vivificet, &c.* in secundo autem munificentissima & profusissima manu eos concedit, & elargitur non solum danti, sed etiam toti ejus posteritati, quoad omnem prosperitatem, & beatitudinem: *Potens in terra erit semen eius.* Ad enodandum hanc quæstionem, operæ pretium erit meminisse doctrinæ, quam paulò ante insinuavimus, nimirum duplicis generis reperiri eleëmosynarios, quosdam intellectu, quosdam verò voluntate; illi designantur in verbo *intelligit*, hi verò in vocabulo *volet* Et majoris explicationis gratia, opus est recurrere ad aliam doctrinam Angelici nostri Doctoris S. Thomæ, in qua ita docet: *Intelligere nostrum est, secundùm motum à rebus ad animam: velle autem secundùm motum ab anima ad res*: tanquam diceret, hæc differentia, & nota disparitas reperitur inter has duas animę potentias, seu facultates, inter intellectum videlicet & voluntatem, quod intellectus operetur attrahendo res ad se, ipso immoto intra domum suam permanente, & rebus ad eum recurrentibus: voluntas verò econtrà feratur ad res æternas, ad amandum, & diligendum easdem: quapropter etiam plus debetur voluntati, quæ quærit objecta amoris sui, extra se quàm intellectui, qui res ad se attrahit, ut intelligat. Quæ cùm ita sint, non est mirum, quod eleemosynario, qui imitatur modum operandi, ipsius intellectus, & expectat ut rogetur à pauperibus, minus & ignobilius conferatur præmium: illi verò, qui in se exprimit modum operandi voluntatis, perquirendo egenos, quibus subveniat, præstantius donetur præmium, ita ut illius in sola subsistat persona dantis, hujus vero etiam sese ad ejus posteros extendat. Ex dictis facili negotio colligitur excellentia charitatis S. Ioannis à Deo, qui nedum contentus succurrere pauperibus, more intellectus, expectando in domo sua pauperes adventuros, sed etiam, sicut voluntas eos foris perquirendo, maxima solicitudine & cura, ad eos alendum, fovendum, & recreandum. Quam ob causam etiam filii ejus tot, tantisque è cœlo benedictionibus cumulantur, quas Deus per Davidem supremæ illi charitati tam largiter promisit.

S. Thom. Opusc. 15. de Intell. & intelligent.

Visitavit Christus Dominus hunc Sanctum nostrum gravissima ægritudine periculosiùs laborantem, cumque visitatione sua dignata est sacratissia Virgo Deipara, & ei, febri ardentissima exæstuanti sudores abstersit, ut adimpleretur Davidis vaticinium: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* Benedictio- 8.

nes

nes autem filiorum eius manifestè tam in spiritualibus, quàm temporalibus cernuntur; quia non solùm sunt hæredes generosæ charitatis parentis sui gloriosi, sed etiam per merita sua brevissimo tempore in Ecclesia Dei adeò multiplicati sunt, ut etiam antiquissimis ordinibus in hoc cedere nequaquam debeant. Totum hoc promeruit Sanctus, qui haud contentus effici venator necessitatis alienæ, etiam instituit ordinem, qui ex professione sua, eodẽ fungeretur officio, & ad exemplum suum hilari vultu inopiæ proximorum subveniret, & fervẽti charitate eos reficeret, & sublevaret. Quocirca dignissimè promeritus est communi elogio dici pater pauperum, tam illustre enim honoris encomium tanto charitatis zelo debetur, quæ omnibus votis, & desideriis pauperes reficere satagit, & anhelat.

Quando sanctus Iob undique cinctus, & oppressus innumeris calamitatibus, factus spectaculum dolorum, volebat refrigerare pœnarum dolores, quibus maximè afflictabatur, dicebat se maximum capere solatium ex memoria pristinorum mensium, & dierum adolescentiæ suæ, in quibus aliquando fuerat amantissimus pauperum Pater, & singulare miserorum refugium: *Pater eram pauperum.* Ponderat magnus Pontifex S. Gregorius vocabulum, quo omnium hominum patientissimus exprimit præclara opera, in quibus solitus fuerat aliquando se exercere, nimirum nuncupando seipsum patrem egenorum, & mendicorum: *Non patronum se pauperum, sed patrem fuisse testatur.* Notate, inquit magnus Doctor, quòd S. Iob non se patronum, aut advocatum indigiter miserorum, sed patrem, & prudentissimam subjungit rationem: *Quia nimirum magno charitatis officio, studium misericordiæ vertit in affectum natura, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem.* Voluit hoc pacto manifestare excellentiã amoris sui, & syncenitatem operum suorum. Advocatus namque, qui solummodò alteri gratis patrocinatur, aliquando exacerbatur, & patrociniũ denegat, si aliquam in cliente experiatur ingratitudinem, secus tamen benignus, & pius pater ergà filium suum, quantũvis enim ipsi exploratum sit, quòd ægrè debitas gratitudinis rependet vices, & perperam aget, non idcircò paternum subtrahit favorem, neque denegat opem, sed totis viribus, omnique conatu præstat ei, quod potest, quia amor eius

Iob 19. v. 16.

D. Greg. lib 19. Moral. in cap. 29. Iob.

solummodo respicit naturalem affectum, qui eum impellit, & non ingratitudinem, quæ offendit. Ignoscat, quæso, S. Iob, ubi sanctus Ioannes à Deo comparet, quantumcumque enim eius amor fuerit syncerus, & absque versuta in sublevandis afflictorum necessitatibus, quia incomparabilitèr maior fuit amor sancti nostri ergà omnes, quos videbat miseriis affligi, aut calamitatibus premi, aut torqueri. Pater fuit in succurrendo, & non patronus, ut liquidò contestantur ingrata officia etiam infirmorũ, qui illius obsequia sibi præstita, iniuriis compensarunt, maximè illi, quibus maiori labore serviebat, & maiori alacritate, placere studebat. Verùm ubi humana defuit gratitudo, divinum supervenit præmium: non solum exornans eum illustri titulo, patris pauperum, sed serenissimo nomine Regis, uti Christus in Euangelio, ex parte Patris sui æterni, pollicetur discipulis suis: *Quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum, &c.* Et si charitas, quemadmodùm diximus, sit Regina virtutum eosque, qui eam habent, cœlum constituat Reges, reliqui omnes charitate exornati, cum Sancto nostro comparati, solummodò suntReguli, eius enim charitas excellentior extitit, sicuti satis superque comprobavimus; quapropter si rectè loqui oporteat, necessum est dicere Ioannem à Deo esse Regem Regum hoc est, inter misericordes, fert primas, & est corona cæterorum: *Quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.*

Dare vobis Regnum.

Consideratio II.

Videtur expressa, & ad vivum depicta in S. Ioanne victoria amoris, & pauperes sunt eius corona in cœlis.

Cum quodam die sanctus Ioannes ferventissimas effunderet preces ad imaginem Crucifixi, ad cuius pedem erant hinc inde dispositæ imagines Deiparæ Virginis, & sancti Ioannis Euangelistæ, & instantiùs rogaret Dominum, ut ei dignaretur edocere viam, quã meliùs, & gratiùs, suæ divinæ Maiestati inservire posset, sensit tantam interiùs dulcedinem, ut sibi persuaderet, se jam cuncta pro votis à Domino impetrasse, & hisce intentus, totusque quo-

quodammodo absorptus, videbantur ei Virgo sacratissima, & dilectus Apostolus descendere ex altari, suoque capiti coronam spineam imponere, Deipara hasce subiungente voces: O Ioannes, per spinas, & tribulationes cupit filius meus, ut tibi plurima accumules merita. Convertens se Sanctus ad Christum, respondit; spinæ adversitates, & miseriæ, Domine, à tua munifica manu donatæ, mihi rosæ erunt, & flores gratissimi.

2. Ecquis non videat hic vivis coloribus depictam Victoriam amoris, quam celeberrimus ille annulus in digito Salomonis, miro artificio elaboratus, adumbrabat. Erat quippe hic annulus, ut antiquiores quidam referunt Authores, tanta ingenii subtilitate elaboratus, ut in lapillo, seu gemma pretiosa annuli, duæ forent insculptæ coronæ sibi mutuò innexæ, una apparebat aurea, & altera spinea, & loco Lemmatis hoc dictum: *Victoria amoris*. Circumcirca hos habebat characteres, cum hisce litteris: A. C. F. R. I C. erantque per tres circulos repertæ. Nullus Hebræorum, teste doctissimo nostro Hamero, potuit intelligere characteres, seu secretum ænigma annuli, quousque post longum temporis intervallum Regina Saba venit Ierosolymam, admirabili Salomonis sapientia unicè permota, quæ ad pedes eius flexis genibus prostrata, quodam die, inter cæteras quæstiones, obnixè eum rogavit, ut dignaretur ei pandere mysterium annuli sui, & characterum explicationem revelare, cui annuens sapientissimus Rex, ne eam offenderet, declaravit arcanum ænigma characterum hoc modo: Sex litteræ iam relatæ in primo circulo annuli, ita sonant: *Aureà coronà fortissimus regnat in cælis*. In secundo verò circulo positi significāt: *Aspera corona filius redimitus, inferiora calcabit*: In tertio tandē reperiti characteres hunc reddunt sensum: *Amoris cognita fortitudo regalium insigniorū copulatio*: id est, fortitudo amoris dignoscitur in connexione, qua hæ duæ coronæ copulantur. Et hoc designat dictū lapidi pretioso insculptum: *Victoria amoris*, cuius mysterium mox explicat noster Hamerus, atque coronam auream denotare divinitatē: asperam verò, & spineam, adumbrare humanitatem Christi coronâ spineâ redimitâ, in quo ornatu describit eum Sponsa dicens: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in diadamate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis eius*,

Pennafiel ætat. 4. mundi c. 3. §. 10.

Fonseca 1. p. vita Christi c. 5.

Guiliel. lib. de mirab. 70. Interpret.

Cant. 3. v. 11.

additque Hamerus, in copulatione istorum diadematum sitam esse victoriam amoris, quæ in unione naturæ passibilis cum Deo consistit, quam in Christo per Incarnationem effecit. Itaque Christum victorem in triumpho amoris delineat Salomon in annulo suo, cum corona ex acutissimis spinis composita, quæ est corona ignominiæ, & pungens, ad denotandū, quod in illo triumpho amoris Deus gestet insignia captivi, & victi, ipse verò amor sit, qui triumphat. Iuxta consuetudinem antiquam, quam refert Alexander, quòd nimirum triumphator non gestaret coronam in curru triumphali, sed unus è servis, & captivis. Hoc denotabat lemma inscriptum annulo Salomonis, *Victoria amoris*.

Alexander ab Alexandro.

3. Bellè philosophatum, sed magis appositè ad rem nostram videtur mihi illud emblema altius enucleatum, significasse insignem illam victoriam, quam immensus Dei amor ab homine consecutus est, corona enim spinea illi aurea visa est, dolores, quos pro eo pertulit, gloria, & labores indefessi, iucundissima ei requies fuerunt. In hoc consistit Victoria amoris eius: *Victoria amoris*. Nōnè videtis, quantùm æmuletur charitas Ioannis à Deo amorem Redemptoris? qui tanta animi iucunditate amplectitur coronam spinarum, & tormentorum, quasi diadema gloriæ, & aureum fuisset, neque fefellit opinio servum Dei, quia hoc ipsum ei præfigurabat corona, quia licet materia illius, scilicet spinæ, illi dolorem minaretur, figura tamen illius ei gloriam prædicebat; Verè siquidem misericordi labores sunt Regnum, & tribulationes corona. In parabola vineæ, quam Paterfamilias locavit agricolis suis, ut ei redderent fructum temporibus suis. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos, ut acciperent fructus eius ipsi verò ingrati agricolæ alium occiderunt, alium lapidaverunt, Novissimè tandem misit ad eos filium suum, quem videntes agricolæ, dixerunt intra se: Venite, occidamus eum, qui hæres est, & habebimus hæreditatem eius. Eia, dicite nunc Doctores, & Magistri legis, inquit Christus, quid faciet Dominus vineæ agricolis illis: aiunt illi, promeritas illis infliget pœnas, & vineam suam locabit aliis agricolis. Confirmavitque Dominus sententiam illorum dicens: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur gēti facienti fructus eius*. Curiosè observat hic Doctus Lusitanus Barradas, quòd

Matth. 21. v. 43.

quod cum parabola loquatur de vinea, Salvator eam appellet Regnum, ita ut, quoad substantiam, in idem coincidat Regnum, & vinea: *Innuit autem Dominus Deus, regnum Dei esse idem quod vineam Dei: cum ait, dabitur regnum, scilicet, vinea genti facienti fructus eius.* Ast protinus occurrit ratio dubitandi si regnum, quomodo vinea; si vinea, quomodo regnum? aut qui possunt res adeo inter se oppositæ combinari, seu componi? Voluit indicare, inquit hic doctus Commentator, quod peccatoribus, & mundanis, tribulationes, & dolores, quos patiuntur, sint eis vinea, in qua sudant, & fatigantur: iustis vero & sanctis, uti sancto nostro Ioanni à Deo, dolores, & afflictiones sint Regnum, & corona, id est, gaudium, & lætitia.

4\. Contingit Sancto nostro idem, quod Christo Domino, de quo communiter interpretantur sacri Doctores mysticam illam visionem, quā S. Ioannes in sua Apocalypsi se vidisse commemorat: *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Vidi insignem juvenem insidentem equo albo, arcum in manu eius, vidique eum coronari exeuntem vincendo, ut vinceret. Postrema verba visionis omni ponderatione digna sunt, prima enim fronte superflua, & supervacanea videntur, *exivit*, inquit, *vincens, ut vinceret.* Si enim exiverit victor, seu vincens, certum est, eum ad vincendū exivisse, ergo superflua & inanis fuit hæc verborum adjectio? Nodum huius difficultatis solvit quidam Doctus Modernus, qui per coronam illam intelligit spineam, qua Author vitæ fuit redimitus, de qua asserit sequentia: *Corona illa, cum non solum Christi caput ornaret, sed etiam pungeret: cum labore certantis, vincentis gloriam copulabat.* Tamquā diceret; eadem corona, cuius spinæ Christum pungebant, erat simul ei decor, maiestas, & gloria. Ita, ut si ex una parte illum spinæ torquentes affligebant, ex alia, cum ineffabili gaudio, & lætitia replebant, erantque ei spinæ pungentes, corona vincenti: *Et exivit vincens, ut vinceret.* Iam applicata manet hæc doctrina Sancto nostro Ioanni, qui tantam suavitatis dulcedinem percepit ex corona sua spinea, ut eam prætulerit omnibus Regū coronis, & pretiosis Pontificū tiaris, quæ licet sint lapidibus, & gemmis pretiosis exornatæ, sunt tamen manibus hominum fabricatæ: ipsius autem corona spinea fuit contexta manibus Deiparæ Virginis, cuius visio mox disparuit, & Sanctus exiens Ecclesia, millenas Deo referebat gratias, pro immenso beneficio, quod ab eius largissima, & divina manu acceperat, qui ex tunc sibi contulerat possessionem Regni sui, quod in hac passibili vita obtinuerat: quod, ut jā alibi expendimus, nō nisi Crux fuit, & passio: *Quia Dominus regnavit à ligno* Et hunc sēsum etiam possunt reddere verba illa Evangelii: *Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

Apocalyp 6. v. 2.

Pintus de Crucifixo lib. 4.

Psal. 95. v. 1.

Septuaginta Interpretes.

Imo dici potest hanc mysticam coronam, etiam significasse charitatem, & misericordiā, quam Sanctus erga pauperes Christi exercitutus erat, fore in cœlis principalem eius coronā. Moveor autem ad hoc dicendum, ex iis, quæ in vita eius referuntur, nempe, quod brevi post, præteritæ visionis suæ mysterium revelatum repererit; dum enim incederet per plateas urbis Luzenensis, vidit superliminari cuiusdam domus affixam schedulam appensam; quæ ita sonabat: Hæc domus locanda, pro infirmis, & pauperibus: & ingrediens illam, statim decrevit eam conducere, ad eamque recipere omnes infirmos, & pauperes destitutos, qui in plateis jacebant; intelligens, sibique firmiter persuadens illam esse coronam, quam capiti suo imposuerant, illudque esse iter, & viam, quam inserviendo Deo, sequi deberet. Præterea addo ego, S. Ioannem ibidem repetisse materiem coronæ suæ. Recordor Deum quondam mandasse Moysi, ut extrueret sibi in templo, seu tabernaculo mensam deauratam, cui imponerentur panes propositionis: *Facies, & mensam de lignis setim, & inaurabis eam auro purissimo*, & subiunxit, dicens: *Facies que illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam.* Controvertunt Interpretes, qualem convenientiā habeat mensa cum corona, vel corona cum mensa, & singuli egregias proferunt expositiones morales. At instituto nostro accommod[illegible]na est, quam antiquus, simul ac doctus excogitavit Berchorius. *Talis mensa est homo pius, ac misericors*; id est, mensa illa est symbolum hominis pii, & eleemosynarii & ideo est coronata, in fidem, & testimonium, quod pauperes, quibus misericors succurrit, sint corona, quæ cingit caput eius, & diadema, quod ipsum illustrat, & exornat.

Exod. 25. v. 23. & 24.

Berchor. in reduct. moral. lib. 2. moral. c. 17.

Ad hunc sensum explicat idem Author versum illum Davidicum *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Vbi Propheta regius affirmat Deum coronare hominem misericordis. Scio quidem regium Vatem in sensu communi, & literali horum verborum extollere beneficia, quibus Deus eum afficiebat. Cingit

Psal 102. v. 4.

git te, (ait, loquens animæ suæ) & circumvallat te multitudine miserationum suarum. In quamcumque partem te verteris, novam experiris misericordiam, imo videtur Deus circumdedisse animam misericordiis; & hæc sunt tormenta bellica, quibus Deus cor durum, & pertinax oppugnat Recte excogitatum; sed doctissimus Benedictinus altius rem meditans, arbitratur verba illa etiam hunc posse facere sensum, Deus tibi confert coronam, constituitque te potentem Dominum, & Regem, per tuas misericordias, & opera pietatis. Ac si apertius diceret: *Virum justum coronat clementia seu misericordia, & pietas*; ergo si quemcumque Christianum, qui se ipsum sedulo impendit operibus charitatis, sequatur Regnum, & corona; quid dicemus de Ioanne nostro, qui hac virtute ita eminuit, ut per antonomasiam meruerit illustri elogio nuncupari, Pater pauperum, uti diximus; quis dubitet, quin hi fabricent illi coronam excellentiorem? Eamdemque procurabunt omnibus, qui ad imitationem huius Sancti sese totos eorum remedio, & opitulationi dedicaverint, aut impenderint. Singulare quidpiam dixit S. Bonaventura, quo peregrinum, & paradoxum videtur; existimat enim Seraphicus Doctor, quod si quis ministraret pauperi propter Christum, seu amorem ipsius, plus promereretur, Christoque magis placeret, quam si propriæ Salvatoris personæ obsequium præstaret: quis enim videns Redemptorem egentem non illico ei serviret, & succurreret? verum servire alteri in nomine ipsius, excellentiorem, magisque probatam exigit charitatem. Quapropter, inquit Sanctus, alloquens animam suã, velut alter David: ô anima mea, magno flagras desiderio inveniendi Sponsum tuum, eiusque dulcissimo fruendi consortio, quiesce, ne fatigeris, dicam tibi, ubi reperire possis? Vade ad nosocomia, seu Xenodochia infirmorum, & ibi eum reperies in lecto jacentem, afflictũ, egentem, & doloribus repletum: *Anima mea, quid quotidie anxiaris post Christum, indicat tibi Spõsa quem diligit anima tua, certe in infirmaria jacet, ibi angustiatur, ibi torquetur dolore.* Et prosequitur Sanctus ad confirmationem nostri discursus: *Si Christum neglexerimus in cœno, ipsum non habebimus in cœlo. Infirmus eram, & non visitastis me*, hoc est, nisi Christo succurrerimus, pauperi, afflicto, & patienti in suis membris, nõ est quod speremus eum videre gloriosum in cœlis, quia soli misericordes habebunt partem in Regno Dei. Charitati promittitur Regnum, & eleemosynæ est innexa corona. Confidant igitur charitate ferventes, & animentur misericordes, quia Pater æternus omnes faciet Reges, & coronam cunctis eleemosynariis elargietur: Quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.

Berchor. in repertor. moral. verb. corona.

D. Bonaventura.

Vendite, quæ possidetis.

CONSIDERATIO III.

Fuit maximi meriti sacrificium, quod sanctus Ioannes finxerit se fatuum, quia pretio capacitatis suæ mortificationem sibi comparavit.

DVm attentius considero S Ioannem à Deo sese in fæculento luto voluntatem in publicis plateis urbis Granatensis, quasi immundum foret animal, & duris ictibus ferientem pectus suum propriam faciem pugnis verberantem, huc illucque irrequieto motu discurrentem, has, & similes actiones exercentem, ob quas cuncti ipsum insensatum & amentem indigitant; & simul video pueros, & viros turmatim ipsum insequentes, altaque voce exclamantes, ecce stultum, totus attonitus hæreo, & obstupesco. Maxime dum lego Sanctum ad hæc omnia, hilari, lætaque fronte respondentem: omnia sint ad amorem Iesu; qui etiam rogatus à pueris ut propter amorem Iesu terram exoscularetur, continuo rogantibus obsequebatur. Imo lego in vita eius, quod aliquando eum, tamquam fatuum cum cæteris stultis captivum incluserint, & cum illum quinquies mille flagris cæderent, sicuti Christum flagellarunt, respõdebat flagellantibus, Deus sit merces vestra, quia omnia sunt saluti meæ necessaria. Certe dum hæc perpendo, ingenue fateor mihi videri hanc fuisse maxime heroicam actionem, inter omnes, quas egit sanctus Ioannes, quamvis innumeræ merito admirandæ de illo referantur. Moveor autem ad hoc opinandum, ab ipsa experientia, quæ nos docet, nihil in hoc mundo homines avidius appetere, quam prudentes & ingenio pollentes æstimari; & ea forsitan est, causa, quod quia essentia hominis consistit in ratione, tanto magis quispiam se hominem reputat, quanto magis in eo viget ratio & intellectus. Et adeo indubitata est hæc doctrina,

1.

na, ut ausus fuerit dicere Seneca: *Si bona mens esset venalis, non haberet emptorem.* Nullus ad officinam illam confluerct, quia quisq; suo contẽtus est ingenio, & putat se cæteris antecellere.

Seneca.

2. Igitur recte dixero, maximi meriti fuisse sacrificium, & oculis divinis acceptatissimum, quod sanctus Ioannes simulaverit fatuum, anhelaveritque cunctis votis ab omnibus talis haberi. Narrat sacra Historia Deum permisisse sanctum Iobum Satanæ, eique dedisse amplissimam commissionem, & potestatem exequendi in corpus eius omnes atrocitates, & tormentorum genera, quæ excogitare posset, & solummodo facultatem eius coarctasse, seu limitasse in uno, ne videlicet animam eius attingeret: *Ecce, in manu tua est, verumtamen animam illius serva*; id est, fac quod lubet, ure, seca, percute, ad extremum miseriæ reduc servum meum; sed cave, ne animæ eius damnum ullum, aut nocumentum inferas. Disputant hic acriter sacri Expositores, quid voluerit Dominus Deus, quando prohibuit dæmoni ne animam Iobi tangeret, sed illæsam servaret. Qui varias huius rei explicationes desideraverit, legat doctum Commentatorem Iobi, qui eas summatim recenset. Inter reliquas refert unam ex Didymo, qui per animam vult intelligi, perfectum usum, & arbitrium integræ, & rectæ rationis: *Verum enim mentis soporem, insaniamque ne adferat.* Itaque Deus consentiens dæmoni, ut anatomiam totius corporis faciat in Iobo, eumque omnibus modis excruciet, non permisit ei, ut intellectum aut partem rationalem perturbet, aut judicium rationis pervertat: forsitan ne veniret Iob in opprobrium, aut ludibrium puerorum. Optasset quidem Diabolus eum reddere mentis impotentem, si licuisset, sed noluit Deus servum suum tam gravi ignominia affligi, huic igitur voluntarie sese submisit Ioannes a Deo, (saltem coram mundo) ut hoc pacto maiores sibi pro Christo patiendi occasiones accerseret.

Iob. 2. v. 6.

Didymus apud Pinedam in Iob.

3. Flocci, imo nihil æstimant sancti à mundo desipientes haberi, suasque actiones, ab impulsu divino procedentes, deliria reputari. Testem advoco regium Psalmistam: *Beatus, qui non respexit in vanitates, & insanias falsas*; flocci pendit justus respectus humanos, neque propter eos deviat à recto tramite, quem cœpit. Solus Deus spes eius est, homines non curat, nec audit, nec æstimat, neque vanis credit hominibus, qui eius iter interturbare moliuntur, aut cũ à proposito mendaciis, & insaniis falsis deterrere conantur. Hic est familiaris, & communis horum verborum sensus: verum gloriosius S. Ambrosius ingeniose premit hæc postrema verba: *Insanias falsas*, igitur, inquit S. Doctor dantur insaniæ veræ, & insaniæ falsæ, & has, quales dicemus esse? illas nempe, quas reputat mundus tales, quæ revera non sunt insaniæ, quia fallitur mundus, judicans insanias, & fatuitates esse opera heroica justorum, uti aperta cõfessione ipsimet perversi, & reprobi fatentur: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ergo erravimus à via veritatis.* Videbant Isaiam excalceatum nudis pedibus incedentem, huc illucque per plateas cursitantem, ferreis catenis gravem, & onustum per compita urbis Ierusalem divagantem, & omnes eum delirum, & mente captum æstimabant; idemque de aliis prophetis judicarunt, qui similes actiones exercuerunt; quia haud quaquam causam earum intelligebant: sed ipsi justi vilipendebant errores, & opiniones hominum, quod apud illos insani, aut dementes haberentur, nam tales stultitiæ erant insaniæ falsæ: *Sunt ergo veræ, & falsæ insaniæ*, inquit S. Ambr. *& forsan Prophetarum, qui in excessu mentis positi prophetabant, ut quibusdam insanire viderentur, unde plerumque excalceati, sicut Isaias sanctus per populos excurrerit.*

Psal. 39. v. 5.

Sap. 5. v. 4. & 6.

4. Ad confirmationem huius doctrinæ S. Ambrosii multum splendoris, & claritatis adferet curiosa quædam observatio Eminentissimi nostri Cardinalis Cajetani, ponderandis factum illud, quod sacra pagina refert de Iehu, qui cum in consortio assideret principibus exercitus, venit ad eum Propheta quispiam, dixitq; ei; *Verbũ mihi ad te ô Princeps*; neq; illud secretum minus erat, quam quod veniret ad ungendũ eum Regẽ Israel; Iehu autem revertenti ad socios dixerunt illi: *Quid venit insanus iste ad te?* Stultum vocant, inquit Doctissimus Cardinalis, sed quid stultitiæ commisit in actionibus suis, unde ipsum dementiæ arguere possint? Nihil sanè sapiente indignum admisit, nisi quod, cum esset discipulus Prophetarum, qui non nisi Deo servire, & negotia salutis suæ perficere satagunt, ideo insipientiæ condemnant, quod maximæ prudentiæ opus erat: *Insanum appellant Prophetarum, eo quod profiterentur Prophetarum filii, futuræ vitæ studium, vacando divinis laudibus.* Ecquis sanioris mentis, aut sapientior S. Ioanne à Deo? & nihilominus mundus eum men-

4. Reg. 9. v. 6.

Ibidem v. 11.

Caiet. hic

mentis lumine obcæcatum judicat, omnesque eius actiones à Spiritu sancto directas spernit, & vilipendit, omnia enim erant artificia, & stratagemata, quæ Sanctus quærebat ad patiendũ, & satisfaciendum pro peccatis quæ se commisisse suspicabatur, cum tamen nullum perpetrasset, quia pie creditur, ipsum numquam primam Baptismi gratiam amisiss.

5. Sed quid tantopere admirandum, quod sancti talia agant propter amorem Dei, quando considerant Dominum eadem, amore ipsorum, & plura præstitisse. Fugiens quondam David à facie Saulis, venit ad Achis Regem Geth, alio nomine Abimelech, putans se ignotum iri, sed quidam terræ illius cognoverunt eum, & Regi nuntiaverunt. Quo audito, extimuit David, & decrevit ineptire, & morionem, seu fatuum simulare, & cœpit immutare os suum coram eis, & impingere in ostia portæ, & emittere salivam ex ore in barbam, ita ut Achis nequaquam credere potuerit illum esse Davidem, de quo tot tantaque ei retulerant servi, & domestici: quare firmiter sibi persuasit eum esse insanum aliquem, cum tamen numquam David prudentior, aut sapientior fuerit, quã quando illo tempore stultum, & desipientem simulavit. Quia agere stultum suo tempore, excellentius est, quam omnis gloria, & sapientia, teste Salomone: *Pretiosior est sapientia, & gloria, parva ad tempus stultitia.* Probe quidem novi S. Augustinum existimare Davidem in illo rerũ statu fuisse figuram Christi Domini, instituentis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quapropter etiam sequitur Versionem Septuaginta Interpretum, qui, ubi Vulgata nostra legit: *Collabebatur in manibus suis,* transferunt: *Ferebatur in manibus suis,* idest, portabat seipsum in manibus suis, quæ verba, juxta litteram nequeunt adaptari Davidi, sed Christo Domino, qui instituens divinissimum corporis, & Sanguinis sui, Sacramentum, seipsum tulit propriis manibus, uti sonant verba illa S. Thomæ: *Se dat suis manibus*; atque ideo concludit S. Doctor, quod in nullo ita fuerit manifestata Dei sapientia, quam in illo, quod coram mundo apparuit fatuitas, & insipientia: *Tam magnũ mysterium, fatuitas quædam videtur.* Bella doctrina aliis occasionibus accommoda. Servit vero instituto nostro, quod David symbolum Christi gesserit, egeritq; totum quod Magnus Doctor ibidem juxta Versionem Septuaginta Interpretum animadvertit: *Ferebatur in manibus suis, & affectabat, & tympanizabat ad ostia,* hoc est eodem tempore David mille gesticulationes corporis exercebat, jam repebat per terram, velut infans, jam cantabat, jam alios ridiculos gestus proferebat, quibus omnibus spectatores ad risũ & vilipendium sui provocabat; ad insinuandum (meo quidem judicio) quod omnia, quæ faciunt sapientes, videantur stultis insania, & fatuitas, quia non capiunt ea, quæ Dei sunt, & ideo etiam maxima Dei mysteria, præclaraque Sanctorum gesta, deliria arbitramur, quia limites sexus, & ingenii nostri excedunt, nisi fide instruamur. Nescit humanus intellectus ingenii sui viribus assequi profundissima Dei arcana, neque mundani intelligere mysteria, quæ heroica illa opera Sanctorũ, ab ipsis deliria existimata, designant, & demonstrant. Figura fuit David, (in hoc facto, sicut, & alibi sæpius) Christi Redemptoris nostri, apud quem tantum potuit efficere amor nostrum, ut coegerit eum, quantũ ad exteriorem apparentiam, agere partem, seu personam stulti, & amentis. Verba hæc fuerunt S. Drogonis, comparantis amantissimũ Ecclesiæ Sponsũ, cum Samsone dulci Dalilæ inescato, & amore captos & dum devotiori affectu meditatur eum prostratum ante pedes peccatorum, eos lavando, exosculando & abstergendo, recordatur Samsonis inter brachia suæ fallacis Dalilæ, & affirmat, illum ipsam plus nimio, & præter merita dilexisse, ita ut videatur sapientia ejus desipere: *Ita amasti non amantem, ut sapientia tua stultesceret.* Videbatur Redemptori se non omnino satisfacere propensioni amoris sui, nisi etiam extrema tentaret, & ea præstaret, quæ sapientiam suam infinitam dedecerent.

6. Ex his facile colligetur mystrium, cur Salvator mundi antequam ad crucem suam perveniret, permiserit se ab Herode derideri, & veste alba indui: *Illusit indutum veste alba.* Quare ergo vult Redemptor noster hac nota cohortali, seu veste alba vestiri? Varie ad hoc respondent S. Patres, & Interpretes. Noster Sapientissimus Magister Ianguas in suo Promptuario refert, id ideo contigisse, ut populus eum exploderet tamquã stultũ, & desipiẽtem, hac enim veste fatuos induere solebant, utq; re ipsa ostenderet, quod hoc in lege antiqua fuerat præfiguratum, recordatus est illius quod sancto Regi Davidi evenerat, & sic comprobavit signi veritatem cum signato: *Rex Achis tamquam insanum despicit, ac proijcit David: & nostrum Iesum Rex Herodes, ut sanctus Lucas refert*

Ecclef. 10. v. 1.

1 Reg. 21. v. 13. Septuag. Interpr.

D. Aug. in Psalm. 33.

D. Drogo de Passione Domini.

Luc. 23. v. 11.

Ianguas serm. de

fert, tamquam stultum, & insanum spreuit, & illusit indutum veste alba. Tantæ potentiæ fuit amor Dei erga homines, ut concupiuerit apparere amens, & fatuus, quo plus sentiret, & pateretur: & volens S. Ioannes a Deo compensare hunc amorem, in seque exprimere gratitudinem eius, ex amore reciproco se finxit insipientem, ut plures pro Deo patiendi occasiones nancisceretur.

7. O utinam tandem aliquando agnosceremus huius veritatis evidentiam, & fateremur solos Sanctos exploratum habere, quòd omnis sapientia humana, sit fatuitas, & insania, & sola vera sapientia, quam mundus tamquam stultitiam, & dementiam spernit & calumniatur. Idcircò oportet ut quisque Christianus stultescat mundo, ut verè sapiat Deo: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* (1. Cor. 3. v. 18.) Est hoc salutare documentum S. Pauli cupientis omnes, maximè Corinthios, ad viam salutis perducere. Qui inter vos in rebus mundanis sapere videtur, nescius fiat, ut veram assequatur scientiam. Angelicus Doctor S. Thomas interpretans hoc Paulinum monitum, adnectit sequentia verba: *Hoc obseruandum est, non solùm in his, in quibus sæcularis sapientia contrariatur veritati fidei, sed etiam in omnibus, in quibus contrariatur honestati morum.* (D. Thom. hic lect. 3.) Non solum docet S. Paulus, ut contemnamus mundi sapientiam, & affectemus id, quod ipse ignorantiam reputat in rebus, quæ fidei aversantur, sed etiam in ijs, quæ honestati morum præiudicant Christianorum. Itaque secundùm instructionem Apostolicam solum debemus attendere ad ea, quæ cultum, & obsequium Dei concernunt, aut ad salutem animarum conducunt, quia in his vera sapientia consistit, quæ mundus veluti insanias condemnat, quia nequidem vestigia cognitionis rerum diuinarum, aut supernaturalium perspicacitate sua assequi valet. Tamquam fatuum dijudicat S. Ioannem, cùm tamen insignissima præditus esset sapientia, & doctior omnibus totius mundi hominibus. Sed hoc erat, quod Sanctus omnibus votis sollicitè ambiebat, haberi fatuus, ut hoc medio, maiora sibi merita accumularet. Plus fecit, quàm cœlestis Magister Discipulis suis mandet aut præcipiat: quia nihil ipsis iubet, nisi ut vendant, quæ possident, & ex ijs benefaciant pauperibus, & stipem elargiantur egenis: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.*

Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.

CONSIDERATIO IV.

Vnum ex præcipuis elogiis huius Sancti colligitur ex glorioso eius nomine.

MAndauit quadam vice paruulus Iesus, apparens illi, ut deinceps Ioannes à Deo vocaretur, singularissimum profectò priuilegium, & nulli sanctorum hactenus concessum. Cuncta creata Dei sunt, tam quia ab illo primam suam essentiam acceperunt, dum ea ex nihilo produxit, quam etiam, quia eadem conservat, & in suo fieri, esse, & conservari ab illo, tam[illegible]m authore, & creatore suo dependent. E[illegible]mquam hoc parvulus Iesus non assereret, aut iuberet ut Ioannes Dei, seu à Deo nuncuparetur, totus erat Dei propter rationem iam dictam. Aliud igitur mysterium in hoc mandato investigandum restat. Meâ quidem sententiâ, voluit Dominus Deus hoc nouo nomine Ioanni imposito, patefacere mundo, & declarare virtutem Ioannis esse perfectissimam, & omnibus numeris excellentissimam, utpotè cuius anima adeò pura, & sancta erat, ut tota esset Dei. Ne minimam quidem partem habebat mundus in illa, neque cæteri spiritûs nostri insidiatores inimici. Sed proh dolor! quam pauci numero sunt, qui ad tantæ perfectionis gradum pertingunt; ut de illis verè dici queat quòd toti, & totaliter sint Dei. Eruditè disseruit in hac materia, uti solet, Sanctus Ambrosius, elucidans verba illa Davidica Psalmi 118. *Tuus sum ego, saluum me fac*; id est, attende ô Domine, ad me tamquam reculam, & suppellectilem tuam, quia tuus sum ego, tu custodi me. (Psal. 118. v. 94.) Hoc potuit David effari, inquit Sanctus Doctor, sed rarissimi sunt, qui hoc idiomate reverà uti possunt: *Satis carus est, qui possit dicere, tuus sum.* (D. Ambr. hic serm. 12.) Nequit dicere sæcularis, & mundanus, quòd sit Dei, quia plures habet Dominos, quorum singuli vendicant sibi ius dominij, & dicunt, meus est. *Non potest dicere sæcularis tuus sum, plures enim Dominos habet*, & tandem gloriosus Sanctus Ambrosius, postquam fecit inductionem singulorum, qui se asserunt esse servos Dei, concludit: *Veniunt omnia vitia, singula dicunt meus es, quem tanti competunt, quàm vile mancipium.* Singula vitia prætexunt jus suum, & dominium, quia homo seipsum

psum illis tradidit, ac proindè ægrè potest dicere, quòd sit Dei, qui se, velut mancipium, tot submisit, & subjecit Dominis. Ille, qui nonnisi soli Deo servit, sicuti Sanctus Ioannes, ipse se potest appellare servum Dei, & plenis buccis dicere, *tuus sum ego.*

2. Accipite alium insignem S. Ambrosij locum, anteà quidem ad aliud institutum allegatum, huic tamen proposito apprimè appositum. Quando calumniatores illi Iudæi, perfidi hostes Christi Redemptoris, exstimulante nequitia, interrogauerunt Dominum, utrum æquum & fas esset solvere Cæsari tributum: *Si licet censum dare Cæsari, an non?* cognita eorum depravata intentione, & ostenso sibi numismate, respon-
Matt 22. v. 20. det illis: *Cuius est hæc imago, & superscriptio?* dicunt ei Cæsaris; quibus Dominus hoc breve
Ibid. v. 21 retulit responsum: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Videtur, inquit, acutè S. Ambrosius, Salvator non rectè ordinasse formam responsi, æquum enim apparebat & rationi consonum, quòd præponeret Deum, & diceret, Persolvite Deo sua, & posteà reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Mystica fuit hæc antepositio inquit Sanctus, neque absque singulari mysterio transposuit Salvator mundi or-
D. Ambr lib. 6. in Lucam. dinem verborum: *Benè primò, quæ Cæsaris sunt, reddenda decernit; neque enim potest esse quis Domini, nisi priùs renuntiauerit mundo.* Non absque causa præcipit Dominus primò reddenda Cæsari, quæ sunt eius, & secundò ea quæ sunt Deo ex rigore iustitię debita, ut hoc ordine nos instrueret, neminem posse esse totum Dei, nisi priùs rebus temporalibus, & mundanis in Cæsare adumbratis, omninò valedixerit. *Neque enim potest esse quis Domini, &c.* Ergò, qui ita alienus fuerit a rerum terrenarum cupiditate, cunctisque huius vitæ voluptatibus renuntiaverit, sicut noster Ioannes, ille solus absque temeritatis nota poterit dicere Deo: *Tuus ego sum, salvum me fac.*

3. Valdè magna ponderatione dignæ sunt voces illæ propheticæ, quas S. Simeon sacratissi-
Luc. 2. v. 35. mæ Virgini dixit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius,* id est, quòd gladius doloris perforaturus foret animam eius. Carpunt altiori consideratione sacri Interpretes modum loquendi, & phrasim sancti senis, & dicunt animam Deiparæ Virginis fuisse Christum Salva-
Pennafiel etat. 5. c. 4. §. 7. torem. Et super hoc millenas, easque devotissimas excogitarũt considerationes. Doctus quidam huius sæculi Scriptor, asseverat beatum Simeonem non absque solido fundamento tali fuisse locutum idiomate, & fuisse modum eius loquendi mysterio plenum: *Et tuam ipsius animam*, qui de beatissima Virgine solummodò affirmari, & verificari potest. Rationem autem suggerit, quia, licèt cæteræ iustorum animæ sint Christi, certo tamen certius est, illas aliquo tempore non esse ipsius, propter vitia, & defectus, quibus contaminantur, & propter peccata, quæ singuli, plùs vel minùs, quotidiè committunt; secundum illud vulgare S. Iacobi dictum: *in multis offendimus omnes*: verùm anima Iacobi 3. v. 2.
sanctissima Mariæ, antonomasticè, & per excellentiam nuncupatur anima ipsius, *& tuam ipsius animam*, quia a primo momento, quo Deus eam occupauit, semper fuit sua. Non inficior, quin principaliter hoc de sacratissima Virgine verificetur; att meâ sententiâ, post Beatissimam Virginem de nullo potiori iure dici potest, quòd sit Dei, quàm de sancto Ioanne nostro: ab ortu enim, & natiuitate eius plurimis indicijs, & maximis portentis, quæ intervenerunt, abundè testata est diuina Maiestas, quòd Ioannes esset suus. Neque Deus hac sola manifestatione contentus, clarius idipsum confirmauit, præcipiens illi, ut Ioannes Dei, seu à Deo indigitaretur, ad ostendendum, quòd mundus nullum super eum ius haberet, quia totus erat Deo consecratus, & devotus.

Meritò potest hic gloriosus Sanctus gloriari, & gaudere hoc illustri nomine, & titulo, quia solus inter reliquos Sanctos hac donatur prærogatiua. Vaticinando prædixerat Euangelicus Propheta Isaias, quanto in pretio essent habituri, quamq; magnificaturi forent justi aureæ legis gratiæ servire Deo, eiusque obsequio mancipari, ita ut insinuaverit sanctam quamdam æmulationem inter illos futuram, quis eorum vocaretur verè servus Dei. Conformiter ad hæc interpretanda sunt verba illius in capitulo ad marginem adnotato: *Iste dicet, Domini ego* Isaia 44. v. 5.
sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino. Septuaginta autem Interpretes loco postremorum verborum, ita transtulerunt: *Scribet manu sua, Dei sum ego*; id est, subsignabit, ego sum Dei, & totus ad ipsum pertineo. Ac si diceret Propheta, ille, qui inter cæteros nostros, & servos Domini primas & palmam feret, eritq; communi voce totus Dei, ille verè poterit subscribere, & dicere, ego sum Dei. Litigent, & contendãt inter se reliqui Sancti, quis eorum magis sit Dei; qui propria subscriptione id verè affirmare potest, est gloriosus S. Ioan-

Septuag. Interpret. apud Mendozam in 1. Reg. c. 1. num. 1. notat. 4. 4.

S. Ioannes, quia ita asseveravit prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. Deinceps vocaris Ioannes Dei.

5. Rectè etiam dici potest, quod Dominus Deus donans illi hoc illustre nomen, pactus fuerit cum illo de perseverantia in servitio & amore suo. Curiosius observavit doctus Jansenius in sacro nomine, quod cœlitus divino Præcursori fuit inditum: *Ioannes*, inquit Zacharias, supernè illuminatus, *est nomen eius*. Audiens hæc præclarissimus Doctor, & enucleans mysterium in eo contentum, in hæc verba effatur: *Nomen Ioannes velut dicunt Hebræi Iehohanna, vel Iehohannan componitur ex duabus dictionibus, nempe ex nomine Dei Tetragrammaton, & verbo Chanan, quod precari & misereri significat.* Omissa constructione horum verborum, quæ haudquaquam ad rem nostram pertinet hunc reddunt sensum instituto nostro congruentem, disposuit Dei providentia, ut nomen Ioannis Baptistæ formaretur ex nomine Dei, illudq; sibi insculptum haberet. Non meminit hic Author, quam ob causam Deus ita disposuerit, sed facilè colligitur hanc fuisse Dei mentem in commixtione nominis Baptistæ Ioannis cum nomine Dei, ut quoties Ioannes recordaretur nominis sui Ioannis, elevaretur spiritu, & novis animis, seu stimulis excitaretur ad imitandum & in se exprimendum illud divinum nomen, ex quo suum erat constructum. Et ne absque fundamento loqui videar, occurrit memoriæ celeberrimum illud summi Sacerdotis superhumerale, in quo erant lapides pretiosi, quibus erant insculpta nomina duodecim Patriarcharum, seu filiorum Israël, & addit sacer Textus: *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino, super utrumque humerum, ob recordationem*, id est portabit super humeros suos nomina Principũ duodecim Tribuum Israël, ut eorum recordetur. Sed quid refert Sacerdoti, aut quæ utilitas illi memoria eorum? Permagni sanè interest illi, inquit Anselmus Lugdunensis: *ut scilicet eorum imitetur exempla, quorum portat nomina.* Quoniam recordatio nominum Patriarcharum illi stimulus & calcar erit ut eorum operosius sectetur vestigia, impossibile n. videtur, ut quis habens præ oculis illustres illos heroes, non aspiret ad exprimendum in se eorũ virtutes. Excellẽtius quidpiam requirit Dominus Deus ab his duobus eodem nomine insignitis videlicet à Ioanne Præcursore suo, & Ioanne patre pauperum: non sufficit illi, quod aliorum sanctorum insistant vestigiis, sed omnibus votis avet, ut altius mentem elevent, & modo possibili ad divinam anhelent perfectionem, & ea de causa disponit, ut nomina amborum ex divino componantur, & perfectionem ejusdem in se transforment.

Luc. 1. v. 63.

Iansenius in concord. Evan. c. 2.

Exod. 28. v. 12.

Anselm. Lugdun. hic.

6. Forsitan parvus Jesulus hoc pacto voluit ipsum reddere certiorem, perseverantiæ in gratia, & consummationis ejus usque ad finẽ. Huic conceptui deservire possunt verba illa, quæ Filius Dei per Ioannem in sua Apocalypsi edixit: *Qui vicerit, scribam super eum nomen Dei mei.* Insigni revera condecoratum præmio, obsequium servorum Dei, quod victor sit tabula, seu papyrus, in qua scribatur nomen Dei, inquit Hugo de S. Victore: *Quod dicitur citò transit, quod scribitur, diu permanet.* Loquitur hic Doctor rudi & inculto nostro loquendi modo, quia in Deo, unum & idem est scribere & dicere. voluit itaque insinuare, quod Deus glorioso victori inscribens nomen Dei, non esset futurus ille favor ad modum census redimibilis, aut præmium victoriæ successu temporis interiturum, sed tamquam scriptura indelebilis per totam æternitatem permansurum: *Ac si diceret in sempiternum tribuet.* Et quæ scriptura firmior aut constantior, quàm verbum Dei? idem namque est in Deo loqui, quod facere, & dicere idem, quod operari, quemadmodum egregiè annotavit Philosophus Alexandrinus enucleans verba illa Exodi: *Cunctus autem populus videbat voces & lampades. &c.* seu, ut præfatus Author, sequens Versionem Septuaginta Interpretum legit: *Vniversus populus videbat vocem apertissimè*, & hunc reddunt sensum, loquente Deo Moysi videbant voces. Qui hoc fieri poterat, cùm voces sint objecta auditus? videtur sanè, quod nec miraculosè fieri potuerit, quod videretur id, quod ex natura sua erat extra sphæram & jurisdictionem potentiæ visivæ? Ast appositè obviat huic scrupulo Philo Alexandrinus: *Humana enim vox auditu, divina visu percipitur Quare? Quæcunque Deus dicit, non verba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam penes aures, quam penes oculos.* Aliter ergo philosophandum est de divinis ac humanis vocibus, hæ auribus, illæ oculis percipiuntur. Et ratio hujus manifestè patet, quia voces hominũ non excedunt limites verborum, & ad solum auditum pertinent, voces verò Dei, quia simul sunt opera, & idem est in Deo dicere, ac operari, ideò dicuntur visibiles, & possunt ab oculis attingi

Apocal. 3. v. 12.

Hugo Victorin. hic.

Exod. 20. v. 18.

Philo lib. de Calig.

attingi Dicit Deus S. Ioanni, quod sit suus, & ut deinceps tali nomine vocetur, scriptura est indelebilis, & æternæ durationis, quæ numquam poterit revocari aut abstergi.

7. In capitulo præcedenti ejusdem libri pollicetur Deus animosis victoribus nomen novum & inæstimabile in patria æternæ beatitudinis: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum.* Quale sit futurum illud cognomentum, aut nomen disceptāt sacri Expositores Rupertus Abbas, & doctissimus noster Hugo Cardinalis, asserunt hoc novum nomen, esse agnomē Filiorum Dei: *Quia beati tunc demum, Filii Dei vocabuntur & erūt.* Igitur in patria æternæ gloriæ vocabuntur beati Filii Dei, & hoc erit inclytum cognomentum ipsorum. Interrogo cur in quantum viatores non gaudebunt, nec fruētur hoc supremo dignitatis honore? sunt namque etiam filii Dei, juxta S. Ioannis doctrinam: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Proferant alii suas opiniones, mea autem est, quod in præsenti vita facilè possimus decipi in justis, & judicare tales, qui revera non sunt, & si eos nuncupaverimus filios Dei, attribuemus iis cognomentum, quod verè non promeruerunt. Verùm in cœlis apparebunt & erunt justi, nulla siquidem ibi fraus, aut deceptio locum habet, qualis quisque est, talis habetur, & ideò securè gaudet nomine, quod ejus virtutes promerentur. Igitur S. Ioannes potest, etiam quatenùs viator gaudere privilegio beatorum, & publico præconio dici filius Dei, quia hoc & divinum testimonium nobis indubitatum reddit, & heroicæ illius virtutes illud sibi præmium vendicant. Et si servire Deo sit regnare, & servi ejus existant Reges, nescio, quid plus juris habeat ad Regnum, quod Salvator in Evangelio promittit, quàm S. cognomento Ioannes à Deo, & ad eū singulariter videntur ordinata hæc verba: *Quia complacuit Patri vestro vobis dare Regnum.*

Apocal. 2. v. 17.

Rupertus & Hugo apud Viegas hic.

Ioan 1. v. 12.

Date Eleemosynam.

CONSIDERATIO V.

Institutum huius sacræ Religionis, est illustrius instituto cæterarum Religionum totius Ecclesiæ, & excellentius cæteris eius officium, & exercitium.

1. COnstans & indubitata est Theologia, charitatem esse omnium virtutum Reginam, itidem certa est doctrina, illam intra sphęram & limites charitatis esse perfectiorem, quæ majorem miseriam, & necessitatem proximi sublevandam respicit, tamquam objectum, & cùm urgentior sit miseria pauperis infirmi, quàm mendici sani & incolumis, haud dubiè illi prius erit remedio succurrendum, cujus necessitas fuerit magis urgens, & majorem miserentis imploraverit opem, & in hoc præsertim excellentia charitatis eminebit. Non hęc mea, sed S. Gregorii Nyssens est meditatio, qui in Oratione quadam disertissimè simul & doctissimè de hac materia ratiocinatur: *Cùm omnes pauperes fovendi, adiuvandique sunt: tum illi qui ægrotant præcipuè sunt amplectendi.* Tametsi verum sit omnes necessitates proximorum nostrorum instanter clamare, & opem charitatis nostræ implorare, primitùs tamen subveniendum esse urgentioribus, quales sunt indigentiæ pauperum ægrotantium. Supponamus id, quod communiter contingit: Petit à te stipem mendicus, egens quidem pane, sed non sanitate, clamat & egenus, quem præter inopiam, etiam ægritudo seu infirmitas affligit. Procul dubio, inquit Sanctus Doctor, prius opitulandum est necessitati & indigentiæ ægrotantis, quàm sani, & rectè valentis: Hic siquidem habet, quo redimat suam vexationem & miseriam, potest namque ostiatim mendicare, & quod in unu domo non recipit, in altera ipsi donatur: verùm egenus & infirmus impeditus est, ne hisce mediis suam possit sublevare inopiam, & incomparabiliter est major ejus necessitas, quàm alterius.

D. Greg. Nyssen. Orat. de pauperib. amand.

2. Ex dictis evidenter colligitur excellentia instituti hujus gloriosi Patriarchæ, ejusque sacræ Religionis, cujus sanctum munus est, ut alumni ejus sint infirmarii pauperum, eis serviant, & de necessariis provideant. Contigit huic glorioso Patriarchæ, id, quod S. Paulo evenisse refertur, raptus fuit ad tertium cœlum, & reseratis gloriæ portis, perlustravit plateas ejus, visitavit omnes Angelorum choros, ibidemque fixit domicilium, gaudens pro tempore illo, jure incolatus, uti concivis beatorum. Regreditur ad mundum, ecquid ergo S. Paule, jam factus cœlicola & concivis patriæ beatorum, officii assumes, aut cui te operi, aut exercitio consecrabis? aut quale erit deinceps munus tuum? Nosocomio serviam, & infirmarii vices subibo: *Quis infirmatur, & ego non infirmor,* id est, statim ac quis ægrotaverit, adero, ut dolentem consoler, ei ministrabo

2. Cor. 11. v. 29.

ſtrabo, & plagas eius ſanabo, & quantùm fieri potuerit, languores eius in me recipiam, & ſanitatem meam illi retribuam. Audit melliſfluus S. Bernardus Doctorem gentium hoc idiomate loquentem, & dicit tantam charitatem non eſſe alicuius terreni, ſed civis cœlorum, non hominis mundani, ſed alicuius cœlicolæ: *A Regno cœlorum deſcendit ad cubile infirmorũ*, hoc eſt, deſcendit S. Paulus è cœlis, & profeſſus eſt religionem infirmis ſervientem. Quo tandẽ deveniet noſter Sanctus cognomento Ioannes à Deo, jam totus beatus; nulla enim maior beatitudo potuit illi dari in hoc mundo, quàm jugiter frui aſpectu puerili IESU, eiuſque ſæpius familiari uti colloquio, quò, inquam, deveniet? niſi ad noſocomium, ſeu infirmariam ægrotantium, ubi cum filiis, & religioſis ſuis ſe totum eorum remedio, & conſolationi conſecrabit. Nequaquam eſt hæc charitas hominis huius ſæculi, ſed hominis cœleſtis & divini. Non nata eſt hæc charitas in terris, ſed originem ſuam trahit ex cœlis. D. Bernard.

3. Hinc forſitan ob cauſam deſcendebant Angeli è cœlis ad aſſiſtendum illi in miniſterio pauperum infirmorũ. Iverat quadam vice Sanctus ad quærendum aquam, & reverſus domum, reperit illam compoſitam, ſcopis mundatam, cubilia ſtrata, ſcutellas lotas, & cuncta pauperum neceſſaria præparata; ſciſcitatur ex illis, quiſnam hoc miniſterium præſtitiſſet. Et reſpõderũt omnes ægroti unanimi voce, dicentes, tu pro more tuo hæc omnia peregiſti. Quibus ille, hoc nequaquam fieri potuit, quia in foro fui, nec vobis hoc obſequium præſtiti. Languentes conſtanter aſſeverabant, ipſum, & nullum alium id feciſſe. Tunc Sanctus, animadvertens myſterium, hilari fronte dixit eis: revera fratres, plurimùm diligit Deus pauperes ſuos, nam mittit Angelos ſuos ut eis miniſtrẽt. Et fortaſſe fuit S. Raphael, qui ei nuntiaverat, ſe à Deo deſtinatum ad auxiliandum ei in miniſterio infirmorum, qui ei aliquoties detulit panes, dum eorum inopia laboraret, & aliis vicibus adiuvit eum, & auxiliares præbuit manus Sancto, dum ad portandos infirmos in humeris ſuis ſolus non ſufficeret, dicens ei, Frater Ioannes, omnes ſumus pares, & eiuſdem ordinis. Eſt itaq; officium infirmarii pauperũ, tanti honoris, & excellentiæ, ut etiam Angeli cœleſtes ambiant illud ſubire in terris. Quid dico, aut quid nomino Angelos? Ipſimet Angelorum Regina, ut paulò ante diximus, voluit eſſe infirmaria noſtri Sancti: Quinimò ipſemet Deus videtur illud officium non denegari, pollicetur enim miſericordi, quòd ſternet eius cubile, & lectũ cõponet, ubi eũ ægrotare cõtigerit *Vniverſũ ſtratũ eius verſaſti in infirmitate eius.* Pſal. 40. v. 3.

4. Igitur filii, & religioſi S. Ioannis non ſolùm exercent officium Angelorum in terris, ſed etiam ſubeunt vices ipſius Dei. O quàm inſigne teſtimonium S. Scripturæ mihi occurrit ad confirmandum veritatẽ huius conceptus! Legimus in ſacra Pagina Regem Ochoziam deſcendiſſe ad inviſendum Principem Ioram gravi morbo laborantem. *Ochozias filius Iorã Rex Iuda deſcendit ut inviſeret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotantem.* In textu autem Hebræo non vocatur ille Rex Ochozias, ſed Azarias, *Deſcendit Azarias Rex Iuda.* Fateor, ubi in hanc incidi Lectionem, dubius hæſi eamque enucleatione dignam judicavi, quia videtur, niſi me fallat opinio, ad viſitandum infirmum, Ochozias nomẽ mutaſſe. Ita ſane fuit. quia Azarias ſonat, *adiutoriũ Dei*, ad oſtendendum, quod viſitans, miniſtrans, & curans languẽtes infirmos, non fungatur officio hominis, ſed Dei, *Adiutorium Dei.* Non eſt hæc meditatio mea, ſed ſacrorum Interpretum anteſignani, S. Hieronymi: *Ideo mutatur ei nomen in melius, eò quòd iuxta præceptũ Domini, ad infirmũ viſitandum deſcenderit.* Abiit ad inviſendum ægrotum ſecundum legẽ charitatis benè ordinatæ, *iuxta præceptum Domini*, deſerat ergò nomẽ hominis, & aſſumat nomen Dei, id eſt, officiũ Dei, *adiutorium Dei.* Exercet ſe S. Ioannes, eiuſq; ſacra familia, totam ſe impendit miniſterio pauperum infirmorum, *iuxta præceptum Domini*, hinc enim illi crucem futuram prædixerat Deus, ſit igitur nomen eius nomen Dei, & cognominetur Ioannes Dei, ut correſpondeat nomen officio, quo fungitur, non enim eſt hominum, ſed Deorum vel ſaltem hominum divinorum. 2. Paralip. 22. v. 8. Lect. Hebraica. D. Hier. hic.

5. Videte, num tantus honor ſit æmulatione dignus, quo maior, aut excellentior nequit dari in terris: ratio eſt manifeſta, quia in domo Dei, illud officium eſt honoratius, per quod maiora acquiruntur merita, & qui plus promerentur apud Deum, illi etiam honoratiores reputantur. Eſt autem actio ſerviendi infirmis, tanti meriti, ut etiam pro pauculo tempore exercita, magnum æſtimetur ſacrificium. In Civitate Vlyſſiponenſi Regni Luſitaniæ abhinc aliquot annis introducta fuit quædam pie-

tas Christiana, ut ex singulis ordinibus, singulis mensibus peterentur duo Religiosi, qui in Xenodochio regio assisterent infirmis, eos spirituali solatio foventes, & corporali subsidio recreantes. Ita ut ad præstandum Deo hoc sanctum sacrificium, faciant nos omnes religiosos Ordinis S. Ioannis a Deo, sed cum hac tamen differentia, quod nos simus temporales, illi verò perpetui, & ad vitam. Arborem mysterio plenam vidit S. Ioannes in sua Apocalypsi, quæ duodecim fructus, iuxta duodecim anni menses proferebat: de foliis autem affirmat S. Ioãnes ea esse infirmis omnibus saluberrima: *Afferens fructus duodecim, per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Curiosa quæstio posset hic agitari, examinando quidnam istorum fuerit excellentius, an fructus, an verò folia? Respondeant Curiosi, quod sibi placuerit, ego hoc solummodo asseveranter dico, quòd folia in hoc superabant fructus, si etiam erant medicinales, quòd hi sanabant solummodò per menses suos, illa verò toto anni tempore. Intellexistis iam haud dubiè applicationem, non sunt absque necessitate ulteriùs verba multiplicanda, nostis, quid dicere velim

Apocal. 22. v. 2.

6. Etsi mihi obieceritis, fructus semper esse pluris æstimandos, quàm folia, & si velim hos sanctos Religiosos comparare foliis, & Religiosos cæterorum Ordinum fructibus, propter Cathedras, pulpita, Episcopatus, Pileos Cardinalitios, & tiaras Pontificum, quæ omnia Ecclesiæ sanctæ ad decorem contulerunt, consequenter ergò manent hi Religiosi inferiores, & cæteri omnes illis præferuntur. Ad hoc respondebo insigni quadam doctrina S. Petri Chrysologi, qui tamquàm certum statuit in domo Dei omnia officia esse illustria, & quemcumque dignitatis locum in ea esse honoratissimum. Ad hoc probandum assumit sanctus Ravennas historiam illius mulieris hæmorrhoissæ, quæ pudore præpedita, seu propter verecundiam, & circumstantiam præsentium, non præsumens coràm Christo apparere, dixit intra se: *Si tetigero tantùm vestimentũ eius, salva ero,* & tandem animoso pectore, & intrepido animi proposito, teste S. Luca: *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius* magna spe, & fiducia impellente, deposito omni metu, accessit retrò, & attigit cœlestis medici fimbriã vestimẽti, & cõtinuo sanata est à languore suo. Ecquid hoc est, inquit magnus Ravẽnas, ad fimbriã accurrit hæc infirma. Nonne consultiùs tãgeret supremum, quàm infimum vestimenti, & quidem minori molestia, & labore? Dicã. quod sentio, inquit Sanctus Chrysologus: *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, quia in Christo nihil postremum credidit, nihil indicavit extremum. Quia nec memoratur Deus in homine, nec virtus attenuatur in fimbria, nec cœlestis natura membrorũ variatur officiis.* Prudẽtissimè ratiocinata est hæc mulier, quia quidquid in Christo supremo Medico inveniebatur, excellens erat, summitas, & infima fimbria, collum, caput, & pedes eamdem virtutem participabant, nec divinitas in homine minorari poterat. Sed, salva venia tanti Doctoris, magis urgeo eius doctrinam, & dico, quòd cùm tunica Domini fuerit symbolum Ecclesiæ, conferens sanitatem per partem illam, quæ infima videbatur, & sanans hanc infirmam, & ostendẽs quòd vili instrumento posset perficere opus adeò heroicum, & gloriosum, id fecit, ut nobis insinuaret, in sua domo nullũ locum aut officiũ posse dici infimum, neque ullum ministerium, quod non sit illustre, & honore dignum, & quamvis oculis mundanis appareat vile, & abiectum, lumine tamen fidei cognitum est supremum, illudque, quod magis est pium, & misericors, magis coram Deo est meritorium, & honoratum. Totum hoc disertis verbis complexus est mellifluus Doctor S. Bernardus: *Iste Sponsus, non modo amans, sed amor est. Nunquid honor? contendat, quis esse, ego non legi. Legi quia Deus charitas est, & non quia honos aut dignitas est.* Discamus ex illo diligentem operam impendere charitati, quia in illa verus honor, & dignitas consistit. Non ostentat potentiam suam, sed amorem, dicant alii quod lubuerit, ego aliud non intelligo, neque loquor absque fundamento sacræ Scripturæ, in qua lego Deum esse charitatem, & amorem, & nusquam reperi Deum esse honorem, aut dignitatem, non quòd in Deo nõ sint omnes perfectiones, sed quia per hoc nos voluit instruere quanti Dei maiestas æstimet, & quanti habeat, quantoque in pretio nos habere debeamus eos, qui se exercitiis huius supremæ virtutis totos consecrarunt, & devoverunt.

Matth. 9. v. 20.

Luca 8. v. 44.

D. Petr. Chrysol. Serm. 36.

D. Bern. Serm. 18. in Cantica.

Et jure merito, quia nescio quis magis mereatur æstimari, aut quis magis sit dignus attrahere sibi corda, & animas omnium, quàm illi fideles Christiani, qui se operibus charitatis, & singulariter obsequio, & ministerio infirmorum 7.

morûm omninò sacrificarunt. Favet dictis meis curiosa quædam observatio S. Cyrilli, quæ egregiè corroborat, & confirmat hanc nostram doctrinam. Premit Sanctus Doctor singulari quodam ingenii acumine verba S. Evangelistæ Ioannis, quibus enarrat, innumeram hominum multitudinem secutam fuisse Christum, eique constanter adhæsisse, quia ægrotos, & lãguentes curabat: *Sequebatur eũ multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur.* Alia mira, & stupenda patrabat Christus miracula, & fugiebant ab illo, infirmis sanitatem, & incolumitatem restituebat, & omnes sequebantur. Fecit in lacu Genesareth portentosum illud miraculum in piscatione, & copiosa illa piscium captura, obstupescit Petrus, & procidens ad genua Iesu, exclamat: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*; id est, totus stupore attonitus rogat Dominum ut à se recedat, quia eius potentiam sustinere non valet. Ingressus Dominus trans fretum, regionem Gerasenorum, eiecit duo dæmonia à corporibus hominum, & adegit illa in gregem porcorum, qui omnes impetu uno prosilierunt in mare. Et ecce, omnes, tamquàm indignabundi, *rogabant eum, ut transiret à finibus eorum*, nolebant admittere eius consortium, aut societatem. Promittit Dominus mũdo supremum illud omnium miraculorum compendium, nempe divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, sed attendite, quid S. Ioannes dicat, & scribat, & videbitis, quid inde evenerit, *Ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retrò, & iam cum illo non ambulabant.* Obstupuerunt plurimi Discipulorum miraculi magnitudine, & dulcissimum superni Magistri contubernium abnegarunt, & declinarunt. Qui ergò factum est, quod in aliis occasionibus societatem Domini evitaverint, & nunc hic notanter animadverit S. Ioannes, quod magna multitudo eum sequebatur? Accipite præclaram S. Cyrilli sententiam, Authore suo dignam: *Non propter signa simpliciter Christum mirabantur, sed propter signa, quæ in infirmis ægratisque faciebat.* Non tantùm admirabantur miracula potentiæ, quantùm benè miracula sensibilia amoris. Parum dixi, inquit Sanctus: *Non solùm talia signa mirantur, verùm etiam propter hæc, quasi Deum sequuntur.* Ac si diceret, cætera miracula omnipotentia terrorem, & pavorem hominibus incutiebant, ita ut præ metu fugam ab eo capesserent, sed admiranda divinæ charitatis portenta animos hominum ad sequelam Christi alliciebant. Omnes veniebant ad Dominum, & ex tanta charitate divinitatem cognoscebant. O Domini mei, stupenda miracula obstupefaciunt intellectus, & ingenia hominum, sed miracula charitatis conciliant, attrahunt, & subjiciunt sibi voluntates hominum. Volo dicere, tametsi miracula cæterarum Religionum, seu ordinum, videlicèt eorum Doctores, seu Magistri doctrina pulpita, cathedræ, & prædicatores eorum suspendant ingenia, & reddant attonitos intellectus hominum, & magnam sibi aucupentur famam popularem, miracula tamen huius sacræ familiæ Sancti Ioannis à Deo, sunt portenta charitatis, ac proinde non solùm digna omni veneratione, & respectu, sed etiam omni nostræ voluntatis propensione, & affectu, ut cuncti eos revereamur, eorumque exemplum, & vestigia toto conatu imitari allaboremus, profitentes, illos esse quasdam deitates, quas Deus posuit in terris, veras, inquam, similitudines per officium, quo funguntur, æternæ illius gloriæ, qua nos tandem aliquando mediante gratia fruituros speramus, in fœlicissima Beatorum patria. *Ad quam nos perducat Pater, Filius, &c.*

Amen.


Ioan. 6. v. 3.

Lucæ 5. v. 2.

Matth. 8. v. 34.

Ioan. 6. v. 67.

D. Cyrill. in Ioannem lib. 3. cap. 13.




Q TRA-

TRACTATUS IX.

IN FESTO GLORIOSI PATRIARCHÆ SANCTI IOSEPHI,

Sponsi B. MARIÆ Virginis.

Ioseph autem vir eius, cum esset iustus. Matth. 1. cap.



Dmirabile, ac rarum fuit, quod gravissimi Authores referunt in vita, & gestis beatæ Margaritæ, nimirum tres gemmas, seu lapides pretiosos fuisse in corde eius repertos, quorum primus repræsentabat formosissimam simul, & honestissimam puellam, seu Virginem, quam intuentes, vivam Deiparæ Virginis effigiem, iudicabant. Alter pulcherrimum infantem, ineffabili decore donatum, & ovibus circumcirca stipatum referebat, quem expressam esse imaginem pueri IESU Filii sacratissimæ Virginis asseverabant: Tertius verò exhibebat venerabilis, ac honesti viri speciem, & iuxta eum candidissimæ columbæ figuram, tali artificio delineatum, ut ad vivum exprimeret gloriosum Patriarcham S. Iosephũ, qui indicio cãdidæ columbæ in Sponsũ Serenissimæ Virginis fuit electus id est, mediante speciali præsentia Spiritus S. Vnde sæpiùs audiverũt voces huius Sanctæ, dum viveret, ita exclamantis: *O si sciretis vos, quod ego in corde meo gesto, & retineo* utiuã agnosceretis pretiosissimum thesaurum in corde meo reconditũ! In signum, & testimoniũ, inquit Author, referens hunc miraculosum rei eventum, reverentiæ, & amoris, quò prosequi debemus, & affici erga IESUM, MARIAM, & Iosephũ, ita ut non sufficiat nobis eos ore, & verbis collaudare, nisi etiam illos intimis cordium nostrorũ medullis insculptos habeamus: *Quo exemplo docuit, cordi Christum, Virginem, Iosephum sculpendum, nec nudis hæreant labris, hæreant cordi, medullitusque colantur & amentur*, inquit Doctus Novarrinus Vt autem res aliqua diligatur, necessum est ut prius cognoscatur: *Nihil volitum, quin præcognitum*, uti docent, & loquuntur Philosophorum rudimenta. Per totius anni discursum proponuntur vobis motiva, & rationes, ob quas ex toto corde, totis viribus, & tota mente vestra Christum Salvatorem, eiusq; Matrem SS. amare debetis. Hodierna dies singulariter deducatur ab Ecclesiæ laudibus, privilegiis, meritis, & heroicis virtutibus, Sponsi Deiparæ V. S. Ioseph encomiasticè prædicandis, ut prærogativam, & excellentiam eius præ cæteris sanctis veneremur, & toto cordis affectu devotè amemus, ardenter, tamquam singulari omnium patrono, serviamus. Verùm in ipso vestibulo huius Concionis quædã nõ minima se ingerit difficultas, videlicet quòd in celebrandis huiusce S. Patriarchæ encomiis, magis innitendum sit rationi, & humano discursui, quam sacræ Scripturæ testimoniis, quæ in hoc sicut & in reliquis, honorem, & dignitatẽ Matris Dei concernentibus, magnum servavit silentium, iudicans satis superq; se commendasse sacratissimam Virginem, asseverando illam fuisse Dei genetricem, ut ex principio humanæ rationis discursus fræna laxaret, liberiùs in laudes eius excurreret, eique audacter attribueret, quidquid rectæ rationis dictamen suggereret. Cum igitur sacratissima Virgo fuerit Sponsa S. Ioseph, & quòd verum inter eas matrimonium subsisterit, quemadmodum luculenter docent Theologi cum Angelico Doctore S. Thoma, sufficiat hoc ipsum humanæ curiositati, & ingeniorum perspicacitati, inquit S. Bernardinus Senensis, scire, & audire, ut nullas alias perquirat rationes, quàm quòd solummodo attentiùs perpendat, qualẽ, quantamque Deus contulerit sanctitatem homini, si fas est hominem appellare, quem elegit in sponsũ, & sociũ maximæ sanctitatis, & excellentissimæ puritatis, qua post Deũ nulla maior habetur, aut agnoscitur: *Quomodo cogitare potest*

Novar. hin. in Vml ra' virgines.

nardin. Senens. de S. Ioseph. *potest mens discreta, quod Spiritus sanctus tanta unione (coniugii scilicet) uniret tanta Virgini aliquam animam, nisi virtutum operatione simillimā.* Quapropter in dignitate Sponsi tantæ Virginis, omnes eius excellentiæ, & encomia, veluti compendio, continentur, & ex illa sumemus materiem omnium, quæ ad honorem, & gloriam ipsius dicturi sumus, innitentes tamen verbis S. Evangelii, quæ ita sonant: *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus;* sed hoc omnino exequi non poterimus, nisi divinæ gratiæ radio illustremur. Rogemus igitur Virginem beatissimam, quia institutum Concionis nostræ in ipsius laudem, & decorem redundabit, ut eam nobis impetret: & devinciamus illam nobis oratione Angelica, dicentes: *Ave Maria.*

CONSIDERATIO I.

Ioseph autem vir ejus, cum esset justus.

Prima dignitas Patriarchæ sancti Ioseph est quod fuerit verus Sponsus sacratissimæ Virginis & Matris Dei.

1. IN præambulo huius Considerationis prænotandum est, omnia, & singula, quæ SS. Patres in suis Homiliis, & Commentariis scribunt, & sacri Interpretes in suis Glossis dicunt, & Oratores Evangelici in laudem, & gloriam castissimi Sponsi S. Ioseph, prædicant, ad tria præcipua capita reduci, vel, ut ipsi loquuntur, ad tria privilegia, quibus hic illustrissimus Patriarcha mirifice fuit exornatus, & cæteris Sanctis prælatus; & hocce mysterium elucidant ex significatione sacri nominis *Ioseph*, quod, secundum interpretationem S. Bernardi, augmentum denotat, in confirmationem excellentiæ, & primatus eius, quo cæteris sanctis, sine æquali, etiam beatis, qui in cœlo æterna beatitudine perfruuntur, longe antecellit: *Quis, & qualis homo fuerit beatus Ioseph, conjice ex appellatione, & ex proprio vocabulo, quo i augmentum non dubites interpretari.* Prima autem eius prærogativa est, quod fuerit Sponsus beatissimæ Virginis Mariæ. Secunda, quod gavisus fuerit titulo, & nomine Patris, Christi Salvatoris. Tertia vero, quod quodammodo fuerit superior S. Virginis, imo & ipsius Salvatoris. Hæc tria puncta per singulas Considerationes accuratius enucleabimus, & juxta facultatem, seu vires ingenii nostri, enodabimus.

D. Bern. hom. 2. super Missus est.

2. His positis, aggredimur primæ dignitatis propositæ argumentum, & confirmationem. Indubitata est doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ, Deum, dum quempiam ad munus, officium, seu dignitatem aliquam eligit, eidem etiam communicare, seu præbere necessaria, ad illam rite obeundam: *Illos, quos Deus ad aliquid elegit, ita præparat, ac disponit, ut ad id, quod eliguntur, inveniantur idonei.* Et hac ratione probat S. Doctor dignitatem sacratissimæ Virginis, eiusque præstantissimam sanctitatem, quia enim electa fuit ad supremum officii, & dignitatis honorem, quo nec in cœlo nec in terra, quidquam excellentius dari poterat, etiam sanctitas eius eminentior fuit, sanctitate omnium creaturarum: *Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset Mater Dei, & ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam ad hoc idoneam reddiderit.* Ex hoc eodem principio, Auditores, colligo ego virtutem heroicam, & eminentem sanctitatem gloriosissimi Patriarchæ S. Iosephi, castissimi Sponsi eiusdem cœlorum Reginæ; si namque Deus providet, & disponit unumquemque, ut officio obeundo idoneum reddat, & S. Ioseph fuerit electus ad hoc supremæ dignitatis ministerium, ut foret Sponsus Matris Dei, defensor, & custos Virginei pudoris eius, Nutritius Principis cœlorum, & Pater eius putativus in terris, cogitate quæ, & quanta fuerint merita, virtutes, & sanctitatis eius prærogativæ? Non dico quidem sanctimoniam eius excellentiæ, privilegio sanctissimæ Sponsæ eius fuisse parem, aut prorsus æqualem. perspicuum tamen, neque in dubium vocari potest, quin inter illos aliqualis, licet non omnimoda, fuerit morum æqualitas, Sponsus enim tali Sponsa dignus, videtur exigere paritatem, & assimilationem aliquam cum illa.

D. Thom. 3. p. q. 27. art. 4.

Memini hic, & recordor magni illius prodigii, quod sacer Chronicus Ioannes in sua Apocalypsi se in cœlo vidisse testatur: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim,* id est, vidi mulierem formosam; pallio gloriæ amictam, nimirum radiis Solis circumdatam, habentem Lunam sub pedibus, & caput diademate stellarum duodecim exornatum. Investigant sacri Interpretes, quæ, qualisve fuerit hæc mulier tot ornamentis ita cumulate dotata? Et communiter respondent eam esse Ecclesiam Dei Sponsam. Attamen urget ratio dubitandi, qui ergo apparet tanto lumine adornata? tot splendoribus Solis circumdata? Nonne sufficeret ad decorem, & ornatum eius sola Luna, 3.

Apocal. 12. v. 1.

 vel

vel solæ refulgentes stellæ? Quorsum ergo tot ornamentorum genera, ut quid Sol, Luna, cæteraque cœli sidera eius decori, & ornatui adhibentur? Nonne animadvertitis, inquit venerabilis Beda, quot, & quam præclara monilia, & ornamenta secum deferat, dum ad nuptias cum divino Sponso ineundas procedit: *In terra Filius Dei venit ad nuptias, ut ipsum se esse doceret, de quo sub typo Solis Psalmista ait: in Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo.* Ac si apertius diceret, merito apparet luce splendida, & vario ornatu excolta, illa, cuius etiam Sponsus amictus est lumine, sicut vestimento, & qui fixit tabernaculum quietis suæ in splendore Solis. Talem decebat esse notam cohortalem, seu vestem Sponsæ, ut Sponso suo divino æqualis, & in vestitu uniformis appareret, ad denotandum animorum concordiam, & voluntatum utriusque uniformitatem Alludit S Doctor ad consuetudinem desponsatorum, qui ad exprimendū mutuū amorem, eisdem vestimētis induti in medium procedere consueverunt.

Beda in Ioannem annot. 2.

4. Ego autem insistens opinioni gravissimorum Authorum, nempe S. Bernardi, Aretæ, Hugonis Cardinalis, Bernardini de Bustis, & aliorum affirmantium, Mulierem illam tam multiplici ornatu decoram, significare sanctissimam Virginem Deiparam, & splendores lucis, quibus exterius est circumdata, denotare gratias, & virtutes, quibus anima eius benedicta opulenter est interius ditata: constanter assevero, ex omni illo exteriori apparatu, & splendida illa ostentatione colligi manifeste gratias, & perfectiones sanctissimi sui Sponsi Ioseph. Et Philosophando cum jam præfato Bernardino, arbitror, & existimo, omnipotentem Deum, postquam tot inæstimabilibus ornamentis virtutum excoluerat sacratissimam Virginem, & eam singularibus donis cœlestibus, nulli alteri creaturæ concessis, illustraverat, voluisse eisdem donis, & virtutum ornamentis condecorare gloriosissimum Sponsum eius Iosephum, ad ostendendum, quam similes essent animæ amborum, quam conformes utriusque voluntates in amore, & virtutum exercitio: Ea propter proprie illis accommodari potest, id, quod de Ecclesia, respectu Sponsi [illegible] antiquus, & venerabilis Beda dixit: [illegible] *Filius Dei venit ad nuptias, ut* [illegible] *ret, de quo sub typo Solis* [illegible] *Sole posuit tabernaculum* [illegible]

Psal. 18. v. 5.

quam Sponsus procedens de thalamo suo. 5.

Suppono tamquam indubitatum, & certum, id; quod sacræ Historiæ enarrant, videlicet, quod completis tredecim annis ætatis V. Mariæ, & jam decimo quarto inchoato, summus Sacerdos eam rogaverit (juxta morem, & consuetudinem puellarū Hebræarum, quæ se servitio Templi dedicabat usque ad tempus nuptiarum, aut matrimonii) ut Sponsum, & maritum sibi eligeret, quod inter illos erat magis laudabile, quam virginitatem colere, propter spem, & fiduciam, quam habebant, quod aliqua mulier ex familia, & progenie esset editura fœlicissimum illum partum Messiæ, jam dudum in lege antiqua promissi: Respondit sancta puellula summo Sacerdoti, se esse Virginem, & quidem voto obstrictam ad perpetuam Virginitatem Deo illibatam servandam, eique se in omnibus eodem voto consecrasse. Anxius, & dubius summus Sacerdos, nescius rei, aut mysterii, rogavit Deum, ut suam ei panderet voluntatem, & orantibus omnibus, prodiit vox, ex intimis penetralibus oraculi, quæ palam dicebat: Perquirantur ante altare, omnes viri familiæ David cælibes seu innupti cum virgulis siccis, & aridis in manibus, & cuius virga floruerit ante altare, illam eligebat Deus in Sponsum illius puellæ, ideque dederunt Mariæ, in maritum, & Sponsum. Congregantur omnes de familia Iesse ante altare Domini, juxta præscriptum oraculi anhelant omnes, & mille votis, & desideriis expectant singuli dandam sibi Sponsam tot virtutum dotibus adornatam, tantæ sanctitatis prærogativa conspicuam. Contigit autem quod cum Ioseph omnium abjectissimus, & humillimus in oculis suis, reputaret se omnino tali Sponsa indignum, miraculose virga eius effloruerit. Imo refert Ludolphus Carthusianus, Sanctum Ioseph viso aridæ virgæ reflorescentis miraculo, vehementer fuisse consternatum, & subiungunt alii, quos refert Surius, & ante omnes S Eustachius Martyr, descendisse columbam candidam, eiusq; virgæ inter flores insedisse. Quo indicio designavit eum Deus inter cæteros, & in Sponsum Mariæ sibi elegit. Ponderat Isidorus Mediolanensis, quod si, quēadmodum congregati fuerunt omnes progenati familiæ David, fuissent convocati omnes homines, quos Deus creavit ab Adamo, [illegible] modo, & ex nunc usque ad finem sæcu[illegible] [illegible] solummodo floreret virga Io[illegible] [illegible] Deus eligeret patrem, & Spo-

Pennafiel atat. 3. c. 2 para 3.

Ludolph.

Surius tom 6. Eustach. citat à Novar. in Umb. Virgin. Lib. 2. [illegible]

Sponsum Mariæ; rationem autem subiungit, quia ab æterno, in sua divina prædestinatione, & electione, Deus eum prædestinauerat inter cæteros filios Adæ, Patrem putativum Christi, & Sponsum Deiparæ Virginis constituerat.

6. Hisce tam miraculosis indicijs, & demonstrationibus voluit Deus propalare innocentiam, & sanctitatem animæ Ioseph, simillimam animæ Sponsæ suæ amantissimæ, & docere eam esse columbam sine felle peccati, quemadmodum illa erat. Accipite insignem locum ex Canticis, cui quæ attentius perpendite: *Vna est columba mea, perfecta mea,* ait Sponsus diuini amoris de beata Virgine Sponsa sua: *Vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Vocat eam columbam & perfectam, sicuti est una sibi, etiam unam fuisse Matris suæ. Profundè scrutans mysterium huius S. Gregorius Nyssenus, ita disseruit; si columba est, ergò necessariò alterius columbæ filia, sicuti enim homo nascitur ex homine, & quodlibet animal ex suo simili, & eiusdem speciei, ita etiam columba procul dubio, ex columba nasci debet: *Cùm electa huius Matrem quærimus, non aliam quamdam, sed columbam esse intelligimus.* Bene quidem dictum! sed investigandum superest, ex qua columba nata fuerat S. Virgo? Audite eundem S. Gregorium respondentem: *Cum filia columba sit, omninò etiam mater huius est columba illa, quæ de cœlo ad Iordanem advolauit.* Vultis scire, ex qua columba prodierit? recurrite ad Spiritum sanctum, qui in specie columbæ apud aquas Iordanis descendit super Christum Salvatorem nostrum. *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Huius igitur columbæ filia fuit Virgo sacratissima, quia ad similitudinem Adami, quamvis maiori cum perfectione propter summam nobilitatem suam, accepit suum esse, cum principijs gratiæ, quam Spiritus sanctus, vera columba sanctificans, ei largissimè communicauit: *Vna est columba mea,* ideircò eam appellat: *Perfecta mea,* quia, ut esset columba singularis filia Spiritus sancti, omnimodam debebat habere perfectionem, quam nullo umquam tempore alicuius defectus aut imperfectionis ream arguere possent: *Columba mea, perfecta mea.* Pari prorsùs modo ab Iolophanduum est de glorioso Patriarcha nostro Ioseph, super quem etiam dicere possumus, descendisse Spiritum sanctum in specie columbæ, ad insinuandum fidelissimum illum Mariæ Sponsum, etiam esse filium columbæ, id est, filium suum. Imò etiam electus fuit ex melioribus totius familiæ Davidicæ, quinimò ex omnibus totius mundi hominibus, quapropter Ecclesia de illo interpretatur in officio Missæ, verba illa Scripturæ: *Elegit eum ex omni carne,* serenissima virgo *electa* inter cæteras, & Sponsus eius, electus inter cæteros, *Elegit eum,* illa columba filia Spiritus sancti, Ioseph itidem filius eiusdem Spiritus diuini.

7. Propterea asseruit doctissimus Gerson hos duos coniuges, Mariam & Ioseph, non solum purissimas fuisse Virgines, sed Mariam fuisse conceptam in gratia, & Iosephum in utero matris suæ sanctificatum: *Sicut decuit, ut virgo summa puritate niteret, sic decuit ut haberet suo modo parem Sponsum purissimum, qui cum perpetua Virgine, Virgo permaneret. &c. Ioseph sanctificationem in utero recipiens, cum Maria plena gratia fomitem reprimente, mansit Ioseph repletus gratia, peccatum mortale quodlibet superante.* Scio quidem aliquos dixisse, Gersonem sola devotione permotum erga hunc Sanctum, ita locutum fuisse; certum tamen est tantum Doctorem non abs re, & fundamento id asseverasse. Vna ex his rationibus, quibus probat Angelicus noster Doctor S. Thomas loco iam anteà citato, beatam Virginem nullum habuisse peccatum, est hæc, quòd alioquin non fuisset digna mater Dei, si peccatum admisisset: *Non autem fuisset idonea Mater Dei si peccasset aliquando.* Et quia etiam gloria parentum redundat in gloriã, & honorem filiorum, quia non minimum decus est, bonis parentibus esse progenitum: *Tum quia honor parentum,* inquit Angelicus Præceptor, *redundat in prolem, secundum illud Proverbiorum: Gloria filiorum Patres eorum;* ideò prudenter philosophatus est doctissimus Cancellarius Parisiensis, quia congruebat honori Salvatoris Christi, ut maximam ille haberet gratiam, & sanctitatem, qui pater eius erat reputandus. Et si beata Virgo, teste S. Petro Chrysologo, fuerit seminarium, & collegium totius sanctitatis, *Collegium sanctitatis,* & suffragante S. Petro Damiano, virtutum omnium Conventus: *In illa virtutum Conventus, reverendum sibi thalamum consecrauit,* quia in illam prodiga liberalitate Deus contulit omnes virtutes, iuxta illud Ecclesiastici: *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Idem prorsùs fuit factum in castissimo eius Sponso, nam hoc mysterium advertit S. Chrysostomus in verbo illo, *Iustus.* verba eius sunt hæc: *Hoc enim nomen iustus, consuevimus*

Marginal notes: Cant. 6. v. 8. — D. Greg. Nyssenus in Cant. — Matth. 3. v. 16. — Eccles. 45. v. 4. — Gerson. serm. de Nativit. B. Mariæ — D. Thom. ubi suprà — Prov. 17. v. 6. — D. Petr. Chrysol. serm. 140. — D. Petr. Damian. serm. de Assumptione. — Eccles. 24. v. 25. — D. Chrysost. hom. 22. in Genes.

vimus dicere de his, *qui omnigenam exercent virtutem. Iustus enim hac appellatione, omnem virtutem complectitur*; hoc est, nomen *Iustus*, omnes virtutes comprehendit, cumque Ioseph sit omnibus adornatus, palàm fit, illum esse quodammodo Sponsæ suæ sacratissimæ similem, & æqualem.

8. Coronemus hanc doctrinam insigni quodam acumine nostri Cardinalis Hugonis, qui accuratè perscrutans intima huius nominis, Ioseph, asserit illud magnum denotare mysterium: *Magnum quidem latet in hoc nomine mysterium*; ad declarandum autem, quale id sit arcanum, obseruat S. Bernardus, quatuor in sacris Litteris reperiri viros illustres, & celebres, qui hoc nomine claruerunt: primus fuit Patriarcha Ioseph, filius Iacob: secundus Ioseph Sponsus beatæ Virginis: tertius Ioseph ab Arimathæa: & tandem quartus Ioseph iustus, uti ex Actis Apostolorum manifestè constat. Primus præcessit Christum, tamquam symbolum, & figura, secundus fuit tutor & nutritius Christi; tertius sepeliuit Christum; quartus verò resurrectionis Dominicæ certissimum præbuit testimonium. In primo eminuit Prudentia, prudentissimè siquidem, & verissimè arcana illa Pharaonis somnia explicuit, & revelauit. In secundo floruit Temperantia, quia continens, & castissimus fuit cum Sponsa sua B. Virgine. In tertio primas habuit fortitudo, quia intrepido animi robore accessit Pilatum, & audacter petijt ab eo corpus Redemptoris sepeliendum. In quarto autem eluxit Iustitia, quapropter etiam iustus indigitatur. Ex quibus Hugo Cardinalis hanc infert consequentiam: *Tale igitur debuit habere nomen, Sponsus Virginis, in quo inveniretur mysterium omnis virtutis*. Plusquam decens fuit, ut nomen Sponsi serenissimæ Virginis omnes virtutes complecteretur Cardinales, Prudentiam, videlicèt, Temperantiam, Fortitudinem, & Iustitiam. Et ideò SS. nostri Patres Albertus, & Antoninus adverterunt nomen illud, *Vir*, non denotare ætatem, aut sexum, sed virtutem omnigenam: *Non ergò, vir notat sexum, vel ætatem, sed virtutem*. Fuit S. Ioseph vir propter constantiam fidelitatis, quæ pertinet ad Iustitiam, propter virtutem castitatis, quæ spectat ad Temperantiam, propter excellentiam discretionis, quæ reducitur ad Prudentiam, & propter constantiam in operando, quam virtus Fortitudinis complectitur: *Et sic vir hic*, inquit S. Archiantistes Florentinus, *dicitur à virtute, quia excellenter habuit virtutes Cardinales*. Atque ideò vocatur Ioseph propter virtutes, quas in gradu excellentiori habuit, in quatuor Iosephis adumbratas, & convenientissimum fuit, ut Sponsus Virginis hocce nomine insigniretur, quia habuit virtutes illorum, qui eas possederunt: *Ioseph autem vir eius*, fuitque totum necessarium, quia futurus erat Sponsus Reginæ omnium virtutum, quod munus supremam postulabat sanctitatem.

Hugo Card. hic

D. Bern. apud Hugon.

D. Albert Magn. hic.

D. Antoninus hic

Sit appendix huius nostri discursus, id, quod aliqui Contemplativi animadverterunt, nempè, Sanctum nostrum, quia Sponsus fuit Reginæ Angelorum, familiarissimè usum fuisse alloquio & conversatione dulcissimæ Sponsæ suæ, & sæpissimè Iesulum, verbum æterni Patris incarnatum, inter ulnas suas amplexatum; & ex his colligunt prærogativas gratiarum, & augmenta virtutum illius. Si enim, dum desponsatus fuit cum illa, tot & tantis eminebat sanctitatis, & virtutum ornamentis, ut nominaretur filius accrescens sanctitate; ecquas dotes, & cœlestia dona, ex tam familiari contubernio sibi non comparauit? Evangelici quidam Oratores, huius illustrissimi Patriarchæ laudes, & encomia prædicantes, accommodant illi celeberrimam illam benedictionem, quam Moyses iam moribundus Ioseph filio Patriarchæ Iacob Impertiuit, qui fuit Sancti nostri expressissimum symbolum, & figura, uti curiosè obseruauit mellifluus Doctor S. Bernardus. Verba vaticinantis Prophetæ hæc sunt: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph*. Si libuerit profundiùs perscrutari, quæ, & qualis fuerit benedictio, quam Dominus impertiuit rubo, in quo apparebat; satisfaciet curiositati nostræ mellifluus Doctor, & dicet nobis fuisse incombustibilitatem, qua cum Deus donauit, ne ardens combureretur, vera repræsentatio integerrimæ Virginitatis Marianæ, uti declaratio S. Ecclesiæ attestatur in verbis illis crebrò repetitis: *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem*. Hanc igitur eamdem benedictionem prædixit Moyses superventuram, sicut reapse venit super caput sanctissimi Ioseph, ut in omnibus diuinæ suæ Sponsæ simillimus esset, & cum illa servaret illæsam virginitatem, &, ut ambo cohabitantes absque ullo castitatis detrimento, inviolabiliter promisso, seu perpetuæ virginitatis voto satisfacerent, quemadmodum fusius Angelicus noster Doctor S. Thomas describit. Non reprobo hanc doctrinam, propter authori- 9.

D. Bern. hom. 2. super Missus est.

Deut. 33. v. 16.

D. Bern. serm super verba Apocal. 12. Signum magnum

D. Thom. 3 p. q. 29. art. 1. ad 1

authoritatem docentis, sed aliam magis novam inquirere debemus ad confirmandum discursus nostri institutum ad quod probandum occurrit memoriæ insignis quædam Authoris historiæ scholasticæ observatio, quam, ut memini, alia occasione ponderavimus. Dicit itaque hic doctor, quod quando rubus arsit, *Omnes vicinæ plantæ parili virore vernabant.* id est, omnes plantæ ex eminēti illa propinquitate juxta rubum plantatæ, novam induerunt claritatem & splendorem, neque ulla fuit inter eas, quæ non appareret lapis pretiosus stella rutilās, aut radius Solis, quia omnes coram rubo locatæ abundantius radiorum emissiones suscipiebant, & tamquam splendoris principio proximæ, jugiter, & familiares claritatem recipiebant copiosiorem & lucidiorem. Omnes ad æmulationem illuminabant, & quasi per contētionem splendebant, ita ut etiam insensibiles creaturæ ex sola vicinitate cum Deo, & matre ejus dumtaxat præfigurata, singularem receperunt gratiam, & divinam ejus participaverint pulchritudinem & decorem, quanto igitur admirabiliores effectus erat causatura præsentia sacratissimæ Virginis, imò & ipsius Verbi incarnati, pretiosissimi ejus Filii, non in creaturis insensibilibus, sed intellectualibus divinæ gratiæ & donorum cœlestium capacibus & idoneis? Notissima est illa Angelici Doctoris doctrina, in qua docet beatos Apostolos maximos fuisse totius mundi Sanctos, quia propinquius Christo Domino fuerunt conjuncti & familiares, &, qui proximior est igni, magis se calefacit, qui vicinior est fonti, limpidius bibit, & propinquior luci splendidius irradiatur. Secundum hanc Angelici Doctoris doctrinam, cuinus æquiparari potest sanctissimo Sponso Virginis Ioseph? Et quia nemo adeò propinquus aut vicinus fuit scaturigini, & fonti gratiarum: *Erit fons patens domui David* procul dubio, non primis labiis, sed pleno ore, abundātius ex illo potavit, & inebriatus est, & forsitan hoc mysterium denotavit Sanctus Evangelista, ex industria dicens Josephum fuisse de domo David, illum videlicet, qui copiosiùs ex fonte esset bibiturus. Nullus umquam intimius penetravit thesauros Dei, juxta illud Sapientis: *Infinitus thesaurus est hominibus*, nemo ditior, aut opulentior illo, nemo, inquam illo vicinior igni ardenti, qui cuncta digerit, & in se transformat: *Ipse enim quasi ignis conflans*, nullus ardentior illo, aut exæstuantior igne charitatis. O ter quaterque, ô millies beata Iosephi anima! quæ tot annis meruit conversari cum Maria, & Iesu, eorumque dulcissimo frui consortio! ô quam donis spiritualibus cumulata remansit! haud dubiè maxima virtutum incremēta, cum maxima gratię plenitudine fuerunt ei concessa, & largiter communicata.

Petr. Comestor.

D. Thom. 1. 2. q. 106. art. 4.

Zachar. 13. v. 1.

Sapient. 7. v. 14.

Malachiæ 3. v. 2.

10. Quoties, inquit dulcissimus Bernardus, brachijs suis strinxit amantissimum puerulum Iesum, & ulnis suis eum amplexus est, milleno eum blandicijs recreans: *Arbitror & Iosephum virum Mariæ super genua sæpius illi arrisisse.* O quibus tunc sanctissimi Ioseph non solùm sanguis, sed etiam cor intimum, fibræ, ossa & medullæ amoris incrementis inflammabantur! Ioseph totus & fixis oculis dilectissimum Iesum aspiciebat, & eum vicissim blandiente pupilla amantissimus filius intuebatur. O quàm subtiles quàm frequentes erant amoris radii, quos Iesu, cor illud amantissimum in viscera patris emittebat, non solum aspectu per oculos, sed etiam ore mellito & sacratissimo per oscula tenerrima O animam immensa charitate medullitus inflammatam! Accedit huc appositè alia quædam benedictio, quam Moyses Benjamino apprecatur. *Benjamin amantissimus Domini, habitabit in eo confidenter, &c. inter humeros eius requiescet.* Tanto amoris privilegio dilexit Dominus Tribum Benjamin, ut in ea fixerit domicilium suum, & cubile quietis suæ collocaverit. Varias sacrarum litterarum Interpretes assignant huic loco explicationes. Inter cæteros autem omnium optimè ad Litteram eum exponit nominatissimus noster Lusitanus Oleaster, qui dicit hanc benedictionē obtigisse Benjamino, & hac fœlicissima sorte illum fuisse dotatam, quia in terra ejus situs erat mons Moria, in quo ædificatum fuit splendidissimum illud Templum, & locus quietis Dei, juxta illud Isaiæ vaticinium: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ.* Verba autem Oleastri sunt sequentia. *Nam in Ierusalem, quæ pro sui parte pertinebat ad Tribum Beniamin, erat Templum Domini.* Ac proinde requiescere inter humeros ejus, duplicem potest reddere sensum: vel quod Deus requiesceret inter brachia illius Tribûs, quia habitatores ejus vicini, & proximi Templo, illud custodiebant, vel quod Benjamin esset habiturus requiem suam in brachijs Dei, eò quod assistentia & prętentia Dei in Templo eum protegeret & defenderet, ita ut omninò Benjamin securus requiesceret: *Habitabit*

D. Bern. serm. 43. in Cantica.

Deuter. 33. v. 12.

Isaia 66. v. 1.

Oleaster hic suprà.

habitabit confidenter iuxta eum, inquit Oleaster, *scilicet Dominum, id est. Templum, vel habitabit Dominus inter humeros eius; quoniam fortè terra Beniamin erat ab utroque latere templi, aut templum in terra eius.* Verificetur hoc vaticinium de Joseph filio Iacob, per me licet, quia non est inconveniens eamdem litteram duplicem admittere significationem litteralem sed magis genuinè possunt explicari hæc verba de glorioso nostro Patriarcha, Benjamin amantissimo Dei, quam de alio veteris legis Patriarcha, quod enim in illo fuit metaphora & allegoria, in nostro est veritas & figuratum. Hic namque fuit amantissimus Dei, & singulari ejus favore condecoratus, quia inter humeros ejus puer Iesus, Deus homo factus requievit: *Inter humeros eius requiescet.* Imo & ipsemet Sanctus brachiis divini Infantis seipsum amplexabatur, & dulcissimam in brachiolis illis quietem experiebatur; naturale enim est parvulis infantibus, dum parentum stringuntur brachiis, reciproco amore eos vicissim brachiolis suis amplecti. Cui sanctorum, nisi sacratissimæ Virgini, tam singulare umquam cœlum præstitit favoris privilegium? Ecquæ dona? Ecquas gratias, quasque perfectiones non habet hic divinus *Benjamin*, qui tam fœlici sorte fuit donatus? Omnia ipsi ex matrimonio, & titulo Sponsi sanctissimæ Virginis, & Matris Dei, abundantissimè promanarunt. *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus.*

Joseph autem vir ejus, &c.

CONSIDERATIO II.

Fuit singulare privilegium sancti Iosephi, vocari pater Christi, & talis passim reputari.

1. POssumus definire secundum rarissimæ & eximiæ sanctitatis ejus motivum ex publico testimonio, quo absque nausea & scrupulo passim Pater Christi Salvatoris indigitatur ex quo enim erat sponsus virginis, ille titulus & nomen ei competebat: at patitur instantiam hæc doctrina, quia omnibus rectè perpensis, congruentius & conformius rectæ rationi foret, si Christus Spiritus sancti filius nuncuparetur, ipse etenim in utero purissimo sacratissimæ Virginis, vices Patris supplevit, & beatissimam virginem fæcundavit: *Conceptus est, de Spiritu sancto*, cui etiam suffragatur illud Evangelij: quod enim *in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Probè quidem novi Theologos cum Doctore Angelico S. Thoma, & S. Augustino ad hoc respondere, titulum Patris non competere Spiritui sancto, cum enim, ut unus alterius sit pater, necessarium sit ut ambo similes in natura existant. Spiritus autem Sanctus, & Christus secundum humanam naturam, sint adeò dissimiles, sequitur per formalem consequentiam, quod Spiritus sanctus non sit, nec queat pater Christi nuncupari. Bellè philosophatum! sed urgeamus paululum, & promoveamus hanc doctrinam Ecquis igitur gaudebit titulo, ad quem Spiritus sanctus habet jus, & tamen non consequitur illum? Quis inquam tali donabitur honore? S. Ioseph. Vocetur igitur secunda persona sanctissimæ Trinitatis filius Ioseph, succedat ille in locum Spiritus sancti, & gaudeat Ioseph hoc cognomento, quamvis enim non sit pater ejus naturalis (quem nullum habuit in terris) saltem sit putativus, legalis & adoptivuus Dei genitricis maritus verè legitimus. D.Thom. 1.p.q.27. a.2. in corpore.

2. Neque existimetis Auditores, quod in hoc particulari successerit S. Ioseph in locum Spiritus sancti, quia & in alio ministerio vices ejus obivit Dum nascitur princeps aliquis, statim illi præfectus aut nutricius ex magnatibus aliquis deputatur, eiusque curæ & clientelæ committitur, & quia Christus erat persona divina, datus fuit ei in tutorem Spiritus sanctus, etiam persona divina. Ipse fœcundavit, uti diximus, beatissimam Virginem, verùm nascente Cristo, videtur hoc munus nutricii abdicasse, & Sancto Iosepho commendasse, diligenter enim animadvertendum est, quod in toto tempore infantiæ Christi nusquam nominetur Spiritus Sanctus, neque umquam clara ejus mentio fiat in Evangelica Historia, quousque Dominus jam esset triginta annorum, apparuit columba super caput ejus, & posteà comitans eum duxit in desertum: *Ductus est in desertum à spiritu.* Idque forsitan ideò, nisi me fallat cogitatio, quia dum Ioseph fungeretur officio nutricij visibilis, & curaret parvulum infantem, voluit latere Spiritus sanctus, noluitque apparere, quo pacto magis honoraret Iosephum. Mortuus est Ioseph, secundùm opinionem communiorem sanctorum Patrum, antequam Salvator mundi suam exordiretur prædicationem, & defuncto jam Patre nutricio denuò Matth.3. Matth.4. v.1.

denuò cœpit Spiritus sanctus nominari. Videntur sanè hebdomadales vicarij Spiritus sanctus, & Ioseph in ministerio Regis gloriæ. Mansit diu Moyses in monte familiariter colloquens Deo, & videns populus quod tantam protraheret moram, tantæ absentiæ impatiens, venerunt congregatim ad Aaronem, dicentes:
Exod. 32. v. 1. *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit ei* Da nobis Deos ductores, quia absque Deo progredi nequimus de Moyse enim nescimus, quid Deus egerit, tot enim diebus à nobis recessit, nec redeuntem videmus. Doctissimus Abulensis ponderans hunc libellum supplicem populi Israëlitici summo Sacerdoti porrectum, ingeniosè advertit, quod consultiùs petiissent Israëlitæ alium Ducem substitutum, aut successorem Moysis, qui eos duxisset, quam quod tam absurdam petitionem obtulerint Sacerdoti, & loco Moysis Deos postulaverint duces ad terram Promissionis. Verùm appositè respondet Abulensis ad rem nostram, Israëlitas æqua ratione permotos, non petiisse hominem aliquē, sed Deum, vel Deos vicarios Moysis, quia in tāto pretio eum habebant, tantiq; æstimabāt vitæ ejus sanctitatem, & suavem prudentiam ejus in regendo, ut sibi certò persuaserint, nullum inter homines reperiendum, qui mereretur vice ejus fungi, nisi foret ipsemet Deus:
Abulens. hic quæst. 9. *Nullus talis, ut Moyses videbatur in veniendus. Visum ergo fuit eis quod nullum sufficientem directorem habere poterant, nisi Deus esset.* Sit quidquid libuerit, de Moyse, animadverto ego idem prorsùs quoad effectum reperiri in glorioso nostro Sancto Ioseph adimpletum, & verificatum, quia non invenit alium ipso digniorem, qui cum Spiritu sancto vices alternaret in obsequioso ministerio Verbi incarnati, quapropter statim, defuncto nostro Sancto, succedit in locum & vices ejus ipsemet Deus, argumentum evidens, quod solus Deus sit potens vices absentiæ ejus supplere.

3. Non est minùs excellens id, quod in laudem & encomium hujus Sancti refert doctus quidam Commentator Proverbiorum ex sancto Laurentio Iustiniano, nimirùm sacratissimam Virginem duos habuisse Sponsos, Spiritum sanctum, & Iosephum, & illos, *Officia inter se sic partitos fuisse, ut cura, & custodia corporis ad Iosephum pertineret, animi*
Salazar. ad c. 31. Proverb.

autem curam & custodiam Spiritus S. sibi sumeret. Diviserunt inter se hi duo Sponsi Virginis œconomiam Principis æternitatum, unus, putà S. Ioseph, quidquid corporis necessitatem concernebat, accuratè sollicitabat; alius verò, Spiritus sanctus, ad animæ perfectionem sedulò exequebatur, quisque suo muneri diligenter invigilabat Imò ut hic modernus Doctor existimat, contendebant hi duo Spōsi, quasi ad æmulationem, uter eorum plus in ministerio suo diligentia, & sollicitudine excelleret, ad obsequēdum & placendum in omnibus Sponsæ suæ, ejusque filio amantissimo. Conformiter ad hæc interpretatur præfatus commentator verba illa Prophetica Patriarchæ Iacob, Filio suo Ioseph dicta: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens,* juxta interpretationem Septuaginta, qui ita transferunt: *Filius zelotes Ioseph, filius zelotes,* quam benedictionem Authores relati de Sancto nostro sunt interpretati. Bis zelotes, duplex fuit zelus Iosephi, unus zelus activus, & alter passivus, unus quo Spiritum sanctum ad æmulationem provocabat, & alter quo ipse dolebat seà Spiritu Sancto præveniri & superari, quasi inter eos omnimoda fuisset paritas & similitudo, cùm tamen solo officio ministrandi essent æquales.

in illis verbis: Confidit in ea cor viri sui.

4. Fateor quidem, longa fuit hæc digressio, sed cùm ad solos tres discursus reducamus omnia, quæ Authores latè & fusè ad honorem hujus inclyti Patriarchæ excogitarunt, facilè nobis indulgebitur. Et redeundo ad ea, quæ dicebamus de nomine & titulo Patris Filij Dei, quo exornatus fuit hic illustrissimus Sanctus, ajo, & affirmo hunc titulum esse adeò eminentem, dignitatem adeò sublimem, ut nullus, quantumcunque perfectus, hactenus eam promeruerit, quæ soli S. Iosepho tamquam singulare beneficium, & privilegium fuit concessa. Valdè egregia est observatio Sancti Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, qui solito ingenii sui acumine adnotavit, quod quando in lege veteri dicitur Deus locutus fuisse Patriarchis, & Prophetis, Abrahamo, Isaac, Jacob, & Moysi, non fuisse veram personam ipsius Dei, quæ loquebatur, sed communiter fuisse Angelum aliquem legatum, seu destinatum, qui nomine ipsius Dei descendebat, & Dei decreta pandebat, ejusque verba referebat, & quamvis aliquando affirmaret: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Iacob*, hoc ideò

idcò verum erat, quia ad hoc ministerium electus erat à Deo, & vices ejus obibat. Veruntamen addit sanctus Ravennas, quando in Iordane, dum baptizaretur Christus à Ioanne præcursore suo, & in monte Thabor, quando transfigurato Christo, in gloria audita est vox, quæ illi testimonium perhibuit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Tunc ipsanimet personam Patris protulisse verba illa, sine interventu alicujus Angeli. *Ipse fuit testis Filii, ipse assertor assistit. hoc est Filius meus dilectus, quia alterum, qui testimonium diceret, non habebat. Testem generatio nescit divina, ipso Filio dicente: Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem, quis novit nisi Filius.* Quia (ita interpretor verba sancti Archiepiscopi) titulus tam gloriosus, dignitas tam excelsa, & sublimis, ne quidem sustinendo, aut supplendo vices Patris, ullatenus fuit ore seu lingua Angeli promenda, aut explicanda. Igitur, ô sanctissime Ioseph, quod Angeli ne quidem pro brevi temporis spatio promeruerunt, tibi tam liberaliter conceditur, ut jure quasi hæreditario ad vitam eo titulo, & nomine gauderes, & publico præconio Pater Christi nuncupareris.

Matth 3. v 17. D. Petr. Chrysol. Serm. 138. qui est 3 de adorat. Magor.

5. Quod nomen magis honorificum, & excellens est, quàm illud, quod Pater æternus Filio suo incarnato imposuit: *Vocabitur pater futuri seculi,* inquit Evangelicus Propheta Isaias: sanctum autem Iosephum nominat Patrem Christi. Attentius quæso, considerate quale & quantum sit discrimen inter mundum, & Christum, & quantò excellentior sit Christus sæculo; seu mundo? tanta igitur est differentia, inter vocari Patrem futuri sæculi, & dici patrem Christi. At dicet quispiam, hoc nomen ipsi fuisse impositum ab ignorantibus mysterium, scilicet à rudi & indocta plebe, seu vulgo. *Vt putabatur Filius Ioseph.* Verum hæc objectio nullam habet vim, neque enervat, aut diminuit excellentiam nostri Patriarchæ, quia etiam optimè instructus de mysterio, illud ipsum nomen ei attribuit, Spiritus namque sanctus loquens per os Sponsæ suæ, eum Patrem Christi appellavit: *Pater tuus & ego dolentes &c.* & loquens per calamos Evangelistarum, voluit etiam scripto nomen illud propalari: *Cùm inducerent puerum Iesum parentes ejus,* & alio in loco, erant *Pater ejus, & mater mirantes* Ac si diceret, nomen illud Patris Christi non solummodo esse natum ex opinione, & ignorantia vulgi, quod mysterium, & arcanum Incarnationis ignorabat, quia etiam ipsemet Author operis, & Incarnationis idipsum illi attribuit. Imo addit magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus, non fuit dumtaxat Pater Christi putativus, secundum opinionem hominum, sed etiam fuit verè Pater adoptivus & legalis Christi, quem sibi filium verè adoptavit. Quod autem Angelus dicat per S. Lucam, quod foret Filius Dei, & per S. Matthæum id, quod ex ea natum est, de Spiritu sancto est, non obstat, quia S. Ioseph per adoptionem illum fecit filium suum, & quamquam non foret filius ejus adoptivus, sufficeret, eum esse filium Sponsæ Josephi, ut *jure conjugii* diceretur verè filius Ioseph, juxta præceptum, & institutionem juris ad hoc intentum relatum à docto Pennafiel, quæ ita sonat: *Quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, sub illius cadit dominium, cujus est* Ea propter terra virginalis Mariæ, cum jure maritali, seu conjugii pertineret ad Iosephum, tametsi opus fuerit Spiritus Sancti *Quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est,* propter allegatam tamen regulam juris, debebat esse Filius ejus, & ad eum pertinere, quidquid ex illa nasceretur: *Quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, sub illius dominium cadit, cujus est.* Neque defuit ingeniosus Author, & non infimæ quidem notæ, qui ausus fuit dicere Spiritum Sanctum, vocando Iosephum Patrem Redemptoris, altius quidpiam voluisse insinuare, nempe, quod si elegisset Patrem in terris, quemadmodum elegit Matrem, nullus majori merito, aut justiori titulo talem dignitatem fuisset promeritus, quam Ioseph, ad modum, quo Theologia docet beatam Virginem promeruisse dignitatem maternitatis Dei, videlicet, de congruo, postquam Deus jam decreverat eligere Matrem in terris. Quemadmodum ergò beata Virgo hocce modo promeruit esse Mater Dei, & nulla alia creatura, ita etiam si Deus decrevisset eligere Patrem in terris, nullus alius ad tantam fuisset evectus dignitatem, præterquam Ioseph, cui voto suo videtur suffragari Spiritus sanctus, indigitans eum nomine, quod illi imposuit. Quod eximiam quandam sanctitatem animæ hujus sancti Patriarchæ denotat, tametsi enim non fuerit verus Pater Dei, id non contigit defectu congruitatis, aptitudinis, aut donorum ad tantam excellentiam requisitarum, sed quia Deus noluit eligere

Isaia 9. v.7. — Luca 3. v. 23. — Luca 2. v.48. — Luca 2. v.27. — Luca 2. v 33.

D. Aug. lib. 2. de Consens. Evang. cap 1. — Pennafiel a. at. 5. c. 2 § 2. — Institut. de rerum division.

eligere, aut habere Patrem in terris. Profundè reverà excogitatum.

6. Semper pertinuit ad parentes nomina filijs suis imponere. Singularis fuit hæc S Ioannis Chrysostomi adnotatio: *Sive Mater, sive Pater, nomen impositurus erat.* Ideò unum ex privilegiis sanctissimæ Virgini, tamquam Matri Dei, concessis, fuit, quod Filio suo dilectissimo nomen imponeret, inquit Cardinalis Toletus: *Vocabis*, ait Angelus, *nomen eius Iesum*, quia cũ ipsa illi subministraret corpus passurum, & sanguinem copiosè effundendum, & vitam, quam pro mundi reparatione daturus erat, licet titulus Salvatoris competeret Christo ratione divinitatis, consensit tamen Deus, & voluit ut hoc ei nomen serenissima Virgo, & Mater imponeret: *Sola Virgo beata genitura erat Filium Dei, eaque de causa ipsi primùm conceptio partus, & nomen annuntiatur, antequam fiant.* Nonnè videris singularem hunc favorẽ, & privilegium? idem prorsus beneficium concedit, & largitur cœlum ipsi S. Iosepho, quamvis dumtaxat secundùm solam æstimationem fuerit Pater Christi. Nonne hoc annotastis in Euangelio: *Vocabis nomen eius Iesum*? id est, tu Ioseph impones Christo nomen Salvatoris, quod etiam Mater eius, quia vera genitrix ei imponet. Ponderat S. Basilius Seleuciensis, quòd licèt titulus, & nomen creatoris soli Deo competat, quia cùm creatio sit, *productio entis ex nihilo*, nempe quia ut fit, quod non erat, requirit omnipotentiam Dei; tamen, postquam Deus creavit protoparentem nostrum Adamum, & reliquam huius Vniversi machinam, adduxerit omnia animantia creata coram Adamo, ut eis nomina naturæ ipsorum conformia imponeret: *Adduxit ea ad Adã, ut videret, quid vocaret ea* Quorsum hæc, Domine Deus, nonnè tu formasti, & ex nihilo creasti hæc animantia? Ita herclè, ergò ad te quoque pertinet eis nomina imponere, qui enim dat esse, dat etiam nomen, & cognomentum. Qui igitur partiris opera tua, & Adæ committis curam imponendi nomina creaturis, quas sola dextera tua ex nihilo produxit: Non capio mysterium, nisi dicam amorem tuum erga hominem esse adeò immensum, ut etiam modos, & stratagemata excogites, quibus eũ magnificet, & extollat. Postquam enim tu omnia creaveris efficis eum participem supremæ tuæ potentiæ, & modo possibili eum concreatorem constituis, ut cùm creare ex nihilo limitatam eius excedat jurisdictionem, creata tamè nominare, aut eis nomina imponere, eius authoritatem nõ superet; tã sollicito studio satagis, Domine, vilem homuncionẽ promovere, extollere, & magnificare. Ad confirmandum conceptum suum introducit S Præsul, Deum familiariter cum Adamo loquentem: *Esto Adam nominum artifex quando rerum esse non potes. Formetur à me, nominẽntur à te, quæ procreata sunt. Me cognoscant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine, in te nomen quibus ego essentiam.* Tamquam diceret Deus Adamo, volo tibi singulare beneficium, novumque honoris titulum conferre: partiamur inter nos, modo possibili, munus & officium creatoris tu sis artifex nominum, cum nequeas esse rerum, quæ per memoriam significantur, agnoscant me tamquam creatorem, quibus essentiam dedi, & te authorem nominũ fateãtur, & revereantur, ita ut ex te habeant impositionem nominis, & ex me naturæ, & essentiæ suæ productionem. Nonnè animadvertitis, inquit magnus hic Doctor, quomodò Deus cum primo parente diviserit officium creatoris, & modo possibili eum sibi æqualem, & parem constituerit: Non aliter (Deus Pater loquens per Angelum suum inclyto Patriarchæ nostro,) egit cum illo, dicens, mihi quidem jure competebat imponere nomen Filio meo etiam quatenùs homini, quia præter me nullum habet in terris patrem, sed partiamur inter nos officium Patris. Ego dedi ei essentiam, & naturam, quia per gratiã meam fuit conceptus in utero matris suæ, inde tu, & impone ei nomẽ ut hoc titulo te etiam Patrem agnoscat, & revereatur: *Vocabis nomen eius Iesum. Pater tuus, parentes eius, &c.* Ecquis umquam sanctorum ad tantæ dignitatis fastigium est evectus?

Fuit gloriosus noster Patriarcha primus absque secundo, in quo maxima sanctitatis eius excellentia elucet. Testem advoco sacrum Historicum creationis mundi, qui delineans cœlorum productionem, planetarumq; decus, & ornamentum, inter cætera de efformatione Solis, & Lunæ. ita effatur: *Fecit Deus duo luminaria magna*, & subiungit, *Luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti* Quærunt & indagãt sacrarum Litterarum scrutatores, quare Moyses, Lunam, quam antea simul cum Sole, *Luminaria magna* indigitaverat, tam citò eam luminare minus appellet? 7.

D. Chry. sost. hom. 6. in Genes.

Luca 1. v 31.

Tolet. annotat. 84.

Genes. 2. v. 19.

D. Basil. Seleuc. Orat 2. in Adam.

Genes 1. v. 16.

Fortasse tam inopinatè decrevit Luna, aut tam brevi temporis intervallo tantam passa est vicissitudinem? Plures huius varietatis excogitarunt causas sacri Doctores, sed præ cæteris favet instituto nostro doctissima Philonis Hebræi responsio: *Diei præfecit Solem, tamquã magnum Regem, nocti verò Lunam cum cæterarum stellarum multitudine.* Ac si diceret: Est sol planeta formosissimus, ideoque titulo magni Regis gaudet, quia sunt splendores eius singulares, neque aliam lucem ad suam admittunt societatem. Quamvis autem Luna solitariè cõsiderata laudem, & nomen magni luminaris promereatur: *Duo luminaria magna*, mox tamen ubi eam stellæ comitantur; *ut præesset nocti, & stellas*, jam non meretur nomen magni, quia lucere in comitatu aliorum astrorum, non est quid excellens, esse verò unicũ, & eminere in splendoribus, est perfectionis supremũ. Non secus Philosophor ego circa laudes, & excellentias gloriosi nostri Patriarchæ Ioseph, & dico, illas prærogativas eum plus extollere, & illustriorem reddere, in quibus, uti diximus, est primus, non habens secundum, aut ut apertiùs dicam, in quibus nullum agnoscit parem, aut æqualem.

Philo lib. de opificio mundi.

8. Eapropter curiosius perpendi introitum Missæ ipsius, qui incipit: *Iustus ut palma florebit* quæ verba desumpta ex Psalmo Davidis. Possemus hic ponderare, qualiter palma sit symbolum horum duorum coniugum Mariæ, & Iosephi, propter eminentem eorum puritatem, & castitatem. Quia, si rectè animadvertatur, comparat Spiritus beatam Virginem in Canticis palmæ: *Statura tua assimilata est palmæ.* Indidit natura etiam plantis cæterisque creatis rebus insensibilibus, naturalem quamdam propensionem propagandi se per aliquam societatem coniugalem, ita tamen, ut cæteræ arbores ineant coniugium, & multiplicent suas species, & fructus cum iactura suæ virginitatis, videlicet inserendo unam alteri, verbi gratia surculus pyri inseritur malo, & malo hesperiæ citrea; sed palmæ, quamvis iuxta familiarẽ experientiam, & communem Philosophiæ doctrinam, ut suos proferant fructus, palmulas, seu dactylos contrahant sponsalia, seu matrimonium, hoc tamen connubium perficitur absque illa insitione aut inoculatione, uti in aliis arboribus. Itaque non inoculantur palmæ etiamsi ineant coniugium, sed duntaxat una intuetur alteram, soloq; mutuo aspectu permanente illæsâ virginitate, connubio quodã casto, palma virgo, & desponsata suas concipit palmulas. Hæc est naturalis Philosophia palmæ, quam etiam refert, & approbat Pierius Valerianus quòd suos dactylos absque opere insitionis proferat, & pariat, non sicut cæteræ arbores frugiferæ, virgo manet, licet fuerit desponsata. Admirabile, & expressum symbolum horum coniugum, Mariæ & Iosephi, qui palmæ castissimæ fuerunt, Virgines & desponsati. Sit Virgo Sponsa, sicuti palma, ne dicant Christum ex adulterio procreatum, sed Filium palmæ Virginis, & desponsatæ, & ideo dicit S. Lucas: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro*, destinatus est hic paranymphus cœlestis ad Virginem, & desponsatam, non ad sterilem, sed fœcundam, & quidem absque virili semine fœcundatam. Ipsa Virgo, & desponsata, & Ioseph Virgo, & desponsatus. Coniuges, qui solummodo castis oculis se mutuò intuentur. Et si concipit hæc divina palma, miraculosè concipit, id fit per Spiritus sancti operationem: *Quod enim ex ea natum est, &c.* Quia sunt palmæ castissimæ, quæ sine insitionis opere concipiunt, & proferunt fructus suos, sunt palmæ virgines, & despõsatæ.

Psal. 91. v.12. — *Cant. 7. v.7.* — *Plinius lib.12. cap. 4.* — *Pierius lib. 50.* — *Lucæ 1. v.26.*

9. Et si libuerit sequi Lectionem Tertulliani, quæ appositè quadrat instituto nostro, dicemus, *Iustus, ut Phœnix florebit*, iustus, id est Ioseph, & similis avi Phœnici, de qua referunt Naturales Philosophi, quòd sit unica, quæ nullam habet secundam, uti Conradus commemorat: *Aiunt enim unicam tantùm hanc avem esse*, ita ut tota eius species in unico individuo conservetur, neque habet aliam sui similẽ. Talis unicus est hic Patriarcha noster, qui in sua Hierarchia solus est, neque alium admittit socium. Grandis est excellentia Angelorum, qui semper in intimis cœli empyrei penetralibus conversantes, iugiter omni tempore, imò, & æternitate, coram Rege Regum adstant, verùm si eorũ numerum accuratiùs perquiramus, myriadas reperiemus, & velle eos ad numerum reducere, erit haud dubiè numerum sine numero ponere: *Millia millium ministrabant ei*, inquit Daniel Propheta. Quinimò insignes habent coronas in cœlis Virgines, & gloriosi Martyres, qui in terris præclara, & heroica virtutũ opera exercuerũt. Vitã pro Deo profundere & vivere in terris homines, ac si iã mortui forẽt, proculdubio, est omni laude, & præmio dignum; porrò si eos computare libuerit, multa cente-

Tertull. lib. de resurrect. carnis. c. 12. — *Conrad. lib. 3. hist. animal. de avibus* — *Dan. 7. v. 10.*

cente-

centena millia sanctorum enumerabimus, & ad minimum dicemus cum S. Ioanne, inveniri ex qualibet tribu duodecim millia electorum: *Duodecim millia signati*, Apostoli à Christo, tamquam lapides fundamentales Ecclesiæ electi, pauciores sunt, non dubito, quin & multo pauciores, attamen in eis adhuc numerum duodenarium computamus: *Elegit duodecim ex ipsis*. Quoad S. Evangelistas, adhuc pauciores reperiemus, & illos paucos saltem binos, & binos numerare poterimus, quia duo, & duo, faciunt, & constituunt quatuor Evangelistas, & quamvis hi sanctissimi extiterint, cum plures sint, non videntur tanta æstimatione condigni. Pauciores sunt præcursores, non inficior, verum si eos ad numerum reducere voluerimus, saltem tres numerandos habebimus; quia Ioannes Baptista fuit primi adventus præcursor, secundi autem, erunt Henoch, & Elias, & ideo dignitas hæc non est omni exceptione maior. Vultis scire, quid sit omnium maxime æstimandum? Id quod fuerit bonum, & unicum. Vnus Deus, quia plures dari repugnat. Vna Mater Dei, præter quam nulla alia dari potest. Et quis post hos enumeratos? Vnus sanctus Ioseph, cui noluit Deus plures esse similes. Vnus pater putativus Christi, & quia solus, & unicus, procuLdubio est maximi æstimandus. Et totum hoc promanavit ei ex dignitate Sponsi sanctissimæ Dei Matris. *Ioseph autem vir eius. &c.*

Apocal. 7 in multis versibus.

Luc. 6. v. 13.

Ioseph autem vir eius, &c.

CONSIDERATIO III.

Fuit singularis prærogativa, & excellentia huius illustrissimi Sancti, quod authoritate, & titulo Sponsi B. Virginis, & Patris Christi in terris fuerit quodammodo superior ipsi Christo Domino.

1. AD tres gradus reduxit mellifluus Doctor S. Bernard. virtutem humilitatis. Primus est: *Subdere maiori se & non præferre se æquali*. Hoc genus humilitatis est commune, & familiare hominibus, & hac humilitate plures præditi sunt, quia nihil aliud sonat, quam obedientiam erga superiores, & non se præferre æqualibus. Secundus gradus est: *Subdere se æquali, & non præferre se minori*. Hæc humilitatis species maioris est perfectionis, & excellentiæ, quia parem sibi, & æqualem agnoscit superiorem, & cedit voluntarie iuri æqualitatis, quo cum altero mandare, & imperare posset. Tertius gradus humilitatis omnium excellentissimus est: *Subdere se minori*, & hic est supremus huius virtutis terminus, ultra quem non datur excessus, neque hos limites præterire potest ipsa humilitas. Ad rem ergo, ex his gradibus humilitatis habuit Christus Dominus primum, & ultimum, secundus enim in ipso locum habere non poterat. Amor nostrum fecit eum minorem Patre secundum naturam humanam, uti eleganter advertit S. Pater Augustinus super illa verba Ioannis: *Pater maior me est*. Verba autem S. hæc sunt: *Æqualis enim Patri Filius, per quem factus est homo, ut minor esset Patre, factus est homo, quod nisi fieret, quid esset homo?* Ideoque factus minor Patre, humiliavit semetipsũ, oravit, obsecravit, & obedivit, quasi primam humilitatis speciem Deificans. In secundo gradu humilitatis, nequivit Christus semetipsum exercere, uti diximus, quia non habuit parem aut æqualem cui obediret, quia cum non haberet æqualem quatenus homo, & haberet Patrem æqualem in quantum Deus, non obedivit Patri quatenus Deus, neque alicui homini, quia nullus erat ei æqualis. In tertio gradu habuit locum Christus Dominus obediendo serenissimæ Virgini Matri suæ, quæ, tamquam vera Mater, habuit iurisdictionem super eum, & eodem privilegio gavisus fuit S. Ioseph, veluti pater eius putativus, & legalis, *Et erat subditus illis*, & utrique obtemperavit obediens Salvator, quod in magnam gloriam, & honorem amborum redundat.

D. Bern. serm. 4. de Epiphania.

Ioan. 14. v. 28.

D. Aug. Tract. 78 in Ioan.

Luc. 2. v. 51.

2. Omnes Sancti in familia, & domo Dei, sunt ministri; S. Ioseph Dominus, Princeps, & Verbi Incarnati Pater: ergo differentia quæ est inter servum, & Dominum familiæ, eadem inter Iosephum, & reliquos Sanctos reperitur: Magna sane est hæc excellentia! Videamus, num illam alibi in sacris Litteris fundatã reperiamus. Medium, quod assũmpsit S. Paulus ad persuadendũ Hebræis eminentiam Christi supra Moysen, fuit, teste Angelico nostro Doctore S. Thoma, quod unus fuerit in domo Dei servus, & minister, alter vero filius familias: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus: Christus vero tamquam filius in domo, quæ sumus nos.* Excellens homo & præstans fuit Moyses, tam familiaris Deo, ut velut amicus cum amico, Dei alloquio uteretur: *Sicut solet loqui*

Hebr. 3. v. 5.

D. Thom. hic.

Exod. 33 v. 1. *loqui homo ad amicum suum*; tam domesticus Dei, ut cuncta disponeret, & ordinaret in familia eius tam potens in prodigiis, & portentis edendis, ad affligendum Pharaonem, ut illius Deus in terris existeret: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. Nihilominus tota dignitas eius non excessit limites ministri, & famulantis; Christus vero, *tamquam filius in domo*, id est, quasi princeps, & hæres domus, ita ut, quemadmodum Dominus familias antecellit ministro, ita etiam Christus præcellit Moysi. Evidens argumentum ad probandam instituti nostri veritatem. Cæteri Sancti cœlestis curiæ, & huius mundi, sint hi, vel illi, qualem dignitatem consecuti sunt in domo Dei? Quam sedem aut locum occuparunt? vel quo nomine, aut titulo fuerunt insigniti? Eodem prorsus quo Moyses fuit condecoratus, videlicet ministri, seu famuli. Testem appello unum è præcipuis totius Ecclesiæ Sanctis, Doctorem dico gentium S. Paulum, ipsum audite loquentem: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi*. Premite emphasim illius *sic*, vult nos considerare ipsum, & reliquos Apostolos, tamquam famulos domus Dei: *Sic nos, &c.* Quasi diceret, nullus cogitet aliud de nobis, nisi quod simus ministri, & servi, *Ministros Christi*. Quid dico? altius evolemus consideratione nostra, ipsosque cœlos penetremus, & attentius, plusquam aquilina mentis acie, supremos illos Seraphim examinemus, qui à primo creationis suæ momento, divini amoris igne incensi, æternum Dei visione perfruuntur. Qui, & quales sunt illi, cæterique Angelorum chori? ministri: *Omnes sunt administratorij spiritus, &c.* Nullum excludit, omnes nominat. Et quemadmodum perpulchre adnotat S. Bernardus: *Magnum est Angelo ministrum esse Domini*, & sciamus, quæso, quem locum occupat S. Ioseph? Omnibus eminet, est Paterfamilias in domo Dei, & est dominus, & princeps familiæ. Domus aut familia Dei in terris ecquæ fuit? Iesus Maria Ioseph, & in hac est Ioseph Pater, superior, Dominus, & pluris æstimanda domus, cui imperat Ioseph, quam reliquum totius Ecclesiæ. Est superior Virgine sanctissima, quia Sponsus illius: *Quia vir est caput mulieris*. Imo & est quodammodo superior ipso Christo propter authoritatem, & jus paternum. Nullus aliorum Sanctorum ad tam supernam, & eminentem pervenit dignitatem.

Exod. 7. v. 1.

1. Cor. 4. v. 1.

Hebr. 1. v. 14.

Ad Ephe. v. 23.

3. De alio Ioseph, in quo noster fuit præfiguratus, dicit regius Psalmista, quod Rex Pharao cum fecerit dominum domus suæ, eique cuncta commiserit negotia: *Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ*. Constituit eum œconomum totius domus regiæ, voluitque ut cuncti eum, tamquam aulæ primatem, agnoscerent, & ut superiorem revererentur. Nihil sibi reservavit, supremam illi detulit authoritatem, & cuncta Regni negotia, eius arbitrio, & dispositioni commisit. Et subiungit regius Vates: *Vt erudiret Principes*, hoc est, ut Aulam regiam, totamque familiam componeret, & reformaret, concessit illi potestatem puniendi, & corrigendi plebeios, & vulgares, & emendandi Magnatum vitia, & excessus, præcepitque ut omnes à maximo usque ad minimum servum Regis, eum venerarentur, mandatisque eius ad amussim obtemperarent. Ita explicat Paraphrastes noster Hispanus illud, *Vt erudiret Principes*, & non parvum habet hæc expositio fundamentum in sacris litteris, quia quando Ioseph toto conatu studebat remedio Ægypti, circumduxerunt eum in curru regio, magno cum apparatu, & celebri pompa, clamante præcone: *Vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ Terræ Ægypti*. Diligentiores sacræ paginæ Interpretes, dicunt Ægyptios, juxta radicem Hebræam ipsi acclamasse, *Abrech*; quod verbum diversimode interpretantur S. Hieronymus, omnium sacræ Scripturæ Interpretum Phœnix, asserit illud significare: *Pater tener*, quia Ioseph functus fuit officio Patris Ægyptiorum, dum adhuc adolescentiam ageret. Oleaster existimat illud idem sonare, quod, *Benedicite*, laudate, & encomiis extollite Iosephum, verum apprime favet instituto, & intento nostro Paraphrasis Chaldaica, dicens, hanc vocem *Abrech*, idem significare, quod *Pater Regis*, quatenus ipse Regem adjuvit consilio, Regni negotia curavit, & ad oris eius imperium ipsemet Rex obedivit; potestate enim tam absoluta gubernavit omnia, quasi ipse Rex, & Pharao subditus foret. Tanti æstimavit Princeps Pharao personam sancti Ioseph, in signum, inquit S. Bernardus, maximæ æstimationis, qua Rex cœlestis Patriarcham nostrum Iosephum erat veneraturus, agnoscens eum uti Patrem, superiorem, & Dominum suum, juxta illud S. Evangelistæ sæpius repetitum: *Et erat subditus illis*.

Ps. 104. v. 21.

Episcop. Carcerec.

Genes. 41. v. 43.

4. Egregia fuit contrapositio, quam magnus Pater S. Augustinus contexuit ad honorem,

& laudem huius gloriosissimi Patriarchæ, in quadam concione, ubi comparans munus Apostolicum ministerio sancti Iosephi, in hæc pretiosissima verba effatur: *Ministerium Apostolicum est sub Christo, & propter Christum: ministerium autem Ioseph, est propter Christum, & supra Christum*, id est, ministerium Apostolorum fecit eos inferiores Christo, ministerium autem Iosephi, fecit eum quidem ministrum Christi, sed superiorem Christo, quia tamquàm pater filium, & tamquam tutor pupillum, eum nutriebat, fovebat, & regebat; omnia enim hæc videtur S. Euangelista insinuare, dicens: *Et erat subditus illis*; hoc est, obediuit illi Christus in omnibus, & veluti superiorem suum eum veneratus est, honorans tam peregrino modo sanctum Iosephum, ut quodammodò vel eum esse magnum, & Deum parvum, ut, inquam, vellet eum tamquam superiorem sibi imperare, & Deum tamquam subditum obedire; & existimo ego, quòd Dominus non solum conversans in terris, veneratus sit sanctum Iosephum, sed quòd etiam in æterna beatitudine regnans, eum pari honore prosequatur. Constitutus itaque Dominus in supremo majestatis, & gloriæ suæ solio, subiectionem agnoscit, & submittit se S. Iosepho, tamquam filius patri, quamvis tantus filius ad tantæ dignitatis verticem sit clarus. Rationem huius suggerit Philosophorum Princeps Aristoteles: *Est enim pater causa essendi: undè natura pater filiorum imperium semper obtinet.* Notetur illud, *semper*, inquit Philosophus, pater iure naturali habet iurisdictionem paternam in filios *quamvis etiam effulgeat dignitas*, hoc est, siue etiam filius ad altiorem dignitatis gradum evehatur, semper tamen est patre inferior. Idem prorsus reperitur in cœlis, inter Christum & S. Iosephum.

5. Refert S. Iudas Thadæus in sua Canonica celebrem illam altercationem S. Michaëlis cum diabolo, & disputantis de corpore Moysi, quem Deus occulto in loco sepeliverat, ne Iudæi, ad idololatriam propensi, ossa eius, & cineres adorarent; Dæmon hanc ob causam omni conatu contendebat illud propalare, S. Michaël autem cupiebat illud occultari, & in hac disputatione magna exorta est dissensio, & altercatio. Ad hunc modum exponit hæc Apostolica verba S. Thomas: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, &c. Subtraxit Dominus, misso Angelo, corpus Moysi, & hoc, ne Iudæi, ad idololatriam proni, eis colerent ut Deum. Angelus verò volebat occultari eius sepulturam: Diabolus verò volebat eam manifestare, & facere Iudæos idololatrare, & has contrarietas vocatur altercatio eorum.* Addit autem S. Apostolus, quòd Michaël non fuerit ausus Diabolum durioribus verbis excipere, aut ullis iniurijs afficere: *Non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Dominus.* Ast quare non lacessiuit eum opprobrijs, & debitas non exegit ab eo temeritatis pœnas? Alias alij adferent rationes, sed perplacet modò Dionysij Carthusiani expositio, quia instituto nostro deservit: *Et hoc propter naturam Diaboli bonam, in qua Dei similitudo resplendet.* Ac si patenter diceret, recordabatur S. Michaël quòd Lucifer aliquando fuerat suus superior, & hoc recogitans, etiam modò dum sibi inferior est, vult ei debitum honoris deferre respectum. Itaque Archangelus cœlestis, Princeps militiæ Dei, in gratia diuina stabilitus, & confirmatus, & incola cœli, tantum defert honorem Satanæ? Ita profectò, quia meminit eum in creatione, aliquando fuisse suum superiorem, seque fuisse ei subordinatum: & propter dignitatem præteritam, licèt ipse modò sit in tam alta dignitatis sede constitutus, eum de præsenti honorat, & reveretur. Si ergò in gloria cœlesti detur tanta urbanitas in Angelis, ut, quia aliquando fuerunt subordinati, & subditi ipsis dæmonibus, eos adhuc venerentur, quis dubitet, quin Christus Angelo incarnato, seu humano, id est, S. Iosepho, patri, & Domino suo, respectum deferat, & veneretur eum, cui tota vita, tamquàm filius patri, fuit subjectus? *Et erat subditus illis.*

Ex his apertè per naturalem, & necessariam consequentiam infertur maxima huius diuini Patriarchæ dignitas, & gloria, quæ proculdubio erit conformis, & commensurata, honori, quô in terris exornatus fuit; si rectè observetur, in Euangelio immediatus & proximus Beatæ Virgini est sanctus Ioseph, *Iesus Maria Ioseph*, quapropter absque ulla hæsitatione reor eos in cœlo gloriosos eodem ordine esse collocatos. 6.
Forsitan hanc ob causam respondit Christus Dominus filijs Zebedæi, sollicitantibus dexteram, & sinistram in Regno eius: *Nescitis, quid petatis.* Plures allegant rationes sacri interpretes, quare Christus Dominus hos Discipulos redarguerit ignorantiæ seu inscitiæ in petendo loca, quæ ambiebant, verùm elegantissima est, quam Modernus quidam excogitauit: *Si n. ego præcepi honorare Patrē, & Matrem, quomodo non honorabo*

D. Aug. serm. 3. de tempore.

Aristotel. lib. 8. Elench. c. 11.

In Epist. Iudæ v. 9. D. Thom. hic.

Dionys. Carth. hic.

Matth. 20. v. 22.

Gabriel à Costa.

honorabo Matrem, & Patrem? O Discipuli mei, toto aberratis cœlo, neque petitioni vestræ ullatenus acquiescere valeo. Nonnè meministis me præcepisse in lege mea, ut filij honorent Patrem, & Matrem suam? Qui igitur ego prætermittere possum, quin honorem Matrem meam, & Patrem meum? Non convenit unum mandare, & aliud facere, præsertim quando parentes tanto sunt digni honore: ideoque in Regno meo dexteram Mater mea occupabit, & sinistram tenebit ille, quem, hic in terris, Patrem agnosco, & honoro: æquum siquidem est, & rationi consentaneum, ut illi maiori potiantur gloria in cœlis, quorum gratia, & sanctitas fuit excellentior, & superior in terris.

7. Quæ cùm ita sint, manifestè colligitur, quantæ virtutis & potentiæ sit apud Deum huius gloriosi sancti Iosephi intercessio. Adeò potens est sua intercessione, inquit Doctissimus Gerson, ut non videatur supplex rogare, sed quodammodò imperiosus mandare, ita ut Sponsa, & filius ambo eius precibus obediant, & obtemperent: *Quanta fiducia, quanta est vis impetrandi: quia dum vir, dum Pater orat, uxorem, & natum, velut imperium reputatur.* Et Isidorus Insulanus dicit sanctum Iosephum esse sanctum, cuius orationes, (post preces beatæ Virginis) sunt omnium efficacissimæ, eiusque intercessio inter cæteras potentissima: *Quocirca inter patronos mortalium, apud Deum, arbitror, sanctum Iosephum esse efficaciorem, ac post beatam Virginem Reginam, præstantiorem.* Et sancta Teresia singularis eius devota: *Nihil ei pro nobis interpellanti negat, sed omnia concedit;* id est, cuncta pro votis impetrat, & consequitur. Rogemus igitur eum, ut authoritate, qua pollet, qui tertius in Regno Dei nominatur, per merita sua nobis obtineat donum gratiæ, certum futuræ gloriæ pignus. *Ad quam nos perducat Iesus, Maria, & Iosephi Filius.* Amen.

Gerson in sua Iosephia.

Isidor. de Insul. apud Novar. in umbra Virgin.

S. Teresia de S. Ioseph.

TRACTATUS X.


IN FESTO

Magni, & Gloriosi Patriarchæ

S. BENEDICTI.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Matthæi 19. cap.



PElbartus egregius, & antiquus Ordinis Seraphici concionator, habet in suo Pomerio insignem concionem huius inclyti Patriarchæ S. Benedicti, in qua pro Themate assumit præstantissimã illam, simul ac celeberrimam benedictionem, quam Dominus Deus Patriarchæ Abrahamo impertiuit: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Vbi Pelbartus ita disserit: *Verba ista dixit Deus, loquens literaliter cum Abraham: & convenienter possunt accipi, tamquam dixerit Deus etiam ad S. Benedictum, quia ei Deus multipliciter benedixit, ut patet per plurima eius miracula, per quæ, & nomen eius magnificauit in Ecclesia, ut meritò vocatus sit Benedictus. Subdit ergò, erisque benedictus, & re, & nomine;* id est, hæc verba litteraliter fuerunt adimpleta in Abrahamo, quem Deus propter præclara opera, & heroicas virtutes, mirum in modum illustrauit, & in mundo magnificauit, & non solùm personam eius, sed etiam in posteris eum illustrem, & per excellentiam benedictum declarauit: *Erisque benedictus.* Verùm eadem convenientissimè adaptari possunt glorioso Patriarchæ S. Benedicto, cuius nomen Deus mirabiliter extulit in Ecclesia, eique insculpsit, & im-

Genes. 12. v. 2.

Pelbart. serm. de S. Benedicto.

& impressit excellentiori quodam modo omnes benedictiones, quæ Abrahamo fuerunt repromissæ, & ideò qui dicit *Benedictus*, totum compendio complectitur, & idem sonat, ac dicere, quòd hic Sanctus per omnia re, & nomine fuerit à Deo benedictus. Tres benedictiones divinæ sunt cuilibet Christiano ad salutem consequendam pernecessariæ, inquit Pelbartus: *Benedictio triplex est nobis necessaria, videlicet prævenıens, adiuuans, & consummans. Prima est misericordia, quæ prævenit conversionem. Secunda est gratia, quæ adiuuat iustificationem. Tertia est gloria, quæ perficit consummationem æternæ beatitudinis*; has autem omnes, & singulas benedictiones habuit cumulatissimè, & in superlatiuo gradu S. Benedictus: *His omnibus modis beatus Benedictus fuit verè à Deo benedictus.* Ita ut, hanc ultimam benedictionem, omitto enim alias duas, tamquàm omnibus Sanctis communes, quæ solet alijs iustis communicare in patria, ubi beatifica perfruuntur visione, ipse in terris viator veluti pro aliquo tempore beatus obtinuerit: teste enim sancto Gregorio, clarè diuinam essentiam intuitus est: *Videnti enim Deum angusta est omnis creatura.* Memini, Moysen quondam rogasse, & summis votis obsecrasse Deum, ut illi hunc favorem concedere dignaretur: *Ostende mihi faciem tuam.* Et quamquàm familiarissimus fuerit amicus Dei, non tamen liquet nobis, eum hoc beneficio fuisse donatum, quinimò responsum ei fuit, rem illam esse factu impossibilem: *Non videbit me homo, & viuet.* Qui igitur S. Benedictus, videns Deum, remanet viuus, & in mundo superstes? Proferant alij opinionem, & iudicium suum, arbitror ego, quòd tametsi hic gloriosus Sanctus fuerit homo per naturam, per gratiam tamen habuerit aliud esse longè excellentius, & perfectius; si namque solummodò purus homo extitisset, impossibile fuisset ei videre Deum, & communi mortalium lucis usura frui: *Non videbit me homo, & viuet*; id est, non homo, sed plusquàm homo debet esse, qui me videt, qui non commutauerit hanc vitam cum morte, & visionem hanc luerit pœna & iactura vitæ, non est idoneus ut me videat. Igitur iuxta dicta sanctus Benedictus an non erat homo, sed res aliqua superioris ordinis, vel Angelus quispiam supremæ Hierarchiæ? Minimè gentium; homo erat eiusdem naturæ cum reliquis, licèt in plurimis non appareat homo, sed exemptus à legibus humanæ naturæ. Ignoscite mihi, quæso, quòd hac utar hyperbole, quia sacra Scriptura me excusat, iuxta enim, quod sonant eius verba, non solùm non apparebat Sanctus noster homo, sed etiam verè, & realiter apparebat non esse homo, ad veritatem siquidem huius negatiuæ sufficientia indicia sunt, ipsum post visionem Dei, adhuc remanere viuum, neque in ipsa visione fuisse vita defunctum. Tanti æstimat Deus S. Benedictum, ut etiam amore ipsius dispenset in legibus, & rerum ordinem invertat, dummodò Sanctus Patriarcha noster etiam quatenùs viator omnibus donis, & benedictionibus cumulatè perfruatur. Ad has tam singulares dotes, & laudes adeò celebres deprædicandas, diuina maximè indigemus gratia, præsertim si, ut mihi in votis est, prærogatiuas sacræ Religionis S. Benedicti, & encomia filiorum eius, toti mundo notissima accuratiùs recensere voluero. Rogemus igitur sacratissimam Virginem Matrem gratiæ, ut eam nobis sua intercessione impetret, dicẽtes: *Aue Maria.*

D. Greg. lib. 2. Dialog. c. 6

Exod. 33. v. 13.

Ibidem v. 20.

Ecce nos reliquimus omnia.

Consideratio I.

Videtur magis industrius fuisse S. Benedictus in ineunda ratione salutis suæ, quàm Petrus, quia solo amore ductus, & non spe lucri motus, seruiuit Deo.

Qvàm prudenter disseruit S. Petrus Chrysologus, explicans verba illa Spiritus sancti per os & calamum sapientissimi Salomonis dictata: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*, id est, adhærete, & placete Deo, servientes illi in syncaritate cordis, sine cura, anxietate, & ulla cupiditate lucri, aut quæstûs, & sola amoris dulcedine illecti, eum diligite, quia bonus est, & saltem concipite de eo opinionem viri probi, & honesti, eumque, ut talem, colite, & æstimate; hoc sonant verba illa: *Sentite de Domino in bonitate, &c.* Audiens hanc Sapientis sententiam sanctus Petrus Chrysologus, eamque enucleans, in has voces prorumpit: *Quis Rex deuotis militibus debitam non procurat annonam? Quis Dominus fidelibus seruis iusta cibaria non ministrat?* Ecquis homo honestus, habens seruum fidelem sibi in omnibus amore, & affectu servientem, diceret ei, præsta mihi tuum obsequium, sed aliundè tibi victum, & amictum, procura? Quis Princeps adeò inhumanus aut tyrannus, qui subditos sibi diu

11

Sap. 1. v. 1.

D. Petr. Chrysol. Serm. 163

diu noctuque famulanti, & solummodò Domini sui commodo laboranti neget necessaria vitæ alimenta, quis, inquam, sudores eius irremuneratos defraudet præmio? Hoccine credi potest, de homine probo, qui honorem suum cordi habet? Nequaquam, igitur. Auditores, non minorem concipite de Deo opinionem, & estote certi, quòd si eum secuti fueritis, eiusque mandata non spe præmij, sed amore illius illecti, diligenter obseruaueritis, ipse habebit curam vestri, & tandem vestra obsequia condigno præmio remunerata experiemini.

2. Ne sitis mercatores cum Deo, semper enim fœneratores exosi, & execrabiles fuerunt. Vna ex præcipuis fœlicitatibus, quas Propheta Zacharias prædixit superventuras fortunatis temporibus novæ legis gratiæ, fuit, quòd nulli essent futuri in domo Dei negotiatores, aut mercatores: *Et non erit mercator in domo Domini*. Fateor ingenue, quando prima fronte cœpi considerare hæc Prophetica verba, attonitus hæsi, neque quò me verterem sciui, eò quòd commoramur in patria, cuius incolæ, licèt non omnes, attamen plurimi sunt mercatores, & occasione commercij cum Novo Mundo, omnes se negotiationibus, & commercijs impendunt. Et si Deus omnes huius professionis à domo sua repellere deberet, pauci ciues huius Civitatis Hispalensis essent patriam cœlestem ingressuri. Quidam expositores existimant Deum in hisce Propheticis verbis explicuisse differentiam inter auream ætatem legis gratiæ, & inter ferream antiquæ, in qua taliter dominabatur avaritia, & lucri cupiditas cordibus hominum, ut etiam domum Domini facerent domum negotiationis, & insatiabili quadam aviditate, lucris & quæstibus suis inhiarent, quod numquam in lege nova erat futurum, eò quòd manifestum, & exploratum sit, contractus, & commercia mercatorum difficili negotio cum legibus, & præceptis Dei componi, quamvis homines huius sæculi adinvenerint modum hæc duo combinandi, videlicet spiritum SS. Pauli, & Augustini cum avaritia, & cupiditate unius Scribæ, & Pharisæi, studere Deo, & mercimonijs, pervoluere libros accepti, & expensi, & simul libellos precum pias, & attenta devotione percurrere. Sit quidquid fuerit, magis doctrinalem reputo expositionem cuiusdam docti moderni Commentatoris super hæc verba: *Et non erit mercator in domo Domini*, ubi dicit hæc sequentia: *Mercator in domo Domini est, qui opera Dei, non Dei causa facit, sed lucri, aut honoris, & ex bonis, unde sperare æternam mercedem poterat, caducam, & mox perituram percipit*, mercator igitur est, qui non amore Dei adductus, sed spe, & cupiditate honoris aut lucri permotus, peragit ea, quæ Dei sunt, & ex quibus sibi præmium æternæ beatitudinis sperare poterat, contentus est vano quodam, & caduco rerum terrenarum lenocinio demulceri. Similes detestatur Deus, eosque à domo sua arceri desiderat; & dumtaxat illi placent, qui sola dulcedine amoris inescati, eum sequuntur, & reverentur, non verò illi, qui commodo aut lucro attrahuntur.

Zachar. 14. v. 21.

Ribera hic.

Oculi quamvis omninò similes sint, diversimodè tamen ambo eamdem rem intuentur. Ita amor, & lucrum, tametsi vtricant obsequia, & officia, quæ præstant, & beneficia, quæ pro ijs expectant, & sperant, aliter tamen, & aliter, amor namque beneficia sibi collata respicit, & opera seu obsequia, quæ facit, in signum gratitudinis exhibet; lucrum verò attendit ad officia a se præstita, & præmia, quæ pro ijs sibi debentur, invertunt namque ordinem amor, & lucrum, ita ut amor beneficia, & lucrum servitia primò attendat. In Evangelio solidam habemus huius veritatis confirmationem: *Reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Conijciebat Petrus oculos suos, inquit sanctus Hieronymus, in opera, & obsequia sua, quæ Christo præstiterat, & simul in præmium, & remunerationem, quam sperabat: *Fecimus quidem, quod iussisti, quid ergò erit nobis præmij?* Ex opposito autem amor conijcit oculos in beneficia recepta, & ex ijs promovetur ad obsequia præstanda, quæ iudicauerit Deo futura grata, ut sic amorem amore compenset. Fuit hæc observatio Theodoreti, trutinantis & examinantis finem, seu intentum Doctoris gentium sancti Pauli, atque quòd singulas passiones suas ordinabat, & tamquam in scopum dirigebat: *In omnibus his superamus, propter eum, qui dilexit nos*, hoc est, patimur, & sustinemus propter Deum, cuius amori nos devinctos, & obligatos profitemur: *Causam tolerantiæ ostendit*, inquit Theodoretus, *bona, quæ à Domino acceperat*, reddit rationem suorum obsequiorum, beneficia ab alio recepta; itaque tam amor, quàm lucrum ambo respiciunt, beneficia, & obsequia, diverso tamen modo, & inversis quasi oculis ea considerant. 3.

D. Hieron. in catena D. Thomæ.

Rom. 8. v. 37.

Theodor. hic.

Quàm differenter egit cum Deo Patriarcha Iacob, 4.

Jacob, dum proficisceretur ad domum avunculi sui Laban, & dum reverteretur ad domum Patris, ibi egit personam cupidi, & lucrum sperantis, hic verò exhibuit scenam grati animi, & amantis. Dum pergeret ad Mesopotamiam, pollicitus est Deo si eum protegeret, foveret, & salvum incolumemque ad patrios lares reduceret, se ei serviturum & pro Deo suo eum habiturum: *Si Deus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusq; fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*: Et si Dominus votis tuis non satisfecerit, non erit Deus tuus? Malè mihi sonant hæc verba, inquit S. Gregorius: *Videas velle Dei consortium Iacob, & velle temporalia bona; duplex habens videlicet cor, & adhuc inconstans in viis suis.* Homo, qui ad serviendum Deo mercedem respicit, valdè remotus est à Deo, & vix pedem fixit in via virtutis. Bellè notatum. Sed altiori mente consideremus eum post plurimos annos ad paternam domum revertentem. Consertis brachiis cum Deo luctatur, neque etiam rogantem vult dimittere, quin priùs suam dederit benedictionem: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid hoc, Patriarcha sancte, nonne jam surripuisti fratri tuo Esau benedictionem? quorsùm igitur aliam ambitiosè quæris benedictionem? ne sis nimiùm avidus, sufficiat tibi benedictio, quam habes, nonne enim maximum beneficium est jus primogenituræ per supplantationem fratris obtinuisse, & domus paternæ præcipuum esse hæredem, & successorem? Doctus Carthusianus agit partes, & causam Iacob, aitque eum hic cœlestem postulasse benedictionem, & unà gratiam & opē ad amandum, & serviendum Deo: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, imprecando & ministerialiter impendendo bona gratiæ & subventionis optata.* Tanquam diceret Iacob, benedictio, quam surripui fratri meo, est benedictio terrena, modò autem cœlestem, & supernam efflagito. Iam tempora sunt mutata, jam præteriit tempus illud vanæ, & sordidæ cupiditatis meæ, qua mercede, & spe lucri permotus, promisi mea tibi obsequia, si benefaceres jam alio altiori desiderio illicior, solùm tuam requiro gratiam, ut tibi serviam, & innumera tua in me collata beneficia pari officio, & humili obsequio compensare valeam. Nonnè animadvertitis jam longè diversum, & alium esse Iacob, idem enim ipse, qui aliquando partem egit avari, & cupidi, jam personam gratificantis exhibet & repræsentat.

Gen. 28. v. 20. & 21.

D. Greg. lib. 9. moral. c. 30.

Gen. 32. v. 26.

Carthus. hic.

5. Matth. 19. Componite mecum hanc interrogationem, quam Petrus hodie Christo Domino proposuit, cum alia, quam in quadam occasione replicuit S. Paulus Christo Domino, non dudum, multis annis post conversionem, sed in ipso suæ conversionis tempore, dum in terra prostratus, nondum Paulus, sed adhuc Saulus esset: *Saule Saule*, inquit Dominus, *quid me persequeris*? Audite egregiam ejus responsionem: *Domine quid me vis facere*? At verò interrogatio Petri quid continet? *Quid ergo erit nobis*? Omnia amore tui reliqui, ecquod igitur præmium mihi retribues? Et hoc dixit Petrus, postquam plurimis annis frequentasset scholam Christi Domini. Notate quæso, quod Petrus interroget de mercede, quam ei Christus erat donaturus, Paulus vero de obsequiis Christo exhibendis, ita ut in Petro luculenter pateant indicia inordinatæ cujusdam cupiditatis, & lucri, in Paulo verò elucent insignia excellentiæ amoris, quia cupiditas lucri nescit servare communem urbanitatem, amor autem semper est generosus, & nobilitate refulgens. Quantò potiori jure poterat Paulus expectare & petere à Christo mercedem quàm S. Petrus, quia tantum relinquebat Paulus, quantum Petrus, & insuper jam desistebat à persecutione Ecclesiæ, & nihilominus Paulus generositatem amoris sui demonstravit: *Domine, quid me vis facere*? Et Petrus ruditatem inordinatæ suæ cupiditatis: *Quid ergo erit nobis*? Paulus cupit servire ex amore propter beneficia accepta, quibus se jam irretitum profitetur: *Domine, quid &c.* Petrus autem lucro permotus, seu præmio, quod sibi retribuendū spetat: *Quid ergo erit nobis*?

Actor. 9. v. 5. & 6.

6. Multò sagacius scivit negotium suæ salutis peragere S. Benedictus, quam Petrus, quia, ut refert S. Gregorius, deseruit domum paternam, & renuntiavit omnibus quæ possidebat, & vastam petiit solitudinem, ubi majori cum commoditate, & ferventiori spiritus ardore se totum amori & obsequio Dei liberiùs impendere & consecrare valeret, neque ad hoc ullo prorsus humano respectu, sed solo placēdi Deo, eique serviendi, desiderio fuit adactus: *Relicta domo, rebusque, soli Deo placere desiderans.* Abdicavit Comitatum Nursiensem, & totius mundi Imperium, quod & nobilitas sanguinis,

D. Greg. in prolog. lib. 1. dialogor.

nis, & præclaræ stirpis origo, tamquam meritis æquale, ipsi pollicebatur, neque tamen ex tali renuntiatione aliud præmium cupiebat, quam ut pro modulo suo beneficia Dei paribus officiis compensaret. Egressus itaque Roma, desertum, & latebras solitudinis diligentissimè perquisivit, neque destitit, quousque in altissimam speluncam, seu *arctissimum specum* penetraret, in quo ab omnium hominũ consortio segregatus delitesceret, abiit, inquam absque ulla vitæ annona, & ne quidem frustum panis secum detulit, quo victitaret, ita ut necessum fuerit ut quidam Monachus Romanus è vicino monasterio cum illo portionem suam divideret, eique ad vitæ necessitatem ministraret. Voluit quondam Deus indigentiæ, & necessitati Danielis, in lacu leonum constituti, misericorditer subvenire, & destinat Angelum, ut apprehendat Prophetam Habacuc cum parato jam prandio euntem in campum, ut illud messoribus suis deferret: *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eũ capillo capitis sui, posuitque in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Videt Danielem inter Leones illæsum sedentem, & acclamat ei, dicens: *Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.* Premo, in hoc miraculoso rerum eventu, quod non appellet eum Prophetam, aut virum desideriorum, uti sæpius eum sacra Historia indigitat, sed servum Dei. Ponderat hanc admirabilem historiam S. Basilius Magnus, & dicit quod haud dubiè Daniel oblitus sui, & nulla spe lucri, sed solo amore ductus serviens Deo, solùmque attendens ad obtemperandum Dei mandatis, nõ erat fame periturus, neque Deus erat permissurus eum inedia consumi, sed necessariò erat ei subventurus: *Ne vir sanctus inedia premeretur, temporis momento tantùm penetravit, quantùm à Babylone distat Iudæa.* Vt liquidò constet, quam fœlix fortunatusque sit ille, qui omnia cordis sui desideria collocat in Deo, eique seriò, & operosè servit, & ministrat, quia etiam in difficillimo vitæ discrimine securum reperit solatium, & remedium: ideoque curiosius adnotandum est, confestim Danielem provolutum in genua dixisse. *Recordatus es mei, Domine Deus meus, & non dereliquisti diligentes te.* Sciebam ô Domine Deus, quod non permitteres fame enecari eum, qui te amat & colit. Non tantoperè admiror, quod Deus pascat unum Sanctum, qui jam plurimos annos vitæ suæ in servitio ejus insumpsit, verum hodiè videmus Sanctum nondum tredecim annorum ætatis suæ, quem Deus pascit in deserto, antequam illi servivisset, statim in ipso vocationis primordio, dum fervidis illis desideriis serviẽdi & placendi Deo pergeret ad solitudinem, priusquam adhuc aptum reperisset latibulum, in quo absconditus delitesceret; jam Deus prævenerat, & deputaverat Romanum, qui ei vitæ necessaria suppeditaret. Et deinceps semper ita disposuit ejus divina providentia, ut numquam ei ad vitæ corporalis sustentationem necessaria deficerent & meritò quidem, qui enim verè renuntiat omnibus, & simul potest dicere: *Ecce nos reliquimus omnia:* & non adducitur commodo aut spe lucri, *quid ergò erit nobis?* æquum est ut ei Deus provideat. Qui enim non attendunt præmium tamquam mercedem operis, sed solũ satagunt se probare gratos, ac memores paribus officijs & humili obsequio beneficiis sibi collatis respõdere, talibus favet Deus etiam in hac vita; eorum specialiter recordatur, omnemque curam, & sollicitudinem eorum habet.

Dan. 14. v. 35. — *Ibidem v. 36.* — *D. Basil. hom. 8. in Ditescen.* — *Ibid. v. 37.*

Loquebatur Deus in veteri Testamento 7.
observantibus mandata sua: *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodiè: faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ sunt in terra: venientque super te omnes benedictiones istæ, & apprehendent te. Si tamen præcepta eius audieris, &c.* Hoc est, si diligenter obtemperaveris jussis meis, eaque sedula cura custodieris: *Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.* In te O sancte Patriarcha! cernimus has benedictiones omnes, & singulas copiosissimè adimpletas. Exactè servasti legem Dei tui, & ideò cumulatissimè tibi promissum rependit, & remuneravit. Benedictus fuisti in Civitate, in qua tam bono exemplo præluxisti, & tam innumeras animas Deo lucrifecisti. Benedictus in agro & campis, in quibus tot insignia monasteria ædificando exstruxisti tot Monachorum receptacula, qui Deo servientes æternam beatitudinem & cœli gaudia promererentur. Benedictus fructus ventris tui, nimirum discipuli, & filij tui, quorum innumera multitudo jam cœlesti gloria potitur. Benedictus fructus terræ tuæ, qui fuerunt animæ, quæ tui & tuorum causa, & instructione, se ad meliorem vitæ

Deut. 28. v. 1. & 2. — *Ibid. v. 3. 4. & 5.*

vitæ frugem converterunt. Benedictus in terra, & benedictus etiam in mari, ad quod vadens iussu tuo Maurus discipulus tuus, & videns Placidum cum sævis, & procellosis luctantem undis, ambulavit securus super aquas, eumque à periculo liberatum, salvum, & incolumem ad littora reduxit. Benedictus fuisti in operibus, Benedictus in verbis, Benedictus in spiritu Prophetico, quo fuisti à Deo donatus. Ecquid dico? Totus in omnibus, & per omnia tu Benedictus, quia non minori gaudet stipendio, & ornatur præmio, qui, quemadmodum tu, servit Deo, nulla adductus spe lucri, & omnia amore ipsius relinquit: *Ecce nos reliquimus omnia*; & non investigat præmium, idcircò ipsi retribuendum: *Quid ergo erit nobis*?

Quid ergò erit nobis?

CONSIDERATIO II.

Perfecta charitas non quiescit intra limites suos, sed modo possibili seipsum diffundit, & aliis communicat.

1. IMpossibile est, ut anima sequens Deum, in eumque omninò absorpta per amorem, non succurrat necessitati, & indigentiæ proximi, idque ex nativa propensione sua, qua fertur ad auxiliandum indigentibus. Hanc ob causam noluit Deus, quod S. Benedictus diutius in solitudine, seu deserto latitaret, sed disposuit per ineffabilem suam providentiam, ut iam erumpente ex illis latebris fama eius sanctitatis, quidam Monachi eum inde avocarent, & se illi, tamquam magistro spiritualis vitæ, instituendos traderent, ut una exemplo virtutis, & pœnitentiæ suæ alios ad altiorem vitæ perfectionem provocaret, & innumeras animas Deo acquireret. Hoc ipsum fuit institutum, quod S. Patriarcha religiosis suis præscripsit, ut nimirum omni & maxima sollicitudine utilitati, & bono proximorum invigilarent, omnemque laborem, & meritum suum saluti eorum consecrarent, in hoc etenim præsertim excellentia charitatis, & perfectio Christianæ virtutis miru in modum elucet. Notissima est hæc doctrina Angelici Doctoris, & Patris nostri S. Thomæ Aquinatis, differentiam, & diversitatem inter Religionem, quæ dumtaxat profitetur vitam contemplativā, & eam, quæ exercet vitam activā ex plenitudine contemplationis derivatam, prædicando, seu contemplata aliis tradendo, & forsitan eapropter nostram sacram Religionem Fratrum Prædicatorū, elegit, ubi disertè in hæc verba effatur *Sicut enim maius est illuminare, quam lucere solùm, ita maius est contemplata aliis tradere, quā solùm contemplari*: tamquam diceret, maioris perfectionis est diffundere, & aliis communicare ea, quæ à Deo recepimus, quam illa per simplicem contemplationem sibi soli reservare, & hoc operatur perfecta charitas, quæ nescit privato suo commodo studere, sed si perfecta fuerit, neutiquam quiescit, sed omnibus se communicare gestit, & exoptat. D. Thom. 22. q. 188. art. 6.

2. Secesserat Propheta Elias in solitudinem, & velut alter S. Benedictus absconditus in caverna quadam, soli Deo dulciter vacabat, serioque salutis suæ negotium promovebat. Venit ad visitandum eum Dominus Deus eumque hisce verbis interrogat: *Quid hic agis Elia?* Communiter sanctorum Patrum sententia est hunc fuisse singularem favorem, quo Deus voluit tristem, & pertimescentem Prophetā dulci alloquio, & præsentiā suā consolari, & animare, fugerat enim Elias impiæ Iesabelis furorem, & persecutionem, neque etiam in latebris illis certam sibi spondebat securitatem, ideò Deus descendit, ut illi animos adderet, & trepidantem, & penè exanimem confortaret, & recrearet. Doctus tamen Lyranus contrariæ est opinionis, asseritque verba relata esse significativa indignationis, & continere insignem reprehensionem. Sed Quomodò tam asperis verbis excipit Deus hominem adeo sanctum: hominem, inquam, & servum fidelē, qui tot, & tanta pro honore eius tuendo pertulit adversa? Apposite respondet Lyra, Deum acrius redarguisse Eliam propter teporem charitatis eius, quia fugerat in desertum ad studendum proprio commodo, & quieti, quem tamen Deus in utilitatem, & remedium plurimorum elegerat, ideoque affirmat verba illa: *Quid hic agis Elia*: idem sonare, ac si dixisset: *Non est adhuc tempus perfectæ quietis, sed laboris pro salute proximorum, cùm necessitas hoc requirit.* Velle sanctum esse solitarium, & non quærere salutem proximorum, virtus est novitia, & charitas primula, quæ vixdum rudimenta sanctitatis evasit. Quid refert, quid Elias jejunet, super nuda humo cubet, & dormiat, aspero cilicio carnē maceret, aut jugiter amaras effudat 3 Reg. 19. v. 9.

 lachry-

lacrymas, si solùm invigilans propriæ saluti, negligat cæterorum utilitatem, & profectum.

3. Si attentiùs pervolveritis sacra volumina, invenietis duo dumtaxat genera avium a Deo fuisse præscripta in lege veteri, tamquam materiam in sacrificiis communibus offerendam. Et singulariter observavi, quòd quando Deus mandavit Patriarchæ Abrahamo, ut sacrificium offerret, inter cætera animalia immolanda præscripsisse, ut *turturem & columbã* adiungeret. Optavi scire causam ob quam hæ solummodò duæ species avium pertineant ad juge, & quotidianum sacrificium. Dominus enim nequaquam contentus, quòd Abraham turturem solum offerret, voluit etiam ut columbam adiungeret. Prætereo varia Interpretum placita circa hoc divinæ voluntatis decretum, in præsenti tantummodò mihi arridet docti simul, & venerabilis Bedæ arbitrium, cuius hæc sequentia sunt verba: *In hoc differunt quod turtur solivagus, columba vero gregatim volare consuevit. Et ob id ista sacras orationum lacrymas, illa publicos Ecclesiæ conventus insinuat.* Est turtur avis solitaria, aliarum fugiẽs cõsortia, columba verò domestica, & mansueta, quapropter voluit Deus hac cæremoniali observantia insinuare, quòd non solùm sibi placeret solitudo turturis, sed quòd etiam sibi grata foret columbæ conversatio, & familiaritas, qua se cæteris adiungit. Verùm, ut principaliori dubio respondeamus, quare nimirum Deus præceperit Abrahamo ut ambas sibi sacrificaret aves, & priùs posuerit turturem, & postea columbam: Videtur (posita hac Venerabilis Bedæ doctrina) Deum hoc pacto voluisse nos instruere, illud sibi sacrificium esse longè gratissimum, quod ex duobus simul componitur, videlicet ex solitudine turturis, & familiari sobrietate columbæ: *Turturem, & columbam*, quia excellentia Christianæ charitatis non tam consistit in solitaria vitæ perfectione, aut singulari sanctitate, quàm in aliorũ salute procuranda, aut in perfectione, qua aliis contemplata communicantur; neque enim omnibus numeris perfectissimum est, quòd quisque suæ studeat perfectioni, aut sanctitati, sed quòd potiùs aliorum simul incumbat saluti, eosque ad meliorem vitæ normam convertat.

Genes. 15. v. 9.

Beda hō. de Purificat. B. V.

4. Ex his facili negotio intelligetur ratio, & causa, ob quam Christus Dominus, docens nos normam orandi, mandaverit ut orationem Dominicam, *Pater noster*, exordiremus, hac suavi præfatione amantissimi Patris nostri, non mei. Prudentissimè hoc adnotavit S. Cyprianus: *Non autem dicimus Pater meus, sed noster* & subiungens causam, cur hoc ita divina disposuerit sapientia, hæc præclarissima loquitur verba: *Quia pacis, & unitatis Magister noluit singillatim, & privatim pacem fieri, ut quis cùm precatur, pro se tantùm precetur*, id est, noluit ut singuli tantũ pro se orarent, quia hoc esset soli commodo proprio studere, sed ut oratio esset communis, ita ut zelantes bonũ commune plurium, & charitate perfecta permoti, omnium utilitatem, & salutem complecteremur. Charitas namque, cuius finis ultimus est propria salus, & beatitudo, limitata, & imperfecta est, & sola illa vera, & excellens est, quæ non quiescit, neq; sistit intra limites suos, sed omnes amat, & omnes amplectitur, quia si magnes, iuxtà comparationem Platonis, potest communicare virtutem uni ferro, ut aliud attrahat, quare cor incensum, & flagrans ardore charitatis, non habebit similem virtutem, ut alios quoque incendat: Si charitas est perfecta, ad omnes se extendit, ad singulos se diffundit.

Matth. 6 v. 9.

D. Cyprian. in catena D. Thom.

Luc. 11.

Plato lib. de furor. pœt.

5. Admirabilis fuit triumphus gloriosæ Ascensionis Christi Redemptoris nostri, & causa magni gaudii, & gloriæ accidentalis ipsius: sed advertenter notat S. Lucas in Actis Apostolicis, Dominum post Resurrectionem suam adhuc quadraginta diebus fuisse commoratum cum Discipulis suis: *Per quadraginta dies apparens eis, & loquens eis de Regno Dei.* Ecquid permovit Salvatorem ad differendũ tanto tempore suã gloriosam Ascensionem, cùm tamẽ ei permagni interesset, statim triumpho illo potiri? Omnium optimè respondet ad hoc Angelicus Doctor S. Thomas: *Distulit Ascensionem, ut veritas Resurrectionis comprobaretur.* Quasi diceret S. Doctor, discedere illicò ex hoc mundo, ad perfruendum gloria iam sibi præparata, erat bonum, & commodum propriũ, differre autem illam, erat remedio omnium, & præsertim Discipulorum, maximè pernecessarium. Et hoc exemplo nos edocuit divinus Magister, excellentiam charitatis nos obligare, ut etiam quandoque commoditates spirituales proprias intermittamus, ad proximorum necessitati, & profectui subveniendum. Et hoc eodem exemplo suo, nisi fallor, voluit persuadere ferventissimæ illi Magdalenæ, dum vidẽs eum resuscitatum, voluit se ad pedes eius prosternere, præcipiens ei, ne diutiùs se detineret, aut tempus

Actor. 1. v. 3.

D. Tho. 3 p. q. 57. a. 1 ad 2. & 4.

pus in osculandis pedibus, plena lacrymis, insumeret, sed quanto-cius festino gressu curreret, & lætum nuntium tristibus Apostolis deferret, testareturque illis, se jam vidisse Dominum resuscitatum; quia detineri, aut morari ad osculandum pedes Salvatoris, eosque lacrymis rigandum, erat singularis, & privata devotio, annuntiare autem sanctis Apostolis gloriosam Resurrectionem Christi, erat plurimorum remedium, & solatium. Et hic videtur mihi fuisse sensus litteralis illorum verborum, quæ
Ioan 10. v. 17. Christus Dominus ei dixit: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, vade autem ad fratres meos.* Ac si diceret ei, cum ego proprio cedam commodo, & differam gloriosum Ascensionis meæ triumphum, propter generis humani remedium, tua charitas meam imitetur, tuamque intermitte devotionem privatam, festina, & vade ad corroborandam fidem Apostolorum meorum, & annuntia eis Resurrectionem meam, quia ad osculandum pedes meos, eosque lacrymis irrigandum, ut tua exigit, & postulat devotio, postmodum tibi tempus supererit, quia ego nondum recedo, neque ascendo, tu interim fac, quod jubeo, quia hoc te vera, & perfecta charitas monet, & docet.

6. Talis fuit S. Benedictus, & sacra eius Religio, tam ardens, ut incendium fuerit omnia absumens, quod etiam congelati fluvii septemtrionales numquam extinguere potuerunt. Meditatus fuit Eugenius tertius summus Pontifex, filius huius gloriosi Patriarchæ, modum, & normam invehendi sanctam hanc & ardentem charitatem etiam in frigidissimas Septemtrionis regiones. Norvegiam, ubi inclementia frigoris impedit commercia negotiatorum, quo neque avara hominũ cupiditas penetrare præsumit, quidam Nicolaus, huius sacræ familiæ monachus, intravit, qui postea fuit Adrianus quartus: & ubi asperrimum dominabatur frigus, ibi vehementissimum amoris divini excitavit incendium. Non quiescit charitas filiorum S. Benedicti intra septa claustri, sed etiam ultra se extendit. Monachi, & filii ipsius erant illi, qui tempore S. Gregorij Magni, Insulã, jam dudum celeberrimam, Angliam, ad fidem Catholicam reduxerunt, cui utinam Deus modo in hac turbulenta rerum tempestate succurrat! In fide illã confirmarunt ossa sancta magni illius Ecclesiæ Præsulis S. Thomæ Cantuariensis gloriosi martyris, quem Henricus Secundus Angliæ Rex, generose libertatem Ecclesiæ propugnantem, atroci morte occidi, & trucidari curavit: & in pœnam peccati sui sumptuosum Monasterium S. Benedicto sacrum exstruxit, in quo tamquam thesaurus inæstimabilis eius sacræ reliquiæ reconditæ fuerunt, libertatis Insulæ illius conservatrices, quoadusque sacrilega impietas Henrici Octavi eas concremari præcepit: ita ut sola ossa unius Monachi Benedictini sufficientia fuerint ad conservandam totius Regni fidem: & si ossa unius martyris tantum potuerint post combustionem, quare igitur non spectabimus, quod exurget è cineribus suis, non ad vindicandum sed ad tanto malo succurrendum? Sic sic novit charitas vota sua adimplere. Monachis sancti Benedicti debet Hispania expulsionem, & profligationem Arrianæ impietatis, eisdem debet Europa propagationem fidei Catholicæ, quia omnes illius angulos, & remotissimas regiones charitas Benedictina penetravit, & incendit. Quemadmodum Sol, qui licet fixus sub eat orbi cœlesti, uno cursu, quo orbem circuit, totum illuminat, & totum incendit. Ipse solus potens cuncta perlustrat mundi spatia, neque illa alia lux sufficit, sive stellæ, sive cuiusvis planetæ fuerit. Non secus sacra Religio S. Benedicti sola sufficit ad illuminandum, & condecorandum totum mundum: illa exulare fecit Donatistas è mundo, prostravit Eutychianos, & cæteros eiusdem farinæ hæreticos. Illustravit radiis suis Poloniam, Germaniam, Hungariam, Gascones, Vandalos, Longobardos, & Gothos in Hispania; ita ut tempore S. Gregorii, Ecclesia Romana ad summam pervenerit eminentiam. Et ab illo sæculo, usq; modo semper in suo perseveravit fervore, ut videre est in chronicis eiusdem Ordinis; ad comprobandum charitatem monasticam non sibi soli vivere, neque esse astrum extinctum, quia enim semper æquè, fervet & ardet, aspirat ad bonum commune, & gestit desiderio exurendi & universali incendio omnia conflagrandi.

Et si tam sollicita fuit ad succurrendum necessitati, & indigentiæ spirituali proximorum, audite modo quanta cura, & sollicitudine illis etiam in temporalibus subvenerit. Imperator Ludovicus, Dux Bavariæ, turbaverat mundum dissidio quodam inter ipsum, & Fredericum Austriæ Archiducem primogenitum Imperatoris Alberti. Mortuus est summus Ponti- 7.

fex Benedictus Duodecimus, monachus S. Benedicti, hac inquietudine permotus, & quamquam per suam sententiam jam eum Imperio exuerat, accelerata tamen mors impedivit, ne sententiam executioni mandaret. Successit illi alius monachus, nempe Clemens Sextus, qui non solum executus est sententiam sui Prædecessoris, sed de novo creavit Imperatorem Carolum Quartum, filium Ioannis Regis Bohemorum, & cum hac nova creatione Imperatoris sedavit tumultus, & totum pacificavit Imperium. Videte an non sit charitas contemplativa etiam benefactrix? Tantum enim abest, ut suo dumtaxat invigilet commodo, ut etiam principalis eius scopus, in quem collimat, videatur esse quærere modos omnes, quibus se aliis communicare valeat. Plura alia exempla huius veritatis possumus referre, quibus abundant Historiæ Ecclesiasticæ, & Chronica huius sanctissimi Ordinis. In illis curiosi & devoti Lectores poterunt sua desideria & aviditatem sciendi explere: ad institutum siquidem nostrum hæc dicta sufficiunt; ex illis enim manifeste demonstratur suprema charitas gloriosi Patriarchæ S. Benedicti, hæreditas propria filiorum eius, qui ita fœliciter se dedicant vitæ cõtemplativæ, ut eam summa dexteritate cum activa componant, & quod ex contemplativa hauriunt, vel addiscunt, non sibi solis reservant, sed maxima animi promptitudine satagunt id aliis ad profectum tradere, ut omnes eorum beneficiis ditescant. Quapropter non sunt minori laude digni quam S. Petrus, quem aliqui Sancti, & Oratores Evangelici, & præsertim Princeps eorum S. Ioannes Chrysostomus, plurimis encomiis extollunt, docet enim sanctus Chrysostomus hanc interrogationem Petri longe aliam habuisse intentionem: *Quid ergo erit nobis?* Et notat, quod non pro se solo, sed etiam pro sociis, & toto mundo interrogaverit: *Pro orbe terrarum universo interrogat.* In quo maximam declaravit suæ charitatis eminentiam, quia non respexit, neque attendit propriam utilitatem, sed communem omnium profectum. Non quærit, neque exoptat bona etiam spiritualia, nisi simul cæteri omnes eiusdem participes efficiantur: *Quid ergo erit nobis.*

D. Chrysost. in Caten. D.Thom.

Reliquimus omnia.

CONSIDERATIO III.

Quamvis cæteri Sancti præclare fecerint morientes mundo, in vita magis tamen heroice fecit S. Benedictus, seipsum vivum sepeliens, ideoque tam eminens fuit Magister virtutis, & vitæ spiritualis.

CONstans est relatio Authorum, qui vitam sancti Benedicti describunt, speluncam illam, quam Sanctus Benedictus elegit in deserto, habuisse formam sepulchri; ita ut de reliquis sanctis dicere possimus, quod maxima præstantia operum, quæ faciunt, sit mori mundo in vita, sed hic gloriosus Patriarcha non contentus tali morte, voluit insuper sepeliri in vita, & maximum sibi reputavit refrigerium, id, quod dæmon aliquando aliis tamquam crudelissimum inflixit tormentum. Narrant enim sacri Evangelistæ, duos fuisse homines maxime à dæmonio vexatos ita ut diaboli eos, veluti captivos in sepulchris detinerent. Contigit Salvatorem nostrum illic pertransire, inquit S. Matthæus, & *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam*; & prodierunt tristes illi ex funesto suo latibulo, querulose clamantes contra Redemptorem nostrum, quia importuno, & intempestivo tempore venisset ad torquendum eos: *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Audit S. Petrus Chrysologus insulsos eorum clamores, & admiratur eorum impudentiam, quod conquerantur de Domino, quia venit ante tempus ad torquendum eos, cum tamen illi essent adeo crudeles tyranni, ut etiam miseros illos homines vivos sepelirent, quod maxime inhumanum est, nemo enim ad sepulturam effertur, nisi mortuus, & vita functus, illi vero ad explendam rabiem suam, & insatiabile odium erga genus humanum, jam vivos sepeliverant, & ante tempus mille tormentis exagitaverant: & revera videtur hæc crudelissima fuisse pœna temporalis, quam malitia Satanæ potuit excogitare, ad peccatores illos puniendum: *Quæ non*

1.

Matth. 8. v. 28.

Ibidem v. 28.

D. Petr. Chrysol. serm. 16. *non potest crudeliter occidere, vivos gestit feraliter funerare.* Et hoc, quod illis fuit intolerabile tormentum, S Benedictus elegit sibi tamquam suavissimam requiem, quia hoc unicum omnibus votis desiderabat cor eius, ut non solum per oblivionem repudiaret mundum, sed ut etiam mundus eum ignoraret, & ut mortuus à corde omnium, nullus deinceps ipsius mentionem faceret.

2. Patriarchæ Abrahamo, (vere S Benedicti symbolo, uti supra insinuavimus) dixit Deus, quod plenus dierum, & in senectute bona moreretur: *Ibis ad patres tuos, sepultus in senectute bona.* Genes. 15. v. 15. Premit solito ingenii sui acumine has voces Richardus à S. Victore, & notat, quod sufficiens videatur, si Dominus tantummodo dixisset: *Ibi ad patres tuos,* neque enim necessaria videtur hæc adjectio; *Sepultus in senectute bona.* Il quid igitur voluit Dominus hisce mysticis verbis insinuare? Altius meditatur præfatus Author hæc verba, eaque in sensu mystico interpretans, dicit magnum esse discrimen inter mori mundo, & esse sepultum mundo, quia mortuus, quamvis non habeat oculos ad videndum, potest tamen ipse à mundo vivo videri, & agnosci, nullus tamen cernere, aut oculis aspicere sepultum. Ideo tametsi nonnulli pertingant ad primum, paucissimi tamen qui ad secundum perveniunt: *Prius homo moritur, ut post modū sepeliatur. mortuus quidē desinit videre, sed non statim desinit videri. Qui vult ergo huic mundo mortuus esse, oportet illum oculos illos claudere, quos in primis parentibus legimus apertos, & oblectamenta sensuum nō attendere. Sed tunc qui huiusmodi est, quasi post mortem sepulturam invenit; quando per sapientiæ studium, æternitatisque desiderium, à mundanis insuper mundana transiens, in huiusmodi statum proficit, qualem carnalis quilibet, non dicam scire, sed nec suspicari posset.* Richar. à S. Victor. serm. de differ Samar. Abrah. Ardua sunt hæc vitæ spiritualis documenta, quæ soli secundum legem spiritus viventes, opere exercent, & carnales, passionum voluptatibus immersi, non solum ea non sequūtur, sed neque animali suo intellectu, pravis vitiorum nebulis excæcato, ea capere, aut intelligere valent. O quam exutus erat S. Benedictus, in primo vere juventutis suæ ab omnium rerum terrenarum cupiditate; quam alienus ab omni carnis, & sanguinis respectu, omnia enim, nimirum opes, & voluptates repudiavit, ut hoc pacto mortuus, securus in sepultura delitesceret. Haud dubie tanta animi resolutio, singularis fuit divinæ providentiæ effectus, quæ ad hunc modum cuncta disponebat, ut luculentius consummata eius sanctitas innotesceret, & ab omnibus agnosceretur.

3. Neque etiam à ratione alienum est dicere, quod quia Cœlum elegerat S. Benedictum ut esset reformator mundi, & Patriarcha tot sanctorum sepultorum, voluit ut ex sepultura exiret ad exequendum Dei mandata. Extraxerunt Eugeniū Monachum, cuius jam paullo ante meminimus, ex claustris monasticis ad supremam S. Petri sedem, & dignitatem. Assumit calamum S. Bernardus, qui in Religione fuerat eius instructor, & scribens Epistolam collegio Eminentissimorum Cardinalium, qui eum Pontificem elegerant, in hæc gravissima verba, doloris plenissima, prorumpit: *Parcat vobis Deus, quid fecistis*? Proh dolor! quid egistis, talem monachum è quiete sua ad curam avocantes? *Sepultum hominem revocastis ad homines: fugit ante curas, & turbas, & curis denuo implicastis.* D. Bern. Epistol. ad Card. Dico, & plorans dico, in monasterio meo sepultus erat Eugenius, & nescio, quo fato eum è sepulchro extraxistis, & iterum novis mundi curis immersistis: *Sepultum hominem* Quid ais, melliflue Sancte? non capio, neque intelligo paradoxum tuum, & novum loquendi modum? Eugenius vivus est, sanus & incolumis vitales exercet operationes, quia intelligit, loquitur, videt, audit, & ambulat, quomodo igitur hominem eum appellas sepultum? In quo monumēto vides eum depositum, ut nuncupes eum jam funeratum? Et quomodo vos Ecclesiæ Principes memoriam habuistis sepulchri, quod erat tota eius requies & delitium? S. Abbas huius rei causa, vehementissimo cordis dolore se tactum profitetur: luce tamen meridiana clarius est, illos singulariter à Spiritu sancto illuminatos, & permotos, talem Ecclesiæ Pontificem elegisse. Et credibile est eos conquerenti Sancto respondisse, se idcirco eum delegisse, quia futurus erat universalis Pastor, caput Ecclesiæ, & Vicarius Dei in terris, eapropter decens erat, ut prius moreretur mundo, & esset sepultus: ita ut electio fuerit nova eius resuscitatio Scito, & esto certus, Abbas sancte, dicebant illi, nullus aptior est, ut sit Vicarius Christi in terris, quam ille, quem tu sepultum indigitasti: *Sepultum hominem.* Prosequitur sanctus, & mellifluus Doctor tristem suum discursum: *Crucifixus mundo, per vos revixit mundo, & qui elegerat abjectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in Dominum omnium elegistis,* id est, jam mundo incognitus

 erat,

erat, in omnium oblivione sepultus, terræ mortuus erat, & in caverna absconditus, sed eum è sepulchro ad auram, ad lucem, & ad splendorem revocastis, caput eius tiara exornantes, eum veluti amiculo ferali, seu veste mortuaria exuistis. Et videtur, quod S. Bernardus, spiritu suo prophetico, quem hauserat à Patre suo S. Benedicto, prævidens responsum Cardinalium, acquiescensque eorum judicio, & electioni, respondet illis: Recte congruet tanta dignitas capiti defuncto, & sepulto. Vivat ergo Eugenius Papa, sit ei fœlix & faustum, quia nemo melius illo poterit reformare Ecclesiam Dei, neque ullus salubriori pabulo doctrinæ, aut vitæ exemplo pascet oves suas, quam Eugenius, quem vos è latebris ad lucem revocastis.

4. Decreverat Deus totum terrarum orbem funditus evertere, sed in tanta indignatione, nequaquam suæ oblitus misericordiæ, fabricata jam, & prorsus perfecta Arca illa mystica, præcepit Noëmo, eiusque filiis, cum uxoribus, ut eam ingrederentur ad conservandam generis humani posteritatem: *Et ingressus est Noë, & filij eius, uxor eius, & uxores filiorum eius cum eo in Arcam, propter aquas diluvij.* Quæri potest, cur ad salvandum Noëmum, cum posteris suis, mandaverit Dominus, ut Arcam fabricaret, & in illa asylum contra intumescentes diluvij undas, & furentes ventorum impetus eam undique quatientes reperit, cum facili negotio illum cum sua posteritate alia via, (si Deo placuisset) etiam securiori, liberare potuisset? Multipliciter ad hanc quæstionem responderi potest. Verum ego innixus dictis Ariæ Montani, meam proferam sententiam. Arca, secundum huius Authoris opinionem, habebat figuram feretri, seu capuli, in quo defuncti reponuntur: *Similem feretro.* Cum ergo Noë, cæterique eius posteri deberent esse novi habitatores mundi, eumque propagare, & ex parentibus ad filios deberet derivari fides, & amor Dei, eiusque cultus, & veneratio, voluit Deus ut toto tempore diluvii remanerent in Arca, quasi sepulti, ut ex umbris & specie mortis præteritæ illustrior vitæ eorum splendor eluceret, & consequenter verba eorum forent efficaciora ad persuadendum, & intimius doctrina eorum cordibus audientium imprimeretur.

Genes. 7. v. 7.

Arias Montan. hic.

5. Mittit Deus Ionam Prophetam ad prædicandum Civitati Ninive, quæ erat gentilium, reluctatur ille, & detrectat munus sibi impositum, & aperte coram Deo, se non iturum protestatur. Surrexit Ionas ut fugeret in Tharsis à facie Domini, inveniensque navim euntem in Tharsis, conscendit illam; emittit Dominus præfectos suos fiscales, ventos nempe furentes in mare, illudque commovent, & facta est tempestas magna, ita ut navis periclitaretur, omnesque nautæ se aquis & undis involvendos crederent. Cumque hanc inopinatam, & procellosam tempestatem experirentur, & judicarent illam non ex naturali ventorum turbine, sed alicuius culpa eorum, qui in navi erant, exortã, miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam, tamquam reum peccati. Tulerunt Ionam, & projecerunt in mare, & evenit ei, quod omnibus notum est, & nos infra latius explicabimus. Et surgens Ionas, abiit in Niniven, & cœpit, juxta verbum Domini, prædicare destructionem magnæ illius Civitatis, non quidem absolutam, sed comminatoriam. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Tantum omnibus incussit timorem sua prædicatione, ut omnes à maiore usque ad minimum in sacco, & cinere pœnitentiam egerint, & tandem ad Dominum conversi, misericordiam obtinuerint. Plurima ponderant sancti Patres in hoc eventu mysterijs pleno, & inter cætera quæ in eo animadvertunt ponderatione digna, unũ est, quod Deus permittat Prophetam suum deglutiri à pisce grandi, videlicet, ceto, & tribus diebus eum in ventre piscis remanere sepultum; quapropter magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus per piscem illum intelligit mortem quam Christus Dominus erat passurus: *Piscis, qui Ionam devoravit in pelago, significat mortem, quam Christus passus est in mundo.* Et in hoc sensu, exposuit magnus Pater verba illa Salvatoris: *Non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Itaque, juxta dicta, inquit Sanctus, quemadmodum terra præbuit Christo monumentum in quo quiesceret, ita etiam venter piscis subministravit Ionæ sepulchrum, in quo delitesceret: *Tribus diebus, & noctibus, fuit ille in ventre ceti, & iste in sepulchro, iste eiectus est in aridam, iste surrexit in gloriã.* Ast quid Deus hocce facto prætendit? Dicant alij, quod sentiunt, existimo ego, quod quia Ionas tandem aliquãdo executurus erat cõmissionem, ad quã Dominus eum destinaverat, ideo voluit Deus eũ ad hæc extre-

Ionæ 3. v. 4.

D. Aug. in Caten. D. Thom. super c. 12. Matth. v. 40. & 41.

ima miseriarum reducit: ac si diceret Deus Ionas functurus est legatione tanti momenti, quanti est convertere tot animas perditas, easque ad meliorem vitæ frugem reducere, peccatores obduratos corrigere, oculos cœcos aperire, & omnes ad veri Dei cultum revocare: igitur experiatur hoc mortis, & sepulturæ genus, quia ad persuadendum notitiam Dei populo ignoranti, & excæcato, & monendum homines emendationem vitæ, & reformationem morum, & faciendum tam repentinam in illis mutationem, nemo aptior aut magis idoneus est, quàm homo, qui in Schola mortis, & sepulturæ suam didicit doctrinam alijs prædicandam. De nullo alio Propheta simile quid legitur, neque etiam de alio quopiam Sancto, nisi S. Benedicto quia per vitam, & doctrinam suam, & filiorum suorum, admirabiliores erat operaturus effectus per totum orbem terrarum, quàm Ionas in sola Ciuitate Niniue patrauit

6. Insignissima fuit consideratio sancti Ioannis Chrysostomi, ponderantis consilium, & decretum, quod fecerunt Principes Sacerdotum contra Personam Lazari, quem Saluator noster paullò antè à mortuis resuscitauerat. Res ita fuit: decreuerunt eum denuò è medio tollere, existimantes se, illius interfectione, obscuraturos præclarum gloriæ Christi instrumentum, quo facto facilè celebritatem famæ illius aut commacularent, aut saltem indies augescentem impedirent: *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant, & credebant in Iesum.* Peto, quam ob causam plures credebant in Salvatorem? & quæro ulterius an hoc maximè eos commoveat ad occidendum, & denuò effundendum, vitam & sanguinem Lazari, & quare non sæuiunt, & exacerbantur potiùs contra sorores illius quæ devotissimè Salvatoris doctrinam audiebant, eumque familiarissimè & genialiter hospitio excipiebant? Quare solummodò furentes sæuiunt contra Lazarum? Nonnè possunt etiam illæ suis exhortationibus plurimos ad Christi fidem & notitiam Salvatoris permovere, & adducere? Videtur reverà, quòd maximè; ecquid igitur vident Pontifices Ierosolymitani maioris virtutis, & efficaciæ in Lazaro? Egregiè dissoluit nodum huius quæstionis aurea Chrysostomi lingua, & meditatio, quam his sequentibus exprimit verbis: *Hoc enim mirabilius erat, & erat inopinabile, mortuum quatriduanum, videre ambulantem, & loquentem.* Ac si apertius diceret, neque Martha, neque Maria, neque Discipuli, qui continuò adhærent lateri Salvatoris, non fuerunt resuscitati a morte sicut Lazarus: hunc sibi suspectum habent, & solum pertimescunt virtutem efficaciæ eius in persuadendo, quia homo recenter prodiens ex sepultura, necessum est ut cæteris potentius persuadeat, & hominum corda permoveat.

Ioan. 11. v. 11.

D. Chrys. sost in Caten. D. Thom.

7. Quærit latebras S. Benedictus, ne ab hominibus agnosceretur, & vixdum pervenit ad locum quietis à se delectum, vixque fixit pedes in spelunca, meliùs dicam sepulchro, quando Deus cœpit eum mundo patefacere, eiusque famam per omnes mundi regiones diffundere, teste S Gregorio: *Nomen eius innotuit cunctis, &c.* Nihilominùs per aliquot annos non prodijt ex illa, donec speciali revelatione Dei fuit perquisitus, & magno rogatu adductus, ut munus Magistri vitæ spiritualis, & reformatoris vitæ monasticæ dignaretur assumere Sed quàm benè obiuit hoc officium, persuadendi, & docendi omnes generis virtutes, qui in Academia sepulchri iam in illis lauream doctoralem promeruerat Loquatur hic multitudo Sanctorum, quos sacra eius Familia tam ubertim peperit Ecclesiæ, peperit enim, & protulit insignissima illa Ecclesiæ luminaria, & faces, quæ illam egregiè illustrarunt, S. Gregorium in Italia, S. Bernardum in Francia, S. Anselmum in Anglia, S. Columbanum in Scotia, & in nostra Hispania S. Ildephonsum, & plurimos alios in diuersis Regni Christiani Provincijs, qui sunt tot numero, ut tantummodò canonizati, numerum quinquaginta quinque millium excedant. Martyres autem gloriosos fidei triumphatores, ut catalogus Sanctorum attestatur, quadraginta quater mille, viginti & tot insigni cum laude, & profusâ liberalitate sanguinis dedit Ecclesiæ. Prætereo innumeros alios, quos Ecclesia nondum solemni ritu Sanctos declarauit; Pontifices numero viginti quatuor, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ita ut omnes reliquæ Religiones simul non habuerint tot, & tam insignes Heroës, omni virtutum genere excultos, quot solus S. Benedictus peperit orbi Christiano. Duodecim Fundatores aliorum Ordinum fuerunt filij Benedictinæ Institutionis, Reges, Imperatores, Duces, Marchiones, Comites, Barones, & c aliique innumerabiles S. Benedictum patrem, & Magistrum suum esse gloriantur.

Gregor. in vita eius c. 1.

8. Quinam igitur cœli, quæve loca, quamvis immensa,

immensa, tam numerosam Sanctorum multitudinem capere poterunt? Benedictus sis, Domine Deus, qui hoc videris ita voluisse, nam in die admirabilis Ascensionis tuæ cœlos reserasti, qui antea occlusi custodiebantur, reliquisti quidem claues in manibus Petri, quibus clauderentur, sed ad honorandum hunc gloriosum Patriarcham, fecisti ut à cella S. Benedicti protenderetur via quædam strata pallijs, & innumeris lampadibus, coruscans, usque ad cœlum patens sine portis, & clauibus, hoc namque necessarium fuit, ut per semitam illam tot monachi vita defungentes, securi è terris cœlum intrare possent. Ita planè videtur loqui S. Gregorius in suis Dialogis. Singulare aliquid reperi in hac Religione, quod omninò scire cupiebam, & cæteris non est concessum; maximè postquàm revoluens Librum Geneseos, incidi in admirabilem illam scalam Iacob, per quam ascendebant, & descendebant Angeli: *Angelos quoque ascendentes, & descendentes*, optabam videre homines ascendentes, & Angelos descendentes, sed statim ubi recurri ad primum capitulum S. Ioannis, & audivi Christum Redemptorem dicentem: *A modò videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis*, summopere gauisus fui, quia persuasi mihi, quòd post Christum crucifixum, non solis Angelis competeret ascendere, & descendere, sed etiam, & maximè hominibus, verùm hoc singulare privilegium voluit Deus cōcedere Religioni Benedictinæ, uti patet, quando gloriosus S. Romualdus, monachus eiusdem Ordinis, & Autho: Camaldulensium, quondam in tugurio, seu spelunca Maldolensi, Ravennæ in campo Aretino, vidit scalam à terra, usque cœlum pertingentem, ex monasterijs, inquam, S Benedicti protendebatur usque ad cœlum, per quam homines, seu monachi ascendebant, & descendebant, nisi dicamus unam, eamdemque rem esse monachos, & Angelos. Omnes hos favores præstitit cœlum S. Benedicto, in præmium perfectæ suæ omnium abnegationis, quâ propter Deum, repudiatis opibus, & sæculi honoribus, omnia reliquit, tanta perfectione, & excellentia, ut etiam quodammodò vitam propriam abnegauerit. Parùm dico, ut quietius viueret mortuus mundo, seipsum vivum in spelunca, tamquam monumento sepeliuit, ideoque potiori iure, quàm reliqui Sancti, potest liberâ voce dicere, quòd omnia propter Christum reliquerit: *Ecce reliquimus om*

Guilhel. Pepinus in serm. S. Bened.

Genes. 23. v. 12.

Ioan. 1. v. 51.

in-

Securi sumus te.

CONSIDERATIO IV.

Actio heroica, qua sanctus Benedictus se in vepribus volutauit, salutaria documenta prabet eius devotis clientibus, ut patroni sui imitentur exemplum

1. IN præambulo huius Tractatus diximus, & probauimus, qualiter S. Benedictus ediderit in vita sua specimen quoddam diuinitatis, & ex hac doctrina consequenter dicere possemus, fuisse quodammodò necessarium, ut faceret hanc carnis demonstrationem, in tentatione, quam Sanctus noster passus est, ad comprobandam veritatem humanitatis suæ, ne quis imaginaretur ipsum non fuisse purum hominem. Verùm dato, quòd hoc sit elogium, quod iam in alijs Sanctis ponderauimus, consultius aliam inibimus semitam, & explicationem, in consideratione harum veprium, in quibus Sanctus noster se diutiori mora volutauit, non absque magno corporis incommodo, & dolore, ne domesticus hostis prævaleret: *Sanctus Benedictus in spinis, propter castitatem seruandam volutabatur*, inquit doctus, & devotus Salmeron. De Hericio animali spinoso referunt Historici naturales, quòd quando eum canes insectantur, & assequuntur, se ad modum glomeris contrahat, abscondendo mollitiem carnis, in qua ei canes nocumentum inferre possent, & solum detegendo aculeos spinarum, ita ut canes absque læsione sui nequeant ipsum aggredi, qui ne lædantur, prædam iam captam dimittunt. Sæuiunt stygij illi, & inferorum canes, inhiantes prædæ animarum, moliuntur nos, sicut S. Benedictum, retibus suis, videlicèt blandimentis carnis, illaqueare, aut voluptatum carnalium lenocinijs irretire. Necessarium est nos defendere, ad modum, quò sanctus Benedictus astus illorum elusit, spinis nimirum pœnitentiæ, & mortificationis, hæc enim sunt quæ continent animam in officio, ne in præcipitium ruat, eamque deviantem ad rectam salutis semitam revocant, & reducunt.

2. Si velitis, quispiā pedes defigat in terra, conserite illam spinis. Animæ nostræ pedes, inquit sanctus Augustinus, & sanctus Chrysostomus, sunt affectus nostri, ut ne illos in pavimento terræ defigamus, replet Dominus terrā spinis. Hoc est, quod dixit cuidam errabundæ, quam

Salmeron tom. 10. Tract. 30.

D. Chrys. hom. 76. ad pop.

ad

Osea 2. v.6. ad viam revocare volebat, dicens, *Ego sepiam vias tuas spinis*, id est, circumvallabo te spinis, ne juxta desideria cordis tui feraris, quò tu vis, & quò te passiones tuæ impetu quodam pertrahunt. Ita explicat has voces Propheticas S. Hieron. *D. Hieron. hic.* *Obstruam undique viam tuam spinis, ne possis, quò desideras.* Et potest apposité hæc doctrina confirmari, ex eo, quod Deo contigit cum protoparente nostro Adamo, post divinæ legis prævaricationem. Sententia quam contra peccatorem pronunciavit, hæc fuit: *Gen. 3. v. 17. & 18.* *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*, id est, terra quam opere manuum tuarum excolueris, sit maledicta, & non producat tibi nisi spinas, vepres, & tribulos qui te pungant, lacerent, & cruentent. Disputant, & controvertunt sacri Interpretes, num in paradiso deliciarum, ante culpam, seu peccatum primi hominis fuerint spinæ, nec ne? In varias abeunt sententias præfati Interpretes, familiarior tamen eorum opinio est, spinas fuisse effectum peccati, ita ut si Adam non deliquisset, non germinasset terra tam nocivam plantam. Hac doctrina tanquam communiori supposita, ratio dubitandi occurrit, quid Creator hocce facto intenderit, an favere, an punire protoparentem nostrum? Plures affirmant Deum hic illi debitas culpæ pœnas inflixisse, verùm ego salva eorum licentia, arbitror Deum nunquam se illi benigniorem, aut faventiorem Dominum exhibuisse, quàm quando vestivit vepribus, & spinis, eumque condemnavit, ut perpetuò acuminatos calcaret tribulos, & vepres, quia hoc nihil aliud fuit, quàm statuere illi excitatorem, qui cōtinuò eum moneret, ne deinceps alia delicta, aut crimina admitteret. Et ne absque fundamento, seu fulcro prodeat hæc mea excogitatio, audite verba Rabbani ita maledictionem illam interpretantis: *Rabban. hic.* *Quapropter spinæ, & tribuli monent hominem, ut avertatur à peccatis.* Et si, uti loquuntur Grammatici, dativus casus significat damnum, vel commodum; fundamentum habemus, posita hujus Authoris doctrina, ad affirmandum, quod illud, *germinet tibi*, denotet, quod terra esset productura spinas, & tribulos, in commodum, & utilitatem ipsius, eique frænum inijcerent, quo rebelles carnis suæ appetitus moderaretur, & cohiberet, ne deinceps Creatorem suum offenderet. Et quia Sanctus Benedictus vehementissima carnis tentatione se impugnari sensit, convolavit ad arma, & remedium, quod Deus primo homini præscripserat, ne Creatorem suum offenderet, unde narrabat discipulis suis, & ingenuè illis fatebatur passiones suas ita deinceps fuisse frænatas, prostratas, & aculeis spinarum extinctas, ut nullos unquam imposterum senserit libidinis motus, & dæmon adeò confusus, & exanimis recessit, quia se devictum agnovit, ut nunquam posteà ardentes ad libidinem faces ei subijcere, aut ingerere præsumpserit.

Et exploratissimum est, spinas esse symbolū pœnitentiæ, & afflictionum vitæ humanæ, & simul esse homini verè Christiano salutare antidotum peccati, & efficax remedium ad conservationem virtutum. Mundum appellat, qui eum probè noverat Spiritus sanctus torrentem seu fluvium spinarum: *Ioelis 3. v. 18.* *Et fons de domo domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Vbicumque pedem fixeris, spinis acutissimis lacerabetis. Sed reperi Lectionem quandam in Hebræo, quæ prima fronte non parvam ingerit difficultatem, quia dicit; irrigabit torrentem *florum*, hoc est, jam est, aut erit mundus fluvius, seu torrens florum, vel rosarum. Contradictio harum Lectionum tam manifesta est, quam opposita contrarietas florum, & spinarum. Variis modis possunt componi hi duo Textus, primo intuitu adeò inter se diversi, & forsitan alibi venient nobis usui. Liceat mihi in præsentiarum explicare hunc locum de spinis ingratæ austeritatis, et mortificationis, in quas videmus Sanctum Benedictum plenum animo forti, plenum erecta spe, se conjecisse, easque irrigatas torrente innocui sanguinis ejus, qui copioso imbre ex sacro ejus corpore defluebat: *Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*, vel *florum* Ex illis suavissimi enascuntur flores, quia in tantùm conservantur virtutes animæ ipsius, in quantùm illis non deest irrigatio innocentis illius sanguinis. Quo exemplo nos instruit hic gloriosus Sanctus, præsentissimum remedium, ne flores viridarij Dei, quod sunt animæ nostræ, marcescant, esse applicationem spinarum pœnitentiæ, cilicii, disciplinæ, &c. usque ad effusionem sanguinis, qui eas irrigando immarcessibiles efficiat.

Et si propter imbecillitatem nostram ejus 4.

 aspe-

asperitas nobis horrorem incutiat, attollamus oculos ad Deum, qui amore nostrum inter illas deliciatur. Dum Moyses appropinquaret ad rubum ardentem, sed incombustum, dixit illi Deus: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Scio quidem quosdam Hebræos affirmasse, idcircò præcepisse Moysi, ut calceos exueret, quia erant ex juncis marinis confecti, ac si apertiùs diceret, sufficiat tibi, quod me vide as inter spinas, ut tu illas sub pedibus tuis non deferas. Non reprobo hanc doctrinam, veruntamen sequor modo explicationem Theodoreti, utpote instituto nostro accommodatiorem, videlicet terram illam, in qua Moyses stabat, fuisse maximè senticosam, plenam vepribus & spinis, & Dominum apparuisse Moysi inter spinas, quæ repræsentabat eas, quibus Ægyptij populum Dei vexabant, & cruentabant. Ideòque idem fuit ac si dixisset: *Gradere nudis pedibus ad me per spinas, inter spinas commorantem accessurus, quidquid laboris tibi contigerit, scias mihi prius contigisse.* Eja Moyses, depone calceos, neque hæsites nudis pedibus transire per spinas, ubi me vides spinis circumdatum, si te punxerint, patienter feras, & si vehementia doloris te magnopere afflixerit, conjicias oculos in me, meum enim exemplum virtutem habet mitigandi dolorem sensus, & dulcorandi asperitatem spinarum. Hac consideratione animatus Sanctus Benedictus, spinas & vepres reputabat flores quia numquam memoria ejus excidebat Christus Dominus, qui amore nostrum fuerat illis coronatus & redimitus.

Exod. 33. v. 5.

Theodor. q. 7. in Exodum.

5. Comparavit aliquando ipse Sponsus charissimam Sponsam suam, sive illa sit Ecclesia, sive anima sancta, candidissimo lilio inter acuminatas spinas: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Non dubito, quin amantissimus animarum Sponsus ea dixerit ad exprimendum amorem, quo dilectissima ejus Sponsa, licet inter senticosas vepres commoraretur, non dedignata fuit eum, uti vera Sponsa, redamare. Verùm ingeniosè advertit noster Cardinalis Hugo: *Sicut amor Sponsæ hic notatur circa Sponsum, sic etiam notatur amor Sponsi circa Sponsam.* Rationem autem hujus subjungit egregiam: *Qui lilium inter spinas colligere vult, aculeos spinarum necessariò patitur;* qui cupit fragrantem carpere rosam, vepribus undique circumdatam, haud dubiè ab illis laceratur, & cruentatur. Hoc itaque fecit divinus Sponsus, qui, ut Sponsam suam ex spinis & dumetis culpæ, seu peccati eriperet, vulneratus fuit, neque pensi fecit sanguinem, aut vitam, quam pro ea liberanda profundere debebat: *Istud lilium de medio spinarum colligens, aculeos spinarum passus est, persecutorum morsiones sustinuit.* Et prosequens hic magnus Doctor piissimam suam meditationem conatur eam hac insigni metaphora illustrare: *Fecit autem Dominus, sicut canis venaticus, qui feram insequens, caput inter spinarum aculeos immittit, non timens exulcerationem, ut feram capiat.* Nonne experimento didicistis, quanta aviditate aliquando canis venaticus inhiat capiendæ feræ, quamvis hæc, ejus fugiens rabiem, & furorem, sese abscondat inter vepres & spinas, non desistit tamen ille, sed spernens, & flocci faciens aculeos veprium, in medias se conjicit spinas, etiamsi totus laceretur, dummodò feram intercipiat: *Nonnè sic fecit Dominus?* nempe venator animarum nostrarum factus: *Ecclesiam enim quasi feram inter spinas extraxit, sed punctiones spinarum usque ad sanguinis effusionem sustinuit, in cujus signum coronam spineam portavit in capite, suprà Crucem.* Dummodo hominem redimat, omnibus spontaneè sese exponit periculis, injurijs, ignominijs, & opprobrijs, & etiam caput inter spinas immittit, & pretiosum sanguinem suum largissimè profundit, quemadmodum caput spinis coronatum liquidò manifestat, & attestatur. Quid igitur mirum, quod Sanctus Benedictus medias se conjiciat in spinas, & in iis volutetur usque ad effusionem sanguinis, ne perdat aut amittat Deum, qui prius ut eum lucrifaceret, non dedignatus est idem subire spinarum tormentum neque hoc solo contentus fuit ejus amor, ut sanguinem daret, sed etiam propriam vitam pro hominum salute donavit.

Cant. 2. v. 2.

Hugo Card. hic.

Vulnera illa voluntariè suscepta, sunt pensiones amoris, quas Sanctus Benedictus Christo rependit. Annotavi quendam locum in sacra Scriptura satis implexum, & difficilem intellectu, propter varietatem expositionum, quas sacri Interpretes super illum excogitarunt. Loquitur sacer Textus de Rege Ioakim, & inter alia hæc addit verba: *Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo,* id est, maxima, & execrandissima fuerunt ejus scelera, & horribilissimæ ejus abomina- 6.

2. Paral. c. 36. v. 8.

ominationes, quæ autem, vel quales fuerint eius abominationes, & iniquitates, non liquet ex sacro contextu. Omittendo varia Authorũ placita, eaque in alias occasiones differendo, sequemur modò doctissimum Lyranum, qui utpotè habens maiorem suorum notitiam, & versatissimus in antiquis suæ gentis Traditionibus, dicit, quòd Ioakim in obsequium, & honorem Idolorum, quæ secretò amabat, & eis se devinctum profitebatur, inciderat corpori suo vulnera quædam, ad patiendũ aliquid pro Idolorum amore: *Stigmata, & figuras, quas fecerat in corpore suo in honorem Idolorum.* Hic est sensus litteralis, quem altiùs mysticè seu allegoricè exponere aggredior. Dico itaque, si Rex iste in servitium, & honorem falsorum Deorum, qui erant veri dæmones, vulnera verit, & cruentaverit corpus suum, ad exhibendum eis argumentũ gratitudinis pro beneficiis, quæ illis neutiquam debebat, quantò potiori iure consauciat, & lacerat S. Benedictus corpus suum propter amorem veri Dei, in aliquantulam saltem satisfactionem plurium beneficiorum, quæ à sua divina Maiestate, summa largitate, recepit; valdè æquum fuit, & rationi consentaneum, ut unus daretur Sanctus in Ecclesia Christi, qui amore illius corpus suum plagis, & stigmatibus repleret, ne aliquãdo dici possit minus potentem fuisse gratiam, quã peccatum, quòdque fuerit aliquis qui maius quidpiam præstitit pro dæmone, quam alius pro Deo. Videat igitur mundus, & intueatur S. Benedictum pro amore Dei lacerum, & sauciatum, quia viditChristum pro amore sui vulneratum, & spinis coronatum. Et liberet hic gloriosus Sanctus mundum ab obligatione, cui adstrictus erat, ut tandem confidenter dicere possit cum S. Petro, quòd secutus, & imitatus fuerit modo possibili ipsum Redemptorem: *Et secuti sumus te, &c.*

Lyran. hic.

Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes, &c.

Consideratio V.

Sacra Familia S. Benedicti est officina quædam Sanctorum, cui videtur gloria, titulo, & iure quodam hæreditario annexa, & adstricta.

1. **I**N renumerationem, & præmium renunciationis, qua Apostoli reliquerunt omnia bona sua, promittit illis Christus Dominus beatitudinem æternam; quia pollicetur eis quòd in extremo universalis iudicii die erunt assessores eius, & omnibus, qui eum secuti fuerunt, certam spondet æternæ vitæ possessionem Existimo ego, & tamquàm indubitatum mihi persuadeo, hæc Salvatoris verba singulariter fuisse dicta sacræ Benedicti Familiæ; quia in illa potius, quam in ulla alia, maximè viget perfecta abnegatio omnium, quæ mundus habet, aut donare potest. Iam dudum adnotavit, quod ego probare contendo, Plutarchus in quadam Oratione, quam cõscripsit de fortuna Regis Macedonum, ponderans factum illud Xenocratis Philosophi, cui cum Alexander Magnus mandavit offerri quinquaginta talenta auri, respuit, & recusavit Philosophus animo plusquã virili munus sibi à Rege destinatum. Premit ingeniosè Plutarchus duas heroicas actiones, & prorumpit in has voces: *Xenocratem laudamus, quòd dona missa ab Alexandro quinquaginta talenta auri non accepit, dantẽ non laudamus, an quia nõ à largiente sed potiùs non accipiente, contemni pecuniam putamus?* Admirationem causat Philosophum nõ recipere pecunias, & non parit admirationem Regem illas dare? Reverà maioris facio dare, quàm donatas recusare. Et si vobis minus esset dare Regem ex suis, quàm Philosophum non acceptare munus oblatum, ideo erit, quia videtis Principem remanere divitem, & opulentum, etiamsi aurum donet; pauperem verò Philosophum, qui non acceptando, manet absq; sublevamine suæ paupertatis, egenus ut anteà, ex stimatis plus fecisse. Attendite quæso, ad id quod iam dico, in sacra Religione S. Benedicti, fuit id, quod defuit Alexandro, ad superandam generositatem Philosophi, maius enim est relinquere omnia, & nihil sibi retinere: *Ecce nos reliquimus omnia*, quàm abdicare quædam, & possidere aliqua, uti latius alibi expendimus cum Angelico Doctore S Thoma enucleante verba illa Paulina: *Qui propter vos egenus factus est* Ubi notat S. Doctor quod Paulus, loquens de summa paupertate Christi Redemptoris, non dicat, Salvatorem amore nostrum fuisse factum pauperem, sed egenum, & mendicum, quia ille pauper est, qui, tametsi pluribus careat, quædã tamen habet, & possidet verum mendicus est, qui nihil habet, & omnibus caret: *Et fuit egenus*, inquit S. Thomas, *quòd plus est, quàm pauper. Nam egenus dicitur ille, qui*

Plutarch Orat. de Fortun. Alexand.

2. Cor. 8. v. 9.

D. Thom. hic.

qui non solùm parùm habet, seu eget: pauper verò ille, qui parum habet.

2. Dicite, amabò, nonnè aliquando audivistis fieri mentionem sancti illius Imperatoris Lotharii, qui erat filius Imperatoris Ludovici, nomine Pij, quòd post administratum Imperium totius Occidentis per quindecim annos, ad portas Conventus S. Benedicti abdicaverit coronam, & sceptrum Imperatorium, & assumpserit monasticum cucullum? Nonne etiam audistis de nepote eius, Imperatore huius Europæ, de Hugone, inquam, qui viginti annis rexit habenas imperii, & ad ingrediendum monasterium S Petri in Burgundia, renuntiavit Imperio, cunctasque opes suas, quāvis ingentes, amore Christi repudiavit, ut pauper fieret monachus? Eamdem insecutus est semitam Imperator Adrianus, & (quemadmodum iam paullò ante diximus) plures alii Imperatores, Reges, Duces, Marchiones, Comites, aliique nobiles Latini, & Græci: quis dubitet, quin plus fecerint relinquendo omnia, ut fierent mendici, quàm si abjicerent & abdicarent multa, & solum pauperes remanerent? Accipite illud unicum totius mundi exemplum S Petri Confessoris, quem postmodùm Ecclesia albo Sanctorum, uti Confessorem, adscripsit, quem sacrum Cardinalium Collegium vacante sede Apostolica per obitum Nicolai IV. jussit perquiri in deserto Apuliæ, ubi, repudiatis omnibus sæculi dignitatibus, vitam solitariam agebat, neque ullum ambiens honoris locum, eumque unanimi Spiritus sancti voto, Pontificem elegerunt, & dignum primi Petri successorem supremæ cathedræ & sedi præfecerunt, quam cùm circiter quinque mensium spatio gubernasset, tandem neque supplicationibus publicis, neque lacrymis rogantium commoveri, neque importunis Caroli Regis Neapolitani, aut aliorum Principum precibus, quamvis flexis genibus ardentius instarent, adduci potuit ut Pontificatum non abdicaret, imò potius formavit, & edidit Decretum, quo sancitum, & statutum est, Pontificem posse cedere, & renuntiare supremæ totius Ecclesiæ dignitati. Soli monachi S. Benedicti norunt hoc facere, quia hactenùs, usque in hodiernum diem, de nullo alterius conditionis simile quid scriptum reperio. Tandem ad portam eremitorii seu tugurii sui, in quo monachicam vitam agebat, disposuit sacram tiaram & rediit ad primæ suæ vocationis institutum, & iure merito, quia maluit esse S Petrus Confessor, & monachus, quàm Papa Celestinus V. Nescio, quid habeat esse monachum, nam omnia repudiantur ad obtinendum illum fœlicissimum vitæ statum. Et ego magis admiror de iis, quæ magnates illi abdicarunt, ut fierent monachi, quàm de omnibus illis supremis dignitatibus ad quas è Religione fuerunt avocati, & assumpti.

Nec mirum, omnes enim honores, & dignitates, quantumcumque eminentes, sceptra, & coronæ Imperatorum angustiores sunt, & nihil statui monastico comparatæ: quia ut divinè dixit S. Dionysius Areopagita: *Omniū initiandorum excellentior, & sublimior ordo, monachorum est sancta distinctio, expiatione omni, tota virtute, atque exactissima suarum operationum castitate mundata. Unde sancti præceptores nostri divinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim therapeutas, id est cultores à sincero Dei famulatu, atque cultu, partim monachos ab individua, & singulari vita appellantes, ut quæ illos sanctis divisibilium complicationibus, in divinam, & Deo gratam monadem, perfectionemque promoveat.* Monachi omnibus divisibilibus vitis, quæ ad implicationes mundi, & negotia sæcularia tendunt, & à verorum & unorum contemplatione amovent, atque distrahunt, omninò renuntiant, ut soli Deo super omnia diligendo uniantur. Vel, ut Author noster ex eodem S. Dionysio clarioribus verbis refert: *Monachi sunt, qui rebus visibilibus relictis, Monachi, scilicet, divinitati soli placere contendunt*; & res manifesta est, iuxta doctrinam S Pauli, *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*, ac proinde unum cum Deo efficiuntur, & consequenter gaudent titulo, & privilegio beatorum. Aliquando attonitus, & stupefactus consideravi Regem Davidem in habitu & vestimenti genere, quo eum nobis sacra exhibet Historia. Rem enarrabo; Dum Arca Testamenti ad decentiorem transferretur locum, totus populus ludebat corā Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis &, lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis, quibus omnes jubilum cordis sui exprimere gestiebant. Neque S. Rex David minora lætitiæ suæ indicia exhibuit, quia ad sonitum citharæ suæ, *Saltabat totis viribus ante Dominum*, mille gestus & modos ad numeros saltantium exercebat. Et notat sacer Historicus, Davidem tunc nō fuisse indutum purpura regali, *Porrò David erat accinctus ephod*

3.

D. Dionys. Areop. de Eccles. hierarch. c. 6

D. Dionys. de cœlesti hierarch. c. 6.

1. Cor. 6. v. 17.

2. Reg. 6. 14.

ephod lineo. Itaque David depositis regalibus vestibus, hanc vestimenti assumpsit formam. Investigant hic sacrarum litterarum Scrutatores, quam formam, aut figuram habuerit hoc vestimenti genus? Doctissimus noster Hugo Cardinalis asserit fuisse ad modum cuculli monachorum: *Quodam vestimento ad modum cuculli monachi facto.* Et notat præterea materiem huius vestis fuisse ex lino, non serico, bysso, purpura, aut quavis alia pretiosiori, idque in signũ humilitatis: *Non pontificali, sed linea veste, causa humilitatis.* Mox, ut hanc eminentissimi nostri Cardinalis doctrinam inveni, omnem deposui admirationem, & stuporem, & cœpi mihi firmiter persuadere, Davidem exuisse vestimẽta regia, ad induendum habitum unius Monachi, quia judicabat, quòd dignior, & honestior appareret coram Arca, quæ Deum repræsentabat, indutus cucullo Monachi, quàm regio cultu adornatus. Forsitan prophetavit hic facto: sicut & verbis prædixit, quod in aurea ætate legis gratiæ, facturi erant Principes Christiani, deserentes omnia, & deponentes diademata sua, eaque cum paupere cucullo S. Benedicti commutantes, quasi hic foret certum salutis suæ asylum.

Hugo Card. hic

Insignis fuit meditatio B. Ruperti Abbatis dignissimi sacræ Familiæ Benedictinæ alumni, ad rem nostram ponderantis verba illa, quæ anxius, & cogitabundus Pharao dixit Proceribus Regni sui, videns ingentem, & incredibilẽ populi Israelitici subditione sua captivi multiplicationem: *Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior est nobis. Venite sapienter opprimamus eũ, ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellũ, addatur inimicis nostris expugnatisque nobis egrediatur de terra.* Populus iste, inquit impius persecutor, indies augescit numero, & timendum est, ne rebellet, forsan consurgent omnes contra nos, & expugnatis nobis, desolabunt Regnum, & abibunt. Non videtur prima fronte, formalis hic discursus, inquit magnus Tuitiensis: melius dixisset, gens illa nimium multiplicatur, verendum est, ne nos debellet, & subiugato sibi Imperio, servi nostri nobis dominentur, quia exploratum est, & cunctis notum, quòd victores non expugnẽt Regnum, aut urbem aliquam ad deserendum illam, sed ad occupandum, mox quippe capta civitate reparant mœnia, formant propugnacula, & nova extruunt ædificia, quibus omnibus securitati & incolumitati debellatæ urbis prospiciant.

Exodi 1. v. 9. & 10

Qui igitur dixit Pharao, *Expugnatisque nobis egrediatur de terra?* Ad intelligentiam horum verborum non est attendendum ad corticem litteræ, inquit Rupertus, neque ad ea proferentem, sed ad Spiritum sanctum, qui per os eius, licet peccatoris, sicuti per os Caiphæ loquebatur. Et in hoc sensu rectè dixit Pharao, & locutus est in nomine iustorum: *Expugnatisque nobis egrediatur de terra, quia cœlum eos expectat:* quasi diceret, veri servi Dei, etiamsi Regna occupent, & expugnent, ea tamen amore ipsius deserunt, quia oculos conjiciunt in Regnum æternum, quod eos expectat. Et forsitan S. Abbas alludit ad plurimos Reges, qui abdicantes Regna sua, ingressi sunt Ordinem S. Benedicti, certò sibi persuadentes, idem esse abdicare Regna, & assumere cucullum monachi, ac adscribi Catalogo Sanctorum, &, (etiam in hac mortali vita) inchoare vitam beatorum.

Rupert. hic.

5. Curiosius observavi, quòd Christus Dominus iustos, seu prædestinatos, qui in extremo judicii die erunt à dextris eius, appellet benedictos, quod idem est ac Benedictini: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei.* Egregio acumine præmit hæc verba doctissimus Origenes, quòd Christus nõ vocet eos dumtaxat benedictos, sed benedictos Patris, ad exprimendum excellentiam benedictionis eorum, quia sunt benedicti ipsius Dei, qui fecit cœlum, & terram, &c. *Vocat autẽ illos benedictos Patris, addito benedicti Patris mei, ut eminentia benedictionis eorũ manifestaretur, qui benedicti sunt à Domino, qui fecit cœlum, & terram: & forte quia sunt aliqui, qui benedicti quidem sunt, non autem Patris.* Habet etiam mundus suos benedictos, nimirum Principes, & Magnates, qui in opinione hominum pluris æstimantur, certum tamen est illos, qui illustrati sunt gratia divina, floccifacere omnes illas benedictiones, easque postponere ad fruendum veris illis benedictionibus, quas Deus promisit filiis S. Benedicti, & mysticum eorum nomẽ exprimit, videlicet, esse illos collocatos ad dexteram, quæ est locus electorum: *Tunc dicet Rex &c.* Aliquoties recogitavi, quamobrem Deus fecerit cœlos adeo magnos, & amplos, cùm respectu orbis universi, iuxta verbum S. Matthæi, incolæ & inhabitatores eorum sint futuri adeò pauci, *Multi sunt vocati, pauci verò electi?* verum quando video tam innumeram multitudinem Sanctorum huius sacræ Religionis iam non videntur mihi cœlorum spatia esse

Matth. 25. v. 34.

Origen. Tract. 34. in Matt.

Matth. 22. v. 14

magna, aut ampla, quinam enim cœli reperiri possunt, qui triginta millium Monasteriorum monachos capiant, & excipiant, omnes namque salvabuntur, si habitum, professionem, & regulam gloriosi sui Patriarchæ exactè observarint. In cuius rei confirmationem tamquam certa, & indubitata habetur revelatio illa, quæ in Chronicis eiusdem Ordinis describitur, nimirum hanc sacram Religionem permansuram usque ad finem mundi, & Deum illius opera usurum in maximis Ecclesiæ suæ tempestatibus, & denique nullam sub hac professione monachali animam fore damnandam. Videte, qualiter magna pars benedictorum, seu prædestinatorum, erunt Monachi Benedictini, & illis specialiter loquetur Redemptor noster, quando omnes vocabit ad Regnum suum: *Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum, &c.*

6. Conspirent igitur contra illos omnes tartarei ministri, quemadmodum Satanas, à sanctissimo eorum Patriarcha vim perpessus, eum per contumeliam non Benedictum, sed Maledictũ appellabat: *Maledicte, & non Benedicte*, conspirent, inquam, omnes adunatis viribus, quia solis verbis poterunt eos lacessere, non mordere, ideircò enim depingunt S. Benedictum, cum diabolo ad latus, quasi de illo subiugato triumphantem, quia videtur Christus Dominus, postquam dæmonem superasset, ei concessisse, ut illum, tamquam victoriæ suæ trophæum, circumduceret; quapropter nullos deinceps, post relatam carnis tentationem, stimulos persensit. Poterunt igitur dæmones illos tentare, sed non superare, illos aggredi, sed non vincere, oppugnare quidem, sed non cum triumpho expugnare. Notissima est Historia impudentissimæ illius audaciæ, qua Cham turpitudinem patris sui detexit, quam obtegere debebat. Vult eum Noë corripere, & dicit: *Maledictus Chanaan*, & hic erat filius Cham. Sed, quomodo, quærunt sacri Interpretes, castigatur Chanaan filius, cum parens eius sit reus criminis? Plures, sequentes doctrinam S. Ioannis Chrysostomi, dicunt, Deum, quando vult infligere crudelius supplicium quod etiam intima cordis penetret, tunc plectere filium propter peccatum Patris, qui magis sentit pœnam & cruciatum filii, quàm si ipsemet supplicio afficeretur: *Patres sæpenumero orant, ut filiorum pœnas ipsi ferant, & gravius est illis videre filios supplicio affici, quàm si ipsi iis forent obnoxii.* Verum proposito nostro accommodatissima est alia solutio quæstionis, quam idem S. Doctor in eadem homilia assignat: *Ne videatur maledicere quem semel Deus benedixerat; prætermisso illo, qui se contumelia affecerat, filio maledictum intulit.* Nonne recordamini illius, quod sacra Scriptura in eodem capitulo recenset, Deum, videlicet, benedixisse Noë, & filiis eius? *Benedixit Deus Noë & filiis eius.* Hæc itaque causa fuit ob quam Noë, non fuit ausus maledicere Cham, sed transtulit maledictionem in Chanaan, ut pœnam lueret parenti. Qui possum ego, inquit sanctus vir, maledicere filio meo Cham, si iam benedictus est à Domino? Nullus potest maledicere illi, qui iam divinam accepit benedictionem. Bapropter in vanum antiquus animarum hostis quidpiam molitur contra S. Benedictum, aut eius filios, & quamvis totus infernus, omnesque tartareæ potestates consertis viribus conspirent contra illos, frustra fatigantur, oleumque & operam perdunt. Satis est, quòd sint benedicti à Deo, electi, & prædestinati ad Regnum eius, in quo æterna perfruentur gloria. *Ad quam nos perducat, &c.*

Gen. 9. 25. 26.

D. Chrys. hom. 29. in Genes.

Ibidem v. 1.



TRA-

TRACTATUS XI.

IN FESTO


Inclyti Regis, & invicti Martyris,

S. HERMENEGILDI.

NOTA hoc Festum esse valde celebre in Hispania, maxime in Civitate Hispalensi, cujus est Patronus, & quamquam in hisce Provinciis vix notus sit Sanctus, nolui tamen intermittere hunc Tractatum, quia plura, eaque curiosa continet, quæ facile Evangelio unius Martyris accommodari possunt.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & uxorem, & filios, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Luc 14. cap.



SOlemni applausu celebrat hodie sancta Mater Ecclesia Festum inclyti Regis, & invicti Martyris, singularis Patroni, illustrissimæ Civitatis Hispalensis sancti, nimirum Hermenegildi. In cujus celebritate cantat Evangelium, in quo Christus Dominus, tamquam supremus belli Dux in campo Ecclesiæ militantis, novum conscribit militem, & publica voce præconis omnes ad certamen, & bellum invitans, arma consignat suis ad præliandum, Cruces, Martyrium, & tormenta: *Et qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus.* Hostes autem contra quos bellum indicit, sunt parentes, fratres, sorores, & uno verbo, omnes proximi, imo, & propria vita. Vulnera vero, quæ ipsis infligenda præcipit, sunt odium, contemptus, & vilipendium ipsorum. Totum hoc denotant verba Thematis jam proposita: *Si quis venit ad me, &c.* quæ hunc reddunt sensum: scilicet, solum Deum esse amandum, & omnia ipsi contraria aversatione quadam esse detestanda. Durum profecto mandatum, & severa sententia, quam homo sexcenties millies mallet potius exequi in se, quam in parentes, & chara amoris naturalis pignora. Ast ad hæc omnia animari debet homo, quia ad expugnandum Regnum cœlorum, quod est præcipuus hujus quæstus, & victoriæ scopus solus *Deus* est omnibus præferendus, & cætera sunt repudianda, aliter enim est impossibile consequi id, quod labore nostro acquirere contendimus. Hæc est brevis totius Evangelij synopsis, cujus vivum exemplar fuit invictus, & gloriosus noster Martyr S. Hermenegildus. Ut aliqua in honorem Dei, gloriam hujus Sancti, & ædificationem animarum dicere valeamus, omnino nobis necessaria est gratia divina, &c. *Ave Maria*

Si quis venit ad me, &c.

CONSIDERATIO I.

Qui Deum habet, omnium aliarum rerum hujus vitæ curam, & solicitudinem debet securus abjicere, & deponere.

SOlus ille, qui non novit *Deum*, aut quæ sit ejus indoles, & natura, quærit aliquid extra ipsum; qui perspectam sibi habet Dei notitiam,

solo ipso est contentus, & reliqua flocci facit, solum Deum amat, & diligit, & quidquid ei oppositum est, aversatur: *Quid mihi est in cœlo?* ajebat Regius Vates, (fortasse in spiritu Prophetico exhibens personam nostri Sancti,) & *à te quid volui super terram?* Extra te, ô Domine Deus, neque in cœlo, neque in terra quidquam est mihi gratum, & acceptum, *à te*, vel etiam, juxta paraphrasim Doctissimi nostri Hispani, ita loquitur, neque etiam à te, aut à manu tua, quidquam volo, quod sit terrenum, ac si apertius diceret, si res terrenæ sunt, quas largiris, ô Domine, repudio illas, neque mihi umquam placebunt. Hebræus ita legit: *Et tecum non volui*, hoc est, sum ejusdem tecum conditionis, nihil prorsus, sive cœleste, sive terrenum, quod tu non fueris, desiderio meo satisfacit. Etiam verbum, *tecum*, idem sonat, ac in societate tua, ita te solum diligo, ô Domine, ut nolim, quod ullum socium terrenum tecum adducas, tu solus mihi sufficis, neque cupio aliquid mihi supra te adjungi, te solum desidero, te cupio, te amo, te adoro. Ideo Paraphrastes Chaldaicus transfert: *Tecum socium non volui*, nolo alium Deum præter te, tu solus, sine alio summe bonus comprobaris, Loquebatur David experimento edoctus, qui jam probe didicerat, omnia terrena, etiam in societate Dei, & in hominibus avide eum quærentibus, semper esse plena periculis, & ægre posse componi, aut combinari Deum, & res terrenas, seu temporales.

Psal. 72. v. 25.

Episcop. Carcer.

Lect. Hebraic. apud Carcer.

2. Magna ponderatione digna sunt verba patientissimi Iob jam in extremis miseriarum, & afflictionum suarum constituti, sine liberis, sine domo, sine pecoribus, sine servis, & sine omni solatio aut refrigerio: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, & Dominus defuit, aut ipsum deseruit? Nequaquam; igitur nihil amissum, aut perditum est, si Deus remanet, nihili æstimanda est omnis alia jactura; nihil à me abstulerunt, quia Deus præsentiam suam non subtraxit, dummodo ipsum habuero, nihil mihi deest, sed omnibus abundo. Hæc fuit, inquit S. Augustinus, ejus cogitatio, dum sanctus Doctor relata ponderat verba: *Dedit, & abstulit, manet, qui dedit, abstulit, quod dedit.* Et paullo ante: *Subtraxit data, non subtraxit datorem.* Et postea inferius: *Si ea perdideris, adest consolator, qui abstulit, &c.* Omnia, quæ possedi, dedit Deus, perierunt omnia, & remansit Deus; & hoc plus est quam reliqua, deficiat datum, dummodo non deficiat donator, auferat bona dummodo non abeat distributor eorum. Nulla potest mihi nocere tristitia, aut pusillanimitas, qui consolatorem habeo mihi præsentem. Verbum sequens evidentiorem mihi facit veritatem huius conceptus: *Sit nomen Domini benedictum.* Illo enim patefecit præsentissimam suam consolationem. Nonne dicit, sit nomen Dei benedictum? Ergo Deum habet: qui enim benedicere potuisset Deo, tam excellenti merito patientiæ, nisi eum possedisset. Et si eum possideat, non est quod sentiat, aut doleat, quamvis enim Satan omnia possit ei auferre, Deum tamen ab illo non avellet: *Manet, qui dedit, &c.* Hic verus est justus, inquit sanctus Augustinus, qui omne solatium suum habet cum solo Deo, & argumentum manifestum est, quod quis Deum habeat secum, quia ostendit se omnino cuncta temporalia commoda flocci pendere.

Iob. 1. v. 21.

S. Aug. in Ps. 96.

D. Aug. in Psal. 32.

3. Curiosius observavit Philo Alexandrius, quod quando Dominus Deus creavit hominem, jam ei cuncta præparaverat necessaria, ut nullius rei curam haberet, atque hanc fuisse rationem, ut homo omnium rerum sublunarium oblitus, soli Deo vacaret: *Mox ut creatus est homo, paratum invenit quidquid ad vitam opus erat, ut de aliis non curet, præterquam de Deo.* Pulchre excogitatum! Verum mihi non parva sese hic ingerit dubitatio. Quare Deus modo spoliat homines bonis temporalibus, ut se ad illum omnino convertant? *Si quis venit ad me, &c.* Vult, ut moriatur pater, dum filius maxime ejus indiget opera, & mater expiatur filiæ, dum nondum nubiles excessit annos, deficiat uxor, dum præcipue viget conjugalis amor, & bona temporalia, quando summopere, & extreme sunt necessaria? Certe videntur hæ doctrinæ, prima facie, valde contrariæ, & oppositæ. Homo recens creatus inveniat omnia necessaria sibi præparata in mundo, ut soli Deo vacet, & intendat, in præsenti vero statu, omnibus egeat, ut ad Deum recurrat, eumque solum super omnia diligat: ideoque nulla involvitur contradictio, sed fuit potius singularis divinæ providentiæ industria. In ipsis mundi primordiis necdum homo erat illectus rerum temporalium lenociniis, ne igitur sollicitudo, & cura eas conquirendi eum à Deo divertat, æquum est, ut cuncta ad vitæ necessitatem ei præparentur, ut soli Deo adhæreat: verum in præsentiarum tanto amore temporalium irretitus est, tam potentes insidet

Philo Alexand. lib. de opificio mundi.

cordi affectus erga patrem, & matrem, tanto impetu rapit animum uxor, tantaque violentia cogit amor visibilium, ut velit Deus ea deficere, quibus permotus homo, in solo Deo solatium, seu consolationem suam requirat, & tandem experimento edoctus, agnoscat, quòd possidens Deum, omnibus diuitijs, & delicijs affluenter abundabit.

4. Audiamus denuò suauiter resonantem citharam, aut dulce plectrum regij Psaltis, suauissimam enim harmoniam, & consonantiam facit eius musica, cum doctrina quam modò prosequimur: *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius.* Dubitari potest, cur potius nominauerit Iacob, quam alium quempiam, cùm unus sit Deus omnium? Proferant alij opiniones suas, mea autem est, ideò Davidem sic fuisse locutum, quia solus Iacob videtur omnem suam curam, & solicitudinem in Deum posuisse, & illum habens sibi propitium, non timet imminentes sibi afflictiones quascumque, sed ubique securus incedit. Fugit fratrem suum Esau, addicitque ei Deus omnem opem suam in omni, quamvis molesta, peregrinatione: *Ero custos tuus, quocumque perrexeris,* non te deseram, etiamsi exercitus integri turmatim contra te exurgant, & tametsi tu quieto somno dormiueris, ego pro te excubias agam. Remitte curam Iacob, quia bonum Deum habes tibi fauentem, & auxiliantem, affirmat etenim David fortunatam esse animam, quæ Deum Iacob habet adiutorem, dormiat securè in utramque aurem, quasi iam foret beata: *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius.* Et valdè notandum est, Deum hanc protectionis securitatem pollicitum fuisse, quando ei scalam illam ostendit, secundùm dicta Sapientis: *Ostendit illi Regnum Dei,* quæ nonnulli, inhærentes vestigijs doctissimi Lyrani, de hac sacra, & admirabili visione interpretantur. Beatus est Iacob, videndo Deum, & Angelos, & beatus erit etiam ille, qui hunc elegerit in Deum suum, illoque solo contentus, nullum extra ipsum quæsiuerit: *Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius.* Quicumque igitur desideraverit illum habere suum uti Iacob, agat, quod Iacob. Ecquid egit? obliuiscitur domus paternæ, postponit delicias, & amorem matris, nihili æstimat ius primogenituræ, omnes diuitias, & opes negligens, sumpto baculo, peregrinationi se accingit, quemadmodum egregiè ponderant SS. Augustinus, & Chrysostomus, & quia ita exuit omnem rerum terrenarum cupiditatem, & affectum, & confidit infallibili promissioni, & verbo Dei, in omnibus reperit sibi vitę necessaria; idem ergò habebit, & inveniet, quicumque eius exemplum imitatus fuerit: *Beatus, cuius Deus Iacob, &c.*

Psal. 145. v. 5.

Genes. 28. v. 15.

Sapient. 10. v. 10.

Lyran. hic.

D. Aug. serm. 79. de temp. Chrysost. hom. 54. in Genes.

5. Verba etiam, quæ à somno expergefactus protulit, sunt singulari ponderatione digna, & mirum in modum doctrinæ nostræ veritatem corroborant, & confirmant: *Si dederit mihi Dominus panem, &c.* id est, si mihi prospexerit Dominus de cibo, victuque necessario, meque prosperum, & incolumem ad propria reduxerit: *Erit mihi Dominus in Deum,* hoc est, qui mihi nunc Dominus est, erit tunc mihi Deus. At interrogo, quid in hoc singulare præstat Iacob? Absque eo, quòd omnia ista ipsi conferat, nonne illum iam habet Deum? Ita sanè, sed nunc plus faciet habendo eum pro tali, & recordando ipsius, quando eum in prosperitate invenerit. Fuit hæc insignis observatio Chrysostomi: *Futuram prævidens abundantiam, suam declarat gratitudinem.* Nonne iam diximus, Auditores, abundantiam horum bonorum parere oblivionem Dei? imò amor rerum visibilium impedit sequelam Christi. Dicit itaque vir sanctus: *Si dederit mihi, &c.* Vt experimento videas, ô Domine, quantùm te amem, & in nullo alio, præter te, sit fiducia mea, quodque habens te protectorem, uti promisisti, parentum, fratrum, & uxoris obliviscar; si dederis mihi panem ad vescendum, cunctaque alia ad victum, & amictum necessaria: *Reversusque fuero prosperè in domum patris mei,* videbis qualiter prosperitas illa, seu affluentia, non me avertent à Deo meo, quemadmodum in alijs contingit, imò eam ob causam novo titulo tibi devinciar, & te Deum meum habebo. *Erit mihi Dominus in Deum,* quia, ut rectè notat Philo Hebræus, constans est doctrina, & sæpiùs reperta, hoc nomē *Deus* esse relatiuum, ad benefaciendum, hoc verò nomen, *Dominus*, importare mandatum, & imperium: *Benefica potentia Deus nomē est, regia verò Dominus,* igitur, *beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius,* fœlix, ter quaterque beata est anima illa, quæ Deum Iacob habuerit adiutorem, cum illo namque potest obliviscei patris, matris, uxoris, & fratrum; dormiet secura, & immunis ab omni periculo, omniaque ei prosperè evenient, & quamuis ei omnia desint, sicut Iacob, si Deum habuerit, omnia possidebit, & quamquā omnibus valedixerit cum Iacob, & solo baculo in manibus, ad peregrinandū contenta fuerit, erit beata, & quando ei omniū dederit

Genes. 28. v. 21.

D. Chrys. hom. 55. in Genes.

Ibidem v. 21.

Philo lib. de somn.

derit affluentiam, non tamen illius obliviscetur.

6. Eliciamus ex his ad instructionem nostram, & addiscamus quantopere nobis necessaria sit vera rerum temporalium huius vitæ aversatio, & contemptus, illis enim opus est quoad affectum prorsus renuntiare, ut Deum nobis assecuremus, eumque nobis propitium habeamus. Incapax est anima divinæ familiaritatis, & protectionis, toto tempore, quo desideriis carnalibus, aut rerum mundanarum concupiscentiis fuerit illaqueata. Magnum deprehendit mysterium insignis Abulensis, in mirabili illo rerum eventu, quem sacer Textus narrat contigisse Abrahamo, postquam Loth ab illo recessit: *Dixit Dominus ad Abraham, postquam divisus est ab eo Loth: Leva oculos tuos, & vide, &c.* Indagat hic doctissimus Episcopus cur expectaverit Deus usque ad recessum Loth, ad favendum, & familiariter conversandum cum Abrahamo & promittendum illi tam multiplices benedictiones, præsertim cum Loth esset sanctus, & justus, uti in sacro eloquio commemoratur: *Aspectu, & auditu justus erat.* Et appositè ad rem nostram respondet Abulensis: *Notanter dicit, postquam divisus est ab eo Loth, cum enim morarentur simul, non apparebat Deus Abrahæ, cum autem recessit Loth, immediate apparuit ei Deus. Non enim spiritibus circa huius mundi varias sollicitudines occupatis, apparet Deus: sed mentibus ab omni mundanorum strepitu vacantibus.* Non fuit locutus Deus Abrahæ, quousque nepos eius Loth recesserit, ad insinuandum nobis quod ad quiete fruendum Deo, magni interfit, abnegare, & segregare nos ab omni eo, quod à Deo divertere potest. Valde solitarios, & abstractos nos vult Deus, ita ut nihil quod nos impedire aut avertere queat à sua maiestate, penes nos reperiatur. Licet Loth sit justus, sufficit tamen quod sit homo, & consanguineus aut nepos Abrahæ, ut Deus huic suos subtrahat favores, eique familiarem deneget præsentiam.

Genes. 13. v. 14.

Abulensis hic.

7. Scopus Christi Domini in hodierno Evangelio non est alius, quam ostendere, quod qui voluerit eum sequi, debeat solo illo esse contentus. Non præcipit ut patrem, matrem, uxorem, aut fratres odio prosequamur, amorem enim illo um ratio & naturalis propensio dictat, & suadet, quinimo ipse Christus mandat, ut diligamus inimicos nostros, quemadmodum in Expositione horum verborum SS. Ambrosius, & Gregorius Magnus adnotarunt; intendit igitur Redemptor noster, ut sui imitatores non quærant quidpiam extra se in creaturis, sed omnibus renuntient, sicuti ultima clausula Evangelij, sancto Regi Hermenegildo applicata, declarat; jubet enim, ut omnium vilibilium obliviscantur, & cunctas res terrenas vilipendamus, qui illius voluerimus esse discipuli: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Fuit S. noster vivum, & expressum huius Evangelij exemplar. Re, & opere comprobavit se esse solo Deo contentum, qui omnia amore ipsius dereliquit, & tametsi pater eum omnibus exuerit, & orbaverit bonis temporalibus, quia tamen eum non privavit solatio Dei, totus confidit in Deo Iacob, & ipse in omnibus tormentis, & adversitatibus eius fuit promptissimus consolator, & fortissimus adjutor. Imo amore ipsius nedum oblitus est omnium, sed etiam cuncta spernens, vitam suam, charissimum naturæ pignus, pro illo periculosæ exposuit aleæ, & profudit: *Adhuc autem, & animam suam,* quibus dictis exaggeratur totum, quod excogitari potest; vitam homini gratissimam & bonum super omnia naturalia exoptatissimum, patrem, & matrem, fratres, & amicos repudiare, heroicum est, sed vitam tradere martyrio, eamque gladio, & ensi impii lictoris offerre occidendam, hoc supremum charitatis opus est, hæc singularissima amoris divini est excellentia, hæc enim demonstrat se tanti æstimare Deum, ut etiam cuncta amore ipsius repudiet, calcet, & contemnat. Ad testificandum illud opere, & effectu, quod cœlestis Magister docet in Evangelio: *Si quis venit ad me, &c.*

Si quis venit ad me, & non odit, &c.

CONSIDERATIO II.

Vilipendendum, & detestandum est omne illud, quod quoquo modo potest obstare, & nos impedire, quo minus Deum amemus, aut ei serviamus.

MAgnus Ecclesiæ Doctor sanctus Gregorius perelegantèr, & divine declaravit conditionem huius odii, & aversationis, qua prosequi debemus patrem, matrem, & cæt. juxta præceptum Christi Domini in hodierno Evangelio: *Si adversarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo nescimus,* id est, si tales nobis remoram injecerint, aut impedimento fuerint in via salutis audacter licet nobis eos, veluti præscriptos hostes, & adversarios habere, eorumque consilia, & contubernia, tam- 1.

D. Greg. hom. 37. in Evang.

tamquam pestiferum contagium fugere & declinare. Descendit Moyses de monte, & deprehendens populum prolapsum fuisse in idololatriã vituli, quem omnes ex inauribus & monilibus suis conflaverant, vehementer commotus, & affectus zelo honoris Dei in his gravissimas prorupit voces, *Si quis est Domini, iungatur mihi*: hoc est, quicumque fuerit amans honoris Dei, se e locum mihi adjungat, & qui jam jam talem tantamq; Dei injuriam ulciscor, unusquisque districto ense cunctos interimat, nulli parcat, neque fratri, neque amico, neque ulli proximo, omnes ferro & sanguine pereant. Rarum profectò factum, & inauditus rigor. Nunquid enim facilius foret Deo omnes fulmine cœlitùs emisso percussos interficere, quam jubere filiis Levi, ut cunctos, parentes, fratres & amicos gladio trucident?? *Et occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Et quæ manus adeò efferata erit, quæ propriam occidat carnem? quodve cor tam adamãtinum proprium effundet cruorem? Si inimici forent jugulandi, facilis esset executio, quod autem debeant in amicos desævire, proculdubio arduum est, & severum mandatum. Certè videtur supremus Dux populi Israëlitici oblitus divinæ legis, quæ præscribit parentes, fratres & amicos esse diligendos. Quomodo ergò vir Dei vis esse homicida tot viventium? Nonne legis in tabulis illis, quas defers populo promulgandas, *non occides*? Qui igitur ferrò persuades illis, ut omnes occidat, & perimat. Apposite respondet huic dubitationi insignis noster Lusitanus Oleaster: *Propter iniuriam Dei vindicandam, non est curandus frater, non amicus, neque filius, aut uxor.* Quasi diceret hic gravissimus Author, probe quidem noverat Moyses hoc divinæ legis præceptum, quomodo parentes essent colendi, & proximi debitè honorandi: verum etiam noverat omnes illos esse calcandos, & postponendos honori Dei, ubi zelus honoris & cultus divini intercedit, quem jam sacrilegi Idololatriæ Deo negaverant, & conflatili vitulo illi temerario ausu consecraverant. Quapropter præcepit illos enecari, & gladio interimi, ut pro [illegible] ausis, & damno suo tandem agnoscant soli Deo gloriam & honorem esse defendendum & attribuendum. Quo facto etiam nos instruit, licitum esse nobis similes amicos pari modo excipere, uti Moyses cum illis egit. Quicumque enim præsumpserit aut ausus fuerit nos a Deo divertere,

Exodi 32. v.26.

Oleaster hic.

sive pater, sive mater, sive filius aut filia, sive frater, sive amicus fuerit, est manifestus Dei, & noster inimicus, & prudentia Christiana tunc debet esse norma & regula amoris nostri, ne umquàm aliquid displicens Deo admittamus, ut animos hominum nobis conciliemus, aut illis condescendamus: *Propter iniuriam Dei vindicandam, non est curandus frater, non amicus, neque filius aut uxor.* 11.

Alloquitur regius Propheta in Psalmo 44. animam sanctam, Dei sponsam, tot favoribus, & beneficiis ab eo donatam, ut contempletur eam lateri dextro, qui est locus securissimus electorum, assidentem: *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* & nihilominus consulit & persuadet ei, ut nequaquam parentum suorum recordetur: *Obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* Tanquàm apertiùs diceret Deus per os & calamum Prophetæ, propter talem parentem, qualis ego sum, audacter potes oblivisci patriæ & patris tui, neque ideò illud incurre detrimentum, quantò enim mihi in hoc magis obedieris, tanto mihi gratior eris, & majoribus te cumulabo beneficiis: *Et concupiscet Rex decorem tuum.* Et hanc ob causam considera me esse Deum tuum, qui te tanquàm rem meam, unicè diligo & custodio, quasi luculentiùs diceret, Quamquam omnia perdas amore Dei, dummodò eum habueris faventem, omnia tibi erunt ad votum secura & salva. Si hæc anima sancta tot muneribus, & donis est cumulata à Rege, & Sponso suo, ut etiam dextra illius potiatur, haud dubiè tam eminentem dignitatem loci occupantem nullus poterit commovere, & minùs ab eo deturbare. Quorsum igitur tot tantaque consilia, monita & documenta. Quia, inquit apposite ad rem nostram S. Paschasius, hostes sunt ex adverso, & jam aciem instruxerunt, nullus enim est fortior exercitus, nullus, inquam, hostis periculosius infert bellum animæ, quam affectus & inordinatus amor parentum carnalium, ideòque saluberrimum est remedium ad perseverandum in gratia Patris cœlestis, oblivisci domum patris & amicorum, omnemque eorum abjicere memoriam, imò & illos aversando odisse, dum nobis obstaculo sunt, aut impediunt, quo minus Deum ritè amare, aut servire possimus: *Statuitur à dextris, ubi beatorum est locus, & monetur à patre, quoniam ut dixit, adhuc bellandi est tempus.* Et coincidit hoc cum dictis S. Gregorij jam citatis: *Si adversarios in via*

Psal. 44. v.10.

Ibid. v.11

D. Paschas. hic.

D. Greg.

ubi suprà. *in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.*

Dilectissimus simul, & familiarissimus fuit Christo Redemptori nostro S. Petrus, quem & Principem Ecclesiæ constituit, & successorem in suo pontificatu promovit; sed videte, qualiter cum eo agat. cum enim Salvator quodam die sibi Ierosolymis in passione eventura recenseret, Petrus reputans tanta, tamque atrocia tormenta dedecere personam Christi, zelo quodam permotus in has erupit voces: *Absit à te Domine.* Et conversus ad eum Salvator, respondet: *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Satanam eum appellat, quo nomine jam antè dæmonem indigitaverat, dum ad tentandum accesserat: *Vade Satana*, tantummodò illud, *post me* superaddit Petro, quia dæmon posteà dereliquit eum, neque amplius secutus est: *Tunc reliquit eum Diabolus*, at Petrus, licet non modò postea tamen secutus est eum neque intentio Salvatoris fuit eum penitùs a se repellere, sed solummodò manifestare ei, quod tunc similis erat dæmoni volens impedire humani generis redemptionem, quam diabolus ex malitia, & Petrus ex ignorantia interpellare satagebat. Ita observavit Sanctus Hieronymus dicens appellasse eum Satanam, quod idem est ac adversarius, eidem suffragatur Interlinealis: *Vade Satana, scilicet adversarie mea voluntati.* Additque Origenes hoc ex ignorantia promanasse: *Per ignorantiam Deo contrarium sentiebat.* Ad rem ergò, Satanam vocat illum? An forsitan eum non agnoscit, aut nominis illius oblitus est? An ei videtur esse diabolus? Imò, inquit S. Hilarius, conversus est in illum: *In diabolum, per quem illa opinio suggerebatur, conversus hoc adiecit*, quia ei obstabat in negotio Redemptionis. Verùm altius premo, quod quando eum Satanam nominat, jam paulò antè summis honoribus & titulis condecoraverat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, quinimò jam suprema cum potestate ligandi atque solvendi donaverat. Ecquid ergò eum post tot honoris titulos Satanam nuncupat? Meritò sanè. Sed quam ob causam? propter jam dicta: *Si adversarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo nesciamus.* Quia interpellat & impedit viam redemptionis nostræ, nescit eum, & nomen illius ignorare videtur.

Matth. 16. v. 22. & 23.

Matth. 4. v. 10.

D. Hieronym.

Glossa Interl. hic.

Origen. ubi suprà.

D. Hilarius ibid.

Matth. 16. v. 18.

4. Dico itaque, si tam ægrè ferat Christus Dominus interturbatores redemptionis nostræ, quanto potiori jure debet Christianus succensere illis, qui ei in via salutis remoram injiciunt. An fortassè parvi illius interest salvari, aut damnari? An forsitan hoc parvi momenti negotium est? O fili, si pater tuis obstiterit desideriis, si votis tuis renuntiandi sæculo, teque consecrandi Deo non annuerit, eum, tanquàm Satanam, habeto, sicque tibi non pater, sed hostis, & adversarius. Et tu filia, si mater tuam impediverit modestiam & solitudinem, teque voluerit exornatam prostituere, jusseritque ut te cunctis conspiciendam præbeas, consortia juvenum frequentes literas amatorias scribas, aut munuscula acceptes, ab illius consilio & suasu abhorreas, eamque tanquàm tibi inimicam, detesteris, & idem aliis cujuscumque conditionis hominibus dictum & persuasum esse cupio & exopto: *Si adversarios in via Dei patimur, &c.* Neque minor est excellentia legis divinæ fundari in amore, quàm odio, amare bonum, & reprobare malum, hoc quippe ab ipso Christo Domino addiscimus: *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Non semper est pax bona, neque omnis uniformitas & concordia Deo accepta. Contentiones & rixæ inter conjuges, natæ ex eo, quod maritus exigat aliquid ab uxore, dissonum legi divinæ, cui illa non consentit, non sunt jurgia reprobanda. Certè non parum profuisset nobis, si Adam & Eva non fuissent adeo concordes, & uniformes in voluntate, quando Adam cognoscens præceptum Domini, ne illam offenderet omnium nostrum causa fuit perditionis & ruinæ. Bonæ sunt rixæ, & sanctæ dissensiones contra omnes illos, qui nos à Deo avellere, & segregare conantur. Scitote Auditores, tales contentiones à Deo procedere. Ecquid dicis Pater? Dico Deum esse causam similium discordiarum, quæ suæ opponuntur voluntati aut præcepto. Neque hoc reputetis paradoxum, quia testem, & authorem harum dissensionum in medium proferam ipsum Deum. Attendite ipsum loquentem in Genesi: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius.* Loquitur Deus cum dæmone sub forma serpentis transfigurato, qui Evam deceperat, atque illi, ego disseminabo discordias inter te & mulierem, inter posteros ejus, & genimina tua. Enucleatiùs ponderavit hæc ad rem nostram insignis noster Oleaster: *Vides Deum discordiæ esse authorem, ut dicat non esse minoris virtutis malos amicos, seu illorum amicitiam dissolvere,* quàm

Isaia 7. v. 15.

Gen. 3. v. 15.

quàm bonam fovere. Pater & mater, uxor, fratres & amici sunt odio habendi, ubi nobis in via salutis impedimento fuerint: *Si adversarios in via Dei patimur &c.* præstat enim aversari, & odisse omnia quæ naturalis propensio dictat amanda, quàm non sequi Deum gratiæ Authorem, hic namque omninò diligendus est & cætera detestanda.

5. O quam suspecta erat sancto nostro Hermenegildo simulata pax sibi à patre oblata, & fucata illa amicitia, sub cujus specie eum ad Arrianam hæresim pertrahere, in quam ipse factus apostata prolapsus fuerat, eumque à vero Catholicæ Religionis tramite, omni fraude & dolo avocare nitebatur, quem jam ex avunculo suo sancto Leandro hauserat, quapropter aversatus est eum, juxtà Christi mandatum, movitque bellum contra eum, & seipsum Catholicorum Ducem proclamans, munivit quædam oppida, & præsidiario milite, aggeribus & munimentis corroborata sibi propugnanda suscepit. Cudit nummos áureos, quibus sanam intentionem suam insculpsit, depingens in una parte faciem suam in thhono, cum cruce in medio, & in margine hos characteres *Hermenegildi*, in altera verò symbolum victoriæ (quibus generosus Princeps subditis suis calcar, & animum adderet) cum hac inscriptione: *Regem devita*; id est, fuge Regem, juxta præscriptum Doctoris Gentium evitandos esse hæreticos, quorum titulo propter paternam reverentiam eum non insignivit, sicuti neque titulo patris propter amorem filialem: verùm quia Deus cupiebat ei per martyrium commutare diadema terrenum in immarcessibilem æternæ gloriæ coronam, ita omnia disposuit & ordinavit, ut liquidò constaret, quàm floccifaceret Sanctus noster Regnum temporale & totius mundi Imperium. Quia enim (uti in prima Consideratione diximus) maximi æstimabat Deum, & æternum gloriæ Regnum, neque minæ, neque exhæredatio patris, qua cum omnibus exuit possessionibus & bonis paternis, neque arctissimæ carceris custodiæ efficere potuerunt: ut cor ejus emollirent, aut in sententiam patris pertraherent, fides siquidem Catholica in anima ejus radicata nullatenus evelli potuit.

6. Quadrat huic instituto non minus prudens quam devota consideratio gloriosi Ecclesiæ Doctoris Sancti Augustini, super illa verba

Matth. 5. v. 39. Christi apud Matthæum: *Si quis te percusserit in dextram maxillam, obverte ei & alteram,*

Profundiùs enucleat Sanctus Doctor hunc locum, illumque in sensu mystico doctissimè explicat. Si accesserit, inquit ingeniorum phœnix, hæreticus, & tibi alapam impegerit in dextera maxilla, retrahe faciem, ne te in eadem parte percutiat, sed præbe illi sinistram, ut illa ictum excipas & patiaris: sed mox instat ratio dubitandi; quid refert quod Christianus sive in dextera sive in sinistra pro confessione fidei ignominiosè percutiatur, an fortasse illud tanti momenti est, ut præcipiat Redemptor noster, ut servemus dexteram illæsam, & offeramus tyranno sinistram injuria afficiendam? Perpulchrè enodat Sanctus Doctor difficultatem hujus dubii: *Nescio quis venit & vult tibi percutere dexteram, scilicet tollere tibi fidem tuam, tu præbe ei sinistram, scilicet ut illud tollat quod temporale est.* Res notissima est, inquit magnus Pater, latus dexterum esse symbolum fidei, & bonorum spiritualium, & pariter liquet ex sacris literis, per latus sinistrum res transitorias caducas denotari, venit igitur hæreticus depravato animo ad feriendum tuum latus dexterum & seducendum te à vera fide, vel saltem ad persuadendum, ut abneges aliquem articulum fidei: quod nisi feceris, minatur tibi, quod te omnibus bonis, liberis, omnique honore exuet & spoliabit: tunc præbe tu illi generoso pectore latus sinistrum, & objicias vulneri maillam sinistram, id est bona terrena, quæ possides, dummodo dextera illæsa servetur, id est, dummodo fides & bona spiritualia animæ sarta & intecta custodiantur. Ecquis in hoc particulari animosius satisfecit huic Christianæ obligationi quam invictus Rex Hermenegildus? Potiatur Regno hæreticus, inquit Sanctus rapiat sibi totum imperii decus & vendicet sibi Provincias mihi titulo primogenituræ debitas imò propriam auferat vitam, lubens sufferam quævis adversa, dummodo Fides nullam patiatur læsionem, aut detrimentum. Quibusvis sese exposuit adversis S. Hermenegildus à tempore, quo perfido patri, tanquàm hostis, aperto Marte bellum indixit: ne deesset muneri & legi hominis Christiani, quàm Salvator in præsenti Evangelio promulgat: *Si quis venit &c.*

D. Aug. in Psalm. 120.

prium exsudasse sanguinem; & ad hanc veritatem stabiliendam sufficit, quòd S. Lucas eam referat in Historia Euangelica, cuius verba, non hyperbolicè, uti Euthymius, & Theophylactus volunt, sunt intelligenda, ad modum, quo dicere solemus, *sanguineis deplorat lacrymis*, sed litteraliter, & verè, neque ullam movet difficultatem dictum S. Euangelistæ, quod sudaverit quasi guttas sanguinis, *Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis*, quia in sacris litteris hoc adverbium, sicut, vel quasi, non semper significat nudam similitudinem, sed etiam ipsam rei veritatem, quemadmodum S. Ioannes loquitur; *Quasi unigeniti à Patre.* Non aliter intelligenda sunt verba S. Lucæ, nā à temporibus Apostolorum semper hæc de vero sudore sanguineo intellecta fuerunt, uti colligi potest ex SS. Iustino Martyre, Irenæo, Epiphanio, & Athanasio, in quodam Libro; quem inscribit de beatitudine Filii Dei, ubi anathematizat, & condemnat omnes negantes Christum Dominum sudasse verum, & naturalem sanguinem. In eamdem sententiam consentiunt pariter SS. Augustinus, & Hieronymus. Posita hac doctrina, tamquam certa, & infallibili, restat indagandum, quænam fuerit tam admirabilis, & peregrini huius effectus causa? Plures excogitarunt rationes sancti Patres, quasdam litterales, & alias mysticas. Hildebertus Turonensis asserit causam fuisse crucem quamdam anticipatam, quam voluit Dominus ferre, ante aliā, in qua passurus erat: *Sanguineus sudor Crux fuit ante Crucem.* Adeò vehemens erat desiderium, quo anhelabat Dominus ad horam, & tempus profundendi sanguinem suum pro humani generis redemptione, ut amor eius, impatiens moræ, non expectaverit quousque Iudæi eum effunderent, aut è venis extraherent, sed præveniens tempus impulit eum per sudorem anticipatè diffluere

Euthym. Theophil. hic. Luc. 22. v. 44. Ioan. 1. v. 14. SS Iustinus contra Triphon Ireneus lib. 4. contra Haret. c 32. Epiphan in Anch. Athanas lib. 6. ad Theoph. Hieron. lib de trad. Hebraic. Aug. lib. 3. de consen. Euāg Hildeb. de Missa

3. Eamdem considerationem excogitavit quidam Contemplativus, conferens hunc Textū sancti Lucæ, *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis*, Cum illo Canticorum, ubi Sponsa Christum Dominū racemo assimilat: *Botrus Cypri dilectus meus*, ideoque non incōgruè præfiguratus fuit in palmite cū uva sua, quem exploratores in vecte, seu transverso ligno è terra promissionis asportarunt. Ait igitur devotus hic Author; dum uvæ omninò maturæ inferūtur torcular, priusquam exprimantur, solent ultroneè mustū quoddam, stillare, quod distillatum nominatur quia igitur Salvator noster botrus erat, seu racemus, antequam eum exprimerent in torculari Crucis, iam præ maturitate & desiderio patiendi, hoc est, factus in agonia, cœpit manare, & stillare guttas sanguinis sui, qui verè divini cruoris stilla fuit. Et quemadmodum arbor fructibus gravis, & onusta inclinat ramos, iam maturos fructus spontaneè dimittit; ita Christus Dominus, quē S Ioannes Chrysostomus, explicans versum illum Davidicum; *Tamquā lignum, quod plantatū est secùs decursus aquarū*, arborem nuncupat; erat adeò onusta & plena maturis fructibus, ut eos spontaneè carpendos offerret. Æmulatur amorē Redemptoris Hermenegildus noster, & non contentus dare sanguinem suum manibus tyranni, (uti reliqui Martyres) priùs illum offert flagris & disciplinis eliciendum è venis, consolando seipsum in dilatione martyrii à lictore inferendi, cum emanatione sanguinis per flagella è corpore diffluentis: quamvis moras nectat tyrannus, & violentam sanguinis excussionē procrastinet, oblectatur tamen ille voluntaria proprii cruoris per disciplinas emissione. Verè racemus sanctus, qui spontaneè communicat thesauros venarum suarum, antequàm in torculari tormentorum exprimatur. Vere arbor frugifera, & onusta pomis, quæ sine ullius adminiculo, aut attactu, profusissime suos communicat fructus, ut una Crux, alteram præcedat: *Crux fuit ante Crucem*, & tarditatē seu moram crucis à tyranno inferendæ, Crux amoris foveat, & sustinet. Verè Discipulus Christi, qui ad obediendum illius doctrinæ, ita propriam odit, & contemnit vitam: *Adhuc autem, & animam suam*

Fonsec. lib. de vita Christi c. 21. Cant. 1 v 13. Numeror 13. Psal. 1. v. 3 D Chrysost. hic.

4. O quot, quantisque molestiis lacessivit parens Sanctum nostrum, filium suum! Multiplicavit solicitudines, usus est insidiis, & nullum non movit lapidem ad expugnandum eius Fidem, & tandem statuit, decrevitque ad eum mittere Episcopum Arianum, ut ex impia eius manu recipiens sacrilegæ consecrationis communionem, ipso facto gratam, & acceptam sibi esse perversam Arianorum sectam, & hæresim comprobaret: verùm, teste S. Gregorio, illi venienti exprobavit, ut debuit: usq; à se perfidiā dignis increpationibus repulit Et huius habetur Textus in Iure Canonico, in Decreto Gratiani, ubi titulus, qui est postremus quæstionis, ad hunc modum decernit: *Potius est mortem* Decretal. 24. q. 1. cœpit.

accipere, quàm de manu hæretici communionem accipere. Nullatenus labefactari potest constantia Martyris; augeantur, inquit, carceres & vincula mea, multiplicentur rigores, sæviant indies persecutiones, veniant quotidie ad me importunius molestandum, nihil ego horum pertimesco, quinimò cupio magis magisque opprimi, & idcircò hocce cilicio corpus meum præmunio & corroboro: *Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Certè si pater prudens fuisset, illicò debuisset eũ è carcere dimittere, ne videns invictã filii fortitudinem, postea confusus remaneret. Nequis enim modus timẽdi mortẽ, & vincula, ut potè qui illis cilicium, & flagra superaddit: Ideo prudenter Dacianus præcepit S. Vincentium dimitti ergastulo carceris, timens ne ab illo superatur, uti egregiè ponderat S. Leo Papa: *Citius, inquit Dacianus, producatur è carcere, ne dum infirmum rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare.* Rebellionem vocat tyrannus patientiam S. Martyris, atque, exeat statim è carcere, ne nos superans sua constanti tolerantia, victor evadat, & potentiam nostram confundat. Ita sanè facere debuisset Leovigildus cum filio suo. Cilicio vestitur? durius increpat Episcopos ad se missos? quotidiè Fides eius augescit, & firmatur? *Citius producatur è carcere*, Apage, exeat, ejiciatur foras.

D. Leo Papa ser. de S. Vincentio.

5. Sed tandem decretum fuit ut è manu patris coronam martyrii reciperet. Pater enim, audito responso Episcopi Ariani infremuit, statimque suos misit apparitores, qui mox, ut ingressi sunt locum, ubi Sanctus jacebat, securim in cerebro eius infigentes, vitam corporis abstulerunt, quo pacto martyrium Rex à Patre recepit. Annè decreto, & mandato patris? Hoc maximè extollit meritum, quòd author vitæ sit eiusdẽ gladius, & interemptor. Nullæ candẽtes laminæ, nulli equulei, nullæ catastæ tyrannorũ adeo crudeliter torquent, aut excruciant. Descendit supremus omnium arbiter judicaturus impium fratricidam, perfidum, dico, Cainum omnium totius mundi scelestissimum homicidam, & exigit ab eo exactissimam rationem sceleris, quod contra innocentem Abelem proditoriè commiserat; atque illi: *Ubi est Abel frater tuus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et tantis clamoribus instat apud me tamque acriter vindictam inclamat, ut necessarium sit scelus examinare, & reũ condemnare, ipsa terra testis & judex est, ipsa, inquam, parricidii tui sanguine madens, vehementer sententiam solicitat. Quid hoc, ô Domine Deus, inquit gloriosus S. Ambrosius, iam primùm incipis litem contestari, causam examinare, & præ omnibus reum citare in testem vocas? Non capio, neque intelligo, non enim usitatus est hic stylus in tribunalibus iustitiæ, sed primò examinantur extranei testes, deinde, audita eorum informatione, & tandem reo ad iudicium citato, proponitur crimen, quo convictus, tandem condemnatur. Fateor, inquit Sanctus, hanc esse mundi praxim, sed noluit Deus hanc servare iudicii normam, in causa impii fratricidæ, idque hanc ob causam, quia nulli supererant, qui in testes vocari poterant, nisi soli parentes Adam, & Eva, noluit autem Deus illos, qui fuerant Authores vitæ, essent occasio ipsius condemnationis. Introducit S. Ambrosius Dominum Deum hisce verbis loquentem Caino: *Parentes tui accusatores esse nõ possent. Nolo enim ut ea necessitudo quæ est causa salutis, fiat author periculi. In te solo natura leges suas amisit, & quidẽ ubicumque verus Dei datur cultus, veraq; servatur religio, nullum filium accusant parentes; ne propinquitas, & necessitudo, quæ est author salutis, fit author periculi.* Te voco in testẽ criminis tui, quia nequeũt parentes esse accusatores tui, ne qui sunt causa vitæ, sint occasio damni, tu solus primus mundi Hæreticus violasti jura naturæ, non parcendo sanguini tuo, & lædendo officia germanitatis, neq; ullibi tanta reperitur impietas, ut parentes, qui sunt principia vitæ filiorum, sint causa ruinæ, & mortis eorumdem. Hocce impiissimum scelus, hæc, inquam, inaudita tyrannis, quam Deus non consentit dari in ipsis mundi incunabulis, permisit fieri, & perpetrari in tempore, & sæculo nostri Sancti, ut tormentum, quod scelestus Cain non persensit, innocens Hermenegildus experiretur. Et ut proprius pater, qui fuerat author vitæ suæ, etiam foret martyrii, & mortis suæ executor: sed quid magnopere mirandum, quòd violet iura naturæ, qui legis divinæ mandata non observat; Hæc itaque circumstantia martyrii & mortis sancti Regis Hermenegildi singulariter illustrat eius passionem, & mirum in modum extollit generosam eius constantiam, & patientiam.

Genes. 4. v. 9. & 10

D. Amb. lib. 2. de Cain & Abel c. 9.

Servit apprimè huic instituto celeberrimum illud S. Pauli dictum: *Qui etiam proprio Filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Summis quidem laudibus extollit 6.

Rom. 8. v. 32.

S. Paulus

aulus immensum æterni Patris amorem erga homines, quo adactus, quodammodo natiuæ suæ pietatis oblitus, dilectissimum filium pro salute generis humani crucifigendum tradidit; sed videtur Filius non mediocriter sentire hanc severam Patris desertionem, quia à Patre derelinquebatur: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quare non vocat eum Patrem, dum amabili querimonia arguit Patrem oblivionis, & immiseri ordiæ quia afflicto non succurrit? Dum animam suam illi commendit, patrem nuncupat: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Imo dum pro crucifixoribus exorat, Patrem interpellat: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt, &c.* Verum quando lamentans conqueritur se derelictum, & manibus persequentium tyrannorum expositum, (ita siquidem explicat hæc verba Origenes: *Dicitur autem Deus eum dereliquisse in morte, quia potestati persequentium exposuit;*) non Patrem, sed Deum nominat, ne vehementius viscera eius commoveantur, destitui enim solatio, & auxilio patris, maxime luctuosum, & lamentabile est. Laudetur igitur, & summis encomiis celebretur excellentia meriti, & doloris S. Hermenegildi, quia mortem recipit à Patre, qui eum genuit, vitam enim non amabat, sed potius flocci faciebat, unde eam auferentes, nihil effecerunt: *Adhuc autem, & animam suam*, eamque summis votis Deo offerre cupiebat: *Vitam corporis abstulerunt*, ait S. Gregorius, *hocque in eo valuerunt perimere, quod ipsum, qui peremptus est in se constiterat despexisse*: id est, hoc tantummodo perdidit quod despexit, neque umquam fortunatior, quam quando hodie vitam, & sanguinem pro Deo effundit. In unico temporis momento vidit seipsum sine vinculis, quia anima eius tota, inenarrabili gaudio perfusa, ex turri custodiæ & ergastuli sui ad montem, & turrim divinæ visionis evolavit, & ideirco instantanee, *Ceciderunt catenæ de manibus eius.* & loco catenarum palmas in manibus suis conspexit, *Palmæ in manibus eorum.* Imo ingeniose adnotavit doctissimus noster Hugo Cardinalis super illa verba Psalmi: *Iustus ut palma florebit*, folia palmæ esse gladio simillima, ad denotandum, ensem illum, quo tyrannus ferit caput martyris, converti in palmam, quæ est insigne, quo victores coronantur.

Matth. 27. v. 46.

Luc. 23. v. 46.

Orig. in Catena D. Thom.

D. Greg. lib. 3. Dialog. c. 31.

Act. 12. v. 7.

Apoc. 7. v. 9.

Hugo. Card. in Psal. 91. v. 12.

7. Præterea, *Lumen refulsit in habitaculo carceris*, nocturno tempore, ad corpus eiusdem Regis & Martyris, accensæ lampades apparuerunt, isti refert sanctus Gregorius, & concentus Angelici cœperunt audiri, ad celebrandum ingressum in novum Regnum, quod jam veraciter Rex, quia Martyr, lætus occupabat. O Martyr sancte! ô Rex fortissime! quam generose comprobasti nobilitatem sanguinis Gothorum, qui in venis tuis dominabatur, quemque tanto animi robore, & promptitudine pro Christo effudisti. Vere sanguis, quo Evangelij nostri veritas firmatur, & signatur; sanguis quippe unius Regis profusus in defensionem legis divinæ, est validissimum Christianæ Religionis argumentum. Omnis quidem sanguis Martyrum laudat Dominum, & benedicit, sed tuus, quia regius est, & nobilior, magis Fidem illustrat. Unus Rex mortuus, ne fidem Deo datam frangeret, mirum in modum veritatem Catholicæ Religionis nostræ confirmat. Non magnopere admiror Deum tot tantisque miraculis mortem huius Sancti cohonestare, à quo tam heroicis factis honoratur. Descendant igitur è cœlis faces accensæ, quæ animam comitentur, & lampades ardentes, quæ corpus illuminent, veniant cantores cœlici, qui suavi modulamine victoriam eius decantent. Sed quam psalmodiam concinunt? Auscultate, & attendite voces, quia verba Psalmi, unius Regis intonant, qui ineffabili gaudio perfusus, Deo pro beneficiis acceptis gratias referebat: *Domine, in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum, exultabit vehementer.* Lætetur, inquam, hodie Rex, quia Deo Salvatore suo perfruitur, sitque gaudium eius plenissimum, *Exultabit vehementer*, omnia etenim gaudia huius mundi, etiam Regum, sunt caduca, & brevia: *Desiderium cordis eius tribuisti ei; & voluntate labiorum eius non fraudasti eum*, jam videtibi omnibus desiderijs suis abunde esse satisfactum, & omnes petitiones suas esse adimpletas: *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso;* benedictionibus æternæ dulcedinis cumulasti Regem, & corona de lapide prætioso coronasti eum, & coram universo orbe exornasti.

Act. 12. v. 7.

Psal. 20. v. 1.

Ibidem v. 2.

Ibidem v. 3.

8. Quando, Auditores mei, audiveritis laudari Reges Hispaniæ, tamquam Catholicos, & justos, respicite ad granum, & semen, quod fuit sanguis Hermenegildi, hic enim tamquam granum


num cadens in terram, producit fuctus Religionis, & sanctitais, & regiminis, quo Hispania nostra ditatur, omnes etiam illustriores Sancti, quos Hispalis protulit Ecclesiæ sanctæ hunc Regem, tamquam Authorem suum, respiciunt, & venerantur. Recte quadrant huic intento præclarissima illa S. Augustini verba: *Locus iste, quando martyris beati corpus percussum est, lupis plenus erat: vicit tot lupos una ovis capta, & implevit locum ovibus, ovis occisa.* Locus iste ad quem hodierno die convenimus ad celebrandum Festum nostri sancti Regis, plenus erat lupis, quia Ariani in illo impune grassabantur. Vna ovis cepta, & huic carcerali custodiæ mancipata (sicut ovis enim fuit S. noster, quoad mansuetudinem, ut magis Christo Redemptori assimilaretur: *Sicut ovis ad occisionem, &c.*) vicit tot lupos, & hæc ovis mortua adauxit ovile, & gregem Christi; quia exemplo unius Regis mortui pro Christo, plurimi sese ad martyrium obtulerunt. Quod una ovis tot vincat lupos Arianos, quodque una ovis capta sic multiplicet gregem Dei, & repleat locum hunc ovibus ovis occisa, est stupendum illud miraculum, quod ponderat S. Augustinus: *Vicit tot lupos una ovis capta, & implevit locum ovibus ovis occisa.* Totum hoc effecit unum granum Hermenegildi, quod fideliter cecidit, & *ad obtinendam fidem animarum multa seges surrexit.* Non laudo, ó Sevilla! excellsas tuas ædes, non prædico numerosam civium tuorum multitudinem, non extollo opes tuas, quæ per universum orbem disperguntur, neque magnis encomiis effero frequentissima tua commercia, aut negotiationes tuas, quæ per Fluvium tuum omnibus n plagis innotescunt, neque tandem magnifac. opulentos magnates tuos, & nobilissimos Dominos, qui in te sedem, & domiciliũ suum fixerunt: sed hoc unum numquam pari, aut æqua laude celebrare queo, quod tot sanctos Reges Hispaniæ protuleris. Vnum Ferdinandum, qui eam armis expugnavit, unum Hermenegildum, qui eam sanguine suo regio illustravit, quem pro Deo, & fide, generosa animositate profudit. Cunctæ civitates, & urbes, quæ gaudent pace propter zelum, & religionem sui Regis, debent celeberrimo Hispalensi emporio tributum gratitudinis rependere; ex hac enim urbe prodiit planta illa pulcherrima, Christi sanguine irrigata, & ad paradisum cœlestem transplantata, sanctus Hermenegildus, & fratrem secutus est Recaredus, ita ut tota pravitas Ariana in perfido patre fuerit extincta; quia, ut dixit S. Gregorius: *Secutus est Recaredus non perfidum patrem, sed martyrem fratrem.* Vtinam nos omnes vestigia eius sequamur, quæ, quia Regis nostri sunt, & sanguine illius rubricata, non est possibile ab iis deviare, & nos haud dubie, confidentes illius patrocinio, remedium necessitatum nostrarum securum in illo habebimus, & per eius intercessionem multiplicia gratiarum augmenta obtinebimus, & tandem gloriam. *Ad quam nos perducat, &c.*

D. Aug. in Psal. 33. concion. 2.

Isaia 53. v. 7.

D. Greg. ubi supra.

* * *



TRA-

TRACTATUS XII.

IN FESTO

Invictissimi Fidei Catholicæ Protectoris, Gloriosi Sancti

PETRI MARTYRIS,

Ordinis FF. Prædicatorum.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. & tollat crucem suam, & sequatur me.

Lucæ 9. cap.



Aximo Fidei Catholicæ Protectori, Invictissimo Duci contra Hæreticos, glorioso sancto Petro Martyri, tamquam Patrono suo tutelari dedicat, consecratque hodiernam Solemnitatem sanctæ Inquisitionis celeberrimum Tribunal, quem potentissima Dei manus, ex senticeto Manichææ hæresis, veluti rosam è spinis, elegit, quasi dividens lucem à tenebris, ut eius munus foret, perpetuò expellere tenebras è mundo. Ita cantat S. Mater Ecclesia in hocce festivo die: *De fumo lumen oritur, & rosa flos de spinis nus Doctor, & Martyr nascitur, Petrus de infidelibus.* Enucleatius ponderat Abbas Rupertus solemnē diligentiam, qua Deus in creatione luminarium cœli separavit lucem à tenebris: *Fiant luminaria, & dividant diem, ac noctem,* si enim lux iam erat segregata à tenebris, quomodo Deus creans eam ante Solem, ut iteremonatur, & dividat lucem diei, & tenebras noctis? Ut quid tanta sollicitudo? aut quare tanto studio

Antiphona prima Nocturni

Genes. 1. v. 14.

vult Deus eam à tenebris separari? Quòd prima vice tantam adhibuerit diligentiam, aut necessitas, aut congruentia id postulabat, quia tenebræ totam occupaverant terram. *Tenebræ erant super faciem abyssi*, & statim, *divisit lucem à tenebris*, sed posita prima divisione, secunda videtur superflua, & supervacanea? Non intelligitis, inquit doctissimus Tuitiēsis; *Quomodo dividerent, quod iā Deus diviserat, & nemo rursus confunderet.* Nonnè videtis, quòd prima illa lux Solis, sit quasi princeps, Domina, ac præses lucis, *ut praeesset diei*, ita præsideat ipsi diei? itaque nedum separat eam Deus à tenebris, sed etiam statu t ut eis ad mortem usque persequatur, atq; ideo fuit segregata ab illis: *Dividant diem, ac noctem* Dividat ergo Sol obscuras noctis tenebras, & splendore charitatis suæ dissipet confusas caligines, idcirco enim, & ad hoc potentissima Dei manus eam ab illis divisit Creavit Deus novum Solem in Ecclesia sua illustrissimum purà S. Petrum Martyrem, ut splendidissimis lucis suæ radiis mundum illuminaret universum, creavit eū, tamquā nobilissimum lucis præsidem, ut præesset diei gra-

Genes. 1. v. 1.

Ibidem. v. 4.

Rupertus hic.

tiæ

tiæ. Tribunali, inquam, Fidei, quam S Paulus Gentium Doctor, diem indigitavit: *Dies autem appropinquavit.* Vt dispellat densissimas infidelitatis nebulas, prosternat hæreses, vincat errores, & fulgore lucis suæ tenebrosas hæresum dissolvat umbras. Eapropter tanta celeritate, & diligentia ab ipsis infantiæ suæ incunabulis prævenitur, ut fugiat, & relinquat obscuritates patriæ suæ, omniumque amicorum tenebras evitet. Corroboratus, & confortatus fuit hic Sanctus in fide ab ipsa Deipara Virgine, & eius patrocinium etiam hebetudini ingenii nostri vires addet, ut insignes tam inclyti Martyris triumphos dignis encomiis deprædicare valeamus, huius enim acerrimi Catholicæ Fidei defensoris elogia, & excellentiam, seu dignitatem sancti Tribunalis, quod eam indefessè tuetur, enarrare decrevimus, quod absque speciali gratiæ auxilio perficere nequimus: rogemus itaque Matrem gratiæ, ut eam nobis à Spiritu sancto impetret, &c. *Ave Maria*

Si quis vult, &c.

CONSIDERATIO. I.

In arroganti, & insolenti ingenio pluribus periclitatur Fides, quæ in humili est firma, stabilis, & secura.

PRo pleniori intelligentia Thematis nostri, quod est pars capituli noni sacræ Historiæ Evangelicæ, sancti Lucæ, in quo
1. Christus Dominus acre bellum indicit carni, & sanguini: clamans: *Si quis vult ad me venire,* & sub signis meis militare, abneget semetipsũ,
Luca 9. v. 23. inordinatas refrænet carnis cupiditates, *& sequatur me.* Supponendum est cum sacris Interpretibus, occasionem motivam, quæ impulit Christum Salvatorem ad hæc promulganda, fuisse imprudentem illam S Petri persuasionem, qui, cùm ex ore cœlestis Magistri audiret eum ascendere Ierosolymam, ut ibi acerbissimam crucis mortem subiret, & deinde mortuus tertia die gloriosus, & immortalis resurgeret, volens decreto Redemptoris, consilio suo obniti, in has prorupit voces: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc*; arbitrans indignum fore dedecus, quòd ille, quem ipse iam
Matth. 16. v. 23. Filium Dei confessus fuerat, tam ignominiosum mortis genus a Scribis, & Pharisæis illatum pateretur. Cui magna cum indignatione respondens Dominus, arguit eum ignorantiæ, & imprudentiæ, tamquam nesciret quid loqueretur, imò, & [illegible] cognomento Satanæ seu tentatoris [illegible]: *Vade post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed hominum,* id est, non capis divina, neque loqueris ut à Spiritu sancto instructus, sed ut passionibus carnis, & sanguinis immersus, qui non nisi mundana sapere videris. Et immediatè subiunxit verba Thematis nostri, *Si quis vult, &c.* quæ exponens doctissimus Cardinalis Toletus cum aliis, qui eum sequuntur, affirmat ea hunc reddere sensum, quasi Redemptor dixisset: *Venire post Christum, est eius doctrinam amplecti: se ipsius discipulum profiteri. Ipse caput, ipse Magister, ipse Dux est, cæteri post ipsum venire debent.* Erras Petre, quia proprio vis regi cerebro, iuxta quod tibi dictat caro, & sanguis tibi persuadet, hoc enim est potiùs velle Magistrum agere, quàm discipulum, qui namque voluerit discipulus meus esse, debet audire, & in omnibus meam amplecti doctrinam, meque sequi ducem ac præceptorẽ non autẽ proprium sequi cerebrum, aut proprio insistere arbitrio, nisi contenis, tecum, voluerit se se expore erroribus. Tolet. hic

2. Fundatur hæc doctrina, in alia quadam magni Patris S Augustini, in qua considerat eumdem Apostolum in duabus occasionibus, & diversis temporibus, non tamen longè à se invicem distantibus. Et notat, quòd postquam Redemptor noster eum paulò ante beatificasset propter gloriosam illam confessionem, in qua eum verum Dei Filium professus fuerat, Matth. 16. v. 17.
Beatus es Simon Bariona, &c. in præsenti occasione, quando voluit impedire mortem, & ignominiam Crucis, eum tanta verborum asperitate exceperit, ut dæmonicum, seu diabolum appellaverit: *Vade post me Satana.* Ecquid hoc Domine, ac Redemptor, tam facilè, & citò immutas cognomina S. Petri? In tam brevi temporis spatio, tanta rerum, & nominum variatio? Non capio; sed iam iam videor mihi tantæ vicissitudinis causam, & originem ingenio assequi: *Nemo ergo se palpet, de suo Satanas est, de Deo beatus est.* Res ita se habuit, inquit S Doctor. voluit Dominus ostendere Petro, qualis esset ex se, & qualis ex Deo, ac si apertius diceret: beatus es propter ea, quæ tibi Deus revelavit: *Quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*, sed ignorans, & hebes, *quia non sapis ea, &c.* Vnde collegit S Doctor, omnium bonorum fontem, & originem esse ex Deo, causam verò errorum nostrorum

ctorum in nobis reperiri. Et hæc est emphasis illorum verborum, quæ Christus Servator noster adjungit: *Si quis vult &c.* quæ ita sonant, ut humanus intellectus rectè intelligat, debet habere lucem cœli prælucentem, & gratiam Dei ducem præeuntem, ubi enim secus fecerit, & ductum propriæ imaginationis secutus fuerit, mox in præceps ruet, & cum Petro in mille incidet errores.

3. Aliquoties ascendit Moyses in montem, associatus fratre suo Aarone, & septuaginta populi Hebræi Rectoribus, seu senioribus, ad colloquendum Deo. Verùm quadam vice, sacro attestante eloquio, relictis omnibus illis, solum Iosue duxit secum ad montem, in quo divinum oraculum responsa & decreta sua manifestabat: *Surrexerunt Moyses & Iosue minister ejus, ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait, expectate hic.* (Exodi 24. v. 13.) Defatigantur plurimùm Sacri Interpretes in indaganda causa, ob quam Moyses in hac occasione, prætermissis senioribus, in valle montis, duxerit secum Iosue, & sine illius consortio noluerit conscendere verticem montis? Diversas ineunt semitas in explanatione hujus Textus, Lippomanus in catena sua, referens Severum, affirmat hunc ascensum admirabile & magnum continere Sacramentum. Aliis vicibus fuit multorū societate, & caterva stipatus, & quamvis eos secum duxerit ad montem, non tamen ad secretiora montis eos perduxit, nunc verò, dum Iosue socium ducit, altissima montis cacumina penetrat, & ratio in promotu fuit, quia illos solummodo comites ducebat, quando ascendebat ad recipiendam particularem legis notitiam, quæ corticem & superficiem litteræ non excedebat; ideòque paululum duntaxat à terra sublevabatur, ast quando cum Iosue, in quo Redemptor mundi erat adumbratus, ascēdit, ideircò fuit, ut Deus illi communicaret intelligentiam Legis in spirituali, & mystico sensu contentam & inclusam, & hanc, nisi secum duceret socium Iosue, assequi non poterat, quia mysteria, & arcana Evangelii absque singularis illius gratia nemo perfectè comprehendere valet: *Neque enim sine Iesu profunda legis & Evangelii mysteria intelligi poterant.* (Lippomā. in catena.) Non vehementer admiror Sanctum Petrum tam turpiter errasse, quia sine assistentia divinæ gratiæ, & sine Jesu duce ac præceptore nihil penitus rectè intelligi potest. Necessarium est sine illo in varios errores, imò & hæreses prolabi & incidere.

4. Ecquæ causa fuit, Auditores, tot tantarumque hæresum, quas diaboli nequitia in mundum invexit, quas enumerare nemo sufficeret? Præclarè eam indicavit Sanctus Gregorius Nazianzenus in sua Apologia, (D. Greg. Nazian. in Apologia.) nempe, quia homines tam debili clavo, ac gubernaculo, quale est ingenium & discursus eorum, voluerunt conto suo immensam omnipotentiæ Dei navem subigere, in ejusque mysterijs perscrutandis proprio maluerunt inniti judicio, quàm infallibili Fidei ipsius doctrina gubernari. Ea propter in tam varios, & cæcos errores impegerunt, ita ut descendendo à Magistris ad discipulos, vixdum jam primigenii archetypi dignoscantur, propter nimiam apographorum multitudinem & varietatem. Lutherani non cognoscunt se invicem Calvinistæ disceptant, quis, & qualis fuerit Magistri sui error & hæresis. Et quemadmodum prudenter dixit Tertullianus de asseclis Valentini, qui tot aquagia, seu canales applicuerunt fonti seu scaturigini, ut jam ipsa origo non amplius agnoscatur: *Ita nusquam iam Valentinus,* id est, non dignoscitur Magister, *& tamen Valentini, qui per Valentinum,* (Tertull. lib. cont. Valent. cap. 4.) quia ejus nomine gaudent, ecce qualia pariat monstra hebetudo intellectus humani, dum proprio innitens arbitrio, divinas & infallibiles Dei veritates discutere, & examinare præsumit, cum tamen luce meridiana clarius sit, illas solummodo habere certitudinem infallibilem, quia à Deo sunt revelatæ & edoctæ.

5. Quàm disertè Philosophatus est in hac materia, quasi priora retractans, jam suo periculo cautus Apostolorum Princeps S. Petrus? Est hæc observatio Angelici Doctoris S. Thomæ verè ingenio ipsius digna, describit Apostolorum Primas in secunda sua canonica Christum Servatorem nostrum esse Filium Dei naturalem, eumque uti talem, æternum Patrem in monte Transfigurationis publico præconio declarasse: *Hic est filius meus dilectus*, & statim subjungit: *Hanc vocem audivimus, cùm essemus in monte sancto, sed firmiorem habemus Propheticum sermonem.* (2 Petri 1. v. 18. & 19.) Ego & cæteri mei consodales auribus nostris audivimus vocem, qua eum Pater Filium suum nominavit, sed aliud longè firmius testimonium hujus habemus, Ecquod amabo? certè Prophetarum vaticinia. Alludit sanctus Apostolus ad illud Davidis: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: (Psalm. 2. v. 7.) inquit Angelicus

gelicus Doctor. Sancte Apostole, quid ais? an illi Prophetæ Christum viderunt? Nequaquam. Et tu nonne vidisti & audisti? Ita Herclè, igiturne firmiora erunt testimonia eorum, qui nec viderunt, nec audiverunt, quam tuum, qui oculis ipsum conspexisti, & auribus audivisti, haud dubiè respondet Sanctus Thomas ipsius nomine: *Quia visioni contradicere poterant, sed Prophetiæ contradicere nullus audebat.* Ac si diceret, validius est testimonium ipsorum, quia illi Prophetæ non videntes Christum loquebantur ex ore, & instructione Spiritus sancti, & firmius, majorisque roboris est, quod Deus loquitur, quam id quod ego video, ego namque facili negotio hallucinari, & decipi possum (uti aliquando mihi contigit) in iis, quæ ex propriis ingenii mei scrinijs confero, non tamen illi, qui nihil ex propria industria, aut ingenii fœcunditate protulerunt. Bone Deus! quàm diversus est hic loquendi modus ab illo, quo anteà, nesciens quid diceret, Petrus utebatur; sed non mirandum, quia jam confirmatus erat in gratia, & reapsè lapis fundamentalis Ecclesiæ constitutus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Iam sufficienter emendati sunt & correcti ipsius præteriti errores, quia jam prorsus intellectum suum divinæ subjecit disciplinæ, & instructioni. Iam non est, qui solebat, jam proprium exuit judicium, *abneget semetipsum*, & si aliquando proprio voluit gubernari dictamine, & attendere ad ea, quæ passiones, aut affectus carnis & sanguinis suadebant, *Absit à te Domine*, jam totus in alium virum mutatus, omnino se divinæ conformat voluntati, synceumque se exhibet Christi Discipulum, & uti talis dependet ab ore, & nutu ipsius, omnibusque ejus jussis promptus, & obediens obtemperat, & obedit, juxta Salvatoris præscriptum in præsenti Evangelio, quod omnes fideles Christi discipulos complectitur & adstringit: *Si quis vult &c.*

D. Thom. in hunc locum.

Matth. 16. v. 18

Si quis vult, &c.

CONSIDERATIO II.

Ab ipsa vitæ infantia subiecit S. Petrus Martyr intellectum suum, eumque captivavit in obsequium Fidei, quam indefessè usque ad extremum vitæ halitum, acerrimè propugnavit in hoc Christo Salvatori simillimus.

O Quàm egregiè satisfecit huic muneri Evangelico noster magnus Pater, & Patronus Fidei sanctus Petrus Martyr, in quo tam accelerata fuit lux divinæ gratiæ, ut vixdum pervenerit ad usum rationis, quin illicò cœperit esse portentum sanctitatis & virtutum omnium, quæ adeò raræ & præmaturæ in eo extiterunt, ut ab ipsis quodammodo cunabulis terræ & mundo admirationi, & stupori fuerit, ipsumque jam cœlum conscenderit, quia in illa tenella ætate jam moliebatur bellum hæreticis, & insignes ab iis victorias triumphans reportabat. Prima autem, quam adeptus est, ad satisfaciendum obligationi Evangelicæ, fuit per abnegationem propriæ indolis, & naturæ, detestans etiam ipsos parentes vitæ suæ authores. Accipite insignem Angelici Doctoris explicationem, interpretantis verba illa Paulina, ubi Doctor Gentium extollit potentiam, & efficaciam virtutis Fidei, & singulariter commemorans excellentiam fidei Moysis in hæc verba effatur: *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis.* Si attentius pervolvatur sacra Historia nusquàm reperietur sanctum Moysen quidpiam simile fecisse, neque ullatenus credibile est Spiritum sanctum tam heroicum factum, remque tanti momenti, silentio præteriturum, qualis erat hominem vulgarem tantæ fuisse animositatis, ut etiam negaverit se esse filium unius Principis, & dedignatus fuerit nepos Regis indigitari. Nodum dubij dissolvit sanctus Doctor Thomas duobus brevissimis verbis: *Nō quidem verbo sed facto.* Noluit dicere S. Apostolus, quod Moyses negaverit filiam Pharaonis matrem suam verbis, sed solis operibus, quia ipse erat Hebræus, illa erat Ægyptia, ipse fidelis, illa infidelis, & idolorum cultrix, ipse amicus Dei, & illa inimica Deo, ipse Sanctus, & illa peccatrix, & hoc pacto negavit se esse filium illius, non tamen parentum suorum negavit esse filium, quorum exempla, operibus virtutum, & mo-

Ad Hebræos 11. v. 24.

D. Thom. hic lect. 5.

& moribus sanctis in se exprimebat. Pari modo abnegavit parentes suos noster S. Petrus Martyr, nō quòd negaverit illos fuisse suos progenitores, à quibus vitam mortalem hauserat, & quibus primam lucis usuram debebat, sed quia illi infideles erant, & S. Petrus fidelis, illi Hæretici, & ipse persecutor, & flagellum omnium illorum. Quod in magnam ipsius redundat gloriam, atque ideò de eo cantat Ecclesia idem, quod de Regina Angelorum prædicari solet, nimirum, quòd nata fuerit sicut rosa inter spinas: *Petrus flos de sente, Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.*

2. Anxiis se videt distentum curis magnus Naturalium scrutator Theophrastus, quando investigans occultas, & secretas plantarum proprietates, attentiùs considerat suavissimum odorem, quem quidam flores emittunt: *Mirum, florum quorumdam odorem suavissimum reddere, quorum nulla pars alia benè olet, quod in violis, rosisque patet* Peregrinū revera naturæ miraculum quarumdam plantarum, quæ maximā spirant fragrantiam in flore, & in nulla alia parte, neque in ramis, neque in radice ullum exhalant odorem, ut experimento discimus in violis, & rosis. Ecquis sine admiratione videat rosetum tot spinis undiquè armatum, virgulas, seu stipites eius, unde folia, & flores emicant, adeò deformes, & totum ipsum rosarium rude, & incompositum, florem verò, quem producit, adeo fragrantem, & odoriferum? Hoc sane miraculum quemque reddit attonitum, & perculsum, & hoc ipsum est, quod in hac spirituali planta S. Petro potest, & debet reputari prodigium, & miraculum gratiæ, quæ sola potens est tam admirabiles, & portentosos effectus producere.

Theophrast. de causa plant. lib. 6. cap. 15.

3. Cum puer septennis scholas frequentaret, aliquando à patruo hæretico interrogatus, quid tandem in iis didicisset, cœpit sanctus puer Christianæ fidei Symbolum recitare, in cuius confessione illi, tamquam Manichæi, negabant Articulum de creatione rerum visibilium, aut sublunarium: *Creatorem cœli, & terræ.* Et volente patruo puerum blanditiis, & argumentis corrigere, cœpit parvulus, movente Spiritu sancto, linguam eius, adeò efficacibus, & solidis argumentis probare veritatem illius Articuli, ut protervum convicerit hæreticum, eique perfidum os occluserit. Accommoda sunt huic instituto verba illa Davidica: *Ut prodigium factus sum multis*, quæ juxtà paraphrasim nostri Doctissimi Hispani, hunc faciunt sensum. Multorum exemplar factus sum, quia me, tamquam prodigium, habent, quô Deus mundo minas, & terrores incutit. Imo, *prodigium*, idem sonat, quòd terriculamentum, ac proinde idem est ac si diceret David, omnes à me, tamquam monstro, abhorrent, & aufugiunt, pertimescūt quòd eos morsibus devorabo, videntes novam doctrinam, quam eos doceo, & audacem licentiam, qua corruptos eorum mores carpo, & reprehendo: *Et tu adiutor fortis*, quia totum hoc, est omnipotentiæ tuæ opus, tu enim corroboras spiritum meum, tuque cœlesti tuo adiutorio mihi vires, & animum præbes. Nonnè videntur vobis verba illa esse S. Petri Martyris, propheticè per os Davidis pronuntiata? Quinimo si explicationi inhæserimus Eminentissimi nostri Cardinalis Caietani, adhuc magis genuinè videntur adnata Sancto nostro, quia ipse legit iuxta Hebręum: *Miraculum factus sum multis*, omnes me, tamquā miraculum, reverentur, idque ideo, quia puer eram adeo præstans robore, & animo, ut ursos discerperem, Leones dilaceratem, & gigantes interficerem: *Dicit se fuisse miraculum sui temporis quoniā adhuc puer, ursum, & leonem, & gigantē interfecit.* In tam tenera ætate tam præclara facinora, haud dubiè prodigia sunt, & maiorum, seu futurorum prænuntia! Quantò magis heroicum est illud factum S. Petri, & quanto potiori iure debetur illi titulus prodigii, quia certissimum est, teste sancto Hieronymo, pluris esse æstimandum, perfidum quempiā hæreticum convertere, quam integrum Barbarorum Regnum reducere ad agnitionem Fidei, superbum, & arrogantem non emolliunt rationes, nec convincunt argumenta, sed protervus obfirmato animo cuncta despicit, & scommatibus explodit. Eapropter maiores victoriæ triumphos adeptus est S. Petrus Martyr in pueritia sua, quàm alij Sancti in provectiori, & iam adulta ætate sua.

Psal. 70. v. 8.

Episcop. Carcer.

Caietan. hic. Lect. Hebraica.

D. Hieronym.

Et quia Dominus Deus eū elegerat in athletam Ecclesiæ suæ, columnam fidei, etiam inspiravit ei, ut ad sublimioris vitæ formam vocatus, Ordinis Prædicatorum institutum susciperet, & sacram sanctissimi Patris Dominici Religionem profiteretur, cui ex Apostolica commissione singulariter incumbit, perpetuum adversus Hæreticos bellum gerere, & pugnare. Induit eum sanctus Patriarcha Dominicus ha-

bitu Ordinis, in Conventu Bononiensi, fuitque primogenitus eius filius, & maximè dilectus, &, uti talis, dignissimus successor eius in officio Inquisitoris, quemadmodum affirmat summus Pontifex Sixtus V. quia in quadam Bulla, quam edidit, præcipiens, ut tota Ecclesia recitaret officium de S. Petro Martyre, loquens de illo, asserit eũ, tamquàm legitimũ filium, imitatum fuisse Patrem suum S. Dominicum, quem Summi Pontifices, ante alios, instituerunt primum Inquisitorem, & Patrem Fidei: *Is enim præclarus Prædicatorũ alumnus, imitatione accẽpit Beati Patris Dominici, ut ille perpetuis concionibus, & disputationũ congressibus, officiũ Inquisitionis, quod ei primũ prædecessores nostri, Innocentius III. & Honorius III. commiserunt, &c.* Hoc fuit perpetuum illius exercitium, hoc sanctum illius munus, quod, ad satisfaciendum instituto professionis suæ, tantâ curâ, sollicitudine, & tanta eminentiâ obivit, ut verè sit filius, quem maximi facit gloriosus noster Patriarcha, quemque sacræ suæ familiæ præcipuum decus, & suæ nobilitatis insigne reputat, & extollit. Scribens Doctor Gentium Discipulo suo Tito, sub hac forma exorditur Epistolam suam: *Dilecto filio secundum cõmunem fidem:* Notanter advertit S. Anselmus, quòd non appellet eum filium ardentissimæ illius charitatis, qua cupiebat, & desiderabat bonum, & salutem animarum, neque ferventissimi illius zeli, quô Euangeliũ gẽtibus prædicabat, sed filium Fidei suæ. Sed quare potius fidei suæ, quã cæterarum virtutum, & perfectionum? Dicam, inquit S. Præsul: *In fide scribit ei, contra corruptores [illegible]ei*, quoniam illo tempore repe[illegible]ur quidam homines, quorum omnium studium erat extinguere Fidem, eamque dogmatibus suis, & errorum zizaniis funditus evertere, contra quos, summoperè necessarium erat excitari hominem, qui generose, & indefesso pectore dimicaret, quique in hac ardua provincia, aut gloriosa expeditione, foret ei sedulus adiutor; & quia is futurus erat Titus, idcircò non vocat eum filium, secundum charitatem, sed Fidem suam. Et quamvis etiam alij idem præstent, Titus tamen cæteris præcellit, & eminet hac virtute, nuncupatur ergò per antonomasiam dilectus filius in fide, quia tanto plus illius fides excelluit, quãtò maior fuit Hæreticorum perfidia Filius singulariter in fide dilectus à S. P. N. Dominico fuit Petrus Martyr, quia vivum fidei exemplar Patris in se expressit, & transtulit, quapropter promeruit titulum Patris Fidei credentium, petra solida, & firma, quæ veluti alius Petrus Apostolus, confringit, destruit, conterit errores, & in cineres convertit, pestifera Hæreticorũ dogmata, quæ repugnãt Catholicæ veritati, quæ consistit in conformitate & adæquatione cum illo, quod Christus Dominus nobis mandat, præcipit, & præscribit dicitur: *Si quis vult &c.*

Bulla Sixti V.

Ad Titũ 1. v. 4.

D. Anselm. hic.

Si quis vult post me venire, &c.

CONSIDERATIO III.

Est sanctus Petrus Martyr Atlas Fidei, malleus infidelium, rupes firma, ad quam alliduntur, & conteruntur omnes hæreses, & errores eorum.

1. CVriosius observavi locum quemdam ex S. Hieronymo, qui solus sufficiens est, ut unicuilui nostro conciliet fidem, & authoritatem. Est autem insigne quoddam vaticinium Prophetæ Zachariæ: *Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris cũctis populis: omnes qui levabunt eũ, concisione lacerabuntur,* id est, veniet dies, inquit Dominus, in qua ego favebo ubi Ierusalẽ, & tunc ponã excellentiã magnitudinis eius, velut lapidẽ gravissimi ponderis, ad quem se exercent gentes, & in quo robustissimi athletæ suas comprobant vires. Sensus huius loci, si ad significationem verborum attendatur, satis obscurus est: verùm, si consuluerimus gloriosum S. Hieronymum, non difficulter intelligi poterit, estque instituto nostro accommodissimus. Mos erat, inquit omnium sacrorũ Interpretum Phœnix, urbibus Palestinæ, ut in viculis, oppidis, & castellis rotundi ponerentur gravissimi ponderis lapides, ad quos iuvenes se solerent exercere, & eos pro varietate virium sublevare, alij ad genua, alij ad umbilicum alij ad humeros, & caput, & nonnulli super verticem rectis, iunctisq; manibus magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollerent, qui autem altius à terra sublevabat, palmam ferebat. In hac virium probatione unus venas pectoris rumpebat, qui fortitudinem suã demonstrare gestiebat, alius digitos, alius manus amittebat, alius autem in illa massa fortitudinẽ, comprobans, luxatis brachiis, aut mẽbris cor-

Zacha 12. v. 3.

corporis, dolens revertebatur, plurimi, ut carptim dicam vulnerati, & lacerati corpore redibant, lapide tamen semper immobili, & illæso permanente. Sic itaque, ait Deus, ponam Ecclesiam, & Tribunal Fidei in mundo, contra quam Tyranni, Gentiles, & Hæretici suas tentabunt vires, ad destruendum illam, sed continget illis idem, quod robustis in sublevatione lapidis gravissimi ponderis, qui pro vitium varietate vastabantur, quoniam aliqui morte, alij exilio, & alij exustione, & incendio corporis promeritas luent pœnas, & Fides Catholica semper inexpugnabilis, & petra fundamentalis Petri semper illæsa, & incolumis subsistet absq; ullo incommodo, aut nocumento: *Sed necesse est, ut dum levatur, in ipso nixu, & levatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam in levantium corporibus, derelinquat.* Caveant sibi Infideles ab hac petra, ne tentent vires, nec conferant manus cum S. Petro Martyre, quia proculdubio, exitium sibi, & ruinam ex ipsa levatione petræ adsciscent. Totum hoc operatur gratia divina, cuius ductum semper fuit secutus, idemque faciunt Inquisitores, qui eius occupant locum, non humanis viribus, sed divinæ gratiæ plurimum confidentes.

D. Hieron. hic

2\. Perpulchre quadrat huic proposito egregia illa Odonis Patris antiqui allegoria, cuius jam antea meminimus: Egressus est Israel obviam Philisthim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem adjutorii. Audite hic præfatum Authorem: *Bene Dominus lapis adiutorii, quia non solum munimentum tribuit, sed & adjuvat, & defendit.* In hoc mystico lapide erat præfiguratus, seu adumbratus Christus Redemptor noster. Qua phrasi utitur David in Psalmo: *Lapidem, quem reprobaverunt &c.* quem ipse Dominus de seipso explicuit, & Apostolus Gentium Doctor S. Paulus: *Petra autem erat Christus.* Et merito quidem lapis adjutorii indigitatur, quia non solum præmunit hominem, sed etiam adjuvat, protegit, & defendit. Et addit præfatus Odo: *Dei particulis eius in funda accepimus, & contra Goliam Victoriam reportamus.* Quia ex fragmentis, & frustulis petræ illius, veluti David, imponimus lapillos fundæ nostræ contra Goliath, nempe dæmonem, quẽ etiam prosternimus, & deijcimus. Sed occurrit ratio dubitandi, quonã modo hoc fieri possit? cum lapis, qui confringitur, aut conteritur, vix ullas habeat vires. Non inficior, ita se rem habere, at quia lapis iste erat symbolum Christi, imbecillitates, & infirmitates illius, Davidi robur, & animum addiderunt, quando namque hæc petra, in fragmenta dissolvitur, quando tamquam blanda in cruce, ictibus tormentorum confringitur, & conteritur, tunc illæ particulæ, & fragmenta, imbecillitatis indicia, sunt fortitudo, & robur hominis contra Satanam, maximum humani generis hostem, & adversarium. Est lapis adjutorii, qui non solum favet homini, sed etiam auxiliatur, succurrit, eumque defendit. Secure, & absque timore potest prodire in arenam, & campum S. Tribunal Fidei, populus, inquam, qui videt, & cognoscit Deum, hoc namque Israel significat, *Scilicet, videns Deum*, juxta S. Hieronymi Interpretationem, quia castrametatur, & figit tentoria sua juxta hunc immobilem, & firmum lapidem adjutorii, hoc est, juxta S. Petrum Martyrem, & promittere sibi certam, infallibilemque victoriam contra omnes suos, etiam potentissimos, hostes, & inimicos, defert enim secum reliquias, & fragmenta huius contriti lapidis, quia rubricatus est guttis cruoris ex confracto, & exangui corpore eius profluentibus, & quod videtur esse debilitas patientis, est robur, & fortitudo eorum, qui sub vexillis eius militant, & sub umbra, seu tutela protectionis, aut patrocinii eius fortiter dimicant, & generose hostem adoriuntur.

1\. Reg. 4. v. 1.

Odo in Allegori. Tilman. ad hunc locum.

D. Hieron. de nomin. Hebraicis.

3\. Adeo crudum, & acre bellum gessit, tamque aperto Marte dimicavit hic gloriosus & invictus Athleta Christi contra perfidos Hæreticos, ut paucis diebus, nempe quindena, ante illustrissimum martyrii sui agonem, dixerit in publica, & solemni concione Mediolani habita: jam probe novi, & exploratum est mihi, persolutos esse triginta denarios sicario, ut me interficiat, vitamque meam, aliquibus exosam, è medio tollat, (etiam in ipso venditionis pretio similis Christo apparuit) neque mortem recuso, aut refugio, sed hoc vobis prædico, quod vita functus, crudelius bellum inferam adversariis Fidei Catholicæ, quam vivens, quod experientia comprobatum fuit, & adhuc indies fieri, satis superq; innotescit. Consummavit autem intrepidus pugil martyrium suum, sicario sacrum illius caput ense cruento feriente, ditaq; illi semel atque iterum repetitis ictibus vulnera imprimente, & tandem, cum adhuc vir sanctus palpitaret, iterum latera, & pectus mucrone transverberatus, martyrium absolvit. Sic sic non fuit vir Dei desiderio suo fraudatus, quo impulsus, & certa spe fretus, & attentis, ferventissimis

 pre-

precibus elevans calicem in Sacrificio Missæ, Dominum exorabat: *Da mihi, Domine, ut ego moriar pro te, sicut tu mori dignatus es pro me.* O sanctissime Petre! nonne superabundans erat sanguis, quem violentia flagellorum, & disciplinarum excutiebat, quod debeas necessario mori manibus hæreticorum, sanguinem tuum profundentium, quemadmodum pro te Redemptor suum dedit? Ita sane. Duplicis sanguinis sumus Christo debitores, illius, quem in horto exsudavit: *Factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis, decurrentes in terram*, & illius, quem in Cruce copioso imbre profudit. Conformiter ad hæc expendit Tertullianus verba illa Salvatoris apud Matthæum: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Quid autem Deo debeo, sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me fudit Filius ipsius.* Alii Sancti non exonerarunt mundum debito apud Deum, nisi ex media parte, quidam per austeritatem pœnitentiæ, quidam vero per solũ martyrium, sanctus autem Petrus Martyr, unũ, & alterum abunde rependit debitum, quia primum per voluntarias flagellationes, & secundũ per martyrium avide concupitum persolvit.

In eius vita. — *Luc. 22. v. 44.* — *Matth. 22. v. 21.* — *Tertul. de fuga in Persecut. c. 13.*

4. Neque minus acris fuit defensor Fidei jam exanimis, & moribundus, quam vivus. Sit manifesta huius veritatis confirmatio ipsum morientis factum, quando nimirum Sanctus jam moriturus, sanguine proprio intincto, scripsit in terra, in quam cecidit jam lethaliter saucius, symbolum Fidei: *Credo in Deum.* Non male, aut incongrue serviet huic intento egregia quædam observatio S. Prosperis, ponderantis verba Psalmistæ: *Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis*, id est, firmam, certamque fidem adhibui verbis Dei, & ideo asseveranter, & absque ulla trepidatione verba mea protuli, & pronuntiavi. Sequentia vero verba singulari acumine premit S. Doctor: *Ego autem*, inquit regius Vates, *humiliatus sũ nimis*, sed ego fui valde depressus, & nimium humiliatus: *Cum possit dicere, locutus sum, & humiliatus sum, cur addidit, ego autem?* Quia hic loquendi modus indicat, & denotat differentiam inter loquentem, & humiliatum? Magna ingenii vivacitate respondet Sanctus apposite ad rem nostram, ita ut nullus umquam Logicus tam ingeniosam excogitaverit distinctionem, & regius Propheta merito posuerit distinctionem inter se loquentem, & se humiliatum: *Quia homo veritatem prædicans humiliari potest ab his, qui veritati contradicunt, non ipsa veritas.* Voluit insinuare nobis, quod prædicans veritatem, eamque alios docens, possit quidem, plusquam deceat, humiliari, & deprimi, possitque eius os occludi (uti actum est cum sancto Petro Martyre) verumtamen veritas Dei, eiusque Fides nequit humiliari, aut opprimi. Id quod Deus decernit, dicit, aut ordinat, velit nolit humana contradictio, debet remanere ratum, immobile, & firmum, atque adeo, quamvis Petro lingua deficiat, manus, & digiti loquentur, scribent, & prædicabunt veritatem: *Credo in unum Deum, Credidi, propter quod locutus sum, &c.*

Psalmi. 115. v. 1. — *D. Prosper. hic.*

Iam paullo ante diximus, Petrum esse florem: *Petrus flos de fonte*, quia etiam detruncatus & avulsus, suum spirat odorem, & fragrantiam. Ingeniose animadvertit S. Ambrosius, quod, nuncupante Sponsa Sponsum suum arborem formosissimam, & pulcherrimam: *Sicut malus inter ligna sylvarum*, ipse aliud longe diversum, & dissimile sibi assumpserit nomen, & titulum, quia seipsum florem odoriferum indigitavit: *Ego flos campi.* Non possemus investigare rationem, ob quam Christus Dominus, animarum Sponsus, malit sibi adscribi nomen floris, quam arboris? Ratio in promptu est, inquit S. Ambrosius, quia. *Flos odorem suum succisus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit.* Hoc pacto voluit propalare, & notam facere suam indolem, & nativam conditionem, quia hæc est certissima differentia inter arborem, & florem, quod arbor semel amputata, & abscissa, nullos amplius profert fructus, sed statim arescit, & exsiccatur, flos verò è cõtra, etiam succisus, maiorem emittit fragrantiã, ut experimẽto in rosa comprobatur. Alii Sancti fuerunt arbores plantatæ in paradiso Ecclesiæ, S. autem Petrus Martyr est rosa est lilium, quia, etiam capite percusso, & quasi detruncato, suavissimum diffundit odorem, ut per omnia Christo Domino simillimus appareat, eiusque vestigia, usque ad ipsam mortem, tamquam verus discipulus, fideliter sequatur, & imitetur. *& sequatur me.* 5.

Cant. 2. v. 3. — *Cant. 2. v. 1.* — *D. Amb. lib. 2 de Spiritu S. c. 5.*

Tam certa, & indubitata est hæc veritas, ut Christus Dominus voluerit sanguinem S. Petri Martyris effusum eosdem operari effectus, quos suus, in Cruce profusus, fuerat operatus. Pendebat author vitæ in ligno Crucis moriens, ut vitam daret auferenti suam, ut egregie advertit S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, jam enim vita functus obtulit pectus, & latus suum, permisitque ut miles quidam illud lancea perfoderet, aperiret, & ex eo medelam perciperet 6.

Ioan. 19. v. 34. petet: *Quidam miles lancea latus eius aperuit & continuo exivit sanguis & aqua* Hic autem miles (iuxta opinionem nostri Archiantistitis) & quē cum communi Traditione totius Ecclesiæ plurimi Patres antiqui sequuntur, erat cæcus, & lumine orbatus Dicit itaque sanctus Doctor: *Longinus latus Salvatoris aperuit, & tactu sanguinis Christi, cùm esset altero oculo privatus, illuminatus est extra & intus lumine fidei* Cæcus ille Longinus, dum lancea aperiret latus Salvatoris, sanguine Domini per lanceā defluēte, visum, iam dudùm amissum, non solùm corporis, sed etiam animæ, miraculosè recepit. Non poterat excogitari excellentior ostentatio potentiæ & amoris Christi, quàm ut ipsa infirmitas patientis sit salus, & medicamentum illi, qui ipsum sauciat, & vulnerat. Componite hunc miraculosum successum cum illo, quod contigit in martyrio nostri Sancti. Idemmet sicarius qui eum mucrone confodit. Idemmet Hæreticus, qui ei crudeliter vitam ademit, eo tempore, quo Sanctum ense cruento ferit, aspersus sanguine Martyris, illico ad fidem convertitur, & induit habitum sacri Ordinis nostri in quo sanctam, & exemplarem egit pœnitentiam.

D. Isidor. hic.

Mandabat Deus in Levitico, quòd si quispiam sæcularis foret aspersus sanguine victimæ seu sacrificij, à Sacerdote immolati; vel quia nimiùm appropinquaverat, vel ex devotione, vel curiositate illud tetigerat, iubebat, ut illum collocarent in templo: *Si de sanguine illius, vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto.* Magnus Doctor S. Theodoretus pensiculatiùs ponderat mysticum illud Dei mandatum, &, salva aliorum opinione suam profert sententiā: *Qui ausus appropinquare, guttas sanguinis receperit, præcipit in Templo sedere, quasi sui Dominus amplius non sit.* Talem virtutem, tantasque vires habebat sanguis ille, quia symbolum erat sanguinis Christi, quē præfigurabat, ut homines à seipsis alienaret, & totos Templo consecraret: Si igitur sanguis unius bruti animalis tantæ erat virtutis, ut homines à proprio dominio abstraheret, eosque sub dominio Templi constitueret, solummodò propter significatum, quid mirum, quod sanguis Sancti Petri effusus pro Christo, qui iam suum in Cruce profuderat, tantam habeat virtutem sibi communicatam, ut contingens, & aspergens infidelem, qui eum martyrio afficiebat, illum à se abalienaverit, fueritque medium efficax, ut Hæreticus se ad Christum Dominum converteret, & fieret fidelissimus Catholicus, & sanctus Religiosus? Id quod sanguis Christi præstitit in Longino, hoc efficit sanguis S. Petri Martyris in Hæretico; haud dubiè sunt duo illi filij sanguinis Redemptoris, neque novi ullum alium Sanctum, cui cœlum tam singulare concesserit privilegium, aut tam insignem contulerit favorem. Adeò similes fuerunt, in morte author Fidei Iesus Christus, *Authorem fidei*, & primus Inquisitor, qui pro ea defendenda crudelem mortem subivit: *Et sequatur me*

Levit. 6. v. 27

D. Theod q. 5. in Levit.

Ad Hebr. 12. v. 2.

Et sequatur me.

CONSIDERATIO. IV.

Est Tribunal Fidei, seu sanctæ Inquisitionis Officium singulare, decus, ornamentum, & splēdor Ecclesiæ, & modus illius procedendi contra reos aut delinquentes, est legitimus, & clementissimus.

PRimus Inquisitor hæreticæ pravitatis, in mundo, qui primam contrà hæresim litē instituit, fuit ipsemet Deus. Pro clariori intelligentia huius veritatis, suppono Caimū fuisse primum hæreticum totius mundi, quemadmodùm alibi diximus, cum Genebrardo, & Thargo Ierosolymitano, & Traditione Hebræorum, qui referunt, quod Cain educens, fratrem suum ad agrum, dixerit illi: *Non est iustitia, neque Iudex, neque sæculū aliud, neque præmium recipient iusti, nec pœnas luent impii.* Et quòd post plurima verba ultrò citroque habita, post longam altercationem, & argumentorum disceptationem responderit ei Abel: *Est iustitia, est Iudex, est sæculum aliud, est merces pro bonis, & pœna impiis:* Quo responso concitatus Cain, & ira percitus, prægrādi silice occidit fratrem, teste Cedreno, vel, ut quidam volunt, eum morsibus discerpendo interfecit, quemadmodum aliqui ex Hebræis sentiunt, in cuius pœnam, & punitionem, Deus continua paralysi eum in ore percussit. Quamquàm hoc supplicii genus non tam inflictum fuerit illi, quia fratrem suum Abelem morsibus interemerat, quàm quia verbum illud diffidentiæ contra Dei misericordiam desperabundus evomere præsumpserat: *Maior est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* In cuius

Genebr. in notat. Chronol. Tharg. Ierosol.

Pennafiel ætat. 1. c. 3. §. 7.

Gen. 4. v. 13.

cujus punitionem contortum fuit os ejus, & percussit eum Dominus paralysi, qua tactus, per totam vitam tremens, ac irrequieto motu agitatus vixit. Et hoc est signum, quod sacra Historia Geneseos commemorat Deum posuisse in Caino, ne quis eum inveniens occideret: *Posuit Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum*, prout exponunt SS. Athanasius, Chrysostomus, & Suidas. Itaque ex ipsis verbis Caini liquidò probatum manet, ipsum fuisse hæreticum, & quidem obstinatum & negativum. quia vocatus ad judicium ab Inquisitore divino, & supremo, ut crimen diceret & culpam agnosceret, ipse forum & Tribunal declinavit, neque etiam evidentia facti convictus, voluit commissum fateri crimen: *Ubi est Abel frater tuus &c. Numquid custos fratris mei sum ego?* Tandem mulctavit eum Deus perpetuo exilio: *Vagus & profugus eris super terram.* Imò morte violenta occubuit, quam illi Lamech intulit, quemadmodum ex Rabbinis refert Lyranus in explicatione illorum verborum sacri Textus: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.* Ex quibus omnibus manifestum divini Inquisitoris munus comprobatur.

Ibidem v.16.
D. Athanas.
D. Chrysost.
Suidas apud Pennafiel citat.
Ibidem v.9.
Ibidem v.12.
Ibidem v.23.
Lyran. hic.

2. Itaque ministerium excellentissimum & officium supremæ dignitatis, est munus Inquisitoris contra hæreticam pravitatem, quod primævam suam originem ducit ab ipso Deo, quapropter fundamentum habemus ad dicendum, hoc supremum Inquisitionis Tribunal esse maximum Ecclesiæ Catholicæ decus, splẽdorem & ornamentum, quo deficiente, videtur Ecclesia non habitura suam integram pulchritudinem, & completam perfectionem. Est singularis ad hoc propositum locus ille Evangelici Vatis Isaiæ, in quo de Christo Domino nostro, & de Sponsa ejus dilectissima disertissimè in hæc verba effatur. *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*, id est, erit Messiæ seu Salvatori justitia & fides, velut cingulum seu cinctorium. Ita legit Doctissimus noster Barbastrẽsis Antistes, adherens versionẽ Septuaginta Interpretũ ad explicandum hunc locum, quæ ita sonat: *Erunt iustitia cinctorium lumborum eius, & fides cingulum renum eius.* Ita ut fides (nostro loquendi modo) cingat, componat & concinnet Christum, ejusque Ecclesiam. Et ne quis existimet hanc meam esse imaginationem, aut cogitationem, dabo Authorem huius conceptus, qui fuit alter S. Vincentius Ferrerius, ævi nostri insignissimus Magister Ordinis nostri Frater Petrus Calvo, qui notat cingulum esse postremum, & ultimum, quod homo jam vestitus corpori suo circumponit, & quamvis pretiosissimæ sint vestes aut corporis ornamenta, donec non cingitur aut componitur, necdum habet formam perfectionis suæ, neque splendorem: *Quia ut cingulo ultimò ornamur, ita divinitas iustitia completur.* Idemque fuit, ac si dixisset, quod quemadmodum cingulum est pulchritudo & concinnitas corporis humani, ita Tribunal Fidei ejusque integritas, est decus excellentia & splendor Ecclesiæ Catholicæ.

Isaia 11. v.5.
La Nuza hom. 24. § 18. N. 39.
Petrus Calvo hom. 1. Domin. 1. Advẽt. c. 10.

3. Restat sciendum quale sit hoc officium Inquisitionis, & quare sit institutum. Certum est illud fuisse institutum, ut Inquisitores juxta humanæ fragilitatis possibilitatem, imitarentur Dominum Deum, cujus personam, ministri S. Officij repræsentant, & vices gerunt, utque summis viribus, gratia divina adjuti, allaborẽt, suam procedendi formam contra reos, aut delinquentes Dei judicio conformare, vel bonitate errantes reducendo, vel severitate inimicos Fidei plectendo, quemadmodum Dominus Deus egit cum Caino) vel igne illos exurendo, vel suavitate rationum eos emolliendo, ut hostes Fidei agnoscant veritatem Catholicam, & perversi Christiani respondeant suæ obligationi, cui per tam sanctum nomen adstringuntur, & confirment operibus veritatem quam ore pronuntiant & corde retinent. Hi enim sunt, qui solent Fidei Catholicæ bellum movere, & inferre. In hoc sensu explicuit Venerabilis Beda Textum illum Apocalypsios: *Et facta est civitas magna in tres partes.* Ubi perpulchrè magnum illud Angliæ lumen Beda: *Triforme bellum impia civitas infert Ecclesiæ Christi, quam Gentiles, & Iudæi aperto certamine, hæretici subdola defectione, falsi fratres pravis infestant exemplis.* Tria genera incolarum magnæ illius Babylonis movent bellum Ecclesiæ Christi, Gentiles & Iudæi aperto Marte, hæretici astu & dolo, & falsi fratres pessimo suo exemplo, atque ideò oportet ministros fidei esse vigilantissimos, seseque opponere adversariis Ecclesiam oppugnantibus, ne unquam adversus eam prævaleant, & dominentur. Ita profectò egit primus Inquisitor Apostolicus gloriosus Patriarcha noster S. Dominicus cum sociis suis, & sodalibus, qui totum sese impendens

Apoc. 16. v.19.
Beda hic.

dens, & consecrans conversioni, & reductioni Hæreticorum Albigensium, spatio decennii, quo illic commoratus fuit, centum millia ipsorum ad veram fidem convertit, & anno 1221. in sola Lombardia Inquisitores hæreticæ pravitatis totidem ad fidem Catholicam reduxerunt, & plusquàm duodecim millia flammis exurendos adjudicarunt.

4 Ecce, Adiutores mei, officium Tribunalis sanctæ Inquisitionis, quod fundavit S. P. N. Dominicus, & conservatur, tamquàm res propria inter ipsius Religiosos in omnibus fermè Regnis Italiæ, & extraneis Provinciis. Et idem semper observatum fuit in Hispania, quamvis aliquot ab hinc annis fuerit extra centrum suum, in hominibus tamē maximè reformatis, & benè meritis, Media autem, quibus utitur hoc sanctum Tribunal, ad destruendum munimenta adversariorum, non sunt rigoris, & severitatis, sed benignitatis, & clementiæ; quia enim Tribunal est cæleste, contrarium est mundi judicijs, quia in his, & reus confitens delictum, illudque negans absolvitur, in illo autem humili confessione venia, & libertas conceditur, & pertinaciæ negativè flāma, & adustio infligitur. Præcepit Deus duci Iosue, ut delictū Achan flammis, & igne plecteret, quia furtum commiserat. An fortassè cū tradidit incendio, & combussit? Minimè gentium, sed, ut sacrum attestatur eloquiū: *Lapidavitq; eū omnis Israel, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.* Ast qui Iosue non obtemperavit mandato Dei sibi statuto, ut Achan tormento ignis expiaretur, & interiret? Solvit nodum quæstionis S. Augustinus, Achan confessus fuit crimen perpetratum, & candidè veritatem edixit, se nefas fecisse, & regulam auream in obsidione Ierichuntina abstulisse: *Verè ego peccavi Domino, Deo Israel, & sic, & sic feci.* Quia ipsemet Deus, qui anteà posuerat præceptum, ut Achan negans igne combureretur cū omni substantia sua, quòd prævaricatus fuisset pactum Domini, & nefas fecisset in Israel, nunc revocat sententiam, & reum absolvit. Verba magni Ecclesiæ Doctoris hæc sunt: *Dignus non erat igne gehennæ, verè enim pænituit, & ita neque eum voluit Iosue comburere.* Tribunal Dei est longè diversum à Tribunalibus hominum. ille verè apud divinam Maiestatem impetrat indulgentiam præteritorum errorum, & criminum, qui ea humiliter confitetur, & culpam agnoscit.

Iosue 7. v. 25.

Ibidem v. 20.

D. Aug. q. 9. in Iosue.

Dixit quondam Propheta Ieremias, se conspexisse, & attentis oculis vidisse: *Virgam vigilantem*, iuxtà versionem Septuagintа Interpretum, & Theodosionis; *Virgam amygdalinam*, quæ est arbor, citiùs, & præmaturius emittens flores, in qua adumbratur celeritas, & acceleratio divinæ misericordiæ in præmiando iustos. Et mox subiungit, quòd viderit: *Ollā succensā*, quasi fornacem ignis, qui veniebat ab Aquilone, in qua Deus suam manifestat justitiam. Gloriosus Doctor Ecclesiæ S. Ambrosius, enucleans hanc visionem, insignem nobis suggerit discursus nostri confirmationem: *Quoniam, qui baculo non corrigitur, mittitur in ollam, ut ardeat.* Primum, quod Deus prætendit, est bonitate, & misericordia peccatorem reducere, eumque blanditiis, & dulci clementia, in virga florescente adumbrata, ad se convertere. Ast quando omninò relabitur, & impœnitentiam, seu obfirmatum animum in malo manifestat, tunc ei ignem applicari jubet, ut promeritas luat pœnas. Idem prorsùs observat hoc clementissimum Tribunal Inquisitionis, priùs magna benignitate sollicitat confessionem, & emendationem delinquentium; at quando animadvertit omnibus hisce mediis, & blanditiis nequaquam obduratū cor eorum emolliri, aut flecti, sed in pervicaci pertinacia persistere, procedit ad executionem, & jubet illos concremari. Itaque quod reo durior adhibeatur tortura, & fidiculis crudeliùs excrucietur, imò suppliciis infligendis terreatur, totum nascitur ex ferventi desiderio remedii ipsius, ut resipiscat, totumq; hoc aliud nihil est, quàm illi aditum parare, ut, seposita verecundia, humiliter culpam confiteatur, & indulgentiam simul cum vita obtineat, qui iamper infidelitatem apud Deum suum, iam, adhuc vivens, mortuus reputatur. Si autem his omnibus adhibitis, pertinaces, perfidi, & obdurati perseverent in hæresi sua, tradantur flammis exurendi, quia mirum non est, patientiam læsam, & contemptam cōverti in justam indignationem, & furorem. Solet enim proverbio, & adagio dici: *Patientia læsa fit furor.*

5.

Ierem. 1. v. 11. Septuagin. Interpr. Theodos.

Ibidem v. 13.

D. Amb. in Ps. 19.

6. Fuit Propheta Ezechiel zelosissimus minister fidei legis antiquæ. Instruens eum Dominus, præscribensque ei normā in administratione muneris, sibi demādati, observandam, ait illi: *Vt adamantem, & ut silicem, dedi faciem tuam.* Ægrè prima fronte consonuntur hæ similitudines, quia adamas durus, fortis & incom-

incommodus, est symbolum patientiæ, uti advertit S. Cyprianus, nullis enim malleorū ictibus cedit, sed immobilis persistit. Si cum Mario Brixiano, loco *adamantem*, legerimus *magnetē* hic lapis non est minus symbolum mansuetudinis, quàm adamas patientiæ, quia etiam ipsum ferrum attrahit ad se, econtrà vero silex, mox ut tangitur statim irascitur incenditur, & scintillas emittit. Qui igitur dicit Deus Ezechieli, ut sit adamas vel magnes, & si nul silex, quæ omnia tam contrarias & oppositas habent naturæ proprietates? Dicam quod sentio, nisi me fallat ingenium & studium meum. Utrumque requirit & postulat Dominus ab Ezechiele observandum, duritiem & patientiam adamantis & blandam vim attractivam magnetis, ut sic mitiget ac emolliat corda delinquentium. Hic debet esse primus scopus illius, at verò quando illi obdurati nolunt lenitate converti, sit silex, qui eos incendat, & experiantur rigorem justitiæ, qui suave jugum fidei detrectantes, benignitate & pietate noluerunt reduci. O quanta pietate expectat hoc sanctum Tribunal conversionem rei! quanta patientia suffert & præstolatur confessionem delinquentis! monet, exhortatur, consulit & mittit Theologos ad contumacem, qui rationibus & evidentibus argumentis obdurationem ejus emollire procurant & allaborant. Si hæc frustranea sint, veniat supplicium ignis & flammæ, quia non est minor gloria Dei, indulgere & parcere peccatoribus pœnitentibus, quàm impœnitentes, èt obduratos supremo supplicio afficere.

Mar. Brixian. hic.

7. Inter cætera, quæ Christus Dominus prohibuit discipulis suis, hoc unum fuit, ne virgam secum deferrent: *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam*, eò quod teste S. Ambrosio, sit instrumentum, & symbolum severitatis, rigoris & vindictæ: *Ut incentiva litis, & instrumenta eriperet ultionis.* Assumit S. Doctor hunc locum, eumque cōferens cum illo S. Pauli ad Corinthios: *Quid vultis, in virga veniam ad vos &c.* Ex quibus constat, Doctorem Gentium aliquando usum fuisse rigore, & virga & supplicio: ponderat ingeniosè S. Doctor, quod prohibente Salvatore nostro discipulis suis, ne deferrent insignia severitatis & justitiæ, nihilominus Doctor Gentium, etiam discipulus illius, ejusque vices gerens, aliquando usus fuerit virga, & adhibuerit tormenta & supplicia. Et componens hos duos Textus primo intuitu contrarios & oppositos,

1. Cor. 14. v. 11.

hæc disertissima verba ingenio suo digna subjungit: *Certè mulceat Dominus, increpet Paulus, suadeat, qui potest pectora etiam dura mollire, arguat, qui non potest universa suadere.* Rectè possunt ambo componi, nimirum non uti virga, quemadmodum Christus, & uti illa sicuti Paulus. Quando enim lenitate cuncta obtineri possunt, & quando pietas efficax est ad emolliendā duritiem, seu pertinaciam cordis, non est opus uti rigore aut severitate, verùm quando suavitas nequit consequi finem intentum, neque potest persuadere id, quod est necessarium, tunc conveniens est & consultum recurrere ad virgam & severitatem, ne omnis diligentia & labor cassus èt inanis reddatur. Hoc ipsum in sacro Tribunali moris est, ut primò applicēt media suavissima èt benignissima ad convertendum reum, quando autē tentatis omnibus mediis, oleum èt operam se perdere agnoscunt, tunc ad rigorem recurrentes veluti incorrigibilem plectunt reum, èt supplicio hoc vel illo afficiunt.

D. Amb. in cap. 10. Lucæ.

8. Coronidem imponat huic discursui nostro magnus Pontifex S. Gregorius, qui ponderat duplici sub forma Spiritum sanctum manifestasse hominibus suam præsentiam, videlicet in figura columbæ, èt in specie ignis. Sub prima forma in Iordane: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* In secunda autem, quando descendit in festo Pentecostes super S. Apostolos: *Dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Et notanter advertit S. Doctor, quod prius apparuerit in figura columbæ, quàm linguarum aut ignis: *In columba igitur & igne sanctus Spiritus ostenditur; quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis attendatur.* Voluit Spiritus divinus hoc pacto nobis insinuare, quod illi quos ipse replet donis suis, taliter debeant esse mansueti èt affabiles quasi columba, ut si necessè fuerit debeant esse tāquā ignis consumens. Videtur sanè cœlū ipsū docuisse ministros sancti Officij Inquisitionis, ipsisque normam èt regulam in judicio servandam præscripsisse, saltem illi ita hoc directorio reguntur, èt huic formulario ita se conformant, ut nulli alteri rei attendant, quàm divina documenta sibi præscripta exequi, èt accommodare se in omnibus cœlesti Magistro Christo Domino, Redemptori nostro, èt per omnia ejus sequi èt imitari exemplum: *Et sequatur me.*

Matth. 3. v. 16.

Actor. 2. v. 3.

D. Greg. lib. 1. moral. c. 2.

Abneget

Abneget semetipsum, & sequatur me.

CONSIDERATIO V.

Non rectè satisfaciunt ministri huius sancti Tribunalis muneri suo, nisi viventes more Angelorum, ab omni rerum terrenarum cupiditate, & affectu sint prorsus alieni, & avulsi.

ISte tam illustris honos tamque eminens, & excellens dignitas, uti in principio antecedentis Considerationis ostendimus, plurimas easque gravissimas habet obligationes sibi annexas. Qui enim potest exactus esse Iudex, aut severas sententias mandare executioni in defensionem fidei, minister, qui non fuerit valde fidelis, inculpatæ vitæ, & ab omni carnis & sanguinis affectu alienus, solū attendens ad honorē & gloriam Dei, & salutem animarum? *Lapides sancti elevabuntur super terram*, inquit Zecharias, loquens in sensu litterali de iustis, & electis Dei, eosque appellans lapides, propter fortitudinem, & constantiam, quam in Dei obsequio, & cultu demonstrant. S. Hieronymus accuratius exponens hunc locum, singulari acumine premit dictum Prophetæ affirmantis, lapides illos moveri, seu elevari. Sed indagemus quæso, quis sit motus eorum, aut qua elevatio? *Volvuntur* (inquit sacrorū Interpretum Phoenix) *super terram, adinstar rotarum, paululùm tangentes humum, & volubilitate sua ad cœlestia festinantes*. In altum volvuntur, & versus cœlum est totus eorum motus. Et qui hoc fieri potest? Nonnè sunt lapides, qui naturali gravitate sua vergunt deorsum, & quia homines sunt, nonne pondere passionum suarum proni, sunt, & propensi ad terram, ex qua fuerunt efformati? Ita est, sed sunt lapides sancti, id est, à terra avulsi, & quia iam omninò ab illa sunt aliení, non vergunt, neque propendent, iuxta inclinationem passionum suarum, ad terram, sed vice versa veloci cursu sursum feruntur ad astra; & licet homines terreni vixdùm tamen terram pedibus, & affectibus suis contingunt, sed similes rotis sphæricis, quodammodò in solo puncto indivisibili humum attingunt. Tales oportet esse ministros huius sancti Tribunalis fidei, ut suis satisfaciant obligationibus, & hoc coincidit cum abnegatione suiipsius: *Abneget semetipsum*.

Zachar. 9.16.

D. Hier. hic.

Voluit sanctus Moyses acriter punire sacrilegam illam indomiti, & contumacis populi Apostasiam, qui negans Deo debitum reverentiæ cultum, cæco impetu prolapsus est in abominandam illam Vituli Idololatriam. Promulgat Moyses notissimū illud mandatum: *Si quis est Domini, iungatur mihi*. Adeste mihi, & fortiter mecum defendite honorem Dei, sacrilegâ impietate violatum. Mox ut filii Levi audiverunt vocem præconis, animoso, & generoso pectore se adiunxerunt Moysi. Dicit & præcipit Deus Levitis: *Occidat unusquisque fratrem & proximū suū*; id est, quisq; postposito omni humano respectu, solum attendendo ad Dei cultum, & honorem, intrepida alacritate effundat sanguinem fratrum, parentum, & amicorū suorum sanguinem: *Feceruntque filii Levi iuxta mandatū Moysi*, id est, obtemperātes divinis iussis, fortissimo animi robore, & audaci generositate circiter viginti tria millia hominem, nulli, neque etiam consanguineis suis, ignoscentes, occiderunt, & gladiis interemerunt. Dubitari potest, quam ob causam Deus potiùs elegerit Levitas, quàm cæteras Tribus, ad exequendum talem, tantumque iustitiæ rigorem, tam a sacra eorum professione, & statu alienum. Quid enim magis dissonū rectæ rationi, quàm ut Sacerdotes Deo consecrati humanū sitiant, & effundant sanguinem? Nonnè consultius foret Tribui Iuda hanc crudelitatis executionem committere, quæ iam assueta bellis, sæpius in prœliis ense cruento hostes suos sanguine, & vita exuit, & privavit? Respondeat ad hoc solito ingenii sui acumine S. Ambrosius: *Sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus*. Erant Levitæ ab appetitu rerum caducarū maximè remoti, & alieni, utpotè, qui iam, repudiatis mundi opibus, soli Deo erant consecrati, qui & tota eorum substantia, & portio erat. Actus ille iustitiæ erat in causa Fidei puniendo, & mulctando Apostatas, qui ab ea defecerant. Levitis igitur demandatur executio illius, ut gladio trucidēt fratres, & proximos suos, quia cùm Deum habens, totum possideat, & Levitæ ipsum haberent, non dubitarunt vitam suis amicis eripere, quia ut prosequitur Ambrosiana eloquētia: *Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt, quoniā SS. omnia Deus est*, hoc est qui segregati sūt desideriis suis à rebus huius sæculi, carnem, & sanguinem despiciunt, parentes, et proximos flocci-

2.

Exod. 32. v. 26.

D. Amb. in Exod. tom. 1.

floccipendunt Hi omnibus numeris perfectissimi sunt Iudices in causa fidei, & Religionis, incipiunt executiones justitiæ ab amicis, & consanguineis, solus enim ille, qui liber est à temporali, & carnali respectu, neque in materia fidei parentelam agnoscit potest divinas ulcisci injurias, & zelare augmentum, & promotionem fidei, secluso omni humano amore, & solo intuitu divini honoris, quemadmodum fecit S. Petrus martyr, plurimos Hæreticos impœnitentes, & obduratos in Regno, seu ditione Mediolanensi flammis, & ignibus exurendo. Talem decebat esse petram, seu lapidem adeo elevatum à terra, qui futurus esset lapis fundamentalis tam illustris, & eminentis ædificii, quale est sanctum, sincerum, & mundum Tribunal fidei, seu Inquisitionis.

3. Serviunt huic intento verba Zachariæ Prophetæ: *Ecce lapis, quem dedi corã Iesu super lapidem unum septem oculi sunt.* Ad litteram intelliguntur de Christo Domino Salvatore nostro, qui erat lapis septem oculorum, quem Deus ostendit, & exhibuit Sacerdoti Iesu, in pluralitate autem oculorum denotatur providentia eius erga Ecclesiam suam, quam semper fixis oculis intuetur, fovet, & confortat. Hæc communis est S. Patrum Interpretatio, mystice tamen, & spiritualiter debemus eadem verba glorioso nostro Martyri S. Petro, & Tribunali S. Officii accommodare. Iste est lapis, quem posuit Deus coram Iesu, ad extollendum fidem suam, & corroborandum ministros suos, est Petra super Petram ædificata: *Et ipsi si tamquam lapides vivi superædificamini.* Et vos Domini Inquisitores estis Oculi huius lapidis; *Super lapidem unũ septem oculi sunt.* Multos, & plurimos Oculos habet S. Petrus, sed bonos, & optimos. Videamus, qualis conditionis sint oculi illi tam celebres? Idem Propheta in capitulo sequenti eorũ indolem, & naturam delineans, ait: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Vbi Glossa Interlinealis, ut sciremus, Prophetam loqui de oculis ipsius lapidis, cuius meminerat in capite 3. adjungit: *Quos vidisti in lapide*, & idem exprimit sanctus Ioannes in sua Apocalypsi, & doctus quidam Modernus explicans hunc locum, asserit hos septem oculos lapidis esse septem Angelos cœlestes, quibus Deus specialiter demandavit reductionem populi Iudaici per totum mundum dispersi ad notitiam, & veram agnitionem suæ fidei, & legis: *Septem oculi Domini, sunt septem Angeli, qui discurrunt per universam terram, & miseriis cæcitatis Iudæorum per orbem dispersorum, suis precibus à Deo obtinent eorum conversionem.* Videtur mihi hic locus revera appositus, ad accommodandum illum Inquisitoribus Apostolicis fidei nostræ, quasi Christus Dominus habeat, Angelos in cœlis, quorum curæ, & sollicitudini commisit conversionem populi Iudaici, cui ille tantopere reluctatur. Vos, Domini Inquisitores, estis Angeli illi, quibus Deus hoc officium contulit, ut eos corrigatis, & ad semitam veritatis reducatis.

4. Et merito vos appellat Oculos, propter magnam æstimationem vestri, quia oculi, teste Philone Alexandrino, sunt præcipua pars corporis, & nobilissimum in eo occupant locum: cum: *In sublimi loco, ut principes collocavit,* & hoc ob duas singulares proprietates, quibus natura oculos donavit. Prima est, quia oculi sunt specula seu excubiæ, quibus malum, & bonum discernitur, & vos pari modo estis vigiles, & excubitores Fidei, & Oculi, quibus Deus investigat, & detegit defectus, & errores, qui contra illam committuntur: *Qui discurrunt in universam terram.* Imo de vobis affirmari potest, id quod Evangelicus Propheta Isaias de se dixit, quando Deus eum zelatorem fidei suæ instituit: *Et contemplatus est diligenter multo intuitu, & clamavit Leo super speculam Domini, ego sum, stans jugiter per diem, &c.* id est, solerti cura advigilavit, & reperiens defectus contra illam, veluti Leo rugivit. Et recte comparatur Leoni, de quo refert Berchorius, quod semper vigilat, quodq; *oculis apertis* dormit, dum eum quiescere contingit, & prospicit inimicum à longe, ut eius insidias effugiat; quapropter antiquitus excubitores, seu stationarii, Leones appellabantur. Habent etiam ministri sancti Officii aliam proprietatem oculorum, quod sicut hi, juxta Naturales, carent sanguine, ita illi sunt oculi spirituales, in suis judiciis liberi ab omni respectu humano: quia sunt Angeli, quemadmodum adnotavit doctus ille Modernus, & attestatur sacer Textus: *Oculi Domini*, & pleni Deo, & recte illis quadrant verba illa quæ mulier Thecuitis dixit ad Davidem: *Sicut enim Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex; ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* Vester judicandi stylus non hominis, sed Angeli est, qui corpore caret; non timetis minas, nec lucrum aut commodum vos commovet, neque quidquam vos perturbat timor malorũ, aut

Zachar. 3. v. 6. — 1. Petr. 2. v. 5. — Zach. c. 4 v. 10. — Glossa Interl. hic. — Ribera in c. 4 Zachar. n. 25. — Philo lib. de special. leg. — Isaia 21. v. 7. & 8. — Berchor. in Reduct. Verb. Leo. — 2. Reg. 14. v. 17.

aut amor parentum, vel amicorum, sed in omnibus juris æquitatem præ oculis habetis.

5. Singularis est, & ad rem nostram aptissima, præclara quædam S. Ambrosii ponderatio. Furatur Rachel idola patris sui Laban, eaque secum defert, ut idololatriæ ansam & occasionem amoveat. Insequitur eam parens, & cum intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper, neque patri omne tentorium scrutanti assurrexit, sed nihil invenienti hæc excusationis verba illi dixit: *Ne irascatur Dominus meus, quia coram te assurgere nequeo.* Videtis revera, inquit S. Ambrosius, non posse evadere notam inurbanitatis, quia peccasti, ô Rachel, contra leges honestatis. Pater tuus stat, & tu sedes. Magna profecto irreverentia. Et nihilominus Doctor non solum absolvit illam inhumanitatis, & incivilitatis, sed insuper judicat eam maxima laude dignam: *Nemo credat paterna pietatis læsam esse reverentiam, quod stante patre, sedeat.* Et subjungit rationem: *Ubi causa agebatur Religionis, fides debuit sedem habere judicij, & quasi rea stare perfidia.* Occurrerunt sibi invicem infidelitas, & religio, Fides, & idololatria: & tunc non erat æquum deferre respectum patri, aut servare amicis terminos, aut leges comitatis, sed debet stare infidelitas in judicio tamquam rea, & fides sedere quasi in Tribunali judicans illam. Nulli servanda civilitas morum, ubi religio, & honoris Dei injuria intercedit.

Genes. 31. v. 35.

D. Amb. lib. 2. de Iacob. & vita beata c. 5.

6. Prædicabat Salvator noster, & docebat, seu instruebat Iudæos in fide, & dicunt ei; ecce, mater tua, & fratres tui expectant te foris; & respondet illis Dominus: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Ecquid, interrogat acutissimus Tertullianus, cum tanta animi indignatione, & irreverentia, loquitur Dominus & Redemptor de Matre, & discipulis suis? Et apposite respondet ad intentum nostrum: *Negavit itaque parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.* Non est mirum, quod in negotio fidei non curaverit Matrem, aut parentes, & prætulerit causam illius proprio sanguini, quasi nullum haberet sanguinem, docens nos exemplo suo, ut idipsum agamus. Imo hisce addo, ut synceri Ministri fidei hodie magis exaltentur, hoc non fuisse rarum, aut admirabile in Christo Domino, quia tametsi sanguinem haberet ex Matre sua, non tamen illum acceperat obnoxium passionibus nostræ humanitatis, quæ dicunt imperfectionem; & forsitan doctissimus Septimius per illas intellexit sanguinem, quando jam antea dictis adjecit: *Nil mirum, si fidem sanguini preposuit, quem non habebat;* Verum quod Ministri sanctæ Inquisitionis imbuti humanis passionibus, sicut cæteri homines, illas omnino exuant, & calcatis illis ita agant, quasi penitus ab omni humano respectu essent immunes, & ita zelent, & tueantur fidem, fidem, erroresque contra eam insurgentes, ut videantur omnem humanum exuisse affectum: hoc admirandum est, & summis encomiis celebrandum, imo omnes, etiam maximæ laudes impares sunt ad digne extollendum munditiam, & puritatem manuum Ministrorum argumentum evidens, & manifesta confirmatio, quod sint veri ministri ipsius Dei ab illo in Ecclesiæ specula constituti. Hoc est sigillum, quo tales insigniuntur, & signum, & nota, qua ab alijs discernuntur.

Matth. 12. v. 38.

Septim. Tertull. de carne Christi c. 7.

Revocate in memoriam, insignem illam metaphoram Leonis, ex jam Evangelico Isaia relatam, & simul recurrite ad sacram Regum Historiam, ubi Dominus Deus permisit in pœnam peccati, ut populus Samariæ, seu populus Israel, transferretur de terra sua in Assyrios. Et remansit Samaria inculta absque habitatoribus, & ne remaneret deserta, adduxit Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, &c. novos colonos, ut ibi habitarent: *Collocavit eos in Civitatibus Samariæ, pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus eius.* Porro mox ut ingressi fuerunt terram illam, sacro attestante eloquio, dum deberent cum cæteris habitatoribus terræ colere Dominum Deum, ei gratum præstare obsequium, non recesserunt ab idolis, sed indurata cervice immunditiis suis adhæserunt: *Cumque ibi habitare cœpissent, non timuerunt Dominum.* Sed quid fecit Dominus, ut promeritas ab eis exigeret pœnas? *Immisit in eos Dominus Leones, qui interficiebant eos.* Videntes hæc Assyrii superstites, nuntiarunt Regi omnia per ordinem, quo gesta fuerant, quod Deus Israel illud supplicium inflixerat subditis eius, assumens feroces illos Leones, veluti instrumenta ultionis, & vindictæ suæ. Indagant hic sacri Interpretes, ex quo cognoverint hi gentiles, illos Leones esse Dei ministros? Et respondent, quia puniebat peccata idololatriæ in terra fidelium commissa. Expressum symbolum Iudicum terræ, quorum munus est castigare hæreses in ter-

7.

4. Reg. 17. v. 24.

Ibidem v. 25.

terris Christianorum commissas. Quod alter Iudaizet in Arabia, & Palestina, ubi nullus baptismus, nulla fides, & dissimulat Deus; quod alius sit Hæreticus in Hollandia, & Zelandia, ubi nulla defertur obedientia summo Pontifici, Vicario Christi, & successori Petri, suffert, & tacet Deus, ast in Hispania, ubi Fides viget, & Catholica floret Religio, immittit Deus Leones, ut audaces comprimant, & effrontes reos plectant, & puniant.

8. *Abulens. quæst. 3.* Eamdem movet quæstionem doctissimus Abulensis, quando inquirit: *Quomodo cognoverunt gentes istæ, Leones esse immissos à Deo?* Et assignat responsionem adeo oppositam huic loco, ut si ego diutius illam excogitassem, non posset esse accommodatior: *Quia Leones ipsi occidebant viros, & fœminas, & nullius cadaver comedebant.* Clarum, & evidens fuit illis argumentum, Leones illos esse ministros Dei, quia interficiebant homines, & tamen illos non comedebant. Prudentissime ad hunc modum ratiocinabantur: animalia naturali propensione carnivora, & quæ possunt devorare corpora eorum, quos interimunt, & non faciunt, sed abstinent, proculdubio è cœlis venerunt, suntque ministri à Deo ad puniendos infideles immissi. Ecce Auditores, vivum exemplar ministrorum huius sancti Tribunalis, quos jam in aliis proprietatibus Leoni comparavimus. Quando honor Dei, & zelus Fidei id exigit, puniunt, imo & vitam auferunt, sed non comedunt, neque substantiam reorum devorant, quia nullum inde lucrum temporale sibi vendicant, aut acquirunt. De prætoriis seu curiis sæcularibus semper aliquæ audiuntur querimoniæ secus tamen de hoc sancto Tribunali, quia est cœleste, & ministri eius tam alieni ab omni carnis, & sanguinis respectu, quasi non homines terreni, sed Angeli cœlestes existerent. Effectus sane admirabilis (quamvis primo à gratia divina) secundo tamen ab innocuo sanguine S. Petri Martyris promanans, qui proprio sanguine hoc Tribunal sanctum stabilivit.

9. Hoc unum superest, ô Domini Inquisitores, summe necessarium, ut imitemini vestigia tam sancti Patroni, & protectoris, & viriliter, magnaque animi generositate munus vestrum obeatis. Et ut deinceps magis magisque sit omnibus commendata devotio huius gloriosi Martyris, audite verba S. Ambrosii super illa Christi Domini, S. Petro dicta: *Tu es Petrus, &c. Si ergo Apostolo, & Martyri Petro, inferni portæ non prævalet, quisquis sociatur Martyri, tartaro non tenetur;* id est, si omnes *16. v. 18.* potestates tenebrarum non audent moliri quid- *D. Amb. hic.* quam contra S. Petrum Martyrem, quicumque se adjunxerit huic Sancto, aut eius Sodalitati, nequaquam tartarorum debet pertimescere vires, aut potestates. Rogemus eum, ut potentissima sua intercessione nos adjuvet, & foveat, quia hodie maximis pollet meritis apud Deum in cœlis. Quod maxime colligitur ex gloria, qua in cœlo, aliis Sanctis, imo & ipsis Angelis præcellit, & præfertur. Neque hoc paradoxum existimetis, quia ad hoc asseverandum reperi fundamentum in doctrina SS Patrum. Verum ad id ipsum elucidandum, suppono id, quod in officio eius recitatur: *Petrus novus in-* *Antiph. 1 ad laud.* *cola cœlos laureatus ascendit, aureola triplici dotatus.* Vult Doctor Gentium magnis encomiis extollere statum virginitatis, eiusque excellentiã, & magnitudinem prædicare, & inter cætera hæc effatur verba: *Bonũ est homini sic esse.* Glossa Ordinaria exponens eadem verba, sequentia adjecit: *Quia maior est gloria Virginum, quam* *1. Cor. 7. v. 26.* *Angelorum.* Est perfectissimum bonum, quia excellentior est victoria Virginum, quam triũphus Angelorum, hoc est, juxta explicationem *Glossa Ordinar.* Angelici Doctoris S. Thomæ: *Major extensive, scilicet, multiplicative, quia habet arreolam, non solum lauream;* Angeli quippe sine *D. Thom. in Epist. 1. ad Cor.* carne viventes solummodo una condecorantur aureola virginum, homo autem purus multiplices potest adipisci coronas, nempe, Virginis, Martyris, & Doctoris. O gloriose Petre! majores sunt, & victoriæ tuæ, quam Angelorum, quinimo illustriores tui triumphi, quia licet illis donata fuerit una gloriæ corona, tibi triplicatam contulit Deus aureolam, gaudes namque corona Virginis, Martyris, & Doctoris, quemadmodum palma illa, quam manu gestas, luculenter ostendit, & qui tot præmiis est cumulatus haud dubie etiam singularibus beneficiis, & favoribus est doratus. Recordare igitur fratrum tuorum, Ministrorum Fidei, & nedum ipsorum, sed omnium etiam clientum tibi devotione adstrictorum. Et obtine nobis, tua intercessione, apud Deum gratiam in hac mortali vita, & gloriam in futura. *Ad quam nos perducat, &c.*

TRAC-

TRACTATUS XIII.

IN FESTO


Sancti Ioannis ante portam Latinam.

Seu in Festo Martyrii

S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, &c.

Matth. 20. cap.



AD honorem & gloriam Domini Dei, & exaltationem dilectissimi Discipuli ejus, Virginis, Apostoli gloriosi, & invicti Martyris S. Ioannis Evangelistæ celebrat S. Mater Ecclesia hodiernum diem, illiusque Martyrium, vel ut melius dicam, gloriam & triumphum festivo applausu, & maximis lætitiæ indiciis recolit & exaltat. Celeberrimus ille Prædicatorum Dux & antesignanus Sanctus Ioannes Chrysostomus, delineans imaginem hujus Angeli incarnati, vel hominis divini, appellat eum os Dei, linguam Spiritus sancti, lumen Ecclesiæ decus & pulchritudinem mundi, præconem cœli, stellam & solus hominum, exemplum seu specimen angelorum, lapidem vivum, speculum lucis & formam Fidei. In quibus titulis seu epithetis, quædam videntur adeò eminentia, ut nequeant esse excellentiora, quia suprema honoris & dignitatis elogia exprimunt & designant. Verùm Ioannes Cluniacensis addit ipsum esse sanctum, sine æquali & cæteris omnibus in favoribus & donis cœlestibus, prælatum, quia gloriosus cum Christo Domino & sacratissima ejus Matre, in corpore simul & anima, in cœlis sempiterna perfruitur beatitudine. Probat autem hic Doctor propositionem suam multis argumentis, quorum unum est: *Christus enim custodivit corpus eius, ne corruptioni subiaceret: ne oleum fervens adureret, ne venenum noceret, ne gladius eum interimeret. Si tam fuit liberalis in mundo cur non in cælo?* Si Christus tanti eum æstimaverit, ut corpus ejus illæsum servaverit in terris, quis dubitet, quin idem corpus custodiverit incorruptum in cœlis, eique communicaverit omnes dotes corporis gloriosi, qui tam munificus fuit ergà illum in terris? De hoc amantissimo Christi corculo nobis agendum est, accommodando concionem nostram, & Evangelio, & hujus solemnitatis instituto. Ingenuè fateor, quod mallem potius audire laudes & elogia hujus gloriosi Evangelistæ, ex ore alterius me doctioris, qui ea dignius extolleret, & sua eloquentia exornaret; sed cùm mihi hæc provincia sit demandata, confido, quod beatissima Virgo, quæ eum adoptavit sibi in filium, & sibi in ejus virtutum ornamentis & prærogativis mirum in modum complacuit, favebit & gratiam impetrabit, qua instructus, potero si non pro dignitate, saltem absque injuria illius laudes enarrare. *Raulin. Serm. 3. de S. Evangelista.*

Ave gratia &c.

Dic

Dic, ut sedeant.

CONSIDERATIO I.

Colligitur ex hac petitione Sancti Ioannis animosa generositas cordis ipsius & responsum Christi dicentis, nescitis quid petatis, indicat supremum locum, quem Ioanni reservaverat.

1. *D. Chrysost. hom. 1. in imperfect. D. Amb. lib. 5. de fide.* EST doctrina quorumdam sanctorum, & præsertim SS. Ioannis Chrysostomi, & Ambrosij, hanc postulationem Evangelistæ non fuisse alicujus sedis terrenæ, sed cœlestis, ita ut non solicitaverit Sanctus dignitatem, aut eminentiam aliquam humanam, sed divinam. Posita tanquàm certa hac sententia, manifestè apparent sublimes illius cogitationes, & generositas pectoris illius, qui cùm esset homo vulgaris fortunæ, & inferioris conditionis, tam amplum, & magnanimum habuit desiderium, ut etiam principatum gloriæ concupiscere & solicitare præsumpserit: *Dic, ut sedeant, &c.* Describens S. Historia gesta Iosephi, refert eũ adhuc puerum, & juvenẽ somniasse se Regẽ futurum fratrum suorum, & fuisse necessarium, ut pater sæpiùs eum objurgaret: *Et increpavit eum pater suus.* Nihil magis rarum in puero, nihilque magis alienum à teneris illis annis, quam Philosophari, & inquirere continuò de rebus futuris, quia cùm hebetioris sit ingenij, & omninò sensibus immersi, magis dispositus est puer, ut occupetur circa præsens, quam ut imaginetur futurum. Sed videamus, quæ causa movit aut impulit Iosephum (omissis modò causis & motivis supernaturalibus) ad somniandum se futurum Regem, & superiorem fratribus suis, illosque subditos futuros? Motivum fuit, quia jam ab utero matris prodierat præordinatus in Regem, secundùm id, quod annotavit Spiritus sanctus apud Ecclesiasti cum: *Et Ioseph, qui natus est homo, Princeps fratrum, &c.* jam cerebrum illud erat disposi tum ad efformandos discursus: & hoc supposito, ipsamet natura seipsam agnoscebat, & propensione quadam naturali, jam efformabat argumenta, quæ erant suprà vires tam tenellæ ætatis: *Egregia animi indole præditus, iam à teneris annis alta meditabatur*, inquit quidam non indoctus Modernus. Id quod animadvertimus in Iosepho, idem reperimus in Ioanne, sicut enim in Iosepho naturalis inclinatio patiebat discursus, illa ætate superiores, ita etiam generositas animi in Ioanne, producebat cogitationes sublimiores fortunæ illius impares, & cum illa inæquales.

Gen. 38. v. 10.

Eccl. 47. v. 17.

Gabriel à Costa hic.

Dicet quispiam, me toto cœlo aberrare in elogijs hujus sancti Evangelistæ, eò quod juxta communem sanctorum Patrum opinionem cogitationes illius fuerint ambitiosæ, idcirco enim Salvator noster stolidam fratrum petitionem redarguit, & reprobavit, dicens; *nescitis, quid petatis.* Ad quod respondeo, admittens illam doctrinam, quia à tantæ authoritatis Doctoribus approbatur; dico tamen quòd Deus etiam intuitu illarum cogitationum, quas reprehendit, illum extulisse, & fecisse unum ex maximis Principibus Ecclesiæ Catholicæ. Rixabantur duo, quidam Ægyptius, & alter Hebræus, juxta littora Nili, & ex rixis venerunt ad manus, & gravissimam luctam Ægyptius, quia jam animosior vel astutior, jam pene Hebræum percusserat, vidensque Moyses difficilem rei exitum, & permotus amore gentis & nationis suæ, ad vindicandum injuriam fratris sui, vel ad eripiendum Hebræum a morte, trucidavit Ægyptium, & sub arena sepelivit: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Disputant sacrarum literarum scrutatores, num Moyses peccaverit occidendo Ægyptium in illo eventu & occasione? Insignes nostri Doctores, Cajetanus & Oleaster, considerantes singulas circumstantias facti, inclinant in partem affirmativam, tum quia rapuit eum bilis, & exasperavit, tum etiam quia deliberato animo, & sedato seu frigido sanguine, ut dicitur, homicidium perpetravit, tum denique quia Moyses homo privatus & particularis non erat constitutus Iudex causæ, quæ etiam nullatenùs morte digna erat, & magis videtur fuisse actus vindictæ & ultionis quam justitiæ. Neque facit Textus ullam addit clausulam, quæ illum à reatu culpæ absolvat: unde eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus hæc carptim perstringẽs ait: *Prorsùs apparet ex textu, quod inexcusabilis est.* Nihilominus dicunt gravissimi Ecclesiæ Doctores, hunc fuisse successum, in quo Deus statuit Moysen facere Principem & Ducem populi sui: *Moyses post percussum Ægyptium, factus est rector illius Synagogæ*, inquit magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Augustinus, & videtur id

1.

Exod. 2. v. 12.

Caiet. & Oleaster hic.

D. Aug. lib. 2. contra Faust.

tur id desumpsisse ex S. Ambrosio, cujus hæc sunt sequentia verba: *Sanctus Moyses hinc orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis.* Verumtamen unam patitur instantiam hæc doctrina, nimirum quod non possimus negare, quin peccata semper sint mala, neque umquam fas est dicere quod delicta sint merita, quia hoc & rationi naturali, & divinæ bonitati prorsùs repugnat. Quodnam igitur fuit motivum tam insignium Sanctorum ad asseverandum ex hoc facto Deum accepisse ansam & occasionem instituendi Moysen Ducem populi & Gubernatorem Hebræorum Reipublicæ? Dicam quod sentio, sub deformitate culpæ & peccati, recognovit Deus animositatem naturæ & indolis ipsius, & perpenso undequaque facto rei, dignovit & reperit eum, qui tantæ erat generositatis, ut auderet vitam exponere discrimini & periculo in defensionem unius hominis privati, etiam eandem haberet, ad committendum illam aleæ, & tentandum fortunam, si opus foret pro salute populi, aut Reipublicæ sibi commissæ. Id quod SS. Augustinus & Ambrosius affirmant de Moyse, possumus nos pari modo de S. Ioanne asseverare. Quemadmodum enim Deus sub deformitate peccati, internovit in illo generosam indolem naturæ, ad constituendum illum Principem & primatem populi sui, ita in hoc sub inordinatione ambitionis recognovit audacem strenuitatem ejus ad res gerendas promptissimam, ad statuendum illum mediante gratia Principem Ecclesiæ Catholicæ.

3. Scio quidem & probè novi, quod aliqui objicient, me omnino à veritatis tramite deviare, quia Moyses electus fuit Princeps temporalis politicus, Sanctus verò Ioannes fuit Princeps spiritualis, quæ duo, sunt inter se longè diversa. Non nego quidem discrimen, & differentiam, attamen in hac ipsa consideratione possum asserere Deum etiam in similibus electionibus attendere ad ipsam naturæ indolem. Perscrutemur sacram Paginam, & investigemus diligenter, num aliquod in ea fulcrum reperiamus cui veritas hujus propositionis innitatur. Mittit Deus Ananiam, ut quantocyus vadat ad baptizandum Saulum tempore conversionis illius, atque illi. jam Saulum esse vas electionis: *Vade: vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus &c.* Non parvam reperiunt difficultatem sacri Expositores in hisce verbis Domini, & plurimum torquentur eorum ingenia in enucleanda ratione ob quam Salvator ea protulit & pronuntiavit. Dicunt quidam causam fuisse motivam, quia jam Paulus elicuerat actum contritionis adeò ferventem, ut sola illa contritio sufficiens fuerit ad immutandum illum in Angelum mortalem. Alij aliam ineuntes viam, asserunt rationem fuisse, quia jam Deus illi communicaverat gratiam tam copiosam, ut illa sola sufficiens fuerit ad extollendum illum ad altitudinem & sphæram divini. Omnia hæc fundamẽta solida sunt, & benè excogitata, quia principiis sacræ Theologiæ innituntur; verùm intento nostro apprimè servit S. Ioannis Chrysostomi ingeniosa meditatio, per Lorinum relata: *Ad genium Sauli peracrem censet Chrysostomus respexisse Christum, quando talem de eo appellationem usurpavit.* Vidit Deus genium & indolem Pauli excellentiorem, cognovitque in illo naturalem animi alacritatem, & perpensis omnibus deprehendit in ipsa eminentia naturali esse capacitatem quandam ad ipsam gratiam abundantiorem recipiendum. Posito igitur quod Deus hunc servaverit stylum in electione sancti Pauli, nobis facultatem concessit asserendi, ipsum servasse eundem in promotione S. Ioannis, quia etiam eminentia dotum naturalium quas in illo vidit humanitùs dispositio quædam (liceat mihi ita loqui) & occasio fuerunt excellentiorum factorum, quæ divinitùs aliquando erat operaturus.

Actor. 9. v. 15.

D. Chrys. apud Lorinum hic.

4. Et si quispiam dixerit me perperam ratiocinari ponendo in hoc sancto Evangelista gratiam, juxta proportionem & comparationem naturæ: fateborquidem ipsum rectè & meritò carpere meum loquendi modum, quamvis (secundùm quod imbecillitas, & hebetudo ingenij mei assequitur) Deus ab ipsis mundi incunabulis hunc operãdi modum sæpius observaverit. Describens noster Angelicus Doctor Sanctus Thomas Rempublicam cœlestem, affirmat Angelos natura superiores, etiam excedere alios gratia & gloria: *Rationale est, quod secundùm gradum naturalium, Angelis data sunt dona gratiarum &c.* Quotidie experimur gratiam esse disparem, neque correspondere naturæ, quia sæpiùs contingit homines præclaris naturæ dotibus præditos, paucissima habere virtutum merita, è contrà verò plures excellere meritis, & bonorum operum splendore conspicuos esse, qui tamen vixdum ullam habent naturalium donorum

D. Thom. 1. p. q. 62. art. 6. in corpore.

rum eminentiâ. Qui ergò docet Angelicus Doctor, in beatis illis spiritibus Angelicis gratiam, & gloriam esse naturalibus ipsorum dotibus proportionatam & conformem? Ratio est, quia cùm Angeli applicuerint se uniformiter juxta vires potentiæ suæ, satis erat illos excellere & eminere in naturalibus ut in donis & effectibus gratiæ, & in perfectione gloriæ cæteris præferētur. Id quod autem reperimus in Angelis, aliquando inveniri potest etiam in hominibus, quia in rebus quæ pendent à libero arbitrio, neque natura, quia humana est, postponitur, neque quia Angelica est, præfertur. Ex hac doctrina sic deducta, colligo ad instructionem nostrā nimirùm ut omnes simus generosi & alacres in cultu & servitio divino, utque excellentia naturæ dotum præditi animosius etiam operemur, ut sic quoque major illis virtutum perfectio & ornamentum correspondeat; quia infœlix & segnis est virtus in subjectis seu hominibus nulla animositate præditis, quemadmodùm è contrà alacris, grata & beata est in generosis hominum pectoribus, quale habuit animosus noster S. Ioannes Evangelista. Audacter igitur prætendat & ambiat sedem & locum in cœlo, quia in omni consideratione nobilissima ejus indoles augurium & prognosticon majoris perfectionis ipsius: *Dic ut sedeant.*

5. Sed si illius ambitiosa petitio vaticinabatur, tot tantaque dona & beneficia, quare Christus Dominus tanta verborum asperitate ei respondit, & inscitiæ redarguit: *Nescitis quid petatis,* Sanctus Ioannes Chrysostomus, sequens suam opinionem dissolvit nodum quæstionis, & in nomine Salvatoris ita respondet: *Nescitis, quàm magnum hoc sit, & ipsas superiores excedens virtutes.* Ac si diceret; prudenter quidem postulasti, sed tamen nondum plenè & perfectè cognoscis magnitudinem boni, quod ambitiosè sollicitasti, tanta enim est, excellentia illius, ut nullus intellectus, quantumvis perspicacissimus, etiam Angelicus, illud valeat comprehendere. Bellè dictum. Meliùs tamen, & accommodatiùs ad rem nostram Venerabilis Beda, qui autumat, illud: *Nescitis,* specialiter fuisse dictum S. Ioanni Evangelistæ; tamquam dixisset illi Salvator mundi, dilectissime discipule, revera nescis, quid petas quia alium locum longè digniorem tibi jam paratum reservavi, nimirum dulcissimum cordis mei reclinatorium: *Felix denegatio sedis propter talem retributionem.* Curiosè perscrutatus est sanctus Abbas Rupertus lustrationem illam, in qua Deus adduxit omnia animalia coram Adamo, sive id contigerit mentaliter ut voluit Cajetanus, sive realiter, ut fert communis sacrorum Interpretum opinio: *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Ecquid Dominus in hac adductione prætendit, aut quis fuit scopus ejus? ut singulis nomina naturis eorum conformia imponeret, hoc quidem nobis insinuat sacer Textus: sed altius quidpiam creator in eo meditatus est, ast quidnam fuit, quod in eo intendit? Vt videns & internoscens Adamus differentiam inter creaturas, & earum conditorem simul dijudicaret quanto majori dilectione dignus erat Dominus, quàm creaturæ, & consequenter ex hoc permoveretur ad tribuendum illi totum cordis sui affectum, desiderium & amorem: *Hoc reverà homini ad amorem Creatoris, & ad gratiarum actionem plurimùm valere debuisset.* Christo Domino Salvatori nostro ab ipso instanti conceptionis suæ fuerunt præsentes omnes homines totius Vniversi, & inter omnes vidit ibi Ioannem Evangelistam magis amabilem, majoriq; dilectione dignum & idcircò illi soli concessit cordis sui reclinatorium, *qui recubuit*, & hunc quietis locum speciali privilegio semper illi deputatum reservavit; quapropter non est valdè admirandum, quod illum ignorantiæ & imprudentiæ redarguens respondetit: *Nescitis, quid petatis*, tamquàm diceret, insipiens & vana est tua petitio, quia excellentiorem & nobiliorem deservit tibi tribuere locum, majusque tibi honoris, & dignitatis conferre munus & beneficium, videlicet, repositorium omnium divitiarum & opum suarum, & thesaurum cœlestium bonorum, & cimeliarchium sacrum, in quo pretiosissima quæque monilia seu cimelia divinitatis sunt reclusa, & ut verbo dicam, cor meū quietis tuæ reclinatorium.

6. Et pluris æstimat S. Ioannes hunc locum sibi à Domino concessum, quam omnia loca totius mundi, quæ Dominus illi tribuere potuisset. Pia devotione observavit gloriosus Abbas sanctus Bernardus, duplicem modum adstandi in Filio Dei apud Patrem æternum reperiri in sacris Litteris, vel requiescendo in sinu ejus: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*, vel sedendo ad dexteram ejus, unà cum illo mundum gubernando: *Sedet à dextris Dei.* Vbi contemplativus & mellifluus Doctor ita meditatur

Marginalia: D. Chrysost. hom. 9. in Matth. — Beda hic. — Genes. 2. v. 19. — Rupert. lib. 1. in Gen. c. 2. — Ioan. 1. v. 12.

Aut

Matt.16. v.19. *Aut in patre cubans, aut cum Patre regnans, non incongrue dictum est.* Quærit autem devotus Abbas, quis horum modorum adstandi sit gratior, & jucundior Verbo incarnato? Et D. Bern: respondet apposite ad intentum nostrum: *Haud minus utique jucundior cubatio, quam sessio* Dicerem ego, si possibile foret in hac materia facere distinctionem, quod pluris æstimaret Filius Dei cubare, aut requiescere in jucundissimo sinu Patris, quam sedere ad dexteram eius, & gubernare universum Orbem terrarum. Liceat mihi ex hac S. Bernardi doctrina discurrere, & dicere, quod majoris faciat S. Evangelista cor Iesu ad quiescendum in illo, quam omnia loca totius mundi, aut cœli ad gubernandum universa Habeant igitur, & occupent alij sedes, in quibus sedeant, placet Ioanni, quia ipse cum corde Iesu, dulci reclinatorio capitis, sua sorte contentus est. Et quia Dominus Iesus specialiter cor suum illi reservaverat, ideo replicat, & respondet illi imprudentem, & inconsideratam esse ejus petitionem: *Dic, ut sedeant, &c. Nescitis, quid petatis.*

Potestis bibere calicem, &c. Dicunt ei, possumus.

Consideratio II.

Majorem animi fortitudinem, & constantiam ostendit Sanctus Ioannes, animosè offerendo seipsum ad bibendum Calicem Christi, quam si reapsè, & verè illum bibisset. & ut albo Martyrum inscribatur, sufficit, illum bibere desiderio, & affectu.

1. Magna fuit animositas, & robur pectoris, quod fortissimus adolescens David exhibuit in congressu cum gigante Philistæo, qui provocaverat ad pugnam populum Israël; quia tam intrepida animi audacia illum cominus oppugnavit, ut exercitus circumquaque spectatores attoniti obstupescerent. Eximia fuit generositas, fortitudo, quam manifestavit in occidendo Goliath, quia idem fuit illum funda prosternere, ac caput amputare. Verumtamen S. Ioannes Chrysostomus asserit nobiliorem fuisse strenuitatem, & excellentiorem animi alacritatem, quam David monstravit in offerendo seipsum ad descendendum, in arenam contra robustissimum gigantem Philistæum coram Saule, & tota ejus curia & concilio bellico: *Ego vadam, & pugnabo adversus Philistæum.* Vbi sanctus Chrysostomus hæc interserit: *Non David immanu hostis exterruit, non armorum enormitas fregit, aut superbia verborum imminuit; sed fortiorem cunctis virtus divina constituit.* Bene quidem dictum, sed potest hæc ponderatio graves pati instantias, quia sæpius contingit homines languentes animo, & maxime imbelles, maximos esse blaterones, magniloquos, & fastu tumescentes, quos magnus Tertullianus hisce paucis perstrinxit verbis: *Novi quosdam in pace Leones; in bello cervos.* Ecquod igitur motivum habuit aureum Chrysostomi os, ad hanc stabiliendam propositionem? Dicam ego, cum S. Doctor non fuerit dignatus illud declarare: Aggressus, & oppugnatio Gigantis poterat esse actio hominis præcipitis, & se periculosæ aleæ, seu dubiæ fortunæ committentis, sed deliberato animo sese offerre ad pugnam, & monomachiam, fuit heroica actio confidentiæ, qua commensurans promptitudinem animi sui cum difficultate imminente, judicavit se omni generi resistendi superiorem. Si hic discursus S. Doctoris est legitimus, & recte fundatus, asseveranter, & absque ulla hæsitatione dicere possumus, non potuisse generosiorem animi fortitudinem dari, aut nobilius propositi decretum excogitari, quam illud S. Evangelistæ, quo sese libera, & deliberata voluntate obtulit ad bibendum calicem Christi Domini, sciens in illo comprehendi omnia tormentorum genera, quæ cuipiam in hoc mundo infligi possent; & metiens alacritatem cordis sui cum periculo sibi una cum calice superventuro, reperit se omnibus laboribus, tormentis, & tribulationibus sibi repræsentatis superiorem.

1. Reg. 17. v. 32. D. Chrys. in Gloss. hic. Tertull.

2. Non est minori ponderatione dignum ad hoc propositum, quod sanctus Ioannes sese offerat ad bibendum calicem Salvatoris nostri absque limite, modo, & termino. Egregia, & præclara fuit fortitudo Authoris vitæ, qua in Prætorio Pilati, magna tolerantia pertulit quinquies mille flagellorum verbera, ipse namque Iudex videns patientiam adeo raram, & constantiam adeo peregrinam, & insuperabilem, qua Christus Dominus illa suscipiebat, maximo fuit stupore, & admiratione permotus, & correptus. Æquali animi robore por-

portavit ponderosissimam Crucis molem, quia ipsum mortis instrumentum paulatim vitam exhauriebat, èt mortem accelerabat. Neque minùs virilem animum ostendit in sufferendis clavis, quibus manus, èt pedes eius in Cruce proforabantur, quia immanis eorum atrocia, èt crudelitas, sola sufficiens erat ad extenuandum, èt concutiendũ, quodvis corpus, licèt æneum, aut ferreum. Verũ S. Hieronymus singulariter ponderavit valorem, èt robur animi, quo Dominus, ac Servator noster in primo instanti conceptionis suæ, sese obtulit ad patiendũ omne id, quod Pater æternus pro redemptione generis humani, necessarium decerneret aut judicaret. In hoc sensu interpretatur S. Doctor verba illa, quæ ipsemet Dominus per os Davidis effatus est: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Et idem fuit ac dicere, inquit noster doctus Paraphrastes Hispanus, Totum, quod clamant Scripturæ, èt quidquid scriptũ est, nihil aliud loquitur, quã ut tuæ obtemperẽ voluntati, èt hoc unicum mihi in votis, & desideriis est, ut tibi, ô Pater æterne, in omnibus obediam. Notat ergò S. Hieronymus Christum in illis vocibus manifestare promptissimam suam voluntatem, qua obedientiam Patris acceptavit, & sese obtulit ad sufferendum omne illud, quod iam retulimus. *Descendi enim de cælo*, inquit Sanctus nomine Salvatoris, *non ut faciam voluntatem sed tuam, Pater. Nõ voluntas est carnis, sed Patris ut pro vita hominũ moriar.* Sit, quidquid fuerit, ego lubenti animo me totum tibi consecro, & immolo, ut tuæ satisfaciam voluntati, & tuis ne desim mandatis, quidquid jusseris, lætus sufferam, & fuit tanti momenti, hæc voluntaria Christi oblatio, ad omnes difficultates passionis suæ, ut Apostolus Paulus, scribens Hebræis, singularem illius fecerit mentionem, referendo ipsamet verba regii Prophetæ. Sed cur sacræ Litteræ, imò & sancti Patres tanti faciunt hanc actionem deliberativam Verbi incarnati? Videtur enim, iuxta rectam rationem, actio executiva potiori jure celebranda. Ratio in promptu est, quia nihil difficilius excogitari potest, quam hominem extendere voluntatem suam, absque ullius limitis, aut termini refrigerio, vel solatio; ita ergò, quale fuit illud, *volui*, Salvatoris, volo pati, tale etiam fuit illud, *possum*, Ioannis, quia obtulit obsolutam voluntatem suam, indiscriminatum, absque limite, & determinatione ad hoc, vel illud tormentorum genus.

Psal. 39. v. 8. Episco. Carcer.

D. Hier. hic.

Vnam singularem circumstantiam reperio in hac promptissima oblatione Ioannis, quæ mirum in modum eius ex[illegible] licet, quòd acceptaverit [illegible] absque eo, quod Christus [illegible] mium, aut mercedem promitteret [illegible] *Calicem quidem meum bibetis [illegible]. Sed quibus paratum est à Patre meo.* [illegible] vit quondam Deus Prophetæ Ez[illegible] simum passionis calicem, quem [illegible], prædixitque ei vincula, carceres, & compedes, in societate captivi populi sui, toto tẽpore, quo sibi placeret; ille verò patiens sẽper esse [illegible] tacitus: *Et tu fili hominis ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum, & linguam tuam adhærere faciã palato tuo, & eris mutus.* Advertit S. Gregorius, & ponderat unum singulare, quod in magnam redundat Ezechielis laudem, nẽpe cur Dominus eligens eum in prædicatorẽ populi sui, prænuntiet ei duram servitutem, quæ eum manet, & severam captivitatem, absq; promissione alicuius, quod eum animet, alleviet, aut consoletur? *Dum contraria prænunciuntur*, inquit S. Pontifex, *quanta sit in eo obedientia virtus ostenditur, qui & cognoscit, quod adversa passurus est, & tamen voci Dominicæ inobediens nõ est.* Voluit Dominus manifestare mundo generositatem cordis Prophetæ sui, promptitudinẽ obedientiæ, & excellentiam amoris illius, & idcirco ex industria prædixit unum, & subticuit aliud; quia eminentia amoris, & sublimitas operis est obedire negligendo difficultates, & servire repudiando quælibet adversa. Si sanctus Ioannes obediret sperando favores, aut si operaretur spe præmii, & coronæ permotus, non elucerct tantum illius amor, sed non videre nisi adversa, & tribulationes materiem patientiæ suæ, & parato animo sese offerre ad omnes illas tolerandas, hoc unicè commendat supremam charitatis illius dignitatem, & sublimissimam illius tolerantiæ excellentiam.

Matth. 20. v. 23.

Ezech. v. 25. & 26.

D. Greg. lib. 1. in Ezech. hom. 13.

Quando Salvator mundi præcepit duobus illis fratribus, Petro, & Andreæ, ut venirent, & se instruendos disciplinæ suæ traderent: *Venite post me, &c.* dixit eis: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, & idem fuit ac eis promittere authoritatem docendi, & jurisdictionẽ gubernandi. Et procedens paululum ulteriùs, vocavit alios duos fratres, Iacobum, & Ioannem Euangelistam fratrem eius: *Venite post me.* Res sanè maiori observatione digna, quia magis arduum

Matth. v. 19.

Ibidem v. 21.

duum fuit his duobus Sanctis deserere mundum, quàm aliis duobus sequi Christum, quoniam erant hi iam provectioris ætatis, inferioris fortunæ, qui nullam sibi faventiorem commoditatē sperabant, sed SS. Iacobus, & Ioannes erant iuniores, & uti videtur, adhuc sub tutela patris, tamquam minores, constituti, *Cum Zebedeo patre eorum*, locupletes, divitiisque in mundo affluentes, imò, uti advertunt S. Euangelistæ, servos, & famulos habebant, & tantò cum maiori spe melioris fortunæ, quantò plures erant anni quibus, iuxta suam opinionem, adhuc supervivere poterant. Quam igitur ob causam, non dixit illis Dominus præmium, sicut primis fratribus pollicitus fuerat, *Faciam vos fieri piscatores hominum?* Doctissimus Abulensis adducit rationem ex S. Ioanne Chrysostomo, Salvatorē ideò non promisisse illis præmium, quia ad persuadendum illis, sufficiens erat sequela priorum: tam efficax enim est exemplum unius, ad commovendos animos cæterorū: *Propterea secūdis fratribus nihil fuisse promissum, quia satis erat ad Christum sequendum, primum exemplum & obedientiam præcessisse.* Verum ratio ipsius est, quæ deservit instituto nostro, nimirum, quia erant cognati, ex parentela Salvatoris, non erat opus, quòd eis præmium, aut mercedem polliceretur ad pertrahendum illos & imitandum ad suam sequelam: *Quia propter cognationem, Christo familiaritate, & amore erant coniuncti*, syncerus quippe amicus non studet commodo suo, neq; versuram facit, verus enim amor haudquaquā mercenarius est, neque ad aliud attendit præmium, quàm ad oblectamentum & desiderium suum, quo fervet, & avet servire, & diligere, (etiā cum detrimento, & impendiis propriis) rem amatam. Perbelle dictum! & potest adiungi, id fecisse Salvatorem, quia videns generosam eorum indolem & fervorem, animadvertit, quòd eorū merita imminueret, si mercedem aut præmium iis promitteret. Eamdē animi fortitudinem, quam ostendit S. Ioannes in primordiis suæ vocationis, prosecutus est in reliqua vitæ serie, usque ad extremam mortis luctam, quia pergens ut cœperat, semper magis, magisque in schola Christi profecit. Et si tunc in ipsis adolescentiæ crepusculis adeò animosus fuerit, ut vitam suam, relictis omnibus, absq; ulla spe premii Christo cōsecraverit, ipsa modo congruentia, & æquitas exigit ut etiam mortem ipsam opperat desiderio, absque ulla spe remunerationis: *Potestis bibere calicem, &c. Possumus.*

Abulens. in c. 4. Matthæi.

5 Et si merita actionum (uti ex sacris Litteris fusiùs comprobabimus) non sint pensanda, aut mensuranda, secundùm quantitatem operis, aut effectuum ipsarum, sed iuxta qualitatem animi, aut intentionis, qua fiunt: nullatenùs dubitandum, aut ambigendum est, quin sanctus Ioannes fuerit verus Martyr, & uti talem celebrat, & veneratur hodierna die S. Mater Ecclesia, quia, quantum in se fuit missus à tyranno in ferventis olei dolium, in præparatione animi, jam mortem pro Christo subibat; ac proinde idem fuit, ac si reapsè, & effectu illam perpessus fuisset: atque ideò Christus, qui est prima veritas infallibilis, prędixit illi martyriū: *Calicē quidem meum bibetis.* imò & ipsa promptitudo animi, quā dixit, *possumus*, tametsi numquam ingrederetur dolium (quantò magis, dum ingreditur) sufficiens erat, ad efficiendum illum martyrem gloriosum. Sæpius appellavit, aut indigitavit Deus seipsum in sacro volumine Deū Abrahæ, Deum Isaac & Deum Iacob: *Ego sum Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Cæterum, si quispiam attentius hoc ipsum perpenderit, deprehendit Deum non usurpasse hoc nomen, nisi post mortem istorum Patriarcharum, ad demonstrandum immortalitatem animæ, quia & ipsemet Salvator, ut sacri attestantur Euangelistæ, eodem usus fuit argumento ad convincendum errores Sadducæorum, qui & immortalitatem animæ, & resurrectionem corporis perperàm negabāt: *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.* Nihilominùs, si accuratius sacra pervolvatur Historia, reperietur in Genesi locus quidam manifestus, ubi Deus nominavit seipsum, Deum Isaac, dū adhuc Patriarcha superstes viveret. Ecquid hoc, Domine Deus? Numquam vivente Abrahamo, & Iacob, voluisti nuncupare teipsum, Deum Abrahæ, & Iacob & solum Isaac dignatus es tali honore, & beneficio afficere? Ita est; quia tametsi Isaac viveret, iā privilegio mortuorum gaudebat, propter promptitudinem voluntatis, qua se obtulit morti, & destricto ensi paterno, quo Abraham caput amputare, & vitam filij Deo sacrificare constituerat: *Arripuit gladiū, ut immolaret Isaac filiū suū.* Hocce votū & desiderium acceptavit Deus, tamquam effectum reipsâ completū, & voluntas illa fuit reputata, operis exhibitio. Vivus erat Isaac, & iam inter mortuos computabatur, propter deliberatum

Exod 3. v. 6.

Matth. 22. v. 23.

Genes. 28

beratum animi propositum, quo se ad quævis patiendum exposuerat. Sàpropter non incongruè Sanctus Zeno illum verè Martyrem appellavit. *In primis infantia rudimentis, iubenti, ac deposcenti Deo, innocens Martyr offertur immaculata hostia.*

D. Zeno serm. 2. de Abraham.

6. Confirmat hunc conceptum meum perpulchra quædam observatio doctissimi Theodoreti, qui interpretans verba illa sancti Apostoli Pauli ad Hebræos ubi recenset Historiam sacrificij Isaac & ponderans mandatum Dei, quo præcepit in Genesi Abrahamo, ne puerum occideret: *Ne extendas manum tuã super puerum, neq; facias illi quidquã*, dicit, quòd Abraham illum tamquam à Deo resuscitatũ recepit. Verba Pauli hæc sunt: *Vnde eum & in parabolam accepit.* Quæ exponẽs Theodoretus, hæc subiungit; *Hoc est in symbolo, & typo resurrectionis, prompte enim, & alacri patris animo interemptus, voce eius, qui cædẽ prohibuit, revixit.* Notetur illud, *revixit*, id est, quasi mortuus fuisset, denuo mortem cũ vita commutavit. Talis itaque magnus Euangelista noster desiderio, & animi generositate, qua hodie se obtulit morti, *possumus*, licèt reipsè nihil pertulisset, martyr invictus appellatur, & efficitur.

Genes. 22 v. 12.

Ad Hebr. 11. v. 19. Theodor. super verba Genes. relat.

7. Tres illi fortissimi milites, qui ad patendum desiderio sitibundi Regis, attulerunt aquam illam de cisterna Bethlehem, irruperunt castra Philistinorum, & summo cum vitæ discrimine penetrarunt medios hostium cuneos, & quia adeò dexterè arma tractabant, & digladiabantur, hostium furorem, & lancearum impetus refellerunt, & illæsi ad ipsam cisternã pervenerunt, *irruperunt, &c.* & aquã asportantes illã Davidi attulerunt. Considerat prudentissimus Rex, præclarum facinus illorum virorum, & altius pensitans summum vitæ discrimen, cui se voluntariè exposuerant, quamvis sanguinem suum reipsa non profudissent, existimat tamen, si aquam illam potaret, se eorum sanguinẽ bibiturum: *Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarũ periculum bibam?* Dum attentius perpendit David aquã illã fuisse allatam cum periculo vitæ, vocavit eam, *sanguinem.* Magna ponderatione dignum est hoc vocabulum, neque scio aliquem hactenus illud pensitasse, mihi vero dubium parit, quare, aut quo fundamento David aquam illam, nuncupaverit sanguinem, cùm revera non esset sanguis? Quantum sapio, quantum capio, arbitror ego Davidem prudentissimè fuisse locutum, quia in opinione, & æstimationẽ prudentum, idem est, vitam periculo exponere, & eam reipsa perdere aut amittere. Si hoc ita æstimetur in terris, ubi obsequia solis operibus commensurantur, quantò magis in cœlis, ubi merita per voluntatem regulantur: Rectè possumus absq; ulla hæsitatione credere Christum Salvatorem tanti æstimasse deliberatum animi propositum, quo Ioannes ingressus est dolium ferventis olei, quanti ipsam mortem in executioni mandatam.

2. Reg. 23 v. 17.

Detinebantur tres illi pueri, aut similiter Nabuchodonosoris in fornace Babylonis, & caminus ignis ardentis, cuius scintillæ nigro, & denso fumo involutæ, veluti stellæ inter obscuras tenebras, ad cœlum evolabant, & dum illi voracibus flammis absumpti, & in cineres redacti reparantur, mittit Deus Angelum, qui eos consolaretur, consoletur & cõservet, ipse enim fecit medium fornacis, quasi ventum roris flãtem, ita ut non tangeret eos omninò ignis neque contristaret, nec quidquam illi molestiæ fecerent: *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flãmã ignis de fornace.* Tertullianus enucleans nũc tragicum successum, nequit se continere, quin summis laudibus extollat martyrium fœlicissimorum juvenum, & eos veluti gloriosos Martyres veneratur: *O Martyriũ, & sine passione perfectum!* Quamquam hic non fuerit passio, non defuit tamen verum martyrium. Verba, profectò, difficilia intellectu, quia tam apertam, & manifestam involvunt contradictionem, qualis est, coronare quempiam laurea Martyrij, qui nec passus est mortem, nec pugnavit, sed mox in sequentibus verbis mentem, & sensa sua exprimit, & declarat: *Satis passi, satis exusti sũt, quos propereà Deus texit, ne potestatem eius mentiri viderentur.* Est hoc admirabile Martyrij genus, magis peractum voluntate, & deliberatione animi, qua se incendio obtulerunt, quàm passione, aut effectu. Et quia confessi fuerant, quòd Deus, quem colebant, si vellet, posset eos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus Regis iniqui, protexit eos Deus, & condolens honori suo, & satisfaciẽs obsequiis eorũ sibi præstitis, ut enim Deus potens impedivit flammas ne comborerent, & & ut amicus illos immunes ab incendio, & illæsos servavit quando nullus, nisi sua divina Majestas illos defendere, aut salvare poterat. Pari prorsùs modo, quo Tertullianus Philoso-

Daniel 3 v. 49.

Tertull. in scorp. cap. 4.

losophatus est circa hos Sanctos pueros, debemus nos etiam argumentari circa Martyrium S. Ioannis, & dicere, *satis passus, satis exustus est*, sufficiens fuit affectus, quo se prompto animo tradidit tormento tyranni, ut mundus eum veneretur tamquam Martyrem gloriosum, & laureatum.

9. Huc videtur respexisse David, quando omnibus votis, & animæ suæ desideriis cupiens bibere calicem passionis, & mortis, quem hodie Christus Dominus propinat Ioanni, in hæc verba prorumpit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, id est, in tuo nomine, ô Domine Deus, & tuo fretus auxilio bibam calicem salutis, quæ per mortem obtinetur, ideoque firmiter statui illam pro te subire, & sufferre. Sed videamus, quomodo desiderio, & proposito suo satisfaciat? *Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius*, hoc est, offero tibi hoc desiderium, & consecro hanc voluntatem, & quamquam reipsa non perdam, aut amittam corporis vitam, promptitudine tamen illam tibi exhibeo, & consecro. Sed quid, idemne est mori, & desiderare mortem? Ita sane videtur; audite enim quid addat: *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius*, ô quam grata est hæc mors coram oculis tuis! Nonne cernitis quomodo apud Deum vota, & desideria, veluti opera computantur? tanto siquidem in pretio habetur Martyr apud Deum, qui desiderijs mortem appetit pro Christo Salvatore, quanto ille, qui vitam suam gladijs persecutorum obtulit; quid igitur mirum, quod vota, & desideria S. Ioannis eum canonizent Martyrem; & quod sola voluntate bibens amarum passionis calicem, tantum acquisiverit meritum Martyrii, quantum habuisset, si vere illum bibisset, cum ipse Magister jam illi antea promisserit: *Calicem meum bibetis*, quia in acceptatione divina tanti æstimantur desideria, quanti ipsa opera; neque Deus minus ipsam intentionem, & affectum, quam operis executionem, & effectum compensat, & remunerat.

Psal. 115. v. 4.

Ibidem v. 4.

10. Animabat sanctus Iacobus Apostolus Christianos primitivæ Ecclesiæ ad perferendas virili, & generoso animo quaslibet persecutiones, & tribulatioes huius mortalis, & transitoriæ vitæ, eo quod essent candidati, & amatores æternitatis. Ad persuadendum autem ijs, & animum, calcarque addendum, obijcit ijs duo exemplaria patientiæ, nimirum sanctum Iobum, & Christum Dominum, ac Redemptorem nostrum: *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*; id est, jam liquido vobis constat, tolerantia patientissimi Iobi, qualiter ipse perdiderit Regnum, opes, filios, cæteramque rerum suarum substantiam; & quomodo miser percussus à capite, usque ad plantam pedis, tandem devenerit ad extremum miseriarum, & sederit in sterquilinio ab omnibus derelictus, & simul probe nostis constantiam animi, qua durissimos illos ictus, & impetus, summa æquanimitate sustinuerit, & exceperit. Ad hunc sensum explicat Angelicus noster Doctor præfata verba: *Quanta, scilicet, sustinuit à diabolo, prædonibus, ab uxore, ab amicis.* Addit etiam S. Iacobus: *Finem Domini vidistis*, ubi denuo Magister Angelus: *In Cruce pendentem, longanimiter sustinentem*; id est, probe novistis, & spectastis tragicum, & funestum Christi exitum, qui veluti scelestissimus hominum, & nequam actus est in ignominiosam Crucem, & in illa opprobriis, & ludibriis à persecutoribus lacessitus, pependit. Ad conspectum autem tantæ patientiæ, & longanimitatis, quis non animetur ad sufferendum quascumque tribulationes, & adversitates? Carpo, ac singulariter premo comparationem S. Iacobi inter patientiam Iobi, & tolerantiam Redemptoris, quod illas in eodem parelelo constituere videatur, cum tamen inter illas tanta versetur distantia, aut, ut melius dicam, infinita disparitas, & inæqualitas? Reservervetur solutio huius dubii in aliam commodiorem occasionem. Pondero ego in præsentiarum, id, quod deservit instituto nostro, videlicet adhuc aliam reperiri disparitatem longe diversam inter patientiam Iobi, & Salvatoris, quia supremum virtutis illius eminuit in desiderio moriendi in tormentis, quibus afflictabatur. Conformiter ad hæc intelligi debent voces illæ, quibus Iob in tormentis suis mortem provocabat: *Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, &c.* Quæ verba significativa sunt ardentissimi desiderii, quo manibus doloris vitam pro Christo finire cupiebat: *Cupio, non solum placere æger, & dolens, sed mortuus etiã*, inquit doctus Commentator Iobi. Et Christus Dominus non solo desiderio vitam pro humano genere profudit, uti ipse confitetur: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiam?* Sed etiam

Iacobi 5. v. 11.

D. Tho. hic.

Iob. 6. v. 8. 9. 10.

Pineda hic.

Lucæ 12. v. 50.

etiam ipso effectu, & opere, uti attestatur apud Sanctum Ioannem: *Consummatum est*; qui igitur S. Iacobus adunit, & conjungit mortem effectivam, cum alia solum desiderata? Hoc est fulcimentum, quod quærimus ad stabiliendam veritatem nostræ Conclusionis. Quia S. Iob tam fervente desiderio cupiebat (si Deo placuisset) vitam suam tradere tormentis, usque ad extremum spiritus sui anhelitum, reputat S. Iacobus eum jam vita functum, eumque mortuorum albo adscribit, & hoc pacto æquiparat eum quodammodo ipsi Salvatori Christo in ignominiosa Cruce suspenso. Hoc sonant verba relata: *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*, in confirmationem illius, quod ad honorem S. Ioannis excogitavimus, nimirum sufficiens fuisse, quod Ioannes acceptaverit calicem, *possumus*, eumque, ingrediens dolium, quasi salutaverit, & solo affectu biberit, ad hoc ut vere inter Martyres annumeretur; & quamvis effectu non biberit illum, haud quaquam tamen ideo minimum lapidem pretiosum coronæ Martyrii amisit, neque minimum florem aureolæ perdidit, abunde sufficiens fuit deliberata eius voluntas, *possumus*, & approbata ab ipso Salvatore: *Calicem quidem meum bibetis*.

Ioan. 19 v. 30.

Calicem quidem meum bibetis.

CONSIDERATIO III.

Ambo biberunt, & Magister, & Discipulus, Christus, & Ioannes, & unus reciproca vicissitudine bibit calicem alterius.

1. RARÆ, & admirabiles sunt Metamorphoses amoris, tantæ enim sunt vires illius, ut amantem etiam transformet in rem amatam, & quamvis hoc Metaphorice dici queat de amore humano, proprie tamen de divino tantum verificari debet. In hoc sensu explicat doctus quidam Modernus verba illa Sponsi animarum, Sponsæ suæ dilectissimæ dicta: *Fortis est, ut mors dilectio*. Et merito, inquit hic celebris Author, amor morti assimilatur; quia sicuti mors convertit, & transformat mortuum, in elementum, à quo interimitur, si enim à terra occidatur, in terram convertitur, si ab aqua, in aquam, si ab igne, in ignem, pari prorsus modo amor amantem in se transfigurat. Itaque animadvertere potestis, quid quisque amet, & nomine rei amatæ, eum audacter nuncupare licebit. Ad probandum autem suum dictum, refert, & in medium producit notissimam illam magni Patris S. Augustini sententiam: *Si terram diligis, terra es, si cœlum diligis, cœlum es, si Deum diligis, quid dicam? Deus es.* Et hoc voluit, concludit prædictus Author, insinuare Christus Dominus per S. Ioannem, sicut tu Pater es in me, ita ego in te, sint etiam illi ita unum, sicut nos unum sumus. Hoc est, amor divinus illos purificet, vilitatem eorum emundet, eosque mundatos ita exaltet, ut ad Deum pertingere mereantur; & quamquam hæc transformatio in amore humano sit miraculosa, in divino tamen admirationem, & stuporem causat, quod amor, quem Spiritus sanctus procreat in corde justi, tam sublimem producat effectum, tam divinum, inquam, ut homines efficiat Deos, & abjectissimum lutum nostrum transformet in aurum purissimum. Quemadmodum, si in arte Chymistica solus ignis convertisset glebam terræ in purum aurum, diceremus ignem illum esse vivacissimæ, & incomparabilis virtutis, utpote penetrantem, & activitate sua, quæque in se convertentem; sed multo admirabiliores parit effectus amor divinus in justo; elevat namque ipsum ad esse divinum, & participationem naturæ Dei, quæ ipsi tribuit nomen filii, fitque per eam hæres, & filius adoptivus Dei; & aliqui, vel saltem aliquis attentis & penetrantibus oculis consideratus apparuit vere filius Dei.

Cant. 8. v. 6.

D. August.

2. Cujus oculi tam perspicaces, tamque prudentes, quam oculi Salvatoris nostri, ipse enim contemplans S. Ioannem, indigitat illum filium tonitrui, hoc quippe denotat: *Boanerges, filius tonitrui*; & si consuluerimus S. Hieronymum, cujus tonitrui fuerit filius? respondebit utique, illius vocis paternæ fuisse filium, quæ audita fuit in monte, quando Christum filium suum proclamavit: *Tonitruum Patris, per nubem de Filio tonantis, hic est Filius meus dilectus.* Tamquam diceret Salvator, Ioannem esse filium Patris sui. Et doctissimus Origines, exponens verba illa, quibus Dominus allocutus est Matrem suam sanctissimam: *Ecce filius tuus*, dicit, idem fuisse ac, *ecce, hic est Christus*, hoc est, ô Mater amantissima, consigno tibi Ioannem filium, in quem me amor transformavit,

Marci 3. v. 17.

D. Hieron. in catena D. Thom.

Origines hic.

mavit, quapropter ipsum habens contubernalem, cogitate semper me habere socium, & præsentem, quoniam ipse est alter ego; & cum ex transformatione amoris, uti diximus, amans transmutetur in rem amatam, evidenter sequitur, quod etiam aliena faciat propria, & vice versa propria, aliena: unde verbis antiqui Origenis etiam alium sensum affingere possumus: *Ecce, hic est Christus.* Quasi diceret Redemptor, iste est filius tuus, qui licet adeo differat à me, persona, ac nativitate, in morte tamen idem est mecum; quia meam patitur mortem, ego, & ipse unum sumus in hac mortis meæ hora, & quia in illa moriens ostendo me esse filium tuum, & competit mihi mori, non ex parte Patris mei, sed ex tua, cur non erit Ioannes filius tuus, qui meam patitur mortem, non mystice repræsentatam, sed vere, & realiter toleratam, hoc denotat, *ecce, hic est Christus*, & illud *ecce filius tuus.*

3. Imo maius quidpiam dico, quod Ioannes non solum biberit calicem Christi Domini, sed etiam Christus vicissim Calicem Ioannes, ita ut Christus una cum Ioanne intraverit dolium ferventis olei, quia erat Discipulus Salvatori dilectissimus, in quem, & amor eum transformaverat, & Ioannes passus est cum Christo mortem Crucis, quia inter cæteros ferventiori amore Magistrum diligebat; atque ita fuit martyr per compassionem, & maximus omnium, quos Ecclesia celebrat, quia cæteros condolendo per compassionem superavit. Loquens S. Paulus de Spiritu sancto, tertia persona sanctissimæ Trinitatis, cui attribuitur bonitas, & amor, affirmat, ad illum directe pertinere sollicitare actus misericordiæ, & compassionis, qui ex duobus illis Principiis emanant. Et specialiter disserens de modo, quo illud officium exequitur, inquit Apostolus, quod, *postulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus*, id est, cum lacrymis, & suspiriis: sed mox occurrit ratio dubitandi, nonne Spiritus sanctus perpetuo perfruitur gaudio, & lætitia? Haud dubie. Nonne Spiritus sanctus incapax est omnis tristitiæ, & doloris? Ita sane: quam igitur ob causam ait S. Paulus illum gemere, suspirare, lacrymari, & contristari? Accipite præclarum S. Cypriani responsum: *Spiritus sanctus omnium viventium anima est.* Spiritus sanctus est amor Dei, qui tribuit vitam animabus nostris, & quemadmodum anima nostra est unita corpori nostro, sic (nostro intelligendi modo) Spiritus sanctus est unitus animabus nostris, & quia amor eum fecit unum, & idem cum homine, ita etiam repræsentat, & ostendit eius miserias, carceres, famem, tribulationes, & ærumnas, quasi ipsemet eas pateretur, propter antiquam indolem, & proprietatem amoris, qua solet communia facere, & quasi sibi propria, mala, & adversa se mutuo amantium.

Rom. 8. v. 26.

S. Cyprian. Serm. de Spiritu sancto. Et S. Aug. Serm. 186. de tempore.

4. O quam offensum, & dolentem manifestat se Deus, per Zachariam Prophetam, propter injurias, & opprobria, fidelibus, & servis suis illata? cum illis namque peculiariter loquuntur verba illa: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Variis modis exponunt hæc verba Domini Dei Interpretes sacri, sed præceteris placet interpretatio S. Hieronymi, Theodoreti, & aliorum, utpote sensui litterali magis conformis: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi ipsius Dei.* Qui vos injuriis lacessit, ipsummet Deum offendit, quia ut pupillam oculi sui vos diligit, & amat; & per tactum oculi, intelligit S. Hieronymus omne genus injuriarum, opprobriorum, & ignominiarum, quæ servis Dei inferuntur: *Tactum pro vexatione, & injuria accipe: juxta illud, quod legimus: nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Sed restat inquirenda ratio, quam ob causam Dominus Deus tantopere sentiat offensas, & injurias, quæ suis, à tyrannis, & persecutoribus inferuntur? Facilis est responsio, si in memoriam revocemus ea, quæ Dominus paullo ante Ascensionem suam in cœlis dixit discipulis suis: *Vos amici mei estis, manete in me, & ego in vobis*; illi erant intimi ipsius amici, neque per absentiam diminuenda erat transformatio, quam amor illius, & ipsorum, efficiendo unum causaverat. Hæc igitur ratio est, ob quam Dominus adeo se offensum, & læsum in pœnis eorum demonstrat; quia cum amor tam forti vinculo, tamq; indissolubili fœdere eos adunaverit, lædunt etiā ipsum, & exulcerant afflictiones, & tormenta suorum, quia in illis, eadem compatitur, & tolerat.

Zachar. 2. v. 8.

D. Hieronym. Theodor. apud Riberam.

D. Hieron. loco citat. in Psal.

Ioan. 15. v. 3.

5. Quando S. Paulus adhuc Saulus ibat Damascum, furiis invectus, & spirans cædis, & minarum in Discipulos, qui Christum prædicabant, apparuit illi in via Dominus, & dixit illi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Domine, inquit S. Laurentius Iustinianus, tu in excelso cœlorum solio immortalis, & gloriosus commoraris, ecquid damni, aut nocumenti potest

Act. 9. v.

tibi Saulus inferre in terris? Maximum, respondet contemplativus Patriarcha: *Affligebatur in singulis, associabatur pro omnibus.* Non est novum, aut admirandum, quod Dominus etiã è cœlis conqueratur, quia est caput huius corporis mystici, cui per amorem arctissime est conjunctus, & necessarium est, ut caput sentiat incommoda, quibus membra affliguntur; ictus quidem, & injuria, fit hic in terris: sed dolor tamen cœlos ipsos penetrat, & in quocumque suorum Deus hic patitur, si factum reputat, Christus immortalis, & impassibilis non posset quidquam pati, sed quia amor eum transformavit in Ioannem, ille ipsum obligat, ut Ioanni assistat in omnibus adversitatibus, & passionibus, eique in tormento associetur: & si est Philosophia certa, quod partes tanto vehementius persentiunt, quanto sunt viciniores cordi, quia est principium vitæ, & tanto magis affligitur cor, quanto pars proximior magis læditur; cum pars proximior cordi Iesu Christi fuerit S. Evangelista: *Qui supra pectus Domini recubuit*, non est ambigendum, quin patiente illo, mox ipsum cor doleat, & langueat, atque ideo Martyrium hodiernum, est amborum, Christi, videlicet, & Ioannis, sicut etiam ipsum Crucis sacrificium. Hæc omnia gravissimis verbis perstrinxit celeberrimus Abbas Rupertus: *Iste dilectus Discipulus cum Maria Matre ejus juxta Crucem stetit, & clavos manuum, & pedum ejus, lanceam quoque perforantem latus eius ipse inspexit; illic enim gladius idem, qui Mariæ Matris eius pertransivit animam, numquid dilecti, ac diligentis discipuli animam non tetigit?* Non casu fortuito, sed deliberate, & dedita opera adstitit Christo crucifixo discipulus dilectissimus, & sanctissima eius Mater, ad bibendum cum illo calicem passionis acerbissimum, impossibile enim erat, quod videntes eum pati, quem tanto amoris affectu diligebant, simul non compaterentur, amor crucifixit cor nostri Evangelistæ, sicut lignum Crucis ipsum corpus Christi, quia sicuti hoc clavos habuit, qui illud in tormentis detinerent, ita etiam cor Ioannis habuit amorem, qui eum configeret dolore, & Cruci affigeret.

D. Laurent. Iustin. de triumph. agon. c. 9.

Rupert. lib. 1. in Cõment. Apoc. c. 6.

6. Considero ego, & contemplor Christum Salvatorem nostrum insatiabili desiderio cupientem pati tota anima sua, quemadmodum toto corpore, amore nostrum passus fuit: Expers erat omnis passionis pars illa superior, quæ Dei visione perfruebatur, quapropter impossibile erat, quod illa subijceretur ulli dolori tristitiæ, aut tormento, sicuti pars inferior, quæ suum mœrorem, & angustiam confessa dicebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem*; ecquod igitur remedium, ut Redemptor huius impossibilitatis evincat, & superet difficultatem? Quæsivit vicarium, qui vices animæ suæ suppleret, videlicet, S. Ioannem Evangelistam. Iam dudum adnotavi verba quædam Ecclesiastici, quæ insigniter hunc nostrum conceptum illustrant, attentis, quæso, auribus illa audite, quia accommodissima sunt instituto nostro: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quoniam in sanguine animæ comparasti eum.* Hæc postrema verba, primo intuitu difficilia intellectu videntur, maxime si translationem Textus Græci secuti fuerimus, quem refert Doctissimus Episcopus Iansenius, hisce verbis: *Quoniam veluti esset anima tua indigebis eo*; id est, magno in pretio eum habeto, quia aliquando eius opera, & auxilio, tamquam anima tua, indigebis. Hoc difficulter in nobis verificari potest, quia non capio, neque ingenio meo assequor, quomodo amicus possit esse supplementum animæ, aut eius vices gerere, & idcirco arbitror, & opinor eum cum Christo fuisse locutum, per os, & calamũ Salomonis, vel Iesu Sirach, quando ei vaticinando prædixit hæc verba, cuius fidelissimus amicus fuit S. Ioannes Evangelista: *Et quis inter Discipulos fidelior Ioanne: qui eum comitatus est usque ad mortem, Petro negante, & cæteris abeuntibus*, inquit doctissimus Cluniacensis; cum igitur sanctus Evangelista fuerit adeo fidelis amicus Christi & Christus illius, erat anima Christi, vel saltem pars animæ ipsius, & consequenter eum crucifixit secum, ut fungeretur vice, & officio partis, aut portionis animæ suæ, quæ beatifica visione Dei perfruebatur, quo pacto, satisfieret amori divino, ut qui toto corpore pro humani generis salute patiebatur, etiam tota anima eosdem sufferret dolores, eadem subiret tormenta.

Matth. 27. v. 38.

Eccl 33. v. 31.

Iansenius hic.

Raulin. serm. 1. de S. Evangelistæ.

7. Magnam conciliat authoritatem huic doctrinæ singularis quædam observatio doctissimi Origenis, audivi illam ex ore Magistri mei in sacris Litteris versatissimi; quamvis eam, præmisso diligenti studio, nusquam in eius operibus, aut scriptis invenire potuerim: *Respiciebat*, inquit antiquus Adamantius, *Iesum dilectum cordis sui, & anima illius dicebat: plus sentio mala, quæ pateris, quam ea, quæ passurus sum.*

Origenes.

sum. Conjiciebat Christus oculos in pretiosissimum illud pignus amoris sui, quod brachijs, & sinu suo fovebat: considerat Origenes Ioannem recumbentem supra pectus Christi Salvatoris, in eiusque sinu deliciantem, & dulci quodam soliloquio susurabat in aures ejus: O dilecte cordis mei, quanto magis persentio ego dolores, quos tu, intuens meos patieris, quam acerbissima tormenta, quæ ego in illis perferam, & subibo: *Adjuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectum, quoad usque ipse velit.* Alludit Origenes ad illa verba Canticorum, quasi Christus Dominus obtestaretur omnes inimicos, & persecutores suos. O perfidi exactores sanguinis mei, vos Pontifices, & Seniores Ierusalem, vos milites Romani, præsides Iustitiæ, & cæteri, qui in lugubri tragœdia mortis meæ scenam exhibebitis, nolite excitare strepitum, compescite clamores, neq; evigilare faciatis dilectum meum, & persentiat dolores, quos patior: sed eheu, Domine Deus! inquit Origenes: *Impossibile petis Domine, cum enim Ioannes vivat in præcordiis tuis, aut sentiat mala cordis, aut exeat ab eo*; hoc est, vivens Ioannes in penetralibus cordis, & pectoris tui, vel debet sentire dolores tuos, vel recedere à loco quietis suæ; & cum secundum sit impossibile, necessarium est primum, atque ideo communicat ei Christus partem martyrii sui, neque cessat, donec illum in patibulo secum crucifigat.

Cant. 1. v. 7.

3. Parcite, quæso, & permittite mihi, ut hac loquendi forma utar, quia non sum primus author huius conceptus. Quando Christus jam mortuus in Cruce, è latere suo sanguinem emisit: *Vnus miles lancea latus eius aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua?* haud dubie cadaver, aut mortuum corpus Christi non fuit causa huius emissionis sanguinis, sed anima Ioannis, quam ibi amor servandam deposuerat. Primum huius affirmant S. Cyprianus, Euthymius, & alii sacri Doctores, qui hanc sanguinis effusionem miraculo attribuunt, quia supra vires cadaveris aut mortui corporis est, quod sanguinem emittat, unde etiam secretissima arcana, & mysteria Sacramenti Baptismi, in illo sanguine aqua mixto, esse contenta asseverant. Secundum autem fuit devota meditatio Alcuini, qui miraculosum hunc sanguinis effluxum animæ Ioannis pectori Salvatoris tunc inhærentis, aut inclusæ attribuit: *Sanguinem emisit, non Christus mortuus, sed ibi vivens Ioannes.* Ex quibus infero ego rationem, & causam ob quam S. Ecclesia solam lanceam inter dominicæ passionis instrumenta crudelem nominet: *Mucrone diro lanceæ,* cum tamen nullum minus Christum afflixerit, quam lancea, quia illius ferocia sævit in corpus jam exanimatum, cætera vero instrumenta; quia vivum repererunt, proculdubio magis, & vehementius dolores illius exacerbarunt, & membra eius atrociori crudelitate dilacerarunt. An fortassis dulce lignum Crucis? an dulces clavi? & sola lancea crudelis? Ita sane, quia toto illo tempore, quo anima Christi corpus informabat, & animabat, habebat alias, in quas dolores suos condivideret, & partiretur, quæque una cum illo tormenta compaterentur; dolebat anima Ioannis cum anima Christi: verum ubi anima Christi corpus in Cruce deseruit, anima Ioannis, sola in tormentis remansit: non vultis ergo, quod crudelem, & atrocem nuncupem lanceam, quæ unam, & solam ferit animam? Tormentorum vi adactus tradidit Christus spiritum suum, & solus spiritus Ioannis ad ea sufferenda superstes remansit; certum quidem est Ioannem non plus passum fuisse, quam Christus pertulerit, relinquitur tamen pietati nostræ excogitare excellentiam amoris, qua Ioannes compassus fuit. Ecquid ergo passus est? Liceat mihi dicere, eum plus fuisse perpessum, si non secundum qualitatem, saltem quoad dilationem, & moram, ita ut eius tolerantia fuerit maior extensive, licet quoad modum fuerit multo minor, & inferior. Ex dictis manifeste colligitur veritas propositionis nostræ, quod ambo, Magister, & discipulus, Christus, & Ioannes, biberint reciproca vice unus calicem alterius, ut adimpleretur promissum Christi in hodierno Evangelio: *Calicem quidem meum bibetis,* & quia hi tres, Christus, Maria, & Ioannes, fuerunt, qui soli pondus passionis sustinuerunt, ideo etiam specialiter in corpore, & anima æternæ gloriæ præmio perfruuntur in cœlis. *Ad quos, &c.*

Ioan. 19. v. 34.

D. Cypr. Euthym.

Alcuinus.

In Hymno passionis.

TRA.

TRACTATUS XIV.

IN FESTO


Gloriosæ Virginis

S. CATHARINÆ SENENSIS,

Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Simile est Regnum cælorum grano sinapis.

Matth. 13. cap.



Vriosius observavit Philo Alexandrinus omnes virtutes plerumque fœminea appellatione indigitari: *Virtutes omnes habent appellationes fœmineas*: atque ideò dicimus hæc Fides, hæc Spes, hæc Charitas, Fortitudo, Temperantia, Prudentia, Iustitia, hæc Abstinentia, &c. quo modo insinuatur nobis omnes virtutes illas potiùs reperiri in superlativo, & supremo gradu in fœminis, quàm in viris. Posita hac doctrina, tamquàm verisimili, verè possimus dicere absque ulla exaggerationis nota, fœminam, in qua inter cæteras, maximè eluxerunt omnes virtutes illæ in gradu eminenti, fuisse gloriosam Sanctam Catharinam Senensem, cui eleganter accommodat doctus Parisiensis verba illa Salomonis: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*, id est, multæ animæ justæ & devotæ compararunt sibi thesauros virtutum, sed tu majorem cumulum earum tibi conquisivisti. Fundatur autem hæc expositio in Lectione Hebræi, & Septuaginta Interpretum, quia hi ita transtulerunt: *Multæ fecerunt virtutem, tu autem emines, supergressa es universas*, ille verò: *Multæ filiæ paraverunt sibi divitias*, id est, fecerunt virtutem, *& tu ascendisti super universas ipsas.* Plures quidem Sanctas habet Ecclesia, quæ plurimum eam virtutibus suis illustrant, plures Virgines, quæ castitate sua eam condecorant, plures Martyres, quæ eam sanguine suo mirificè exornant, sed liceat mihi dicere, nullam magis, quàm Sanctam Catharinam meritis & donorum supernaturalium ornamentis eam condecorare, aut illustrare: quia si favores cœlici soleant concedi juxta proportionem & mensuram virtutum, & meritorum illius, qui illos recipit & participat, & exploratum sit Catharinam in delicijs & favoribus Sponsi fuisse cæteris prælatam per familiarissimam sequitur consequentiam, illam etiam præ cæteris majoribus fuisse virtutibus & meritis dotatam. De hac admirabili Sancta hodie nobis agendum est, hoc tamen absque speciali divinæ gratiæ adjutorio haud poterit fieri; rogemus igitur Virginem Mariam, Matrem Dei & gratiæ, ut eâ nobis impetret. *Ave Maria &c.*

* * *

Philo Alexand. lib. de profug.

Prov. 31. v. 29.

Guilhel. Pepin. in 4 serm. huius festi

Lectio LXX

Lectio Hebraica.

Si-

Simile est Regnum cœlorum grano sinapi.

CONSIDERATIO I.

Ad exemplum S. Catharinæ Senensis oportet in via virtutu lento passu & pedetentim progredi. quia hoc modo multum profecit, & adeò sublevata fuit à terra, ut in illa subsistens, ipsum cœlum apprehenderit.

1. ANgelicus noster Præceptor S. Thomas in præclaro illo Opusculo de amore Dei & proximi, docet, quod quemadmodum in igne materiali & corporeo (secundùm doctrinam Philosophi in primo libro Metaphysicorum) tres possunt considerari gradus nimirũ, calor, fervor & ardor, principium, medium & finis, & tunc ignis est completè perfectus, quando ardet, quia tunc forma ignis introducitur: ita etiam in amore & igne spirituali, tria illa possumus considerare, nempe calorem, fervorem, & ardorem, id est, principium, medium & finem: *Calent incipientes, fervent proficientes, ardent perfecti.* hoc est, in tyronibus habet amor rationem caloris, in perseverantibus, & proficientibus in virtute amor est fervor, sed in perfectis & consummatis est ardor. Itaque sicut in igne naturali nequit dari ardor, absque prævio fervore, quem calor præcedit, ita etiam in igne spirituali, in charitate, quæ est basis, & fundamentum cæterarum virtutum, nequeunt animæ statim pertingere ad ardorem nisi prius incipiant per calorem, continuent per fervorem, donec perveniant ad ardorem, qui est status confirmatæ perfectionis, & hoc sonant verba Angelici Doctoris: *Calent incipientes &c.*

D. Thom. Opusc. 61. de amore Dei & proximi.

2. In celebri illa scala Iacob, tam plena mysteriis, ut nunquàm sacri Doctores ea exhaurire valeant, detexit & adnotavit Sanctus Basilius Magnus vivum quoddam & expressum symbolum progressus vitæ spiritualis: refert sacer Textus de illa, quod cacumen, aut summitas ejus cœlos attingeret, infimum tamen illius terræ affixum hæreret: *Vidit in somniis scalam stantem super terram & cacumen illius tangens cœlum,* & addit: *Angelos quoque descendentes & ascendentes* Premit singulari acumine S. Doctor, quod spiritus illi cœlicolæ, licet raptim & celerrima velocitate omnes climacteres seu gradus scalæ transvolare potuerint (velocissima enim eorum agilitas ipsos vẽtos excedit) id tamen non faciunt, neque utuntur nativa sua pernicitate, neque transvolant per gradus scalæ, sed primus eorum gressus est uno pede fixo in terra, & altero in climactere seu gradu scalæ, atque ita pedetentim, ac paulatim ascendunt, donec pertingant ad cacumen, seu cœlum, ubi Dominus requiescit. Ast quid hic mysticus rerum eventus nos edocet aut instruit? *Vt eos admoneret*, inquit magnus Doctor, *qui ad virtutem instituuntur, primum, ut primis admoveant gradibus vestigium, & inde paulatim ascendendo progrediantur.* Doctrina valdè necessaria tyronibus, qui rudimentis student virtutum, seu vitæ spiritualis, ne contendant unico volatu conscendere cœlum, sed incipientes à terra, gradatim progrediantur & proficiant, donec ad summum perfectionis fastigium pertingant, velle etiam unico saltu supremam attingere perfectionem, error est manifestus & à Deo reprobatus.

Genes. 28. v. 12.

D. Basil. hom. 1. in Psalm.

Ingeniosè ponderavit Rupertus Abbas modum, quem Deus in creatione hominis observavit, valdè dissimilem ab eo, quem in creatione cæterarum rerum servavit, quia has solo verbo ex nihilo produxit, unum, *fiat*, erat sufficiens, ut esset, quod non erat, at verò quãdo decrevit, & statuit creare hominem, deliberat & consilium init: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, accepit lutum, componit, & concinnat corpus, infundit animam habitu suo, & vivit homo: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculũ vitæ & factus est homo in animam viventem* Ecqui Deus tam lentè procedit in fabrica hominis & cur efformatio ejus non fuit tam celer, & repentina, sicut aliarum rerum, quas solo verbo produxit? *Non dixit Scriptura, quod dixit Deus, fiat homo ad imaginem & similitudinem nostram, & factus est homo sicut dixit, fiat lux & facta est lux, Quare.* Audite egregiam ejus solutionem quæstionis: *Videlicet, quia non repente, sed operosè agendum erat, ut cõsummatus fieret ad Creatoris sui imaginem & similitudinem.* Vt liquidò cõstaret homini quod eo 3.

Gen. 2. v. 7.

eo modo, quo creator ei tribuerat vitam naturalem, ipse deberet consequi & obtinere vitam spiritualem, & non repentè, sed paulatim pergere ad attingendum culmen, & verticem virtutis, seu perfectionis.

4 Prudentissima fuit animadversio maximi sacrarum litterarum scrutatoris S. Hieronymi, enucleantis id, quod contigit Prophetæ Ezechieli, & refertur in octavo capite illius vaticinij: *Similitudo manus apprehendit me in concinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter terram, & cælum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei*, rapuit me & sustulit me in capillo capitis usque ad civitatem Ierusalem, sed mysterium continet inquit S. Hieronymus quod eum inter cœlum & terram elevaverit: *Spiritus non eum ad cælum levat statim, sed inter terram & cælum*, id est, priùs posuit eum inter terram & cœlum: & hoc facto postmodum sustulit in Ierusalem. Ast, cur Dominus levaturus eum ad summitatem cœli, id non fecit primo impetu, & motu, aut cur paulatim & pedetentim eum elevat à terra, & sustollit in aëra, & post hæc interstitia tandem posuit eum ad conspectum cœlestis Ierusalem? Quorsùm tanta moræ interpolatio, inquit S. Doctor? Ad instruendum nos hoc exemplo, quo modo debeamus addiscere in ejus schola, & progredi in via virtutis, nimirùm ordine & distinctione, ascendendo gradatim de virtute in virtutem, persuadere enim sibi, quod quispiam ex infimo terræ unico saltu statim conscendet altitudinem cœli, est temeraria contentio, & stolida, seu inepta præsumptio.

Ezechiel 8. v. 3.

D. Hieronym. hic.

5. Optimum testimonium hujus veritatis præbuit nobis Sanctus Paulus, Gentium Doctor, uti Acta Apostolorum dilucidè referunt, post varia verba ultrò citròque habita, dixit Agrippa Paulo: *In modico suades me Christianum fieri.* Narraverat Paulus totam seriem conversionis suæ coram Agrippa Rege, & præside Festo, cumque jam efficacissimis rationibus eorum incredulitatē redarguisset, Agrippa vi sermonum ejus permotus ingenuè fassus est, se jā omninò proclivem, & dispositum esse ad capessendam, & amplectendam Christianorum religionem, cui sanctus Paulus hisce verbis respondit: *Opto ad Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis meis.* Obstupescit admirabundus

Act. 26. v. 28.

Act. 26. v. 29.

S. Ioannes Chrysostomus, Paulum adeò gloriari de excellentia status sui, & de Domino, quem adorabat, & de ijs, quæ amore ipsius patiebatur, ut nunc dicat coram Agrippa, & Festo, se omnibus votis optare, ut omnes fiant Christiani, exceptis vinculis, & catenis suis. Ecquid timet Paulus, vel quorsùm excipit vincula sua? Egregiè respondet aurea Chrysostomi eloquentia, quia erat ei sermo cum duobus gentilibus quos ad fidem Christi quidem convertere satagebat, sed pedetentim & non repentè Ratio autem S. Doctoris est perelegans, & accommoda: *Si vincula audierit, tribulationis studium refugiet, cùm vinculorum virtutem non norit.* Si illis statim proponeret rem tam arduam, & difficilem, uti est, tribulationum tolerantia, & vincula, seu carceres pro Christo perferendi, tantum abessent à sequendo viam sibi propositam, ut etiam represcerent, & cœptum animi decretum mutarent, quia non noverunt virtutem vinculorum & pretium catenarum, & quanti hæc omnia sint æstimanda. Progrediatur igitur pedetentim: *Fiat Christianus & prædicationem gustet, & tunc quoque ipse ad vincula curret.* Accepit fidem, amplectatur legem Christi, incipiat & agnoscat, quid sit esse Christianum, ubi ipse profecerit, ultroneè occasiones patiendi sollicitabit, velle enim statim difficillima, & maximè ardua tentare aut aggredi, manifestus est error incipere ædificium domus à fastigio tecti stolida est temeritas, quia certissimum est, quod citò defatigabitur, qui nimiùm properat, & securitas seu certitudo perveniendi ad præfixum viæ terminū, in lento gressu, per viam virtutis, consistit.

D. Chrysost. hom. 16.

Prodigium virtutis fuit Sancta Catharina, & monstrum sanctitatis, sed non subitò, sed paulatim per spatium triginta trium annorum, ad tantæ perfectionis dignitatem pervenit, & hi triginta tres anni sunt, quibus vixit, ut in omnibus Christo Sponso suo assimilaretur. Ab ineunte ætate cœpit excrescere minimum illud granum sinapis Evangelij, & tandem effectum est arbor tam excelsa & sublimis, ut ramos suos per universum orbem Christianum extenderit. Attendite, quæso, & videte, quomodo paulatim, & gradatim progressa fuit in via virtutum, & exercitiis pœnitentiæ, & mortificationis. Incœpit per jejunium, in solo pane & herbis, postmodum subtraxit sibi panem, & solis herbis victitavit, postea successu 6.

cessu temporis omnem sibi detraxit cibum, & plusquam octo annis solæ species Sacramentales fuerunt unicum illius alimentum. Magnam noctis partem, adhuc triuncula, insomnem ducebat, eam orationibus, & spiritualibus exercitijs impendens, verùm crescente ætate, paulatim omnem sibi interdixit somnum, ita ut jam totis noctibus vigilaret, solummodò tēpore illo excepto, quo Religiosi matutinas laudes Deo persolvebant, tunc Deo dicebat: Usque modò, Domine, oravi ego pro illis, nunc ergò, salva tua venia parumper quiescā ut subsistere, & perseverare valeam. Tandem eò devenit, ut solùm alternis diebus sola media hora quiesceret, tenella adhuc puella cingebat corpusculum suum nodosa cordula, & paulò post eam in catenam ferream commutavit, & postremo tandem eadem quotidiè ter cædebat, & flagellabat corpusculum suum, & singulis vicibus, ad sesqui horam, sanguine ab humeris in pedes manante, ut sanguinem pro sanguine redderet Redemptori & sanctum Patrem suum Dominicum imitaretur. In principio solis parentibus, & confessario suo loquebatur, & decursu temporis, solum confessarium, alloquebatur, quem uti patrem suum spiritualē in rebus animæ suæ consulebat, & tandem ad talē pervenit statum, ut statuerit nulli prorsùs loqui nisi cùm esset peccata sua confessura, idque toto triennio exactè observavit. Hanc vivendi normam in cæteris, etiam exercitiis spiritualibus accuratissimè tenuit: paulatim excrevit granum sinapis Euangelici, donec tandem in altissimam adolevit arborem, juxtà parabolam Euangelij: *Crescit. &c.*

7. Arbor tam alta, & excelsa, ramique tam extensi: ita ut veniant *Volucres cœli, & habitent in ramis eius.* In hoc demonstrat Servator noster, quales debeant esse Christiani, ut nimirùm eorum cogitationes, solicitudines, & corda, quamvis vivant in terris, semper conversentur in cælis. Curiosiùs perscrutantur, & indagant sacri expositores, cur divinus animarum Sponsus comparet aut assimilet staturam Sponsæ potiùs palmæ, quàm cuivis alteri arbori? *Statura tua assimilata est palmæ.* (Cant. 7 v. 7.) Ideircò dilecta mea, mihi grata es, quia statura tua palmæ similis est. Sed quid singulare habet palma præ cæteris arboribus, quòd dicat Spōsus placere sibi Sponsam, quia habet staturam illius? Variè respondent Authores ad hoc dubium. Philo Hebræus appositè ad rem nostram, asserit, palmam esse symbolum justi, quia non habet substantiam fixam in terra, veluti cæteræ arbores, sed habet fructum in sublimi, circumdatum foliis, quibus venusta redditur, & exornatur. Talis est, inquit Philo, justus, qui se omnimodè virtuti cōsecravit: *Solet enim sursum spectare & in sublimibus versari, contemplandis divinis pulchritudinibus, nauci faciens terrenas.* (Philo Alexand. hic.) Quia licet pedes habeat fixos in terris, cogitatione tamen in cœlis conversatur, illuc dirigit omnem fructum vitæ suæ, sola cælestia contemplatur, solique Deo adhæret, & omnia terrena despicit, & vilipendit.

8. Ponderat eminentissimus noster Cardinalis Hugo, quòd Dominus Deus ex eisdem aquis producit pisces, & aves uti dilucidè facer Textus attestatur in Genesi: *Producant aqua reptile, & volatile* (Gen. 1. v. 20.) Ita ut, & pisces, & aves ex eadem massa sint efformatæ. Verùm si attentiùs advertatur, diversas ineunt semitas, & vias; quia pisces remanserūt sub aquis, in quibus fuerunt creati, aves autem statim à creatione sua deseruerunt elementum suum, & avolârunt in altum, & semper in aëre commorantur. Exponens igitur allegoricè hunc locum noster Hugo, subnectit hæc verba: *Mortaliter boni activi qui propter solicitudinem proximi iuxta terrā repunt, aves contemplativi, qui sursùm volāt.* (Hugo Card. hic) Pisces, & aves efformatæ ex aquis, sunt symbolum hominum, qui omnes ex eadem massa sunt compositi, magna tamen inter illos versatur differentia, quia pauciores, qui sunt boni, in vita activa solummodò se exercent, terrenis adhærent, neque terram deserere noverunt, ast Sancti, qui norunt repudiare, & contemnere mundum, continuò cogitatione sua ad cœlestia conscendunt, & eàpropter hi in avibus, & illi in piscibus propriissimè fuerunt adumbrati.

O quæ qualisque palma, & quàm sublimis, & elevata avis fuit S. Catharina! tam familiaris erat illius conversatio cum Christo, tamque ferventi desiderio quotidiè evolabat in cœlum, ut eius vita jugis, & continua foret oratio, absque ulla temporis interpolatione. Et cùm grave pondus corporis illius impediret, ne plusquàm corde evolaret in cœlum, divinus ille magnes, qui è Cruce promisit se omnia attracturum ad seipsum, jam in cœlis existens eumdem operatus est effectum; tantaque vi, & virtute activa rapuit hanc Sanctam in extasim, ut toto triduo corporis molem aut gravitatem non persenserit Non absque magno myste-

Actor. 2. v. 5. tertio descendit Spiritus super Apostolos in igneis linguis: *Dispertitæ linguæ tamquàm ignis* Millenas considerationes excogitarunt sancti Patres in hoc admirabili descensu, recurrentes ad singulares proprietates huius elementi; at sanctus Dionysius Areopagita duobus verbis suam explicuit mentem. Ignis, inquit hic mysticus Doctor, *semper mobilis, ac supera petens*, prætterquam enim, quòd cuncta cōsumat, semper in altum ascendit, quapropter voluit Dominus hoc pacto luculenter ostendere, quòd hoc cœlesti igne accensi, non solum ardeant amore divino, sed insuper continuò suspirent ad cœlum, eòque semper fervent i voluntate ferantur, ut liquidò constat in sancta Virgine Senensi.

D. Dionys. lib de cœlest. Hierarch cap. 15.

10. Et ne servitia, aut ministeria domestica, quibus, amota ancillâ culinaria, erat à parentibus applicata, ei remoram injicerent, aut volatum ad superos impedirent, imaginabatur sacra virgo patrem suum repræsentare Christū Iesum, & matrem suam, sanctissimam Christi genitricem, & hac imaginatione fortiter cōcepta id assecuta est, ut continuò patrem, & matrē suam in cœlis existentes ob oculos haberet, & terrenis parentibus cum omniū admiratione hilariter, & officiosè inserviret: & hic permota cogitationibus, ita in oratione sua marcescebat, ut ardore suo incensa, dicere soleret, ignem materialem seu corporeum comparatū illi, qui in pectore suo ardebat, esse valde frigidum; & quemadmodum ignis nulla reperit obstacula, quia omnia evincit, & superat, ita etiam flammæ exæstuantis ignis in Catharinæ pectore, calcatis, & fortiter superatis parentū persecutionibus, sursùm cor eius extollebant, ut quamvis pars eius inferior distraheretur circa sordida culinæ officia, superior tamen omninò libera, & expedita sursùm tenderet, & jugiter in supernis mysterijs contemplandis, aut meditandis, versaretur Magna dignū est ponderatione, id quod sacer Chronicus Lucas advertit in Martha sorore Mariæ Magdalenæ, quando maximè solicita ad generaliter excipiendū Christum, videbatur conqueri, & redarguere incuriam sororis suæ, eo quòd ad tractandum pro dignitate tantum hospitem, non adiuvaret; ut enim notanter observavit S. Evangelista, ad deponendum querelas suas astitit coram Domino Salvatore, & dixit: *Quæ stetit, & ait: Domine, nō est tibi curæ, quòd soror mea, &c.* An nō poterat

Lucæ 10. v. 40. hæc Sancta obire sua ministeria, & transeūter absque mora suam deponere querelam contra sororem? videtur sane ita; maximè cum opus manuum non impediret exercitium linguæ; cur igitur moratur, & fixo stās pede, (ut dicitur) *stetit, & ait* Ad loquendū substitit? Ita profectò inquit S. Gregorius, carpite mysterium, quia eximium & excellens est; *Et notandum quòd trāseundo Martha vidit, non tamen transeūdo, sed stando loquitur: nā Euāgelista cautè expressit, dicens, quæ stetit, & ait: quo profectò exēplo instruimur, ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad Redemptoris pedes non possumus, per aliquantulam moram Redemptori assistere debeamus.* Hæc actio Marthæ fuit nostra instructio, & ex industria, seu dedita opera eam recēsuit S. Evangelista, ut totis viribus conemur eā imitari; & quantumvis curæ, & solicitudines rei familiaris, aut domesticæ, quas impendimus fratribus aut proximis nostris, totum sibi vendicent tempus, ita ut haud quaquam ad pedes Redemptoris per moram sedere possimus, neque eius verba salutis, attenta aure excipere valeamus, saltē ne adeò nos distrahant, quin paulisper, seu per aliquantulam moram ei assistamus, & eius obsequio nos impendamus.

D. Greg. in lib. 1. Reg. c. 15.

Sed respondebitis, me nimium à vobis exigere, & onus intolerabile humeris vestris imponere, quia necessariò oportet rebus domesticis intendere, victum lucrari & assiduo labore alimenta uxori, & filiis providere Rectè dicitis, sed agite, & attendite exemplum Aquilæ, de qua egregiè Iob asserit, semper in excelso, & sublimi loco commorari: & eligere nidum in præruptis montibus: *In arduis ponit nidum suum* Et è summo cacumine deflectens oculos in terram, perlustrat minima quæque animalcula, & vilissimos terræ vermiculos, concutiensque alas, involat in prædam animalium, seu vermium, & incunctanter celeri, pernicīq; impetu revolat in altum, pullisque suis cibaria ministrat. Debent Christiani esse imitatores aquilæ, ut cogitationibus suis semper sursum tendāt & cœlum petant, quærentes quidem victum in terris, sed animoso volatu illicò superna repetentes. Quàm egregiè S. Catharina exemplum aquilæ imitabatur! in tenella namque ætate, sordidis culinæ officijs dedicata à parentibus, ea quamvis vilia, & ancilæ ministeria, hilari animo, & lætanter obibat, ita ut licèt ea diligentissime exequeretur, à principali tamen scopo eam non abstraherent, corpore serviebat in terris, nec volq; omnes rebus domesticis intendebat, 11.

Iob 39. v. 30.

bat,

bat, cor tamen fixum habebat in cœlis, illuc animum, & desideria referebat, tamque crebris ictibus, & suspiriis pulsavit ad januam cœli, ut sibi reserare secreta cœlestia promeruerit. Rapuit Dominus Deus servum, & amicum suum Enoch ab hominibus, &, ut sacrum attestatur eloquium: *Ambulavit cũ Deo, & non apparuit, quia tulit illũ Deus.* Singulare reverà privilegiũ sed videamus, quonam modo id cõsecutus est? An forsitan subitò, & repentè? Nequaquàm, sed ut loquitur Euangelium: *Crevit, & fit arbor*, paulatim, & pedetentim, & continua orationis contemplatione id assecutus est. Audiamus S. Irenæum, qui, nisi me fallat opinio, rem acu tetigit in hisce verbis: *Enoch placẽs Deo cũ esset homo, Dei legatione fungebatur ad Angelos & trãslatus est.* Premo hæc postrema verba: *Dei legatione fungebatur*; id est, obibat vices legati, seu internũcii apud Angelos, tamquam diceret sanctus Doctor: Enoch elevatus, & raptus spiritu à terra, cœlos penetrabat, ad loquendũ cum Angelis, & per ferventissimam suam contemplationem, eorum dulcissimo fruendum alloquio; & cum tam crebrò eos inviseret, transtulit eum Dominus in corpore, & anima ad paradisum, postquã jam spiritu sæpissimè fuisset raptus è terris, ad cœlum. Idem prorsus & maiori cum excellentia contigit Sanctæ nostræ cui, post varias legationes, quibus perfũcta fuit ad Angelos, per multiplices raptus, & extases, tandem apparuit Christus Dominus, eamque, veluti alterum Paulum, rapuit ad cœlos, prout insinuavit summus Pontifex Pius II. qui eam Catalogo Sanctorum adscripsit; utitur enim eisdem verbis, quibus S Paulus de seipso locutus fuit: *Arcana cœlestis aulæ vidit, quæ non licet homini loqui.* Et vidit, uti refert noster S. Vincẽtius Ferrerius, duos filios, ex ore, & pectore æterni Patris prodeuntes, unum intellectûs ipsius qui erat Christus, & alterum voluntatis seu amoris, qui erat gloriosus Patriarcha noster S. Dominicus. Maius est hoc, quàm in corpore, & anima fuisse translatum, ceu Enoch, quia excellentius beneficium est, & favor singularior, animam unico temporis momento videre Deũ quàm omnia totius mundi bona, quæ illi communicari possunt. O quàm pulchrè apparet in Sancta nostra, quòd sit granum sinapis, ita enim paulatim crescit, & virtutibus augescit, ut tandem fiat sublimis arbor, cuius radices fixæ in terris, rami tamen eius ipsos cælos contingunt: *Crescit, & fit arbor magna, ita ut volucres cœli veniant, &c.*

D. Irenæus lib. 4. c. 3.

Pius II. in Bulla Canonizat.

Continuo Sanctorale.

Ita ut veniant volucres cœli, &c.

CONSIDERATIO. II.

Vixit sancta Catharina diuturno tempore absque omni prorsùs cibo, seu alimento corporali, & ita viatoris agens vitam, fuit speciali beatorum privilegio donata.

Liberè, & absque ulla ambiguitate possemus dicere jejunium Sanctæ Catharinæ continuum fuisse, aut illam numquàm comedisse, quemadmodùm de alia quadam muliere S. Anna matre Samuelis, sacra narrat Historia: *Porrò Anna non capiebat cibum*, id est, nullum sumebat corporis nutrimentum. Scio quidem sacrum Textum in eodem loco affirmare, quòd aliquoties, antequàm templũ adiret, comederit *Surrexit autẽ Anna postquã comederat & biberat, in Silo*, & quòd postea orationes, seu preces fuderit ad Deum, redieritque in domum suam, & manducaverit: *Abiit mulier in viã suã & comedit.* Quæ loca manifestam videntur involvere contradictionem, quod enim unus negat, alter apertè affirmat; verùm Glossa Ordinaria facili negotio eadem paucis verbis componit: *Parũ, inquit, de cibo capiebat, & quod modicũ est, quasi nihilum reputatur.* Erat victus illius adeò tenuis, & modicus, ut verè dici potuerit nihil comedisse, ad modum, quo Salvator dixit de S. Ioanne Baptista: *Venit Ioannes non mãducans, neq; bibens*, cùm tamen exploratum sit ipsum melle sylvestri, locustis, & herbis victitasse. Idem prorsus affirmari potest de sancta Catharina, quia tam parca fuit illius annona, ut alimenta eius pro nihilo reputari possint. 1.

1. Reg. 1. v. 7.

Ibidem v. 9.

Glossa Ordin. hic.

Matth. 11. v. 18.

Sed cum hic favor victitandi paucis, fuerit privilegium etiam aliis plurimis Sanctis cõcessum, recurramus ad singularem quamdam prærogativam, in qua Sancta nostra non habuit sibi æqualem, neque ullus eam in illa imitatus est. Ad hocce privilegium stabiliendum revocemus in memoriam illos octo annos, quos solis speciebus sacramentalibus, absque omni alio edulio transegit, subtrahendo corpori suo communes cibos, vitæ sustentandæ ita necessarios, ut vivere absque illis, sit donum, solis corporibus gloriosis, & beatis concessũ. Animadvertens autem Confessarius post longa tempora 2.

ta incredibilem eius abstinentiam, sub præcepto mandavit ei ut comederet, & volens sancta Virgo se veram obedientiæ filiam ostendere, totis viribus conata est præstare, & facere, quod jubebat, sed ubi periculum fecit, num posset corpori cibum ingerere, non tantũ ipsa sumptio, sed etiam ipse sumendi cibi conatus, & solus aspectus, talem ei nauseam, & tormentum afferebat, ut etiã crudelissimus quisq; non posset non ei ex animo condolere, si coram esset intuitus, neque hoc tantopere admirandum, quia ut loquitur S. Augustinus, anima quæ vivit, & elevata est in Deum, omnium caducarum rerũ huius mundi obliviscitur: *A more anima secedit, & excedit corporis sensibus, ut sese non sentiat, qui Deũ sentit.* In hoc sensu explicuit quidam modernus Commentator, præceptum illud, quod Deus imposuit protoparẽti nostro Adamo ut comederet: *ex omni ligno paradysi comede.* Fuit præceptum illud positivũ, inquit Author ille, quod Deus statuit primo homini, & profectò prima fronte videtur omninò supervacaneum, cum enim ad vivendum sit unicè necessarium comedere, ipsamet necessitas potens erat eum impellere ad comedendum, esto verò quòd illi prohibeat, ne vescatur ligno scientiæ boni, & mali, ut prohibitio sit sufficiens materia, ut homo creatori suo, tamquã Domino, debitum gratitudinis, & obedientiæ rependat: quorsum igitur Deus non solum prohibet illi ne comedat, sed etiam præcipit ut manducet? Præclare diluit hanc quæstionem præfatus Doctor, & apposité ad rem nostram: *Erat enim tam mira divinæ contemplationis, cui soli tùc vacabat, dulcedine delibutus, & quasi mente à sensibus, omnique studio corporis in Deum avocatus, ut omnino necesse fuerit admoneri de comedendo.* Fuit summè necessariũ, quòd Deus præscriberet Adamo comestionem, quia erat adeò repletus gratia, eiusque intellectus tam supernis illustratus contemplationibus, tamque absorptus eius affectus in Dei familiaritatem, & consortium, ut timuerit Dominus Deus, quòd non comederet, sed oblivisceretur comedere, nisi præcepto suo eum admoneret, ut si non appetentia cibi, saltem obedientia præcepti eum ad capiendum corporis nutrimentum cõpelleret, & instigaret. Erat Catharina Senensis tanta dulcedine, & suavitate cœli delibuta, tã que copiosæ illius influentiæ, & tam mira eius familiaritas cum Deo, ut opus fuerit Confessarium, qui vices agit Dei, eam obligare sub præcepto ad comedendum, ut ad saporem, & delectationem obedientiæ facilius cibos ori, & nauseanti stomacho ingerere valeret.

D. Aug. apud Bened. Fer. in Genes. ad illa verba. Ex omni ligno paradysi. &c. Gen. 2. v. 16.

Bened. Fernand. hic.

Verùm hæc alienatio sensuum, & incuria seu oblivio ciborum, non ex sola contemplatione eius emanabat, sed præsertim ex digna, & frequenti eius communione, aut sacræ synaxis refectione; ex sacra enim Eucharistia tãta cœlestium consolationum copia in eius mẽtem dimanabat, ut alimento corporeo stomachus eius non modo non indigeret, sed neque sine corporis tormento illud percipere posset, imò illo sumpto, languebat, & delirabatur, sumpta autem Eucharistiã, nedum eius anima, sed etiam corpus adeo vegetabatur, ut prorsus nulla ei iam inesset cibi corporei appetentia, aut ulla rei terrenæ solicitudo, quæ mentem eius à dulcedine cœlesti ullatenus avocaret. Perpulchrè id excogitavit S. Clemens Alexandrinus: *Christus alimentum est, & per eum ad mamillas Patris accedimus, quæ curarũ oblivionẽ inducũt.* Non caret mysterio, quòd Dominus Deus præcipiat Moysi, ne mensa panum propositionis cooperiretur velo, quod erat ante altare: *Mensamque extra velum.* Premit acumine suo hoc Dei mandatum Abbas Cellensis, & ait hãc fuisse rationem præcepti: *Nulla enim intra velum esca necessaria, quia nulla umquam indigentia, una ibi satietas, ubi gloria perennis incommutabilitas, semel intrasse, semelque gustasse, est semper satiatũ manere.* Nulla est in gloriæ possessione indigentia, quia illic commorantes abundant, deliciis affluunt, dulcedine, & cunctis pro voto, & desiderio perfruuntur. Non eget Catharina cibo corporeo, quia iam cœlis conversans, & dotibus beatorum perfruens, nulla re opus habet, quia omnia habet abundè, & nihil amplius desiderat, aut exoptat. 3.

D. Clem. Alexand. lib. 1. pædagog. cap. 6. Exod. 26. v. 35. Petr. Cel. lib. de pan. c. 2.

4\. Sufficit, quod habeat in pectore seu corde suo sanctissimum corporis, & sanguinis Salvatoris Sacramentum, ut anima eius sit cœlum quoddam Empyreum, & ut non comedat, aut bibat, sed privilegio beatorum gaudeat: *Filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensæ tuæ,* inquit Regius Vates; quæ verba, tamensi de omni justo, aut servo Dei dicta videãtur, specialiter tamẽ de Christo Domino Salvatore nostro loquuntur, ac si David Christum alloquens, diceret, habebis, ô Domine, filios pulcherrimos, sicut novellas, aut frutices olivarum; quapropter Rabbi Himsi affirmat Davidem voluisse hisce verbis declarare, quòd omnes filii eius forẽt legi-

Psal. 127. v. 4.

legitimi, nullusque inter eos haberetur adulterinus: sufficit enim, quòd mensæ tuæ assideant, ne panem aliunde emendicare, aut stipem petere cogantur: *O.. a nō patitur ullius alterius arborū incisionem, ideo notat certos, & minimè suspectos de adulterino semine.* Ea est indoles Oleæ seu Olivæ, ut nullius alterius morsionem admittat, neque etiam dexterrimus hortulanus id ullo artificio efficiet. Tales sunt, aut debent esse filii spirituales, & commensales Christi, hoc est, qui cœlesti corporis, & sanguinis illius epulo reficiuntur, debet cor illorum esse adinstar oleæ, quia nullam alterius incisionem admittere debet: *Oleam referant in corde, nullius infra Deum incisionem admittant, terrena omnia excludant. Christi visceribus inserantur, & Christus solus in eorū cordibus pullulet.* Quia cum in solo Christo habeant omnia desideriorum suorum vota, non est, cur aliunde panem mendicent, qui cœlesti cibo tam lautè recreantur, non existimo alium quempiam maiori, ac exactiori cura huic muneri filiæ spiritualis Christi satisfecisse, quam S. Catharinam quia tā incredibiles ex divino illo pabulo vires accipiebat, & vegetabatur, ut illo satiata non solum cibum corporeum non appeteret, sed etiam sibi oblatum, aut propositum fastidiret, imo solum nomen aut memoria cibi, gravissimam illi molestiam, & atrocissimum tormentum afferebat.

Rab. Himss aqud Novar. in Agno Euchar. excurs. 14.

Novarin ubi sup.

5. Sed quid magnopere mirandum, quòd non solvat pensum humanæ vitæ, quæ divinam, & omnis terrenæ curæ expertem ducebat. Ego sum, inquit Angelus Raphaël, unus ex septem, qui assiduò assistunt ante Dominum, & quamvis videar vobis comedisse, certum tamē est me solùm fictè comestionem simulasse: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere sed ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, utor.* Ast cur Angelus, inquirit S. Laurentius Iustinianus, tam solerti diligentia, tamque impensè declarat se nequaquam comedisse? An forsitan permagni intererat, ad obeundam suam legationem, quod illos dubios & hærentes in modo suæ comestionis relinqueret? Audite eius responsum, quia votis, & desideriis nostris egregie satisfacit: *Erubescebat cœlesti beatitudine perfruendo, videri aliis cibis indigere.* Pudebat Angelum, nostro loquendi modo, quòd comedisse præsumeretur, probrosum quippe, & indignum judicabat, ut qui jugiter divinis reficiebatur epulis, quibus nihil lautius, aut excellentius desiderari potest, humanas dapes, aut fercula admitteret, quæ numquàm famem extinguunt, & maxima in necessitate deficiunt. Zelotypus ergò, & ferveēs desiderio honoris sui defendendi, prævenit Angelus cautela verborum suorum omnem suspicionem, nolens in re tanti momenti ullum superesse hæsitationis locum. Tam crebrò frequētabat S. Catharina mensā Domini, ut indies illius esset hospes, & commensalis, quia quotidie communicabat; & quæ tam cælesti recreabatur pabulo, ut erat suavissimum corporis, & sanguinis Dominici ferculum, miraculum foret, si mundanas delicias, & dapes non respueret, & nausearet.

Tobia 12. v. 19.

D. Laur Iust.

Notanter advertit S. Evangelista Matthæus, quòd Discipuli quodam tempore navim cum Christo conscendentes, obliti fuerint annonæ, & commeatus, seu panis ad navigandum necessarii: *Cum venissent Discipuli trans fretrum, obliti sunt panes accipere.* Operosiùs examinavit hanc negligentiam, & oblivionem Rabanus, sed responsi illius mirum in modum considerationem nostram confirmat. Potuitnè contingere, inquit hic Author, quòd tanta esset incuria Discipulorum, ut jam accincti itineri, obliviscerentur annonæ, imprimis ad peregrinandum necessariæ? Ecquis enim disponit se ad iter, quin priùs omni diligentia provideat manticæ aut ascoperæ suæ? Reverà bene apparet Discipulos adhuc esse tyrones peregrinos, necdū assuetos itineri, vel saltem minùs industrios, ad providendū sibi de necessario cōmeatu: sed cavere, inquit Doctus Pater, nolite eos arguere oblivionis, aut negligentiæ, quia habentes secum panem, qui de cœlo descendit, nempè Christum, supersubstantialem, & verum animarum cibum, superflua erant reliqua cibaria, atque ita eorum incuria non fuit fortuita, sed mysterio plena, quia impossibile est, ut illi, qui hoc divinū epulum magna aviditate quærunt, ad aliud corporis alimentum attendant: *Unus panis, quem secum habebant in navi, mysticè ipsum panem vitæ Dominum, videlicet Salvatorem designat, cuius amore, quia semper intùs reficiebantur in corde minùs de terreno pane, quo corpus pasci solet, curabant.* Vivat igitur Catharina, omnem escam abominans, repudiet omnes epulas terrenas, nauseet, & fastidiat non solum cibum ipsum, sed etiam omnem aspectum, & memoriam eius, neque quispiā miretur illam respuere omnem corpoream escam 6.

Matth. 16. v. 5.

Raban. lib. 5. in Matth. cap. 16.

eam, quæ solo pane cœlesti, & vitæ reficitur, & saginatur.

7. Notatu digna sunt verba Doctoris Gentium Sancti Pauli ad Corinthios: *Esca ventri, & venter escis Deus autem & hunc & has destruet.* id est in Resurrectione universali destruet Deus & ventrem, & omnia cibaria, propositio sanè austera & rigida, esto enim quod Deus destruat escas, quia in cœlis nulla erit illarum indigentia, & idcircò non est æquum, eas servare ast venter cur destruendus? Optimè recordor hanc esse promissionem Christi omnibus factam, dum D scipulis suis dixit: *Capillus de capite vestro non peribit.* Et modò asseverat Sanctus Paulus, quòd Deus destruet principaliorem humani corporis partem: *Deus autem & hunc & has destruet*? Sinite, inquit Sanctus Hieronymus, & attendite qualiter ego Paulum cum Christo in resurrectione componam: *Non destruetur ventris substantia, sed usus ciborum, & ventris opera cessabunt,* id est nulla tunc deinceps fiet concoctio aut digestio ciborum, & quia hoc erat præcipuum munus ventris, quod in resurrectione defectu ciborū cessabit, ideò dicit S. Paulus, quod Deus destruet ventrē, & hæc est una ex fœlicissimis gloriæ dotibus, sicuti est una ex humanæ vitæ miseriis, comedendi necessitas, ut vita hominis paulatim collabens, alimento foveatur & conservetur. Hoc itaque singulari privilegio; quo beati in patria perfruuntur, in hac mortali vita fuit specialiter dotata sancta Catharina, ad illam namque devenit statum, ut jam in terris non comederet, ita ut ipsamet cibaria, quæ cæteris sunt nutrimenta vitæ, Catharinæ forent tormenta, & mortis instrumenta. Ecce quomodo excrevit granum illud Sanctæ Catharinæ, nauseant enim omnem terrenum cibum, solis cœli influentiis, & pane transubstantiali vivit, nutritur, vegetatur, adolescit & corroboratur. *Crescit & fit arbor, &c.*

1 Cor. 6. v. 13.

Luca 2. v. 18.

D Hier. hic.

Ita ut veniant volucres cœli, &c.

CONSIDERATIO III.

Singularissimum fuit beneficium, seu privilegiū S Catharinæ, quod Christus illam sibi desponsaret, continuò visitaret, eamque assumeret, veluti supremæ gloriæ suæ instrumentum.

1. EXordiamur hanc considerationem nostram a gravissimis gloriosi S. Athanasij verbis, quibus laudes virginitatis decantat: *Omnis virgo aut vidua continens, si curā suā collocet in mundanis eius rei cura illi pro marito est sive possessiones sive alias substantias solicitudine sua amplectatur* Quælibet cura mundana, qua virgo aut continēs vidua distrahitur, est illi maritus & quælibet solicitudo, quæ non est circa Deum, enervat vires animæ, eamque paulatim destruit; quapropter sola illa erit digna Dei spōsa, quæ omnes cogitationes suas in eum defixas habuerit. Posita hac doctrina tamquam certa, non est mirum, quod Christus electurus Sponsam in terris, eligat sanctam Catharinam, adeò à terrenis rebus alienam, ut cōmuniter & passim cogitationibus suis per continuos raptus & ecstases in cœlesti gloria versaretur. Christus quoque cum Catharina in terris erat per frequentissimas apparitiones, ita ut vel Catharina per ecstases esset cum Christo, vel Christus per apparitiones adesset Catharinæ, unde certissimum est illam diutius absorptam in Deum, extra semetipsam quàm intrà se vixisse, & notandum est hunc non fuisse primum favorem, quē divinus animarū Sponsus ei præstitit, quia quò Sancta magis indies proficiebat in virtutibus, & crescebat granum Evangelicum, eò magis multiplicabat Dominus beneficia & favores suos. Sæpius ut diximus, descendit Christus ad visitandum illam, tantaque eam fuisse dignatum familiaritate, ut vix possint duo reperiri homines, qui tā assidua fruantur inter se familiaritate quàm fuerit inter Christum & hanc sactam virginem: sive enim oraret, sive legeret, sive meditaretur, sive vigilaret, sive dormiret, ut plurimùm hoc vel illo modo ejus visione recreabatur; imo etiam interdum loquenti cum alijs aderat hæc sacra visio, ita ut mente cum Christo ore cum hominibus loqueretur. Attendite quæ-

D. Athanas. lib. de virginitate.

te, quæso, & miræ familiaritatis testimonium proferam: recitabat quandoque Christus cum sacra Virgine Psalmos, & cum, alternando versiculos, Catharina Psalmum concluderet, ita orabat: *Gloria patri, & Tibi, & Spiritui sancto*; itaque pronuntiato *gloria patri*, profundius inclinans caput ad sponsum suum, devotissime dicebat: *& Tibi* O mira Dei benignitas, quanto prosequeris animam nostram amore! Pertransierunt filii Israël sicco pede mare rubrum, & Dux eorum Moyses, ut pro tanto beneficio debitas Deo rependeret gratias, composuit Canticum laudis, quod hisce verbis incipit: *Iste Deus meus, & glorificabo eum.* Refert Glossa quamdam sententiam Rabbinorum, licet fabulosam, qui dicunt, omnes patenter vidisse Dei majestatem in forma, & specie visibili, & quod idcirco Moyses facile potuerit digito monstrare Deum, dicens: *Iste Deus meus.* Verum, inquit Lyranus, non est recurrendum ad rem adeo incertam, ut intelligamus Moysen habuisse Deum tam præsentem, quod potuerit eum indigitare: *Hoc enim, quod videbant factum virtuti divinæ possibile, intelligebant Dei præsentiam adesse.* Non videbant Moyses, & populus Deum in forma visibili, sed contuebantur eum in tersissimo libertatis suæ speculo, & in miraculis, quæ ad eos liberandos operatus fuerat. Et illa beneficia tam præsentem testabantur Dei majestatem, ut asseveranter cantet Moyses: *Iste est Deus meus*, digito demonstrans Deum adeo beneficum, & populi sui amantem. Quidquid fuerit de rei veritate, saltem concluditur, neque Moysen, neque populum tunc visibiliter conspexisse Deum, quia beneficium adeo eximium, privilegium tam singulare soli aureæ ætati legis gratiæ erat reservatum. In qua Deus incarnatus non semel, sed sæpius erat ad terram descensurus, & communicaturus suam præsentiam visibilem, nedum apparentem, sed realem, dilectissimæ suæ sponsæ Catharinæ, quia sola anima tam eminens virtutibus, tam excellens sanctitate, uti erat Catharina, hanc sibi familiaritatis prærogativam poterat promereri.

Exod. 15. v. 2.

3 Reg. 19. v. 9.

2\. Ponderans magnus Tertullianus benignissimam illam visitationem, qua Dominus invisit servum suum Eliam in antris deserti, in spelunca delitescentem, seu in tugurio quodam absconditum, eumque interrogavit: *Quid hic agis, Elia?* Conatur perscrutari causam tam inauditi beneficii, & favoris, qualis fuit Deum invisere Prophetam suum, quemadmodum amicum visitare; & re attentius perpensa, existimat rationem, & causam proximam hujus fuisse quadragesimam, seu abstinentiam quadraginta dierum, quibus ipse ab omni prorsus cibo abstinuerat, sola virtute illius subcinericii panis confortatus, quem ei Dominus per Angelum suum destinaverat, veram sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti figuram, & symbolũ: *Tanta est circumscripti victus prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem, parem revera pari.* Manifestantur in hoc vires, & virtutes jejunii hujus Prophetæ, quod effectus, & operatio fuit illius mystici panis, quem per manum Angeli subministravit, quemque Christus ita spiritualem effecit, vel, ut melius loquar, ita deificavit, ut Prophetam dignum fecerit familiaritate, & contubernio ipsius Dei, potueritque cum illo conversari, quasi inter illos nulla foret disparitas, sed omnimoda æqualitas. *Hoc est tempus*, concludit Tertullianus, *quo homo Deo adæquatur, cum sine pabulo vivit* Hæc omnia fuerunt certa prænuntia eorum, quæ Deus in Catharina facturus erat, cui aliquoties per manus Angelicas misit panem supercœlestem corporis sui consecratum; in cujus fortitudine, jejuna, & absque alio victu tot transegit annos, & idcirco non semel, sed iteratis vicibus eam visitavit, una cum illa Psalmos, & divinum Officium, quasi socius cum socio persolvens; *parem revera, pari*, ac si inter Christum, & Catharinam perfecta fuisset æqualitas.

Lyran. hic.

Tertull. lib. de jejunio c. 6.

3\. Erant hæc omnia dispositiones, & apparatus ad Sponsalia, seu connubium, quod Christus Dominus cum Catharina inire cupiebat; quia dum Deus animam sibi desponsat, quamvis necessario debeat reperiri inter ipsum, & animam infinita quædam distantia, veluti inter essentiam, & nihil, inter æternum, & temporale, inter immensum, & angustum, aliquas tamen ita sibi assimilat, (uti fecit in sancta Catharina) ut per gratiam & dignationem divinam pares omnino, & æquales appareant. Celebrata autem sunt hæc sponsalia, assistente sanctissima Dei genitrice, tamquam matrina, conjunxit hæc amborum manus, Christi, & Catharinæ, cujus digito annulari imposuit, ac inseruit pretiosissimam arram, seu annulum pronubum, regius Psaltes suavissimo citharæ cõcentu nuptias cohonestabat, plurimiq; alii sancti, inter quos dilectissimus discipulus Iesu, & Apostolus Paulus,

lus, una cum sanctissimo Patriarcha Dominico hæc lætissima sponsalia, societate, & præsentia sua condecorabant. Valde notandum est, quod tametsi Christus Dominus fuerit observantissimus legis antiquæ; *Non veni solvere legem, sed implere,* eamque exactissime, absque ulla obligatione, adimpleverit, noluerit tamen matrimonium contrahere, cum potuisset assumere animam aliquam sanctissimam, & purissimam, qualis fuit illa, quam in Matrem sibi elegit. Ecquam igitur ob rationem id noluit facere? Variis modis potest huic propositæ quæstioni satisfieri; verum ego imbutus doctrina Angelici nostri Præceptoris S. Thomæ, meum proferam judicium, & opinionem. Resolvit S. Doctor: *Secundum rationem boni, quod est objectũ dilectionis, magis diligendi sunt parentes; secundũ autem rationem conjunctionis, magis diligenda est uxor, quia uxor conjungitur viro, ut una caro existens.* Ex his igitur deduco meum conceptũ; amabat Christus Dominus intensissimo, & infinito quodam amore sanctissimam Matrem suam, & si uxorem duxisset, necessarium fuisset propter vinculum matrimonii eodem prorsus amore prosequi Sponsam suam; & hoc, nostro intelligendi modo, fuisset dividere amorem, & quodammodo sanctissimæ suæ Matri facere injuriam: noluit ergo sponsam assumere humanã, ut totam amoris sui vim Matri impenderet; dato tamen, quod aliquam fuisset assumpturus, ea haud dubie foret S. Catharina, propter heroicas suas virtutes, & eminentem sanctitatem: esto igitur, quod Catharina uxor Christi non fuerit, saltem hoc speciale ei privilegium concessum fuit, ut singulari quodam modo, præ cæteris justis, spiritualis Sponsa Redemptoris esset. Singularissimæ fuerunt circumstantiæ hujus spiritualis connubii, descendit namque Rex è cœlis, astitit sanctissima ejus Mater, cæterique Sancti sese comites adjunxerunt, quales solemnitates in celebrãdis conjugiis terrenis adhiberi solent; in signũ, quod si Deus incarnatus fuisset habiturus Sponsã in terris nulla alia præter Catharinã, tali fuisset donata favore, & privilegio.

Matth. 5. v. 17.

D. Thom. 2. 2. q. 26. art. 11. in corp.

4. Congruentissima autem fuit hæc divinæ providentiæ dispositio, ut in tam turbulentis, & calamitosis temporibus, qualia erant illius sæculi, in quo maxime affligebatur Ecclesia propter schismata, quæ ei imminebant, & teporem charitatis quæ jam plurimum in cordibus hominum refriguerat, supremus æternitatis Princeps hanc sibi sacratissimam virginem desponsaret. Liceat mihi, salva venia SS. Patrum, allegoriæ quemdam sacræ Scripturæ locum; doctissimi enim inter illos, Origenes, Gregorius, Ambrosius, Rupertus, & alii passim multiplicant allegorias. Haud dubie, inquit magnus Abulensis, quælibet puella Israëlitides, seu filia populi Israël, poterat esse Sponsa senis, decrepiti, & veterani bellatoris, Regis inquam, Davidis. Quæ cum ita sint, cur tam solerti cura servi illius totum perlustrant Regnum Israël, & tam anxia solitudine per omnes etiam absconditissimos Regni fines scrutantur, & perquirunt formosissimam specie juvenculam, seu pulcherrimam puellam, quæ ei sit aptissima conjux? *Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel,* inquit sacer Textus: movet dubium Abulensis, & ipse, idem suo diluit acumine: *Ad hoc ut calefaceret Regem, sufficiebat ut cumque haberi virginem: causa erat, quia ista puella debebat esse uxor Regis, oportebat autem Regis uxorem cæteris pulchritudine excellere.* Ad calefaciendum emarcidum, & jam pene emortuum corpus, sufficiebat quælibet adolescentula, quia tamen futura erat conjux Regis Davidis, requirebatur decor formæ, & pulchritudo excellens, talibus nuptiis condigna. Ad rem ergo: si ut castissima illa adolescẽtula nativo suo, & juvenili calore illud exangue corpus, & quasi extinctum & deperditum calorem Davidis repararet, aut restauraret, simulque ejus fieret Sponsa, plurimum conduxerit egregia & excellens ejus venustas, & pulchritudo super omnes filias Israël, quis dubitet, quin Christus Dominus, cujus figura, & symbolum fuit David, elegerit S. Catharinã ad hoc, ut ardentissimo amoris sui incendio emortuum refrigescentis nostræ charitatis ignem denuo resuscitaret, & accenderet, & pristinum calorem suo corpori mystico, nimirum Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium, redderet, & restauraret, simulque eam assumpserit in Sponsam, quia anima ejus pulcherrimis virtutum ornamentis erat exculta, & sanctitate, seu perfectione cæteras omnes superabat.

3. Reg. 1. v. 3.

Abulens. hic.

Accersivit eam summus Pontifex Urbanus, ejusque auxiliarem opem imploravit, ad destruendum schisma, quo Ecclesia tunc temporis maxime concutiebatur, ingenue affirmans, se absque illius adjutorio, non præsumere, Ecclesiã pristinæ paci, & tranquillitati restituere, quam communis humani generis adversarius turbulento schismate cõcitaverat. Ægerrime id tulit sancta Virgo, & non nisi plurimis lacrymis à solita sua quiete avelli potuit, existimans se 5.

indig-

indignam, quæ in publicum prodiret, & quam veluti sanctam & sapientem quærerent, quæ tamen se omnium rudissimam & indoctissimam judicabat. Verum non potuit non obedire jussis Summi Pontificis, ejusque obedientia tam prosperum & fœlicem habuit exitum rei, ut ipsemet Pontifex sanctè affirmaverit maximas impensas hujus operis fuisse consilia & orationes sanctæ Catharinæ, totamq; illam insignem victoriam ab hostibus Ecclesiæ reportatam esse auxilio Catharinæ attribuendam: *Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit*: ajebat fortissima illa, & numquàm satis laudata Debora, id est, novos adinvenit modos, & stratagemata, ad destruendos conatus hostium & inimicorum suorum. Septuaginta Interpretes ita transferunt: *Clypeus puellarum cum lanceis apparuit & pugnavit in quadraginta millibus*. Novæ ergò inventiones & stratagemata bellica Dei nostri sunt, ut appareant in populo Israël scuta & lanceæ mulierum imbelium, quæ fortitudine & pugnacitate sua ipsos quadraginta mille robustissimos Israël superarunt. Ecquid ais, Debora? Quandonam aciem tot puellis instructam in campũ eduxisti? Ast hoc dixit de se, & de Iahel, quæ Sisaram clavo, per tempus capitis in terram defixo percussit & occidit, sed in præsentiarum optimè in sancta Catharina hoc ipsum verificatur, quæ sola munitissimam instruxit aciem, veluti Sponsa: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, quæ terret, prosternit, vincit, debellat & triumphat de hoste animarum, atque ita sedavit schisma, pacem composuit, & suo consilio effecit, ut sedes Petri, quæ multis annis Avinione in Franciâ fuerat collocata, Romam reduceretur. Obligationes sunt hæ quibus Ecclesia obstricta manet Sanctæ Catharinæ, præter multa alia beneficia, quæ eidem teste summo Christi vicario, sæpius laboranti præstitit & succurrit. Quod enim vires exercituum, aut consilia doctorum efficere nequiverunt, hoc S. Catharina facili negotio, solis precibus, orationibus & consiliis suis impetravit & obtinuit.

Iudicum 5. v. 8.

Septuag. hic.

6. Existimo nullum posse illustrius elogium prædicari de gloriosa nostra Sancta. Singularem adnotavi observationem in Commentariis eminentissimi nostri Cardinalis Cajetani, quæ mirificè intentum nostrum adornat. Premit hic purpuratus Doctor solito ingenii sui acumine, quod in calce ultimi capituli ad Romanos adjectum sit in Textu Græco: *Ad Romanos missa fuit à Corintho, per Phœben ministram Ecclesiæ Cenchreensis*. Et addit eminentissimus Cardinalis verba quædam omni põderatione digna, quia plus significant quàm sonant: *Ex qua scriptione clarè patet locus in quo scripta fuit Epistola hac consonans supradictis, & quod missa fuit per mulierem illam nomine Phœben*. Duo colliguntur ex præfato Textu, nimirùm locus, ubi scripta fuit, & tabellarius, nempe Phœbes matrona sancta quæ eam detulit. Et reverà notatu dignum est, quod S. Paulus non repererit alium secretarium, aut latorem magis commodum, cui negotium tanti momenti committeret, aut legationem tam gravem imponeret: videtur enim consultius fuisse, si virum quempiam prudentem quæsivisset, cui securitatem Epistolæ commendasset. Sed prosequitur Cajetanus, & huic tacitæ objectioni respondet: *Non dedecuit Paulum uti oblata commoditate mulieris honesta, tutissimus enim simul & certissimus lator electus est ob reverentiam solitam huiusmodi matronis, & certitudinem non vagandi, ut viris accidere potuisset*. Promittebat sibi Paulus hac via fœliciorem rei exitum, erat quippè Phœbes notæ & probatæ virtutis matrona, magna Ecclesiæ benefactrix, cujus negotium in illa Epistola agebatur, & magis confidit illius solicitudini prosperum negotii finem, quàm etiam cujusvis prudentissimi viri diligentiæ & industriæ. Ecquæ major excellentia de sancta Catharina dici potest, quàm quod summus Pontifex supremum in terris Ecclesiæ caput, tantam conceperit opinionem de sapientiâ & virtute illius, ut firmiter sibi persuaserit solam Catharinam sanctitate suâ effecturam, quod etiam sapientissimi & prudẽtissimi consiliarii ad optatum finem perducere nequiverant? Nonne stupendum est & maximè admirandum, quod fretus sola Catharinæ assistentia & favore, securiorem sibi promiserit rei eventum, quàm per omnia etiã doctissimorum arbitria & consilia?

Ad Rom. c. 16. in fine.

Cajet. hic.

Jussu Summorum Pontificum prædicatoris officium & munus exercuit, quòd nusquàm de alia Sancta legimus, imò in publico pulpito concionem dixit coram Gregorio XI. & Vrbano VI. magna cum ædificatione populi, & fructu animarum. Et nisi ruditas ingenii mei aberret, verificatur hic illud Isaiæ: *Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion*. Magnus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus 7.

Isaiæ 40. v. 9.

nymus alium refert Textum ex Hebræo, qui ita sonat: *Tu quæ evangelizas Sion.* Dicite, amabò, cuinam loquitur Propheta? An fortasse mulieres sunt prædicatores? Minimè gentium neque enim sanctus Paulus hanc facultatem eis concessit: *Docere autem mulieri non permitto.* Non video hocce vaticinium adimpletum, nisi in sola Catharina Audite S. Hieronymum, egregiè hunc locum enucleantem: *Mirum, cùm ipse Sion mons sit, super alium altiorem montem jubetur ascendere*; id est, tametsi Sion etiam sit mons excelsus, præcipitur tamen huic prædicatrici, ut ascendat super alium eminentiorem montem, sicque adeò superet alios montes sua altitudine, ut in comparatione illius, valles appareant. Sint, inquit Deus, etiam doctissimi Magistri, & prædicatores insignissimi Discipuli & auditores Catharinæ, discant ex illa modum instruendi animas hominum, corrigendi vitia peccatorum, & persuadendi exercitia virtutum pœnitentibus; eàpropter enim Deus illam constituit in Ecclesia sua, ut antonomasticè esset doctrix, ideòque fecit eam arborem tam excelsam; ut parvum existens granum sinapis, in primordiis suis, tandem excreverit, & sublimitate sua omnes, etiam eminentissimas superaverit; est enim tam excelsa, ut sit proxima cœlo, astraque contingat & aves cœlestes habitent in ramis ejus.

1. ad Tim. 2. v. 12.

D. Hieron. hic.

Crescit, & fit arbor.

CONSIDERATIO III.

Donans Christus amator, dilecta Catharinæ cor suum super stigmata sua, opere & veritate comprobavit, quod amantes seu proci mundani, per amplificationem & hyperbolen dicere consueverunt.

1. QVia sancta Catharina tam impensè Christum amabat, omnibus votis cupiebat illi in doloribus assimilari, ut hoc pacto omnia bona, secundùm connubij leges communia forent, ideoque offerente Christo binam illi coronam, unam auream, & alteram spineam, elegit hanc in capite gestandam, sensitque in corpore dolorum cruciatus quos jam in anima dudum persenserat. & quia in illa insculptum habebat dolorem vulnerum Sponsi sui singulari privilegio promeruit ea corpori suo impressa portare. Neque ullus relinquitur admirationi locus, quia id, quod videtur habere formam beneficij, juxtà leges habet vim obligationis; unanimi enim consensu statuunt Iuristæ, eadem insignia Sponsæ competere, quibus Sponsus condecoratur: *Decet mulieres, conjugis claritate frui, quoniam radiis meritorum coruscant.* Quapropter Christus servans cum Catharina leges Sponsi in solemnitate & cæremonijs nuptiarum æquum erat, ut easdem exactè observaret in privilegio insignium, & cùm stigmata sint Christi gentilitia signa, hæc Sponsæ suæ Catharinæ munificentissimè communicat, ut eis exornetur, & tanquàm Sponsa sua illustretur. Ex his facilè intelligetur Textus ille Canticorum, circà quem acriter disceptant sacri Expositores operosiùs investigantes, de quonam explicanda sint illa verba: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Et qui meliùs opinantur, ea Sponso accommodant, qui cupiens Sponsam suam ornatu aliquo, aut pretiosis margaritis condecorare, ait illi: Faciam tibi inaures, aut torquem, aut catenam auream, quia omnia hæc denotantur verbo illo: *murenulas & vermiculatas argento.* Septuaginta Interpretes transferunt, *cum stigmatibus*, id est, murenulas vulnerum cicatricibus exsculptas. Philo Carpharius hic insistens lectioni asserit per hoc pretiosum monile, quod Sponsus Sponsæ suæ, nimirum Ecclesiæ, promisit ad decorem & ornatum ejus, debere intelligi Sanctos Martyres, qui sunt singulare decus, & ornamentum: *Ecclesiæ in his verbis promissum ornamentum sanctorum Martyrum, sanctos videlicet Martyres, quibus illa maximè exornetur*, imò ad majorem eorumdem verborum elucidationem, subjungit hæc sequentia: *Qui aurei dicuntur propter sapientiæ & vitæ probitatem, & sunt cum notis atque stigmatibus argenteis, per quæ designantur ærumnæ atque tormenta.* Prosequens doctus Pater præconceptum discursum illum, præclaro Sancti Pauli testimonio confirmat: *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Bella expositio sacræ Sponsæ, nimirum Ecclesiæ, accommoda, verum mea sententia, magis genuinè possunt hæc verba (quæ sancti Patres passim applicant animæ justæ Dei Sponsæ) exponi de amantissima Christi Sponsa Catharina, cui Dominus IESVS in tesseram sinceri amoris, quo ergà eam ferebatur, dignatus est

Iustin. in Authent. de Consulib.

Cant. 1. v. 10.

Septuag. Interp. hic.

Philo Carphat. apud Gisleriumhic.

Ad Gal. 6. v. 17.

est conferre & imprimere vulnera sua, purpurisso sanguinis sui aurum probatissimæ charitatis illius excolens & adornans, ut exterior conformitas insignium, evidens foret testimonium interioris unionis animorum.

2. Magnum peperit solatium Sanctæ nostræ, hoc excellens beneficium, neque mediocriter recreata fuit hoc singulari favore, qualem reputabat pari corpore, quod jam dudum anteà persenserat spiritu. Et maximè hic adnotandam judico rem parvi momenti, ad ædificationem devotorum clientum sanctæ Catharinæ, & confusionem protervorum, qui perperam & pertinaciter denegant Sanctæ nostræ vera & viva stigmata Christi. Est namque hæc veritas adeò indubitata & infallibilis, quod verè & realiter habuerit stigmata Domini, ut ego tamquàm testis oculatus, possim fidem facere me eà vidisse in Conventu Monialium nostrarum Romæ S. Dominici de Neapoli nuncupato, quem gloriosus Patriarcha noster Dominicus fundavit. Ibi conspicienda exhibetur manus sinistra sanctæ Virginis (quam illi Monasterio pro singulari munere donavit celeberrimus Ordinis nostri Conventus super Minervam, ubi sacrum corporis illius depositum asservatur) in Hierotheca argentea solo vitro crystallino occlusa, per quod tam patenter & distinctè conspicitur, quasi desecta foret, tam incorrupta, quasi viva & perforata ab una & altera parte cum foramine clavi, quemadmodum cernimus in Christo crucifixo. Evidens argumentum & infallibile testimonium, quod vulnera & stigmata habuerit in vita, cùm etiam post mortem eadem conservet, verùm quidem est, quod summis institerit precibus apud Christum, ne visibiliter in corpore suo apparerent: neque hoc fuit signum ingratitudinis tanti beneficij, sed profundissimæ humilitatis indicium. Duo erant consideranda in vulneribus Christi, nimirum honor & dolor, rogavit Catharina Christum, ut auferret honoris occasionem, ne extolleretur & relinqueret dolorem qui eam excruciaret, quia per honorem poterat inaniter superbire & per dolorem condignè promereri.

3. Quinimò audeo dicere, ideò Catharinam humillimè interpellasse Redemptorem stigmata sibi auferri, ne ab aliis viderentur, ut in omnibus Sponso suo magis assimilaretur. Rectè proculdubio meministis obfirmatæ illius pertinaciæ, qua incredulus Apostolus S. Thomas noluit fidem præbere Discipulis, asseverantibus se vidisse Dominum, ac Magistrum suum ex mortuis resuscitatum. Nisi videro & tetigero, ajebat ille, in manibus ejus fixuram clavorum, oleum & operam in me perditis, quia nequaquàm ipsum resurrexisse credam. Sed quid fecit Dominus in hac dubitatione Discipuli? Quærit eum diligenter, & inventum admonet, & ad amicitiam suam invitat: *Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis* O Thoma, quàm pertinax es! quàm protervus & incredulus, cùm tamen tantum mihi debeas! Si tibi suspectus est amor meus, & dubitas, num te syncerè dilexero, sileat lingua, & loquantur vulnera ista, quæ in cruce pendens pro te suscepi: loquatur vulnus istud lanceæ, & acutissimus dolor illius penetret durum & inexorabile cor tuum, & hæc patentia viscera mea, & pro te quidem patefacta, emolliant tua, quia illa tibi testabuntur injuriam, qua me incredulitate & protervia tua afficis. Extende manum tuam & mitte in latus meum, ut quia tu es palmes & ego vitis, hac incisione indubitatæ fidei fructus proferre valeas. Mox promptus obedivit Thomas; quod considerans & enucleans S. Petrus Chrysologus, in hæc gravissima verba effatur: *Thomas Apostolus, ut Christum Deum crederet, immisit manus intectis digitos, patefecit vulnera & ut Christum crederet, iterum pati compulit Christum.* Palpat Thomas, inquit aurea Chrysologi eloquentia, manibus suis vulnera Dei sui, & ut Christum crederet resuscitatum denuò eum pati coëgit. Hanc eamdem sententiam alibi ad aliud intentum expendimus; in præsenti autem specialiter premo unam propositionem sancti Archiantistitis, primo intuitu severa dignam censura, constanter enim affirmat Salvatorem secunda vice passum fuisse, quando Thomas digitos suos in locum vulnerum ejus immisit, quod est manifestè contra sanam & communem Theologorum doctrinam, & contra id, quod Fides Catholica nobis credendum proponit, quia Christus gloriosus & immortalis omnis passibilitatis expers assistebat. Qui igitur asseverare potuit S. Ravennas Christum in illa occasione passum fuisse? Exponant alij verba Chrysologi, ut voluerunt, ego autem, salva tanti Doctoris licentia, explicabo ea, ad mentem intenti nostri; quapropter autumo & opinor priora illa

Ioan. 20. v. 27.

D. Petr. Chrysol. serm. 84.

illa verba; *patefecit vulnera*, esse causalia subsequentium, *pati Christum*: tamquàm diceret S. Doctor; idem prorsus fuit, quod Thomas Salvatorem compellat vulnera patefacere, ac renovare dolores, quia mallet potius Salvator veluti amator, & amasius noster pignora amoris sui occultare, & non propalare ea, quæ amore nostrum pertulerat, quare adstringere eum ad illa manifestanda, rudi nostro loquendi modo, idem fuit, ac illi novam præbere ansam & occasionem patiendi. Cupida ergo Catharina imitari, & in se exprimere actiones Christi, avidè rogavit eum, ut dignaretur vulnera in corpore suo occultare, non ad excusandum, aut refugiendum dolorem, sed quia testes, & indicia eorum, quæ patiebatur, noluisset esse patentia sed occulta, imitās in hoc puritatem amoris Sponsi, cui patefacere vulnera, quæ amore nostrum susceperat, novum erat & intolerabile tormentum.

4. Contigit quodam die, ut ipsa, per altissimam contemplationem absorpta, singulariter obsecraret Dominum, ut auferret ab ipsa cor proprium, & omnem propriam voluntatem. Videbatur autem illi sic oranti in visione venire Christus, & latus ejus sinistrum aperire, ablatoque corde recedere, ita ut Sancta miraculosè superviveret; neque revera potuit illa aliud sentire, quàm se corde destitutam. Paucis post diebus illa in sacello Ecclesiæ Dominicanorum Senensium è cœlesti quadam ecstasi sibi reddita, & jam exire volente, ecce cum multa luce apparuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum & illustre propiùsque accedens, illud sinistro lateri virginis imposuit, hæc suavissima adjiciens verba: En, filia mea charissima., paucis abhinc diebus abstuli cor tuum, sed jam pro corde tuo habes cor meum, ut semper in me vivas, clausitque latus ejus, & ne putetur inane phantasma, illo in loco cicatrix permansit, quam sociæ ejus sæpius se vidisse testatæ sunt. Ecquis umquam vidit tam cœlestem permutationem, aut tam miraculosum cambium? Est usitata phrasis mundi, & valdè familiaris inter amantes sibi mutuò cor offerre & polliceri, dum enim unus synceritatem amoris sui comprobare, & testari cupit, non reperit hyperbolen magis significantem, quàm cor, & animum suum omninò rei amatæ consecrare & offerre, certum tamen est, totam amplificationem & hyperbolen in solis verbis hærere, quia hactenus nulla umquàm visa est cordium commutatio. Refert sacra Regum Historia de Absalone, quod extimulatus spiritu ambitionis. per fas & nefas corda Israëlitarum sibi conciliare satagebat: *Solicitabat corda virorum Israel*, vel, ut legit noster Lusitanus ex Hebræo: *Furabatur corda filiorum Israel*, id est, furtivè rapiebat sibi omnium animos & voluntates. Cæterum, inquit doctissimus Oleaster, est hæc loquendi forma valde familiaris, & usitata apud Hebræos, & propriè dicitur de illis, qui aucupantur famam popularem, conciliavit sibi aliorum voluntates, eorumque affectus simulato quodam artificio sibi devinciunt; imò, inquit Oleaster, & hic stylus usitatus est in vernacula Hispanica (& etiam in nostra Flandrica) ut quis volens exprimere magnitudinem affectus, seu amoris erga amatum dicat. rapuit mihi cor: *Furabatur corda filiorum Israel, id est ad amandum se provocabat, & quasi compellebat: nostri etiam usque hodiè dicunt; rapuit cor meum, id est ad amandum compulit.* Et quamquàm hæc sit metaphora styli, ordinata tamen est ad magnitudinem & vim amoris exprimendam, licet in mundo nulli amantes sibi mutuò donent, aut auferant cordis substantiam soli Christo, & Catharinæ hanc prærogativam reservavit amor, quia in illis permutatio cordium non fuit hyperbole in solis verbis hærens, sed reipsa cambium miraculosè peractum, ita ut in illis verè fuerit factum, & opus quod apud nos est sola metaphora verborum, & usitatus stylus loquendi.

1. Reg. 15. v. 6. Oleaster in Hebraismis ad Penthat. verbo Furari.

Aptissima est confirmatio hujus veritatis, id quod Sponsus amantissimæ suæ Sponsæ illaqueatus amore protulit, commendans enim excellentiam dilectionis suæ, in has disertissimas erumpit voces: *Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa.* Septuaginta Interpretes, quorum plurimi Doctores vestigiis inhærent, ita legunt: *Abstulisti cor, sive excordasti me.* Itaque unum & idem est amare, & cor rapere, & hoc proprium est voluntati, quæ semper trahitur, & connaturali impetu fertur in rem amatam, ad eam tendens & prosequens, donec amplectatur Id egregiè observavit Doctissimus Commentator Gislerius, supponens communem illam differentiam inter operationes intellectus & voluntatis: *Ex diversitate, qua operatur intellectus trahens ad se rem quam intelligit, & qua operatur voluntas tendans ad rem, quam amat.* Pariformiter ad hæc debet intelligi

Cant. 4. v. 9. Septuag. Interpr. Arias, Brixian. Pagnin. Gislerius.

ligi Lectio Sancti Gregorij Nysseni, qui eadem verba ad hunc transfert modum: *Indidisti cor.* hoc est, præbuisti mihi cor. Quæ explicatio, tametsi sacro Textui contraria, & opposita videatur, in magnum tamen decus, & honorem Sponsæ cedit, cui haud quaquam sufficiens erat, quod amor suus cor Sponsi abstulisset, nisi etiam pro tanto munere illi suum rependeret. Quocircà translatio Septuaginta Interpretum, ubi nostra vulgata legit: *Amore langueo,* ita exponit, *vulnerata ego sum charitate,* ut pari passu, quo Sponsus, cor suum transverberatum, & amore Sponsæ suæ vulneratum fatetur, ipsa idem de affectu, & voluntate Sponsi attestetur. Bellè excogitatum! Verùm ego reflectens ad has translationes, comperio in illis adumbratam singularitatem amoris reciproci inter Christum & Catharinam, & absque injuria Textus deprehendo in illis hoc verificari nimirum dari corda, & auferri. Cæterum salva venia quærerem libenter ex Salvatore nostro, quomodo hæc duo componi possint, quod eodem tempore Sponsa cor illi auferat & donet? *Excordasti, indidisti.* An forsitan idem est, rapere ac recipere? Ita profectò quia quando Deus rapuit, & abstulit cor Catharinæ, reddidit illi suum, & quando illa præbuit cor suum Deo, loco sui accepit divinum, O admirabilem cordium commutationem! Et hoc pacto singulari artificio componuntur Versiones, sive Lectiones, quæ prima fronte ita dissonantes, & contrariæ apparebant. Christus namque & Catharina eodem tempore sibi mutuò auferunt & reddunt corda miraculosa quadam vicissitudine & permutatione: *Abstulisti & indidisti.*

D. Greg. Nyssen. hom. 8.

Cant. 1. v. 5.

6. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vel ut legit Vatablus: *Quod eum tractas tam magnificè.* Quid est homo, inquit Iob, loquens Deo, quia tanti æstimas lutum, & vilitatem ejus? aut quid cordi tuo cum illo? Dixi quondam explicans in concione quadam hunc locum, facilè conjici sanctum Patriarcham Iobum tunc nondum audivisse doctrinam illam Christi Domini, cùm disserens de amatoribus divitiarum aut opum hujus mundi, diceret, illorum cor esse in thesauris eorum: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Etsi homines sunt divitiæ, opes, & pretiosissimus thesaurus Dei, qui admiratur S. Iob, quod Deus apponat cor suum erga eos?

Iob. 7. v. 17.

Existimo ego patientiæ speculum hocce loquendi stylo, & phrasi congruentius explicuisse, quanto Deus in pretio haberet homines, quos veluti thesaurum, & opes suas reputabat. Ast quid fuisset, si Catharinam probè cognovisset, proculdubio majori fuisset captus admiratione videns eminentiam amoris Christi, & hujus Sanctæ, & admirabilem cordium permutationem, quam in illa effecit, ita ut Catharina per illam omninò in Christum transformaretur, qui & aliquando in vultu illius apparuit. Rem breviter omnibus notam enarrabo. Contigit ut virgo Christi multis pressa morbis, Raymundum ad se juberet acciri, communicatura illi quædam sibi divinitus revelata. Venit Pater Raymundus de Capua, Magister Ordinis & illius Confessarius, & adstans illi decumbenti atque febricitanti, audivit illam amore solito loquentem de Deo, & quæ illo die Dominus ipsi revelâsset, exponentem. Ibi rursus cœpit illa discurrere & referre grandia quædam de fidei nostræ mysteriis, & præsertim de inscrutabili sanctissimę Trinitatis arcano, adeo disertè, & subtiliter, ut ipsemet doctissimus Theologiæ Magister altitudinem sententiarum non intelligeret, neque profunditatem argumētorum penetraret, quæ sacra Virgo divinæ gratiæ radijs illustrata proferebat. Et his attonitus Confessarius solummodò cogitavit apud se & dixit Putasne vera esse omnia, quæ dicit? Fierine potest, ut ingenium mulieris tam sublimia assequatur mysteria? simulque intendens in faciem loquentis, vidit subitò faciem ejus in viri barbati transformatam, qui fixis oculis in eum respiciens suprà modum terrefecit. Erat autem hæc facies oblōga, mediæ ætatis, barbâ non prolixâ, colore triticeo, vel ut verbo dicam, venustissima simul, & formosissima, majestatem quamdā præ se ferens, undè manifestè se Dominum ostenderet. Territus autem Pater Raymundus, exclamavit: *Quis est qui mecum loquitur?* O quis est, qui me respicit, & responsum fuit illi *Est qui est*, & ex dictis planè agnovit esse Dominum, qui mox in facie disparuit, & facies Virginis denuò redijt. Ad tantam altitudinem meritorum, & favorem excrevit hoc minimum granum sinapis, ut excellissima evaserit arbor, quæ non tantùm pertigit ad cælos, sed etiam ad similitudinem ipsius Dei, & Domini cœlorum: *Crescit & fit arbor &c.* Non licet nobis per temporis

Dd 2 penu-

penuriam singula eius encomia referre, aut excellentiam huius Sanctæ enucleatiùs expendere, concludamus ergò concionem, supplicando illi, ut pro nobis apud Sponsum suum intercedere dignetur, quæ enim tot ab illo in terris fuit dotata beneficiis, haud dubiè potentissima erit apud eundem in cœlis, & si humiliter opem eius interpellaverimus, incunctanter nobis impetrabit donum gratiæ certum futuræ gloriæ pignus: *Ad quam nos perducat, &c.*

TRACTATUS XV.

IN FESTO

Gloriosi Sancti

ANTONII de PADVA,

Ordinis Fratrum Minorum.

Vos estis sal terræ, Vos estis lux mundi.

Matth. 20. cap.



On solum rem arduam, & difficilem judicavit Philosophus Cordubensis, sed etiam impossibilem, ut quis omnibus sit gratus, & acceptus: *Placere aliquibus possibile,* Seneca. *placere multis difficile, placere omnibus impossibile.* Loquitur hic Seneca tamquàm experientia edoctus, juxtà communem rerum cursum, & leges huius mundi; si enim ad omnipotentiam Dei recurrere libuerit, quod hominibus impossibile videtur, omnipotentiæ Dei esse facile factu comperiemus, juxta illud Matthæi: *Apud homines hoc impossibile* Matth. 19. v. 26. *est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Et idē jam prædixerat S. Angelus Gabriel sacratissimæ Virgini, dubitanti, quonam modo Mater Dei absq; læsione Virginalis pudicitiæ fieri posset: *Quia non erit impossibile apud Deum omne* Luca 1. v. 37. *verbum.* Hoc est, secundùm communē sacrorum Interpretum explicationem, quidquid nō implicat contradictionē, quantumcumq; arduum, & difficile appareat, est divinæ Majestati, & omnipotentiæ possibile, quocirca potuit Deus facere possibile, quod homines judicabant impossibile. Potuit efficere hominem, qui omnibus placeret, potuit facere Sanctum, qui à cunctis amaretur, non solùm à concivibus suis, sed etiam exteris nationibus, quippe æqualiter omnium in se provocaret animos, & affectus. Et talis est illustris, admirabilis, & portentosus S. Antonius, de quo potiori jure dicere possumus, quod in laudē Catonis exconsulis quondā dixit Laurentius: *Iuvenem egregium, instructum natura fortunaq; omnibus bonis maximum momentum rerum eius civitatis in quamcumq; venisset:* Laurentius. hoc est, erat vir ille egregius, in quē tamquam maiorē natu, & primarium hæredem suū natura, & fortuna, liberali, & prodiga manu omnes dotes, opes, & perfectiones suas in alis sparsas, cumulatim contulerant, atque adeò magnam conciliabat authoritatē cuilibet civitati, aut loco, quem inhabitabat, neque ulibi fixit pedem, quin eum maximi æstimaverint, neque ulla fuit civitas, quæ non gauderet eum habere concivem: *Suum, quam alienum mallent esse civem.* Elogiū, quo non mediocriter

ter Hercules suam extulit excellentiam, & magnitudinem, teste tragico Poëta:

Seneca *In tutum meas.*

Laudes recepi: nulla me tellus silet.

Amplificationes sunt Rhetorices, quamvis fabulosæ fictiones, quibus antiqua Gentilitas suos celebravit Heroës, veritates tamen sunt manifestæ, in inclyto nostro Sancto Antonio adimpletæ, in quo cœlum suam ostentavit omnipotentiam, in illum siquidem congessit omnes gratias, dona, dotes, & ornamenta virtutũ, quibus plures alios Sanctos illustravit, quia nulla datur Hierarchia a sanctis Prophetis, usque ad Confessores, cui hic Sanctus meritò non annumeretur, & adscribatur. Imò portentoso, & admirabili dono miraculorũ cæteros superavit, fuitque illis omnibus numeris absolutè sine æquali prælatus. Quapropter etiam ubique terrarum tantam sibi conciliavit authoritatem, tantâque devotione omnium fideliũ corda, & animos sibi devinxit, ut cuncti eũ venerentur, & veluti singularem patronum celebrent; neque ulla est Regio, Regnum aut Provincia in toto Christiano Orbe, quæ ardenti devotione, reverenti cultu, & festivo applausu non gaudeat diem natalè huius illustrissimi Sancti celebrare, & triumphis recolere, & exornare. Quisque contendit suum esse Antonium, nunc Francia, nunc Italia, nunc Hispania: omnes ad æmulationem provocant se mutuò ad celebrandam solemnitatẽ illius, & ex hac pia contentione nascitur, quòd omnes eum, tum propter heroicas virtutes, tum etiam propter innumera miracula, plurimùm colant, & venerentur. Singulariter tamen illi applaudit natio Lusitanica, propter arctissimum obligationis vinculum, quo illi, tanquam concivi, & conterraneo, devinciuntur. Magna ingenij dexteritate ponderat S. Ambrosius verba quædam S. Pauli in Epistola ad Collossenses: *Salutat vos*, inquit Doctor Gentium: *Epaphras, qui ex vobis est.* Quorsùm, inquit S. Ambrosius, addit, quòd Epaphras esset eorũ conterraneus? Vt quid? ad conciliandum hoc nomine addito, scriptis suis authoritatem apud illos, ut eis attentiores præberent aures: adeò potens est vicinitas patriæ ad permovendos animos hominum: *Chariorem illis facit Epistolam, quãdo eius qui ex ipsis est, testimonium reddit.* Sola memoria unius hominis conterranei, potuit Epistolam reddere gratiorem. Voluit Doctor Gentium hunc patriæ affectũ assumere, velum medium ad persuadendum illis doctrinam, & instructionem suam in illa Epistola contentam.

Ad Colloss. 4. v. 12.

D. Amb. in c. 4. ad Colloss.

Quid aliud est memoria illa S. Antonii, quam hodie Ecclesia, à Spiritu sancto inspirata, celebrat, nisi Epistola quædam doctrinalis, quam mittit suis fidelibus, ut ex ea modum, & normã rectè vivendi addiscant? Et præ cæteris alloquitur Lusitanos: *Qui ex vobis est.* Vt hac consideratione permoti, excitentur, & animentur ad imitandum eius virtutes, provocentur ad ferventiorem devotionem, crescatq; in eis observantia & reverentia ergà suum vernaculũ, & cõcivem, auxiliante Dei gratia, &c. *Ave Maria.*

Vos estis sal terræ.

CONSIDERATIO. I.

Eduxit Deus suum Antonium ex patria sua, ut illum tam illustrem heroem, & præclarum Sanctum efficeret, utque ab omnibus Fidelibus maiori observantia, & decentiori reverentia coleretur.

Diversimodè Euangelici Oratores exponere solent verba illa; *Vos estis sal terræ,* 1. quibus Christus Dominus certiores faciebat Apostolos suos, & in illis omnes Doctores, & Ecclesiæ Prædicatores, muneris, & officii, quod eis demandabat. Scitote, inquit, vos esse salem terræ, sive, vos futuros quasi salem terræ. Salva venia Doctorũ, cogitatũ mentis meæ proferam & explicabo, Videtur sanè, quòd cõsultius dixisset Salvator mundi, illos esse salem maris, ex aquis siquidem marinis omnis sal conflatur, & conficitur, & non salem terræ. Porrò si attentiùs naturam salis perscrutari lubuerit, cõperiemus salem quidem nasci ex aquis marinis, has tamen ut salem procreent, à mari esse segregatas, in terra quippe ardore solis sal conditur, & ultimam suam recepit perfectionem. Nunc ergò facili negotio patefiet metaphora. Extraxit Redemptor noster Discipulos suos ex Oceano, & turbulento mari huius mundi: *Hoc mare magnum,* & eduxit illos ex patrio, & natali solo, & transtulit ad diversa climata & regiones mundi: *In omnem terram exivit sonus eorum;* monetque eos, ne commisceantur mundanis, neque deinceps redeant ad consortia suorum parentum, aut familiarium, si reverà exoptãt, &

Psal. 103. v. 25.

Psal. 18. v. 4.

 cupiunt

cupiunt esse boni, & Sancti, caveantque sibi, ne secus fecerint, alioquin denuò in aquam commutandi, & similes seu pares illis futuri. Ecce, Auditores, normam, & stylum, quem observat Deus, ut efformet maximos Sãctos suos, & perficiat heroes tam illustres, qualis fuit S. Antonius, elongat eos à natali solo, avellitque à suis consanguineis, & notis, quia sibi perspectũ exploratumq; habet, tantò eos maiores facere profectus in virtutibus, & aptiores esse suis donis cœlestibus, quãtò ab eis fuerint remotiores Hoc sonat, *Vos estis sal terra*, & hoc sufficiat vobis dictum, ne denuò redeatis ad mare huius mundi, quia peribitis sicut sal in aquis liquescit.

2\. Ex his facilè colligetur causa ob quam Deus in veteri lege statuit, ut omnia sacrificia sale condirentur: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies*. Et videtur sanè supervacanea ista præparatio, aut apparatus, cùm Dominus non esset manducaturus carnes animantium oblatorum; neque minorem causat admirationem, quòd idẽ Dominus prohibuerit sibi offerri, aut immolari sacrificiũ ex piscibus, quamvis enim Spiritus sanctus id apertè non exprimat, colligitur tamen, inquit Carthusianus, ex quo, facta enumeratione rerum, & animalium sacrificio destinatorum, nulla prorsus dat mentio pisciũ. Cur igitur Deus, præcipiens sibi immolari plurima animalia, eaque diversa, piscium fuit oblitus? *Cur non etiam de piscibus?* Et appositè respõdet, insistẽs doctrinæ Angelici nostri Doct. S. Thomæ: *Quia morantur, & latẽt in aquis, & inde extracti protinùs moriuntur* Vita salis conservatur extra aquã, & ab illa debet segregari, at verò pisces vivunt in aqua, vigent, & conservãtur in ea, ex qua fuerunt procreati, tantoque amore afficiuntur erga matrem suam, ut ab illa extracti, protinùs vitam amittant, Idcircò noluit Deus illos sibi sacrificari, hoc pacto innuens ingratos sibi esse homines nimiũ amori patriæ deditos, aut inhærentes, qui mox, ut se vident in extero solo, seu extra patriam suam, languescunt, & animo despondent Non placẽt Deo, inquit Doctissimus Cardinalis Vitriacus: *Qui curiosi, & terrena quærentes, sub aquis temporalium demerguntur: si autem ex aquis extrahũtur, more piscium, statim moriuntur. Nõ enim carere possũt divitiis, & carnalibus voluptatibus* Imitantur genium, & indolem piscium, & quemadmodum hi tantũmodò in aquis vivunt & lætantur; ita etiam illi, quamdiu divitiis, & carnalibus illecebris, seu voluptatibus mũdanis irretiti, & illaqueati inhærent, existimabnat se beatos ac fœlices, & statim, ubi eas deserunt, videntur vitã, & cuncta bona amittere: quocirca soli illi placent Deo, qui induunt naturam salis, cuius vita, & conservatio in abnegatione originis, & ortûs sui consistit

Levit. 2. v. 13.

Carthus. in c. 1. Levitici art. v. 13.

Vitriac. Dom. 21. post octav Penth. serm. 1.

Optimum, & saluberrimum consilium est, aspirantibus ad summum perfectionis gradum, & summè necessarium æternitatis stadium ingressis, qui cupiunt esse magni in Regno Dei, ut in primis renuntient parentibus, & amicis, omnesque sæculi delicias, & mundi voluptates repudient, & aspernentur, quibus intra patrios lares frui, & gaudere possent Qui considerat Iacob in domo paterna, vix aliud reperit in illo notatu dignũ, quã quòd famulantis instar rei culinariæ vacaverit. *Coxit autem Iacob pulmentũ* cæterum si ibidem favores aut visiones Dei perquisieris, nullatenus invenies. Egreditur è domo paterna, & post paucos gressus, jã peregrinanti cœlum reseratur, Deus prospicit, & se conspiciendum præbet, mittitque Angelos, qui eum visitent, & dulci consortio suo recreent, & exhilarent, Angelos ascendentes, & descendẽtes per scalam, *Et Dominum innixum &c.* Ecquid igitur habet Iacob modò, quod anteà non habebat, ut Deus tantis eum cumulet beneficiis, cum usque ad illud tempus sacra Historia nulũ eius heroicum, aut præclarum facinus enarraverit? Vultis scire: inquit Lippomanus, dicam, quantum capio: Hactenus erat Iacob inter delicias maternas, inter dulcia amicorum commercia, ineptus erat ad fruendũ Dei visione, aut divinis eius beneficiis, verum ubi eos deserit, & blandimenta parentum floccipendens, arduo sese objicit, & exponit labori, quis dubitet quin illicò omnia ipsi ad votum, & nutum esset eventura: *Vides, quòd somnia sancta eorum sunt qui corpora sua negligũt, pauco victu nutriũt, ad delicias non assuefaciũt, molliora strata nõ subiiciũt, profundo somno non obruũtur.* Angelos, cœlum, scalam, portas, & fenestras gloriæ, imò ipsum Deum reperit sibi propitium, & faventẽ, etiam dum incultus fessa membra quieti, & somno dederat, ut liquidò constet hæc veritas, certissimum esse medium ad inveniendum Deum, progrediendum in virtute, & crescendum in favoribus supernis, deserere patriam, valedicere parentibus, & amicis, quia hæc est compendiosa perfectionis via, & semita. 3.

Genes. 25. v. 29.

Genes. 28 v. 13.

Lippom. hic.

Aptissima est ad mores allegorica quædã observatio cuiusdã docti Commentatoris in Libros 4.

bros Regum, enucleantis sæpius repertum miraculum Eliæ; qui resuscitaturus, seu ad vitam revocaturus filium hospitis suæ, sacro attestante eloquio, rapuit, & abstulit eum è sinu, seu gremio matris, transtulitque eum ad cellulam suam, & posuit defunctum super durum, & asperum stratum suum: *Tulit eum de sinu ejus, & portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, & posuit super lectum suum.* Et protinus, præviis mysticis illis cæremoniis, quæ omnibus notæ sunt, resuscitavit puerum vita functum: *Reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Et quid voluit Spiritus sanctus, quærit hic Doctor, hoc facto Prophetæ, nobis intimare? Manifestum est, inquit, documentum: *Moritur sane puer in materno sinu, inter delicias, nimirum, quas maternus foverat affectus; excitatur autem in duro lectulo, quo non voluptatis blanda mollities, sed pœnitentiæ durus rigor intravit.* Quasi diceret, Elias auferens puerum è sinu matris, in quo vitam amiserat, & transferens eum ad duritiem, & asperitatem lecti sui, exhibuit nobis figuram filiorum, quibus suavissima parentum blandimenta, & adulantes amici sæpius sunt causa ruinæ, & perditionis animæ, quæ in fuga eorum, & in austera corporis afflictione tutissima conservatur. Angebatur Antonius in primis tyrocinii sui annis, & inquieto spiritu agitabatur inter parentum, & amicorum commercia; atque ideo cœlestis originis recordatio, divinæque inspirationis impetus eum è patria, & natali solo, ad aliam exercendæ virtutis arenam pertraxit, impulitque eum vehementissimum perfectionis capessendæ desiderium, ut nedum patriam desereret, sed etiam nomen Ferdinandi, cum nomine Antonii commutaret, ne deinceps à suis agnosceretur. Amplexus est institutum Seraphici Patris S. Francisci, & in ejus Ordine solemnem emisit professionem: omnibus valedixit mundanis, ut divina securius acquireret, refugit sinū matris, & suavissimos amicorum aspectus, apud quos mortem incurrere posset, quam, ab eis recedendo, se evadere firmiter credebat.

3 Reg. 17. v. 19. — *Ibidem v. 22.* — *Gaspar Sanctius hic.*

5. Si fortissimis funibus ligatus fuero, inquit Samson Dalilæ, imbecillis, & infirmus ero, ut cæteri homines. Ligant fortiter, dormientem, & quando jam Satrapæ Philistinorum vinctum, & prædam captam reputabant, expergefactus Samson, & recuperata fortitudine, rumpebat funium vincula, quasi fila telarum, & confusos hostes super se irruentes, animoso impetu repellebat. Pudefacta Dalila, quod eam bis decepisset, & falsum mendacium ei imposuisset querulosa tertio instantius eum rogavit, ut indicaret, in quo sita esset maxima fortitudo illius, aut quo ligatus erumpere nequiret. Cui respondit Samson: *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.* Expectavit Dalila, donec profundus eum obrueret somnus, & componens crines ejus ad modum ligaminis, clavo infixit eos terræ, clamavitque; *Philistym super te Samson.* Qui consurgens de somno, & expergefactus, uti sacra refert Historia: *Extraxit clavum cum crinibus, & licio;* id est, antequam vires recuperaret, aut super hostes suos irrueret, prius clavum extraxit, & cincinnum dissolvit. Curiosius ponderat hoc factum Samsonis doctissimus Abbas Ioachim: *In præmissis duabus pugnis à principio, excitato ei à somno describitur Spiritus adfuisse: hic non à principio, sed postquam à terra viscere clavus eductus est.* In duabus primis pugnis, inquit Abbas, idem erat omnino, in Samsone excitari à somno, & manifestare suam fortitudinem, rumpendo vincula, quasi filum stuppæ, & ostendendo originem & principium suarum virium sibi inesse à Deo, verum tertia vice non fuit idem expergefieri, & robur virium suarum ostentare, sed prius extraxit clavum, & dissolvit ligamen crinium suorum è terra, quam generositatem fortitudinis suæ manifestaret. Neque existimetis hunc fuisse casum fortuitum, sed profundissimum mysterium; si enim crines, juxta interpretationem Stephani Cantuariensis, significant affectus, & cogitationes animæ: *Crines procedunt de capite, cogitationes de corde,* quicumque voluerit recipere Spiritum Dei in anima, ejusque robur, assistentiam, & fortitudinem ad superandos adversarios animæ, & profligandos hostes Ecclesiæ, necessarium est, ita evellat affectus suos è terra, & extrahat clavum, quo infiguntur mundi voluptatibus, ut ne quidem crinis, aut capillus illis implexus inhæreat; putare siquidem, quod habendo cogitationes, & affectus immersos rebus terrenis, & mundanis implicitos oblectamentis, & attentendo solū ad fucatam sæculi fælicitatem, quam suis proponit mundus alumnis, non habendo in se Deum, neq; seipsum vincendo, posset quis hostes suos superare, aut debellare, quemadmodū egit nobilis noster Ferdinandus, est stulta temeritas, & temeraria præsumptio. Agedum, gene-

Iud. 16. v. 13. — *Ibidem v. 14.* — *Ioachim Abb. super Apoc.* — *Steph. Cant. in Alleg. Godefr. Tilman.*

generose adolelescens, elegit te Deus in domo sua, ut sis defensor fidei Catholicæ, & malleus hæreticorum (ita appellatur Sanctus in Historia, de eo conscripta) flagellum blasphemantium, frænum insolentium, & Samson legis gratiæ, ut vincas, & profligas Philistæos Ecclesiæ. Eja ergo, evelle crines tuos è terra, exue te opibus tuis, abnega patriam, nulla te amicorum demulceat benevolentia, non te generis aut nominis claritas retardet, viriliter resiste parentum consiliis, obliviscere societatem familiarium, delicias, & voluptates propinquorum, audacter in desertam, desertus ipse, contende S. Francisci Religionem, ubi fixa in Deum anima, & avulsis à terra crinibus tuis, nimirum cogitationum tuarum desideriis, inferno implacabile bellum moveas, ferventissima prædicatione tua convertendo peccatores, & perditas animas, immunes à peccatis ad Evangelij jugum revocando, tu enim es monstrum virtutis, & prodigium sanctitatis, ideoque Deus tecum tamquam cum sale terræ agit, educens te ex natali solo, & patria; *Vos estis sal terræ.*

4. Sed quorsum, ô Domine, & Deus vitæ meæ? An nequit Antonius fieri sanctus, inter suos amicos, & conterraneos? Nonne tam celebrem eum efficere potuisti Vlyssipone, uti fuit in Italia? Quis dubitet, aut ambigat de tua potentia? Verum sal tanto securior conservatur, quanto à mare sua est remotior, ita quoque virtus tanto erit juxta communes leges vegetior, & constantior, quanto fuerit ab omni carnali respectu, & amore remotior. Ambulet igitur Antonius, & per diversa mundi climata discurrat, varia mundi Regna perlustret, & splendore suarum virtutum ea illustret, & exornet; peregrinetur tamquam exul à patria sua, quanto enim minor ei fuerit cum illis familiaritas, tanto majora erunt virtutum ejus incrementa. Persuadebat quidam familiarissimus amicus nominatissimo illi Alciato, ut Franciâ, patriam suam desereret, si majorem ingenii sui dotibus famam, & authoritatem conciliare cuperet, utque efficacius animum ejus ad acquiescendum consilio suo permoveret, ac induceret, misit illi Emblema, cujus effigies erat arbor persica, hoc ei symbolo pro coronide adjecto: *Translata facta est melior.* Bonum est malum duracinum in Persia (quamquam aliqui dicant illud ibidem esse venenosum) si tamen Persica ad alias transferatur regiones, multo fit sapidior ejus fructus, plurisque æstimatur: ita plane tu, amicorum integerrime, magnam laudem propter ingenuas tuas dotes promereris, sed relinque, & desere matrem tuam, & te, haud dubie majoribus encomiis celebrem experieris: *Alciate, hinc vitam disce parere tuam.* Sanctus erat Antonius in Religione, & sacro Ordine S. Augustini, Sanctus in Lusitania patria sua; ast quia Deus cupit ut non solum sit Sanctus, sed etiam miraculum sanctitatis, transplantat eum ex una Religione ad aliam, ex Ordine S. Augustini, ad S. Francisci societatem, ex Vlyssipone Paduam, ex Lusitania ad exteras regiones, ut ibi copiosiores proferat fructus, veluti miraculosa quædam plantula, ad peregrinas, & exteras nationes translata. Idcirco non vocant eum salem maris, sed terræ: *Vos estis sal terræ*, qui licet nascatur ex aquis, extra illas tamen ultimam suam perfectionem acquirit, quam remanens juxta ripas matris suæ, non solum non acquireret, sed etiam acquisitam non conservaret.

Apud Alciat. Emblem.

Neque Deus tantummodo heroicam excellentiam virtutis desiderabat in Sancto nostro, sed etiam solerti cura, & diligentia maxime sollicitabat majorem ipsius æstimationem, & applausum, educens eum ex patrio solo, ad remotiores regiones; quoniam si Antonius intra proprios tantummodo delituisset lares, neque conclusos Lusitaniæ deseruisset angulos, proculdubio non foret sanctitas ejus adeo celebris, neque portentosa ejus miracula ita toti mundo innotescerent, quia non solent Sancti tantum coli ab indigenis, & patriotis suis, quantum bene ab extraneis, divina id disponente providentia, ad majorem Sanctorum suorum honorem, & gloriam, ut ab alienis, celebriori veneratione suspiciantur, à quibus minorem sibi poterant promittere cultum, & reverentiam; quapropter in Italia indigitant S. Antonium, antonomastice, & per excellentiam Sanctum; quod tamen elogium Hispania, quamvis mater ipsius, illi non adscribit, & quamquam in Regnis illis innumeri sint Sancti, qui peculiari sanctitate eluxerunt, omnibus tamen illis majorem prædicant Antonium, & tamquam minor esset eorum virtus, comparata sanctitati Antonii, ipse, quasi non habens æqualem, fert primas inter omnes. Ad hocce propositum recordor illorum Seraphim Isaiæ, qui stabant juxta thronum Dei, & repetitis vocibus, laudes ejus intonabant, dicentes, Sanctus: 5.

Dice-

Isaia 6. *Dicebat alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus*; additque notanter Evangelicus Vates, singulos senas babuisse alas, quarum, duabus velabant, & occultabant vultum divinæ Majestatis: *Duabus velabant faciem ejus.* Ibid. v 2. Cæterum insignes nostri Lusitani, Foreirus, Oleaster, & alii plurimi Doctores legunt juxta Textum Hebræum: *Velabant facies suas*, id est, spiritus Angelici suasmet abscondebant facies, quasi timidi coram eo comparare reformidarent. Foreir. Oleaster. Sed mox pulsat animum ratio dubitandi, nonne Seraphim illi Sancti? Quis dubitet? ipsamet enim veritas, Christus, de illis testimonium perhibet apud S. Evangelistam Lucam: *In majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Luc. 9. v. 26. Et per S Marcum: *Cum venerit cum Angelis Sanctis.* Marci 8. v. 38. Dato igitur, quod sunt Sancti, quam ob causam velant facies suas, dum Deo laudes concinunt, & Sanctum acclamant? Causa in promptu est, quia quantumvis sancti non se reputant Sanctos coram sanctitate Dei, ideoque quasi confusi obtegunt velo virtutem suam ad præsentiam tantæ sanctitatis. Et forsitan Mater Ecclesia, hoc arbitrio, & consideratione permota, soli Deo sanctitatem attribuit: *Quoniam tu solus Sanctus*, quia cæteri in comparatione ejus, neque sunt, neque apparent sancti. Quid igitur mirum, quod ad imitationem Angelorum Sancti Italiæ palmam deferant Antonio, tamquam antesignano, & primati suo, ac proinde in ejus præsentia seipsos expolient, & denudent titulo, & nomine Sanctorum, quasi sanctitatem suam coram tam eminenti virtute, & illustri S. Antonii splendore occultantes, & velantes.

8. Imo licet S. Antonius non foret Sanctus tam admirabilis, quia tamen extraneus, omnem merebatur applausum. Conatur antiquus Tertullianus, Originem, & primordia Deitatis Gentilium investigare, eamque à primis virtutum fundamentis eruere. Et adsumit exordium ab ipso Saturno, omnium Deorum avo, & progenitore, cujus filius Iupiter Deorum Pater indigitatur: *Divûm Pater, atque hominum Rex*, ait Poëta Latinus, & summa admiratione dignum est, quod Saturnus in sola Italia nomen, & titulum Dei habuerit, cum tamen nulla ejus heroica facta umquam tale jus Deitatis promeruerint, quale habuit Alcides, in cujus præclaris gestis potuit idololatria suum obtegere errorem, neque etiam æstimatio ejus apud homines tanta fuerit, ut occasionem præberet hominibus in tam insanam prolabendi amentiam, ut hominem non singularis virtutis, Deorum numero adscriberent. Virgil. 10 Æneid. Ecquare igitur Deitas ipsius super cæteros fuit exaltata? Quæ ejus facta tam illustria, ut cæteros etiam præstantissimos heroës, & maxime Alcidem longe superaverit, & excesserit? Audite ingeniolam Tertulliani responsionem, instituto nostro apprime accommodam: *Ex inopinato apparentes de cœlo venisse dicuntur, proindeque Saturno repentino adventu, ubique cœlitem contigit dici.* Tertul in Apolog. Non fuerunt eximia merita Saturni, sed fuerunt extranea, & peregrina, ipse enim in Italia erat alienigena, & sufficiebat ejus virtutem hac fuisse imbutam qualitate, ut cuncti eum, veluti cœlicolam, venerarentur, qui è cœlis in terram hominibus patrocinaturus descenderat. Concessit illi Italia, tamquam advenæ, id, quod patria illi etiam promerenti, denegaret, quia ejus facinora solummodo, quia extranea fuerunt, divinitatem promeruerunt. Voluitque itaque Deus noster stabilire cultum, & venerationem sanct. Antonii in sua Ecclesia, ut modo possibili gauderet privilegiis divinitatis, & passim ab omnibus antonomastice Sanctus appellaretur, & ea propter educit eum ex patria, transfertque eum ad exteras regiones, ubi virtutes adventitiæ pluris æstimantur, ut non solum sanctus Antonius alios antecelleret meritis, sed etiam præ cæteris majori in pretio haberetur. Vere sal Evangelicus, quem ad perficiendum necesse fuit segregare à natali solo, & patria, quia in ipsa fuga parentum constituerat illi Deus augmenta virtutum, & meritorum, sicut etiam Apostolis, quibus ait: *Vos estis, sal terræ.*

Vos estis lux mundi.

Consideratio II.

Mutari, aut progredi de bono in melius, non est vitium, aut peccatum, sed perfectio, & idcirco, ut Antonius fieret Sanctus probata virtutis, & excellentia, æquum fuit, ut vocationes suas mutaret.

Volens sapientissimus Salomon vivis coloribus depingere, aut delineare nobis 1.

viam, sive semitam justi (quam sequi debemus, aspirantes ad cœlum, nisi præcipites ruere, aut ab eo deviare velimus) in hæc verba effatur: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem*; id est, semita justi (non via regia peccatorum, quæ recta tendit ad infernum) à paucis trita est, quasi lux refulgens, &c. *Quæ à modica claritate incipiens*, ut ait Cardinalis Vitriacus, *semper magis clarescit*. Desumitur metaphora à cursu Solis per Zodiacum cœli, quem hic pulcherrimus planeta persequitur ab ortu suo in oriente, quousque pertingens ad horizontem nostrum, designat Cenith, seu punctum super capita nostra. Nascitur Sol in ipsis diei crepusculis, adornans cœlũ, illustrans solum, & vestiens aërem versicolore venustate, quæ oculos nostros mira pulcritudine sua oblectat, ita ut omnia in aëre, quasi peristromata, seu tapeta polymita luce depicta videantur. Prosequitur cœptum cursum, & paulatim crescit claritate, donec ad perfectum pertingat diem, ubi ultimam suam consequitur perfectionem, neque ultra progredi, aut crescere valet. Talis est semita, & via justi, qui tam formosissimus Soli nascitur in mundo, ut eum radiis suæ claritatis illustret, ejusque tenebras dispellat, juxta illud S. Pauli dictum sæpius repetitum, ubi Sanctos lumina, seu lucernas mundi appellat: *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*; & tam impigro, & indefesso labore suũ prosequitur, & continuat iter, ut ea, quæ retro sunt, obliviscens, semper ad anteriora se extendat; & hæc est summa justitiæ illius perfectio, ut continuo novitate quadam, de claritate in claritatem sese transformet, & jugiter de bono in melius progrediatur, donec pertingat ad culmen, & ad summum perveniat fastigium perfectionis, quam assequi potest: *Crescit usque ad perfectum diem*. Mutationes quidem, subit lux Solis, sed omnibus illis semper in melius commutatur.

Prov. 4. v. 18.

Vitriacus Serm. 2. de Septuages.

Ad Philip. 2. v. 15.

3. Hujus genii, & indolis cupit Deus esse servos suos, ut singulis horis, & momentis suas renovent devotiones, & instaurent fervoris desideria. Magna dignum observatione judicavit Gilbertus Abbas vaticium illud Evangelici Prophetæ, dicentis: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Difficile videtur, inquit devotus Abbas, quod confidẽtes in Domino, mutent fortitudinem. Si namq; diceret Isaias, quod desperantes de Domini bonitate, mutarentur, facilis esset intellectu ejus sententia, verum, quod dicat, justos, sperantes in Domino, mutare fortitudinem, prorsus à ratione alienum videtur, quia effectus spei, & confidentiæ sunt constantia, & fortitudo, ideoque ille erit magis fortis, qui fuerit magis confidens. Ita sane est, inquit Gilbertus, sed recte intelligendus est Textus Evangelici Prophetæ: *Mutabunt fortitudinem, non quidem ut veterem perdant, sed ut novam adiiciant. Mutabunt fortitudinem instauratis incrementis, qui senescentem devotionem, & quodam languentem tædio in novum denuo fervorem reducunt, & perseverantiæ fastidia nesciunt reparatione frequenti.* Noluit dicere Isaias, sperantes in Domino perdituros pristinam fortitudinem, sed semper anhelaturos ad renovationem illius. Non erunt contenti rudioribus, ac primis virtutum suarum exercitiis, sed jugi innovatione, sine fatigationis defectu, de bono in melius current, & fortitudinem suam mutabunt; & hæc est mutatio justorum, quam Isaias prædixit.

Isaiæ 40. v. 31.

Gilbert. Serm. 14. in Cantica.

3. Curiose scrutatur Abbas Rupertus, quomodo intelligenda sint verba illa Geneseos: *Requievit Deus ab universo opere, quod patrarat*, cum his contradicat authoritas S. Pauli ad Corinthios, ubi dicit Deum novas efficere creaturas: *Si qua ergo in Christo nova creatura; vetera transierunt*? Si novum datur opus Creatoris, qui ergo quievit ab omni opere? Vrgens apparet difficultas, sed facili negotio eam enodat devotissimus Abbas, hisce verbis: *Etsi cessavit Pater, cujus erat propriũ, condere rerum naturam; non cessavit Spiritus sanctus, cujus est opus proprium, meliorare naturam*; id est, quamquam verum sit, Patrem æternum ultimam apposuisse manum operi creationis, & de cætero cessasse à novis creaturis producendis; non quievisse tamen Spiritum sanctum à perficiendis illis, quia proprium illius munus est, eas excolere, & meliores facere; & hoc satis est, ut dici queat, novas producere creaturas. Itaque continuum opus, & studium Spiritus sancti est, perficere, & promovere hominem de bono in melius, ut hoc pacto ipse homo discat mutari exemplo Dei sui in perficienda anima, & mutanda, juxta sensum supradictum, fortitudine sua, quia in hac jugi renovatione spiritus, & continuo progressu, tota ejus perfectio consistit.

Gen. 2. v. 2.

2. Cor. 5. v. 17.

Rupert. lib. 1 de operib. Spirit. sanct. c. 2.

4. Aliũ insignem locũ adnotavi in eodẽ Ruperto Abbate, qui supra modũ considerationis nostræ

stræ scopum confirmat. Quando Angelus voluit ostendere Sancto Ioanni Discipulorum dilectissimo Ecclesiam Christi Domini Sponsam, ait, Angelum sibi dixisse: *Veni, ostendam tibi Sponsam, uxorem Agni.* Ecquis modus loquendi adeò peregrinus, & novus? inquit Tuitiensis, sponsa, & uxor sunt duo valdè diversa, quia sponsa, propriè loquendo, vocatur uxor primis illis diebus, quibus sponsalia, seu festa nuptialia celebrantur, sive sponsa dicitur quamdiu nuptiales epulæ durant, verùm uxor propriè appellatur, quæ transactis illis iucunditatis, & lætitiæ diebus, adhæret marito, & iam plurimis annis in matrimonio perseveravit: ita ut, quæ in principio est sponsa, successu temporis fit uxor. Qui igitur Angelus cælestis Sponsam Dei, hoc est, congregationem fidelium, indigitat sponsam, & simul etiam uxorem? *Quare utrumque dixit, & Sponsam & uxorem Agni?* Accipite admirabilem eius responsionem: *Videlicet, quia etiam illic iã uxor erit, Sponsa nihilominus permanebit: quia nimirùm in illa beata copula semper uxor cũ filiis semper Sponsa erit permanentibus nuptiis, & spõsalibus festis.* Ac si diceret, lõgè diversa sunt spõsalia animæ cum Deo, ab humanis nuptiis, quia hæ cum primis epulis, & festis terminantur, & amor, qui priùs fervebat, paulatim languescit, postquam enim sponsa fit uxor, propter familiare cum marito contubernium, ita veterascit, & tepescit coniugalis amor, ut postea omninò alii, & dissimiles videantur. Cæterum non ita contingit inter Ecclesiam, seu animam, & ipsum Agnum eius Sponsum, cui indissolubili amoris vinculo illigatur; quia tam ferventi devotione eum diligit, veneratur, & adorat, ut cum vetustate uxoris, novitatem Sponsæ conservet. Non flaccessit amor tempore, neque novit perseverantiæ fastidia frequenti reparatione; imò tam ardenti charitate eum prosequitur, quasi nunc eum diligere inciperet, ita ferventer eum amat, quasi iam noviter sponsa foret. Numquam lassatur in eius obsequio, sed continuò crescit de virtute in virtutem, sẽper mutans, & instaurans fortitudinem, & sicuti claritas Solis procedit, donec ad perfectum veniat diem.

Apoc. 21. v. 9.

Rupert. lib. 12. in Apocal.

5 Scopus, & intentum parabolæ illius servi vigilantis, est, quòd Deus volens omnes salvos fieri, & neminem perire, hortetur, & admoneat omnes, quã summè necessarium sit ab omnibus se expedire obstaculis, ad assequendum tam eminens, & supremum bonum, quàmque necessaria sit vigilans attentio mentis, ne nos imparatos, & incurios mors præoccupet: *Beati servi illi,* inquit Salvator noster, *quos, cũ venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Sive hoc fuerit in prima, secunda, vel tertia vigilia, & sic de cæteris vigiliis. Doctissimus Cardin. Toletus enucleans hunc locũ, observat Iudæos pro more habuisse noctẽ in quatuor vigilias, & singulas vigilias in tres horas distribuere: *Erat apud Hebræos nox distincta in vigilias quatuor, singulaq; tres horas cõtinebant.* Estq; nox congruentissima figura, & symbolũ vitæ nostræ, propter obscuritatem Fidei, quam profitemur; *Per quod vitæ tempus designatur, tẽpus enim præsens nocti cõparatur, quia Fide, quæ obscura notitia est ambulamus.* Et quamvis Euangelium solummodò duarũ vigiliarum fecerit mentionem, de omnibus tamẽ pariformiter est intelligendum, quia in una earum, nimirum in una ætate, vitæ nostræ, per vigiliam, designata, inopinata adveniet mors, & nescimus quænam sit hæc futura, quapropter incessanter soletti vigilia excubandũ est: *Quod dicitur de his duabus vigiliis, idẽ de aliis intelligi voluit, incertitudo autẽ mortis perpetuam, & indesinentem vigiliam toto tempore vitæ postulat.* Hactenùs perpulchrè eminentissimus Cardinalis; verùm altius quidpiam premo in his verbis, quòd licèt in vigiliis, quas solent stationarii milites agere, singulæ suam habeant determinatam horam, eaque peracta, altero succedente, primus ad quietem redeat; in excubiis tamen cœli, utpotè altioris ordinis, longè alius est usus, & praxis quia singulis horis & indesinenter vult Dominus servos suos vigilare, neque indulget, ut interpolatis horis, quietem capiant, neque consentit, ut stationes mutentur, sed præcipit ut ipsimet ab una ad aliam vigiliam, stationem, seu excubias instaurent. & renovent, & solummodò jugiter, & cõtinuò vigilantibus coronam promittit. Argumentum evidens ad confirmandam veritatem considerationis nostræ, purà, mutari de bono in melius, uti Sol in cursu claritatis suæ progreditur, non esse defectum, sed perfectionis incrementum: *Vos estis lux, &c.*

Lucæ 12. v. 37.

Toletus hic.

Non tantùm emineret Antonius sanctitate, nisi etiam suas mutaret, & innovaret vocationes. Describens Guerricus Abbas ineffabilem Verbi divini incarnationem in utero sacratissimæ Virginis, ad complendam prænuntia- 6

Luc. 1. v. 31. tionem Angeli Gabrielis: *Ecce concipies in utero &c.* protulit verba quædam, quæ dum primò legi, fateor ingenue, anxius hæsi, nec emphasim illorum intellexi: *In utero sic est, quasi non sit: sic omnipotens eius virtus vacat, quasi nihil possit*; *Guerric. serm. 3. de Annunt.* id est, toto illo tempore, quo Verbum æternum delitescit, in visceribus virgineis B. Mariæ, adest ibi, quasi non esset, ejusque omnipotens virtus, adeò otiosa est ibi, quasi nihil omninò posset. Reverà voces illę prima frõte videntur malè sonantes, & gravi censura digeæ, nisi ipsemet Abbas occasionem scrupuli auferret, & mentem suam explicaret: *Verbum æternum sub silentio se premit.* Non prædicat, non vociferatur, neque monet ut peccatores se per emendationem convertant, & justi de bono in melius proficiant, & tametsi ibidem sit repletus virtutibus & donis cœlestibus, judicat tamen contemplativus Abbas eũ ibi existere, ac si non foret: induit habitum in illo sacro Conventu: *Habitu inventus ut homo*, sed tam arctã ibi observat clausuram & silentium, ut quamvis ibi commoretur, quasi ibidem præsens non foret. Dicite amabo, ecquod motivum habuit Sanctus Abbas ad proferendam sententiam prima fronte adeo duram rigidam & exoticam? Recordabatur Christum Dominum esse lucem, & lucernam, quam Pater æternus accendit ad illuminandum & inflammandum Orbem universum: *Dedi te in lucem gentium*, dixit *Isaiæ 49. v. 6.* Isaias: *Lucerna pedibus meis Verbum tuum*, ait *Psal 118. v. 105.* regius Psaltes, & Zacharias in Cantico suo: *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* *Luc. 1. v. 79.* Venerat Salvator, ut esset lux seu lucerna illuminans omnes, qui in tenebris ignorantiæ versarentur, usque eos salvos & incolumes duceret ad portum salutis, quamdiu autem non se communicat, diffundit, & explicat radios suos, meditatur eum devotissimus Abbas quasi nobiscum non existeret. Ad rem ergo voluit Deus facere Antonium Sanctum omni exceptione majorem, Sanctum, non quomodocumque, sed supereminentem, qui omnibus præcelleret: ideòque inspiravit ei ut Religionem mutaret, quia in Ordine Canonicorum Regularũ S. Augustini, ubi perpetua voveretur clausura, fuit, quasi non esset, quia Ordo ille tantum privato & proprio studet profectui. Transeat igitur Antonius ad Religionem S. Francisci, cujus alumni non contenti propria salute avido conatu etiam proximorum insudant bono, & saluti in signum majoris & ardentioris suæ charitatis, quæ non contenta proprio commodo & utilitate, cæterorum etiam profectum & salutem procurat.

7. Inter benedictiones, quas Moyses filiis Iacob in Tribubus (quarum illi fuerunt primates) impertivit, una fuit, qua benedixit Zabulon & Issachar: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.* *Deuteron. 33. v. 18.* lætare tu Zabulon dum egredieris, & tu Issachar, quando in domo tua commoratus fueris. Alibi ad aliud intentum expendimus has benedictiones cum doctissimo nostro Oleastro, diximusque tunc singulas Tribus diversam fuisse secutam vivendi normam & regulam; quamquàm uniuscujusque Tribus sanctum fuerit exercitium, una se totam impendẽte contemplationi, & altera vitæ activæ. Ad Tractatum Assumptionis B. M. V. curiosum remitto lectorem. At nunc operosius examinemus cum Cardinali Vitriaco mysticam hanc connexionem quam Moyses fecit Zabulon cum Issachar, supponendo, quod ex illis duobus componatur unus justus omnibus numeris perfectus, miro artificio cõjungit vitam contemplativam Issachar cum vita activa Zabulonis. Et tunc dicit ipsum posse gloriari, quando non amplius sibi soli studet, neque inter domesticos hæret parietes, sed egreditur, ad docendum & tradendum alijs contemplata, eosque ad veram Dei notitiam pertrahendum. Lætari debet Zabulon, quando alijs Christi fidem persuadet, monetque eos, ut sacrificia justitiæ illi offerant, ejusque vestigiis inhæreant, & omnes unanimi contentione ad summum perfectionis gradum aspirent, hoc sonat: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis, lætantur autem Sancti in exitu suo, id est in operis exercitio dum ea, quæ habent in mente exterius ostendunt in voce vel opere, ut per eos Deus glorificetur.* *Vitriac. Dom 5. post Pascha, Serm. 1.* Egrediatur igitur & prodeat Sanctus Antonius ex Seminario Vlissiponensi, & ingrediatur Ordinem Magni Patris S. Augustini, & videns corpora sanctorum Martyrum Fratrum Minorum, qui paulò ante apud Marrochium pro Christi fide passi fuerant, transeat & migret cupidus Martyrii, ad Ordinem Seraphicum S. Francisci, neque enim vituperandæ sunt similes mutationes, quia non defectus, sed dispositiones sunt quibus à cœlo ad illustrius Sanctitatis genus, sive ad eminentiorem perfectionis gradum provocatur & promovetur: *Lætare Zabulon*

Zabulon in exitu tuo, dum egredieris. Vade fili, in nomine Domini (dicebat ei quidam Religiosus Conventus S. Crucis Conimbricensis, unde exibat) quia magnus es futurus Sanctus. Cui Antonius, ô Pater mi, si ita fuerit, immensas redde Deo gratias. Felix, & fortunatus fuit exitus S. Antonii ex quo tot, tantaque promanarunt bona, quantumcumque humanum arbitrium sinistre similes judicet mutationes, Deus tamen illas ad finem altiorem ordinat, ipseque zelus honoris Dei, & salus animarum est causa motiva illarum. Et quod videtur inconstantia, est fortitudo, aut, ut apertius loquar, est mutatio, est melioratio illius: *Mutabunt fortitudinem*, quemadmodum prædixerat Isaias.

8. Argute indagat doctissimus Abulensis, quam ob causam Rex David toties inierit matrimonium, aut quare Rex adeo prudens, & pius toties ad novas transierit nuptias? Saltem trium uxorum ipsius meminit sacra Historia, quarum nomina sunt Michol, Abigail, & Bersabea. Qui ergo, tantus Dei servus, & cultor, animum suum inducere potuit ad amorem tot mulierum? Revera non bene audit apud mundum homo, qui toties ad novas transilit nuptias. Non mereretur Regius Vates notam Censuræ, sed dignus est insignibus, & maximis elogiis, inquit præfatus Author, quia licet plures admiserit uxores, sancta tamen fuit ejus intentio. Et quæ, quæso, fuit illa? *Ex desiderio prolis ad cultum divinum, & multiplicandum populum Dei.* (Abulens. 2. Reg. 9.) Non carnis illecebræ, aut conjugalis voluptas eum ad iterandum matrimonium impulerunt, sed zelus honoris Dei, ejusque cultus promotio, & augmentum. Et tametsi plures optaverit habere filios, eos non nisi ingenuos Dei cultores desideravit, ut ex illis multiplicaretur populus Dei, ejusque cultus mirum in modum propagaretur. Pari modo Philosophandum est in sponsalibus, & nuptiis spiritualibus S. Antonii: hodie unam accipit Sponsam Collegium, seu Seminarium, deinde alteram amplectitur Ordinem S. Augustini, & tandem paullo post assumit habitum, & statum Religionis Seraphicæ & hoc clarissimum est argumentum, & manifesta probatio consummatæ virtutis, & perfectæ charitatis ipsius quia non uno solummodo, sed multis studuit prodesse omnibus, & plures excogitavit adinventiones, & media, quibus finem præceptum assequeretur, & obtineret.

Arcam Testamenti appellavit summus Pontifex Gregorius IX. Sanctum nostrum, audiens eum concionantem. 9. Plurima, eaque curiosa, solent super hac re proferre Evangelici Oratores: ego autem pro coronide hujus discursus, dicam, quod sentio. Ad hoc autem operæ pretium est recurrere ad librum Exodi, ubi Deus præcipiens Moysi fabricam Arcæ, adjecit hæc sequentia: *Deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris, faciesque coronam auream per circuitum.* (Exodi 25. v. 24.) Familiare est sacris Interpretibus, Arcam Testamenti esse symbolum Doctorum, & singulariter id adnotavit doctissimus Origenes hisce verbis: *Illi, quibus arcana mysteria tradidit Deus, & occultorum providentia sua judiciorum secreta commisit; Arca testamenti Dei appellantur.* (Orig. hom. 5. super c. 4. Numer.) Posita hac explicatione, altius mysterium contemplor in illis, & ad hoc singulariter expendo Arcã intus, & foris fuisse auro puro, & mundo deauratam, & insuper illam circũquaq; fuisse exornatam aurea corona. Aurũ, secundũ opinionem S. Bernardi, esse symbolũ sapientiæ: *Aurum sapientia est*; & simul etiã charitatis, juxta illud Apostoli S. Ioannis: *Suadeo tibi emere aurum ignitum*; (D. Bern. Serm. 62. in Cant. Apoc. 3. v. 18.) ex his igitur haud difficulter intelligitur illud: *Inaurabis eam auro mundissimo intus, & foris.* Tamquam diceret Dominus; minister, & servus meus non solum debet habere habitum scientiæ in intellectu, & charitatis in voluntate, quia totum hoc foret parvi momenti, sicut thesaurus absconditus, de quo eleganter Sapiens: *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* (Eccl. 20. v. 32.) Non sufficit illum esse intus deauratum, id est, animam habere recte cum Deo compositam, *intus*, nisi etiam prodeat in publicum, *foris*, & doceat, instruatque Christianum, quid facere debeat, ut Deo rite serviat, & mandata ejus observet. Et illi, qui ad hunc modum suæ satisfecerit obligationi & contra astutias diaboli viriliter certaverit, ex justitia, tamquã triumphatori, corona debetur. O divine Antoni! Arcam Testamenti te appellat summus Christi in terris Vicarius; & merito quidem, quia si hæc, uti diximus, est symbolum perfecti ministri Evangelici, & Doctoris Christiani, qui interius, & exterius est vestitus, & circumdatus charitate, nulli potius, quam tibi, debetur laurea victoris, quia charitas undequaque fuit suprema, neq; alius quispiam, te gloriosiores reportavit de inferno victorias, neque plures animas ex tenebris errorum, ad lucem,

claritatem indeficientem religionis Catholicæ perduxit Tu te veram lucem Evangelicam comprobasti, & per universum terrarum orbem radios tuæ vitæ & doctrinæ explicuisti, ut numerus Fidelium augeretur, & catalogus justorum multiplicaretur, hocque unicum fuit studium tuum, ut non solus sed plures tecum Sancti efficerentur. Hic unicus fuit tuarum mutationum scopus, imitans exemplum lucis usque ad perfectum diem crescentis: *Vos estis lux mundi &c.*

Vos estis lux mundi, &c.

CONSIDERATIO III.

Est S. Antonius æmulus Angelorum, & compatit cum beata Virgine, & ipsimet Filio Dei, cum gestans manibus suis maximè assimilatur.

RЕctè memini, quod quando Dei majestas voluit populum Israëliticum singularibus beneficijs sibi obstringere & devincire, dando ei legẽ & cæremonias, præceperit Moysi, ut ad montem ascenderet, & quod protinus descenderit nubes è cælis, eumque veluti umbraculum per sex dies obtexerit, usque ad septimum diem, quo Deus è caliginosa & densa obscuritate illum vocavit: *Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eũ Dominus de medio caliginis.* Premit magno ingenij acumine insignis Lusitanus noster Oleaster abditam illam Dei occultationem cum Moyse, quod eum sex diebus nube obtexerit, ita ut nihil omninò intueri potuerit, & summopere admiratur tam peregrinam novitatem, cùm in pluribus locis sacra Scriptura Deum nobis in igne, flammis & splendoribus Solis depingat: *In Sole posuit tabernaculum suum, Ignis ante ipsum præcedet.* Et alius Propheta: *Splendor eius ut lux erit.* Si enim Deus totus est lux, & splendor, quare modo totus caligo, & obscuritas? Et hoc quidem cum Moyse amicissimo suo; Ecquæ causa tantæ aversationis & austeritatis cum fidelissimo servo suo, talem enim fuisse Moysen cum Deo, sæpius sacer Textus attestatur. Ecce quæstionem bellè propositam, sed attendite responsionem ejus non minus disertam, & prudentem: *Voluit Dominus*, inquit magnus Doctor, *ad septem dies eum in monte expectare, ne ex familiaritate superbiret.* Est homo suapte natura adeò arrogans & ta[...]erbus, ut si ad libitum suum potiretur rebus divinis, Deique frueretur familiaritate, facili negotio posset superbus præsumere, sibique gratuita, veluti jure debita, adscribere. Et ut agnoscat Moyses hanc vitam esse peregrinationem, & familiaritatem cum Deo valdè singularem, ejusque favores subjectos esse vicissitudini & mutationi, & ideò valdè prudenter & pedetentim pergat ad videndum Deum, & advertat, quod licet ex una parte eum vocat: *Vocavit eum Dominus*, nihilominus ex alia eum removet & retardat ad sex dies: *tegens illum nube sex diebus.* Hoc modo Deus suos favores & aspectum communicabat.

Exod. 24. v. 15. & 16.

Psal. 18. v. 5.

Psal. 96. v. 3.

Habacuc 3. v. 4.

Hanc cautelam observavit Deus in dandis favoribus, & elargiendis beneficiis suis in lege antiqua, etiam cum amicissimis servis suis, ast in lege gratiæ majori cum fiducia egit cum amicis suis, eisque familiarioris amoris indicia, & signa exhibuit, & præsertim dilectissimo suo Antonio, descendens ex alto cœli mõte, non una, sed crebris & iteratis vicibus eum visitans, seque cum illo recreans, & oblectans nullatenus timens, quod favores superni & cœlestes illi obessent, quemadmodum in Moyse reformidabat, argumentum manifestũ, hunc Sanctum esse adeò alienum ab omni humano affectu & passione; ut etiam qua viator est, nullas videatur admittere peregrinas impressiones, Tam firma & solida est humilitas Antonii, ut quamvis sæpissimè Dei fruatur aspectu & alloquio, cumque suavissimis amplexibus dulciter exosculetur, nequaquàm tamen sit ideò insolenter aliquid sibi arrogaturus, quocircà forsitan Deus illum in thronum requiei suæ elegit. Quando Dominus Deus creavit cœlum, legimus illud duo habuisse nomina, in ipsa creatione fuit, *Firmamentum*, ea verò peracta, videtur primum illud nomen displicuisse Deo: *Vocavit Deus firmamentum cœlum.* Ecquare ita? Ex ipsa nimirum significatione colligitur ratio, qua juxta observationem doctissimi Oleastri, *firmamentum* idem sonat, quod extensio, *vocavit extensionem cælum*, quia reverà, quando Deus illud creavit, extendit massam illam, seu materiem, fecitque Orbes extensissimos, qui amplitudine sua, universum mundi ambitum complectuntur. Ait igitur Deus ô cœlũ, creatura adeò pulchra, & for-

Gen. 1. v. 8.

Oleaster hic.

& formosa, in quo ego commorabor, & requiescam: *Cœlum sedes mea.* Nolo ut nomen istud retineas, quia vanum, & suspectum est esse enim adeò extensum, & ambire totum mundum, est nomen redolens vanitatem, & occasionem præbens superbiæ. Et quid, *cœlum*, Domine? Hoc, inquit Stephanus Cantuariensis, denotat occultare, & abscondere, estque nomen proprium humilitatis, quæ latebras quærit, & gloriam operum suorum occultat, & abscondit, ne ab hominibus videantur. Tale est cœlũ in bonis, quæ continet, tametsi enim amplum, & grande appareat, & sese per orbem terræ extendat, non tamen ostentat id quod in se complectitur, nos namque unum videmus cœlum, & tamen decem sunt sphæræ, præter undecimum, quod est Beatorum. Insuper plures conspicimus stellas in cœlis, nullatenus tamen earum magnitudinem, & multitudinem intuemur; quia innumeræ sunt, & à primo cœlo sursum plura sunt videnda, quàm ea, quæ deorsum nos visu nostro attingimus, aut percipimus. Ne itaque voceris firmamentum, sed cœlum nuncuperis, quia plus contines, quàm manifestes, in quo verè es symbolũ justi, qui in eo est totus cœlestis, quia abscondit splẽdorem virtutum suarum, quas possidet, inquit Cantuariensis, ideoq; etiam dignus est, ut Deus in illo habitet, & commoretur: *Quia mens justi, quæ per bona opera firmamentum est, cœlum dicitur, quia est sculpta floribus, & conscientia gloriam celat.* Duo nomina habuit noster Sanctus, primum Ferdinandi, dum esset Canonicus Regularis, vel Don Hernando, ita enim solent apellari Religiosi in illo Ordine, nomen vere significativum, ostentationis, & magnitudinis: ast dicit Deus, nolo te hoc nomine deinceps indigitari, quod sonat extensionẽ, sed nomine Antonii illius celeberrimi Anachoretæ, qui cùm esset excellens meritis, profundam tamen semper servavit humilitatem: quia elegi te in habitationem meam, æquum est, & unicè necessarium, ut sis cœlum, & propriam occultes gloriam, & hocce modo capax, & dignus eris me tuis amplecti ulnis, quia humilitas est requies mea.

Stephan. Cantuar. apud Arbor. vita Concio. nat.

3. Nisi velimus addere, quod Angelica puritas Sancti nostri, illi tam singularem promeruerit favorem, & prærogativam. Vaticinabatur regius Propheta de gloriosa, & admirabili Ascensione Salvatoris nostri Iesu Christi, & describens, & quasi digito demonstrans locum, in quo sacra illius humanitas requievit, in hæc verba effatur: *Ascendit super Cherubim*, qui sunt quodammodo suppedaneum illius. Suppono hic cum Doctore Angelico S. Thoma, & cæteris Theologis, supremam Hierarchiam cœlestium Spirituum, ex tribus constare choris, nimirùm Seraphim, Cherubim, & Thronis, super quorum capita (loquamur nostro idiomate rustico, & agresti,) sedit Filius Dei Christus Iesu *Ascendit super Cherubim.* Restat nũc sciendum, quæ, & quales sint illæ substantiæ in quibus moratur mundi Redemptor? O quã Sancti à primo instanti suæ creationis! Et reverà hoc plusquam æquum videtur, ut hoc ipso, quòd præbent habitaculum, & locum quietis dulcissimo Iesu, habentque secum ipsum Dei Filium, ab ipso primo suæ creationis instãti sint divinarum virtutum illius vivum exemplar. Non hæc mea est excogitatio, sed summi illius Theologi Dionysii Areopagitæ, in hisce disertissimis verbis: *Iesu fœlicissima societate dignatas intelligendum est, non quòd ex fictis imaginibus ac formis illã Deificã similitudinem nitantur exprimere, sed quòd veraciter in primo participatione scientia, Deificorũ ipsius luminũ illi propinqua sint, ac præterea communicant (quantum par est) in prima conditionis suæ*, supple participatione, *Deificis ipsius benignissimisq́; virtutibus.* Tamquàm diceret inclytus Martyr; Substantiæ ad hoc creatæ ut in illis habitet, & resideat Iesus, atque sint dignæ habitationes, in quibus commoretur, & repertatur Filius Dei, non possunt non esse exemplar justitiæ originalis, in qua ipse Dominus, quatenus homo, fuit conceptus. Non videtur possibile, ô Cherubim incarnate, Antoni divine, quin creatus à Deo, & fabricatus, ut esses digna commoratio, & receptaculum Iesu, non expresseris in te Deificas illius virtutes, & gratias: *in prima conditionis participatione.* Non audebo dicere, quòd à primo instanti conditionis tuæ, sed ab illo temporis momento, in quo placuit suæ divinæ Maiestati; valdè enim conforme est illius genio, & indoli accommodare se illi, qui eum recipit, & idcircò fundamentum habemus ad affirmandum puritatem tuã esse æmulam puritatis Angelorum, seu spirituum beatorum.

Psal. 7. v. 12.

D. Dionys. Areop. pag. de cœlesti Hierarch. c. 7.

4. Parùm dixi, audacter addo (absque hyperbole) videns Sanctum nostrum jam ipsius Dei thronum effectum, ipsum quodammodò competere cum ipsa Virgine Sanctissima Matre

Matre ipsius Dei. Protulit Guerricus Abbas insignia, & præclara quædam verba, disserens de admirabili, & gloriosa Assumptione B. Virginis, ex quibus rectè enucleatis, eliciemus egregiam instituti nostri confirmationem. Extollit hic Doctor, & summis laudibus effert supremam gloriam gloriosissimæ Virginis, eàque colligit ex copiosiori plenitudine, & intimiori familiaritate, qua Filius eius profusa quadam largitate se illi communicavit, eligens eum in reclinatorium, & sedem quietis suæ: *Matri vero cuius longe differens est meritum, nihilominus differens promittitur præmium. Ponam in te thronum meum. Parum est, inquit, si indicanti consedeas, nisi, & ipsa mihi sedes fias, ut Maiestatem regnantis, & fœlicius, quò familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio, continebis immensum in animo, fuisti diversorium peregrinantis, eris palatium regnantis, &c.* Alludunt hæc verba ad duo loca sacræ Scripturæ, unum veteris, & alterum novi Testamenti. Primus habetur in Psalmo, Ubi Regius Vates Deiparam Virginem Thronum filij Dei incogitat: *Thronus eius sicut dies cœli. Thronus eius testis in cœlo fidelis.* Secundus autem continetur in Evangelio S. Matthæi, ubi Salvator noster pollicens paupertati, cæterisque Apostolorum virtutibus præmium æternæ gloriæ, eis sedes in Regno cœlesti repromittit: *In regeneratione, cùm sederit Filius hominis, sedebitis & vos super sedes duodecim.* Longè diversa sunt præmia S. Virginis, & Apostolorum, sicut etiam dispaia sunt eorum merita: atque ideo licèt Apostolis sedes promittat in Regno cœlorum, Beatam Virginem in thronum suum elegit. Quasi diceret, parum foret, ô Mater mea, si cum discipulis meis in die judicii tantummodò mihi judicaturo consederes, nisi etiam sedes, & thronus fieres in quo ego requiescerem, & modo possibili (quod nulli alteri creaturæ cōceditur) incomprehensibilem comprehenderes. Ponit Guerricus Abbas differentiam inter gloriam Apostolorum, & sacratissimæ Virginis Mariæ, & insinuat in illo, *sedebitis*, quòd sicuti sedes continet, ambit, & comprehendit sedentem in illa, ut locus locatum, ita pari modo, tametsi illis magnam contulerit gloriam, non tamen tantam, quam illi comprehenderent, sed quæ potius illos ambiret, & circumscriberet: & hoc denotat illud: *Sedebitis & vos super sedes duodecim*, quasi ipsæ sedes eos comprehendant. Verum huic supremæ Angelorum Reginæ promittit, quòd erit sedes & thronus: *Ponam in te thronum meum*, ad distinguendam gloriam eius a gloria cæterorum Sanctorum, tamquam si diceret, quod visio eius beatifica, & intellectus finitus, sive limitatus, æmularetū divinum, quo Deus seipsum comprehendit. Argumentum evidens, & manifesta confirmatio excellentiæ, & præstantiæ meritorum huius supernæ Dominæ ac Virginis, Davide attestante: *Testis in cœlo fidelis.*

Guerric. Serm. 1. de Assumpt. B. V.

Psal. 81. v. 30. & 38.

Matth. 19. v. 28.

5\. Eodem igitur prorsùs modo, quo sanctissima Virgo æmulatur divinas perfectiones, competit etiam excellentia meritorum Antonii cum virtutibus sacratissimæ Virginis, quemadmodum enim hæc est thronus Dei in cœlis, ita etiam S. Antonius, cuiusque brachia fuerunt reclinatorium eius in terris, imò videtur S. Antonius quodam modo in singulari favore illi prælatus, & antepositus; quia id, quòd Virgo obtinet gloriosa in statu comprehensoris, ut nimirum sit thronus Filii sui in cœlis, hoc adipiscitur Antonius adhuc viator in terris. Et si hic brachia beatissimæ Virginis (ut dixit S. Epiphanius) extiterint Thronus Christi: *Appello te thronum, cœlumque Christi, expansis enim ulnis Deum gestabas*; hoc fuit, dum adhuc passibilis, & mortalis nobiscum conversaretur, ast verò S. Antonius fuit hoc singulari privilegio donatus, postquàm idem Dominus jam in cœlis gloriosus, & immortalis triumpharet. Curiosius investigat Angelicus Doctor S. Thomas rationem, ob quam in Bullis Pontificum Romanorum collocetur sanctus Paulus ad dexteram S. Petri? cum S. Petrus, uti Princeps, & caput Ecclesiæ, digniorem debeat occupare locum, neque illum, propter excellentiam sanctitatis, ullatenus demereatur. Et respondet appositè ad rem nostram Angelicus Præceptor: *Petrus quidem, qui electus fuit à Christo ad Apostolatum adhuc in carne passibili posito, ponitur ad sinistram: Paulus vero, qui assumptus fuit à Christo iam glorioso, ponitur ad dexteram.* Vultis scire, inquit Angelus noster Thomas cur S. Paulus præferatur S. Petro? Non aliam ob causam, quam, quia ille fuit assumptus à Christo iam regnante in cœlis ad Apostolatum, hic verò ab eodem quidem Christo, sed mortali, & in terris peregrinante, & hinc accrescit S. Paulo dignitas quæ

D. Epiphan. de laudibus Virgin.

D. Thom in Comment. in Epist. ad Galat.

quædam, propter quam, licèt in cæteris sit inferior Petro, illi tamen ad dexteram præponatur. In brachiis sanctissimæ suæ Matris requievit Christus adhuc egenus, incognitus, & peregrinus in mundo conversans, in ulnis autem Antonii, iam Angelis stipatus, & gloria circumamictus, vivens gloriosus in cælo, & hoc tantæ dignitatis, ut quamvis ei non contulerit primatum inter Sanctos Ecclesiæ suæ, sicut Matri suæ, saltem tantò eum condecoravit honore, ut sæpius descenderit è cœlis ad requiescendum in brachiis Antonii, pluris quodammodo æstimans hoc reclinatorium in terris, quam thronũ gloriæ, quem in cœlis occupabat.

6. Fuit S. Antonius, ut tandem concludam, in comparatione Christi, id, quod ipse Salvator, respectu Patris sui æterni. Allegoria quædam Ruperti Abbatis præbuit occasionem huic discursui nostro: *Requievit Deus die septimo ab universo opere, quod patrarat*, inquit sacer Historicus, id est, post fabricam totius creationis supersedit Deus ab omni opere, & quasi iam defatigatus, requievit die septimo, per hunc autem septimum diem intelligit præfatus Abbas, Christum Salvatorem nostrum, atque in eo patrem æternum à tot molestiis, & defatigationibus, quibus eum cæteri Adæ filii affecerant, feriatum fuisse, & quietem cœpisse. *Operatur namque in aliis diebus & antequã domus, vel mansio sua perficiatur, quasi laborat, unde, & lassabundus querelam depromit, laboravi, inquit, sustinens At verò solus hic dies ia est unicus filius qui inest in quo iustificãdo nihil laboravit.* Magno constitit labore ipsi Filio Dei iustificatio hominum, siquidem cum omnes essent peccatores, nullus illorum potuit suæ Maiestati præbere ferias, otium, aut quietem à laboribus: solus Filius nullas ei intulit molestias, quia cum natura sua esset immunis à culpa peccati, non egebat redemptione ad gratiam recipiendam, atque ita fuit in septimo die quietis paternæ præfiguratus. Fateor, non possumus quidem loqui de Antonio cum tanta similitudine, & puritate, verumtamen, quantum liquidò constat ex vita eius, piè credimus illum nullam incurrisse culpam mortalem, quapropter non est tantopere admirandum, quod Christus eum elegerit in diem festum quietis suæ, & quemadmodum ipse Christus fuit festus dies suo Patri, in quo requievit, quia vidit eum incapacem culpæ, & peccati, ita etiam S. Antonius fuit dies festus, & quietis

Gen. 2 v. 2.

Rupertus lib. . in Gen. c. 13

Filio, crebris namque vicibus descendit ad visitandum eum, brachiis illius delectatus immorari, quam beneficii prærogativam summa puritas mentis, vitæque integritas ei dignè promeruit, quamvis enim maximam partem illius inter infideles consumpserit, totum sese illis instruendis, & convertendis impendens, nullam tamen maculam aut labem ex eorum societate, aut contubernio contraxit, quæ munditiam vitæ illius inficere potuisset. Neque hoc etiam mirum, quia cum lux esset, illius indolem, & naturam participabat, & quemadmodum hæc etiam sordida pertransiens loca terræ, non commaculatur: ita etiam Antonius, communicans, & convivens peccatoribus, & infidelibus, neque sordescit, neque peccatis eorum aut erroribus inquinatur: quia, sicut dixit Christus: *Ego sum lux mundi*, pari modo S. Ecclesia accommodat S. Antonio id, quod Christus Dominus Apostolis suis dixit: *Vos estis lux mundi.*

Vos estis lux mundi,

Consideratio. IV.

In dono, & gratia patrandi miracula, fuit S. Antonius similimus Christo, & insignia, cum quibus eum depingit S. Mater Ecclesia, secu_ram nobis spondent, & promittunt eius intercessionem.

Tantæ virtutis, & potentiæ fuit S. Antonius in patrandis miraculis, ut Vice Deus existeret in terris, cui omnes creaturæ, creaturæ Universi promptam videntur iurasse, seu vovisse, obedientiam. Vita, mors, ægritudo, sanitas, cœlum, terra, mare, cæteræque res creatæ ab eius nutu pendebant, & vocem eius expectabant, cuius imperio protinus celeres parerent, & obtemperarent. Et quod singulariter animadverto in miraculis S. Antonij, est, quòd in modo ea faciendi quoddam Deitatis specimen exhiberet. Insigni acumine ingenii expendit Sanctum Cyrillus modum, quo Christus Dominus Spiritum S. Apostolis suis inspiravit, & communicavit: *insufflavit & dixit eis: accipite Spiritum sanctum.* Admirabile, & ingens mysterium, inquit S. Doctor, quòd Spiritus S. spiraculo Christi involutus, pertranseat ad corda Apostolorum. Et quorsum hæc Deus ita disposuit: *Ut ostenderet esse eundem, qui à principio homini* 1.

Ioan. 20. v. 22.

D. Cyril. lib. 12. c. 51. apud Tolet. annot. 18. D. Athanas. ad Ant. q. 64. citat. ibid.

homini animam insufflando dedit, iuxta illud: *inspiravit in faciem eius piraculū vitæ*. Et eidem explicationi suffragatur S. Athanasius, qui licèt diversis verbis, eumdem tamen S. Cyrilli exprimit conceptum: *Insufflando enim dedit animam, quæ est principium vitæ temporalis: insufflando etiam dat Spiritum S. qui est principiū vitæ spiritualis, ut idem, qui fuit creator, cognoscatur recreator, & Redemptor*. Quasi diceret: noverat Christus Dominus, & præsciebat quosdam homines futuros adeò protervos, circa fidem Incarnationis suæ, ut etiam unitatē personæ suæ in utraque natura in dubiū vocare præsumerent, judicantes diversum esse suppositum Verbi æterni, in natura divina, ab illo, quo humanæ naturæ unitum subsistit. Præveniens igitur perspicacitate intellectus sui hunc errorem, voluit dudum ante stabilire, se esse eūdem, infundendo Spiritum sanctum cordibus Apostolorum spiraculo gratiæ suæ, qui eodem anhelitu suo, insufflando protoparenti vitā dederat, ac proinde, ut clarè, & evidenter agnoscatur idem esse, qui anteà, licèt alieno, & novo habitu velatus, insufflando tribuit homini vitam spiritualem, sicut anteà in principio eidem homini vitam corporalem communicaverat. Et si, quemadmodum ponderat S. Ambrosius, mysterium tribuendi vitā homini per faciem, *insufflavit in faciem eius*, in eo situ fuerit, quòd Deus hocce modo voluerit corroborare sensus hominis in illa residentes, ut inordinatis animi affectibus resistere posset, & ingruentes repellere tētationes: *Hinc intelligo quæ causa Dominus Deus insufflavit in faciem hominis, ibi enim sensus omnis, ibi sedes, atq; illecebra delectationis in oculis, auribus, naribus, atq; in ore, ut sensus nostros adversus delectationem fortiores faceret*. Fundamentum habemus, ut videntes Antonium spiraculo oris sui, & eisdem verbis, quibus Redemptor: *Accipe Spiritum S.* tribuere donum, & gratiam eiusdem Spiritus cuidam novitio, qua suggestioni dæmonis, suadentis illi egressum ex ordine, & Conventu resisteret, iure merito dicere possimus, illum non patrare miracula adinstar aliorum hominum, qui tantummodò sunt instrumenta Dei, sed adinstar ipsius Dei authoris naturæ, & gratiæ: liquidò namque constat ex sacra vitæ illius Historia, novitiū solo spiraculo oris illius fuisse confirmatum, & cunctas Satanæ tentationes superasse, & in sacro Ordine S. Francisci ad finē usque perseverasse. Liceat igitur nobis audacter proferre, Antonium in edendis miraculis non hominem fuisse, sed cuiusdam divinitatis specimen præbuisse.

D. Amb. lib. 6. Epist. 42.

Numquam æquis laudibus satis extollere possunt sacri Doctores portentosum illud Christi miraculum, dum ad solum fimbriæ vestimenti illius attactum, mulier illa, quæ plurimis annis laboraverat, & omnem substantiam suam in medicos erogaverat, à fluxu sanguinis curata, & pristinæ sanitati restituta fuit. Sistamus hic, & in memoriam revocemus, quòd Antonius, dando cappam, seu habitum suū cuidam novitio, eū à dæmone liberaverit, qui lascivis cogitationibus eū ad carnis, & venereas voluptates provocabat. Et conferendo utrum que rei eventum, videtur S. Antonius magis miraculosus, quàm ipsemet Christus: quia admirabilius est miraculum, sanare animam, quā corpus, & tantò pretiosior est sanitas, quantò periculosior fuit infirmitas: quapropter cum periculosior fuerit ægritudo, quā Antonius curavit, videtur miraculosior ipso Christo, utpotè qui excellentius curationis beneficium præstitit. Introducit Euangelicus Propheta Isaias Ecclesiam lætè exultantem, quia Sponsus eā tunica salutis vestiverat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentu salutis, & indumentu iustitiæ circūdedit me*. Gloriosus S. Hieronymus existimat per hoc vestimenti genus intelligendū esse gratiam baptismalem, per quam induimus Christum, veram animarum nostrarū salutem: *Quotquot enim in Christo baptizati sumus, induimur Christo, & habemus tunicam iustitiæ, atq; lætitiæ, qui factus est nobis sanctitas, iustitia, & redemptio*. Idem ergò prorsus præstat tunica, seu habitus S. Antonii, cum hac tamen differentia, quòd Christus taliter dederit Ecclesiæ suæ justitiam, ut tamen fomitem non ligaverit, aut propensionem ad peccatum non extinxerit, tunica verò Antonii tale novitio beneficium præstiterit; postquam enim illam induit (ut refert Historia) numquàm deinceps ullas libidinis faces, aut stimulos persensit, quasi attactus tam miraculosæ tunicæ, eum insensibilem, & penitus à jurisdictione peccati immunem reddidisset.

2.

Isa. 61. v. 10.

D. Hieron. hic.

Ecquis circa remissionem peccatorum miracula facere potest, nisi solus Deus? *Quis potest remittere peccata, nisi solus Deus?* Sed attendite, rem miram narrabo, quæ Sancto nostro contigisse refertur. Præcepit cuidam pœnitenti, ut peccata.

31. Lucæ. 5. v. 21.

peccata sua in papyro describeret, quæ Sanctus invisibili quadam spongia extersit, nam eo ipso, quò pœnitens ea confitebatur, paulatim delebantur, & ex charta evanescebant. Nonnè hæc sunt manifesta indicia Deitatis? Nolite mihi credere, sed audite S. Paulum idipsum de Christo Servatore nostro prædicantem: *Donās nobis omnia delicta, delens quod adversùs nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*; hoc est, tulit Christus chirographum decreti, quod dæmon adversùs genus humanum habebat propria illius manu signatum, & affigens illud arbori crucis, ita expunxit, & erasit, ut dæmon nullam habeat deinceps in nos jus, aut actionē, Deusque sit contentus solutione debiti sibi factâ, condonans omne æs alienum, quo illi homo erat obæratus, donansque apocham illius in ignominiosa arbore crucis. O quàm egregiè id meditatus est magnus Origenes, hæc verba Paulina exponens: *Istud quidem, quod dicit chirographum, & peccatorum nostrorum cautio fuit*. Perpulchrè, & propriè appellavit S. Paulus chirographum decreti (quod deletum fuit in cruce) adversùs hominem infinita virtute meritorum, & sanguinis Christi, ex vi enim præsētis justitiæ sufficientia erant peccata, ut æterna mulctaretur pœna, cui propter syngraphū proprium erat obstrictus: *Unusquisque enim nostrum, in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui litteras scribit*. simul enim ac quispiam nostrûm lethale committit peccatum, hoc ipso se æternæ pœnæ reum constituit, & quemadmodū inter homines à debitore solet dare schedulā creditori suo, qua se obæratū agnoscit, ut creditor debitum faciliùs exigere, & securiùs repetere valeat, eodem prorsus modo peccator mortalem admittens noxam, contrahit debitum, facitque nomen, & fatetur se coràm Deo pœnis inferni esse obnoxium. Decretum igitur illud, seu chirographum, in quo natura humana scripserat, & agnoverat debitum suum, expunxit Christus pretioso sanguine suo, & statim ac sanguis cœpit effundi, ipso facto cœpit chirographum illud etiam paulatim deleri, & extergi. Quod ergò sanguis Christi præstitit mundo, hoc merita Sancto Antonii operata sunt in illo pœnitente, cuius peccata in papyro descripta, veluti spongiâ quâdam erasērūt, & obliterarunt. Et quasi Antonius ipse foret offensus, & creditor, etiam condonavit delicta; tāti enim æstimavit Deus Antonium, ut eum in modo patrandi miracula, sibi similem esse voluerit.

Ad Coloss. 2. v. 14.

Origen. hom. 13. in Genes.

Dignoscere corda hominum, & secretissimas cordium cogitationes perlustrare, numquid proprium est solius Dei? Ecquis potuit discernere inter peccatores unum, qui futurus erat Sanctus, nisi S. Antonius? Soli Christo id concedimus, & post illum, Antonio. Notissima sunt illa urbanitatis signa, quibus tam comiter S. Antonius quēdam tabellionem, seu caussidicum sæpiùs obvium in plateis salutabat, & venerabatur. Res ita contigit; erat tabellio, seu rabula quidam in civitate, plusquam perditæ vitæ, hunc, quando Sanctus in plateis, aut etiam aliorum Converticulis offendebat, protinùs in genua procumbens, quasi melioris notæ hominem venerabatur, & suspiciebat. Rogatus autē sanctus vir, cur id obsequii genus, tali furcifero, aut nullius frugis homuncioni exhiberet, respondit: quia tota vita mea rogo Dominum, ut dignetur, mihi concedere occasionem moriendi pro fide, & tradendi vitam unà cum sanguine manibus tyrannorum, pro amore ipsius, & revelavit mihi Dominus, se tanti beneficii favorem tali reservasse. Legimus in principio Euangelicæ Historiæ S. Ioannis, Nathanaelem accessisse ad Christum, quem cū vidisset Iesus appropinquantem, de eo dixisse circūstantibus, ipsum esse verè Israelitam: *Vidit Iesus Nathanaelem venientem ad se, & dixit de eo: Ecce, verè Israelita, in quo dolus non est*. Audivit Natanael à Domino laudes suas prædicari, & interrogavit eum. *Unde me nosti?* A quo tempore, Domine, habes mei notitiā? Cui Dominus: *Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te*. Et ex hac cognitione collegit Nathanael per formalem consequentiam Christum esse Filium Dei: *Respondit ei Nathanael, & ait, Rabbi, tu es Filius Dei*. Indagant sacri Expositores, quæ, qualisvè fuerit hæc ficus, sub qua Dominus vidit Nathanaelem? & communiter respondent fuisse quamdam ficulneam illius loci, ubi tunc existebant: verùm ego, salva eorū venia, magis approbo explicationem magni Patris Sancti Augustini, qui firmiter credit Nathanaelem nequaquam sibi persuasisse Christum esse Filium Dei, quia viderat eum sub ficu illius terræ aut soli, ex hac namque coniectura quilibet homo purus poterat eum cognoscere ex visu, quocirca censet altius quidpiam intellexisse Nathanaelem: *In origine humani generis Adam, & Eva cum peccassent de foliis ficulneis succinctoria sibi fecerunt: folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autem Nathanael sub*

Ioann. 1. v. 47.

Ibid. v. 48.

Ibid. v. 49.

D. Aug. Tract. 7. in Ioann.

arbore fici, tamquam sub umbra mortis: Vidit eum Dominus, de quo dictum est, Isaia 9. *His qui sedebant in umbra mortis lumen ortum est.* Necesse est in hoc loco recurrere ad aliam ficulneam, sub qua se occultarunt Adam, & Eva post peccatum, ad nuditatem suam foliis illius obtegendam, sub cujus velamento, & umbra habitabant cum Adamo omnes posteri ejus, qui cum illo in tenebras peccati inciderunt. Ex quo miseriarum statu nullus potuit liberare, neque extrahere filios Adæ, neque eos illuminare ad exeundum ex illis tenebris, nisi ipsemet Deus. Et quia Christus Dominus dixit Nathanaëli, quod tunc eum viderat, & cognoverat: *Cum esses sub ficu vidi te*, intulit veluti legitimam consequentiam, talem notitiam non posse esse alterius, nisi Filii Dei: *Rabbi tu es Filius Dei.* Vidit S. Antonius inter plurimos tabelliones, & caussidicos congregatos (quorum plures non solent eminere sanctitate) unum ex illis maximum fore sanctum. Hoc est videre Nathanaëlem sub ficulnea, ideoque in modo cognoscendi specimen habet Filii Dei: *Tu es Filius Dei.*

5. Videre aliud divinitatis simulachrum, & umbram. Cum in quadam Civitate Italiæ nollent Hæretici ipsum audire, neque ejus Conciones frequentare, abiit S. Antonius ad littora maris, & convocavit omnes pisces, ut unanimi applausu accurrent ad audiendum Verbum Dei, quod prædicabat. Neque opus fuit iterato pulsu campanæ eos admonere, quia paucis vocibus prædicatoris excitati, tanta celeritate omnes comparuere, ut viderentur quodammodo rixari, & contendere de loco, ad commodius excipiendum verbi Concionantis, imo animalia indomita, & feræ sylvestres, nequaquam sociales, doctrinæ illius benignum præbent auditum. Quando Deus universali aquarum inundatione statuit mundum propter scelera, & peccata hominum extinguere, & penitus excidere, mandavit Patriarchæ Noëmo, ut ex singulis animalibus duo secum in Arcam introduceret: *De volucribus juxta genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum.* Gen. 6. v. 20. Scrutantur sacri interpretes, num fuerit præceptum Noëmo? Et varie ad dubitationem propositam respondent. S. Basilius Seleucus opinatur non fuisse præceptum; quia erat de re moraliter impossibili: *Quomodo unicus homo tot animalium venator extiterit?* Neque poterat Noë tot, tamque diversas feras in unum adigere, neque illæ attendere ad sibilum vocis illius, eas ad Arcam convocantis. Quid ergo dicemus? cujus virtute, aut imperio omnes ad Arcam advolarunt? *Arcanus quidam erat impetus, & signum divinum, quaque sponte animantes concurrebant*, D. Basil. Seleuc. orat. 6. hoc est, ingessit Deus impulsum quemdam cordibus animantium, & protinus cæco ductu cum Noë Arcam intrarunt. Itaque sola divinitas peculiariter assistens, potuit efficere, ut bruta animantia suapte natura indomita, contra naturæ suæ propensionem, suæ libertatis oblita, sinerent se insolito receptaculo Arcæ concludi. Ad rem ergo. Tanta varietas piscium, quorum quidam magni quidā parvi omnes diversæ speciei, deserunt gurgites suos, & exerentes capita sua ex aquis, incredibili attentione audiunt S. Antonium prædicantem, donec peracta concione, & accepta benedictione, singuli se ad sua latibula receperunt. Hoc revera est *signum divinum*, & operatur præsentia S. Antonii cum piscibus, quod assistentia Dei effecit in cæteris brutis animantibus, soli Antonio post Deum, conceditur tam portentosa, & incredibilia patrare miracula. Stupebat quidam solum audire, quod unum corpus existeret in duobus locis, idque fabulosum existimabat: *Tu me id dicere audes, quod nemo antehac vidit, nec potest fieri uno tempore homo idem duobus locis ut simul sit?* Plautus in Amph. Estque constans doctrina Angelici Doctoris, neque etiam de potentia Dei absoluta id esse possibile. Cæterum S. Antonius est ubicumque voluerit, in choro cantans, & foris prædicans, Paduæ; & Ulyssipone, verbo dicam, gaudet privilegio divinitatis, & quamvis divinus non sit, saltem apparet; ita voluit divina Majestas eum exaltare. Sed quid mirum? cum ipse Christus esset lux, etiam voluit discipulos suos esse luces, ipse per essentiam, & hi per participationem: *Ego sum lux mundi. Vos estis lux mundi.*

6. Egregie confirmant hunc nostrū discursū in signis, cum quibus Ecclesia hunc gloriosū Sanctum depingit, quia etiam in illis maxime assimilatur Christo Domino. Quemadmodū enim Pater æternus omnia reposuit ad manus Christi Salvatoris: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Matth. 11. v. 27. Et apud Ioannem: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; Ioan. 13. v. 3. ita S. Antonius ipsummet Deum gestat manibus suis, in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, teste S. Paulo, sunt

sunt reconditi. Et sicut id, quod [illegible] stamus, facile donamus, quapropter [illegible] negotio omnia à Christo obtinebantur, ita etiam erit cum S. Antonio, omnia provectis facillime per illum impetrabimus. Ab amicis, qui nobis beneficia conferunt, numquam petendæ sunt res difficiles, aut quæ illis magno constant labore, sed solummodo res obviæ, & manuales. Solemus namque dicere, da mihi, si quid habes ad manum, ne importuni, aut molestissimus illi, à quo petimus. Propheta David, tamquam ingenuæ, & nobilis indolis, semper valde comiter, dum necessitate aliqua urgeretur, solebat rogare amicos, & socios suos, ne illos petendo, aut emendicando offenderet. Fugiens à socero suo Saül, venit ad domum Sacerdotis Abimelech, cumque ipse, & pueri ejus extin[c]te lassati, fame premerentur, maxima cum urbanitate petiit ab eo commeatum, aut panes sibi suisque necessarios, hisce verbis: *Si quid habes ad manum, da mihi*, ac si diceret, inquit Abulensis: *Si quid habes, presto ad mihi dandum*; id est, aliquid, quod tibi nullo constet labore. Et eumdem stylum observavit in petitione ad Nabalem: *Quodcumque invenerit manus tua, da servo tuo*, id est, quidquid aliquis facil[i]ter habere potest, inquit idem Abulensis. Et si in petitionibus Davidis præscribatur stylus observandus à nobis, quando sumus Sanctos rogaturi, ita ut ab illis petere debeamus, id quod ad manum habent, & ab eorum manibus sperare remedium nostrum, ad nullas cum majori fiducia accedere possumus, quam ad manus S. Antonii, in quibus ipse Deus residens commoratur, & si ipsum Deum habet ad manum, quid ab illius manu non sperabimus? Reponamus igitur ad manus illius omnem spem, & fiduciam nostram, & si Antonius præ cæteris gaudet hoc privilegio, quod perdita, & amissa recuperet, & denuo reperiat, quicumq; perditis fuerit moribus, ad illius recurrat patrociniũ, quia quisquis in illius commiserit protectioni reperiet, quantumcumque perditæ fuerit vitæ, Christum in manibus S. Antonii, thesaurum gratiæ, & pignus gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.*

1 Reg. 21. v. 3. Abulens. hic. — 1. Reg. 25. v. 8.

TRACTATUS XVI.


IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Sive Venerabilis, & Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

NOTA, *hanc Concionem fuisse prædicatam Hispali in Conventu Fratrum Minorum infra octavam Corporis Christi, dum Festum amplius transferretur Venerabile ad eb[...] um n[...] vit r[...]ectum, & renovaretur gravissimas ob causas concordia, & Fraternitas inter duos Religiosos Ordines, nempe S. P. Francisci, & S. P. Dominici. Potest autem hæc concio maxime deservire ad solemnitates Sanctissimi Sacramenti, ad quas plures concurrunt Parochiæ, uti Lector videre poterit in discursu ejusdem.*

Hic est panis, qui de cælo descendit.

Ioan. 6 cap.



N die, quo Seraphica Familia S. P. Francisci celebrat solemnitatem Corporis Christi, & festivis lætitiæ signis jubilat in festivitate sanctissimi Sacramenti Altaris, convocat fratres suos, filios gloriosi Patriarchæ nostri S. Dominici. Opus sane meo judicio mysteriis & arcanis Sacramentis plenum. Non fuit hæc determinatio humana sed divina dispẽsatio & peculiaris cœli dispositio In cujus finem occurrit memoriæ meæ id quod Dominus Deus mandabat in Exodo, ut si agnus Paschalis major foret, quàm quæ à familia offerente comedi posset, hæc vicinum domui suæ propinquiorem, ad participationem sacrificii invitaret: *Sin autẽ minor est numerus, ut sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum, qui iunctus est domui suæ.* Doctus & inter antiquos Patres maximè litteralis Theodoretus, enucleans hoc præceptum, curiosè investigat rationem ob quam Dominus Deus hanc legem, prima fronte minimi momenti populo suo præfixerit? Nonne sufficeret Domine, quod domestici celebrarent Festum agni, ipsumque manducarent, quorsùm ergò debent convocare vicinos proximiores, ut simul agnum manducent? Ecquid hacce mystica cæremonia insinuare cupis? Accipite præclarum illius responsum instituto nostro appositissimum: *Docens eos fraternam charitatem.* Hoc modo & norma, præterquam quod agnus non disperderetur, inquit Theodoretus, docuit eos fovere charitatem fraternam servandam cum vicinis, ideòque obstringebat eos ad convocandos illos ad mensam & solemnitatem illius mystici agni, Sed si forsitan illi absque eo jam erant amici & familiares, ad quid serviebat eorum convocatio? Rem narrabo, non sufficiebat Deo animos suorum esse concordes aut voluntates unitas, sed insuper in illis publicis lætitiæ Festis volebat interiorem animarum conformitatem toti mundo innotescere. Antiquissima est amicitia & confœderatio inter filios inclytorum Patriarcharum Sanctorum Francisci, & Dominici. Iam à quatuor sæculis, & ultrà, Familia Prædicatorum, est propinquior vicinus Religioni Seraphicæ. Occurrit occasio Solemnitatis, veri agni Paschalis, id est, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti celebrandæ, quod in illo fuit adumbratum? ut igitur solemniori applausu celebrent festum suum, sitque Deo gratius & acceptius, veniat vicinus propinquior & amicus antiquior, quia non est Deus contentus sola inter ipsos amicorum conformitate, sed insuper appetit, ut exterior amborum concursus & convenientia sit testis concordiæ, & significatio uniformitatis, qua sibi mutuò obstringuntur. Et si decursu aut injuria temporis, per incuriam, aut negligentiam aliquorum, hæc sancta & amabilis unitas fuerit violata, deinceps reformetur concordia, renovetur fraternitas, vera hæreditas & ultima voluntas amborum Patriarcharum, videlicet Sancti Francisci, & Sãcti Dominici, qui hanc indissolubilem amicitiæ unionẽ filiis suis unicè commendarunt, ut universo terrarum Orbi patefiat utriusque Ordinis seu Religionis reciproca amoris obligatio. Mea mens est in præsenti Concione agere de ineffabili S. Eucharistiæ Sacramento, & de circumstantiis, quæ hocce festum singulariter exornant. Fateor ingenuè susceptæ Provinciæ difficultatem, tam propter arduitatem & excellentiam argumenti, quam etiam doctrinam & eminentiam auditorum. Agnosco me esse formicam inter elephantes Discipulum inter Magistros, & ut verbo dicam, rudem Lusitanum, inter eloquentes Hispanos. Necessarium videtur animi deliquium, sed unà me hoc solatur, quod agnoscenti imbecillitatem virium naturæ, & inopiam dotum suarum, author gratiæ opituletur, quapropter hac freti fiducia, possumus eum per intercessionem purissimæ Virginis interpellare, ut largiri dignetur gratiam, quę mentem nostram illuminet, linguam instruat, vires præstet, quibus aliquid ad gloriam ipsius, exaltationem Sanctissimi Sacramenti, & ædificationem fidelium edicere valeamus. *Ave Maria.*

Exod. 12. v 4.

Theod. hic.

Hic est panis, qui de cœlo descendit.

CONSIDERATIO I.

Vinculum charitatis, quo fideles inter se uniuntur, est optima & maxima dispositio, ad dignè recipiendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

1 ANgelicus noster Doctor S. Thomas, Angelicè describens mysterium augustissimi Sacramenti Eucharistiæ hæc protulit verba: *Sicut Baptismus dicitur Sacramentum fidei, ita Eucharistia dicitur Sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis:* id est, queadmodum baptismus dicitur antonomasticè Sacramentum fidei, ita etiam Eucharistia nuncupatur Sacramentum amoris & charitatis. Nominat igitur Angelicus Doctor sacrã Eucharistiã Sacramentum charitatis, non solum propter affectum, quem solet causare in animabus, eam dignè recipientibus, nempe uniendo eas arctissimo vinculo amoris, verum etiam quia supponit charitatem tanquam dispositionem summè necessariam iis, qui eodem cupiunt Eucharistico epulo refici & saginari. Itaq; præparatio requisita ad condignè accedendum ad hanc sacrã mensam corporis & sanguinis Redemptoris est concordia fidelium, & charitas fraterna, qua inter se indissolubiliter uniuntur.

D. Th. 3. p. q. 73. art. 3. ad 3.

2. Perpulchrè animadvertit Abbas Gilbertus, ponderans locum illum Canticorum Salomonis in quibus divinus animarum Sponsus hortatur eas & invitat ad epulas & convivium, dicens: *Comedite amici, & bibite*, et inebriamini charissimi, comedite, &c. Notate, inquit doctus Abbas Sponsum loqui in numero plurali, & invitare multos, ut comedant, bibant & exhilarentur: *Comedite amici & bibite*, respondentem verò invitatorum fuisse numero singulari: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quid hoc, quæso? Sponsus invitat plures, & unus solus respondet? non capio mysterium, quia cum interrogatio & responsio debeant esse ejusdem numeri & casus, debuissent convivæ dicere: *Nos dormimus, & cor nostrum vigilat.* id est, quamvis dormire videamur, vigilamus & corda nostra continuas agunt excubias. Qui ergò hæc verba componi debent? Respondet Gilbertus, *Quid mirum, si ad communem invitationem responsum redditur singulare, multi charissimi, sed omnium est cor unũ & anima una amor unit & amor inebriat.* Advertite, quis sit invitator, & ad quid invitet, & considerate etiam, qui & quales sint commensales, invitator est Christus animarum Sponsus ad divinissimum corporis & sanguinis sui ferculum, invitati autem sunt amici, non solum sui, sed etiam omnes se invicem mutuo amore prosequentes, ita enim legit Symmachus, *fraterni*, & Septuaginta *proximi*. & quia charitas ita eos adunavit; quasi omnium una solummodò esset anima & cor unum, ideò cùm sint multi, *comedite* respondent quasi unus: *ego dormio*, in signum quod soli mereantur esse ipsius convivæ, quos veræ charitatis vinculum adunavit, & dicere possunt: *Et cor meum vigilat.*

Cant. 5. v. 1.

Ibid. v. 2.

Gilbert. Serm. 42. in Cant.

Symmach. Septuag. Interp.

Apposita est huic proposito singularis explicatio gloriosi Sancti Anselmi, ad illa Salvatoris nostri verba, per S. Paulum notanter relata in Epistola ad Corinthios: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tractat Doctor Gentium de altissimo Eucharistiæ Sacramento docens modum se disponendi ad sacram Communionem, ut illis utilis foret, gauderentque spiritualibus fructibus, ac supernis gratiis, quàm justis communicat & largitur. Mementote, inquit Paulus verborum Christi Domini, qui vos admonet, ut sumpturi carnem, & bibituri suum sanguinem: passionis suæ memoriam recolatis. Premit argutè S. Anselmus, & examinat, cur Christus Dominus instituens hoc augustissimũ Sacramentum, spirituale alimẽtum, & dulcissimum animæ nostræ epulum, consulat & mandet nobis ut quotiescumque ad illud accesserimus singularẽ passionis suę memoriam agamus. Consultius enim dixisset, ut resurrectionis, & gloriæ suæ meminissemus, est namque pignus futuræ, quam in patria speramus, uti eleganter dixit S. Thomas: *Futura gloria nobis pignus datur.* Audite quãta ingenij dexteritate devotus, & contemplativus Pater nodum hujus difficultatis dissolvat. Voluit insinuare Dominus: *In mei memoriam facietis, ut imitari meam passionem desideretis, & si opus fuerit pro salute fratrum mori, parati sitis.* Ac si diceret, quoties

3.

1. Cor. 11. v. 24.

D. Anselm. hic.

[illegible]imque accesseritis ad sacram mensam Eucharisticam, perpendite & attenta mente revolvite id quod in ignominiosa Cruce pertuli, & amore vestrum perpessus sui, & accedite parati & prompti (ubi id necessitas exegerit) tantundem pro fratribus vestris subire, nam sicut hæc deliberatio, & firmum animi propositum est effectus ardentissimæ charitatis, ita etiam tunc vos eritis capaciores recipiendi corporis & sanguinis mei suavitatem, quando perfectio vestra ad similem pervenerit amoris gradum. Hoc sonant verba illa Christi apud Paulum: *Hoc facite &c.*

4. Sed magis enucleemus, & altius efferamus hanc doctrinam. Tam dependens est digna susceptio hujus superni Sacramenti ab amore proximi & fraterna charitate, ut audeā dicere, absque fuco, ipsummet Christum, ejusque realem præsentiam assistentem in illo, esse adeò illigatam amoris vinculo, ut si amor deficeret, dubitem, num sua divina Majestas nobis præsens assisteret. Dicetis utique duram esse hanc propositionem, sed magis exoticum videbitur quod jam tum dicturus. Attendite quæso. Vna ex præcipuis rationibus (uti piè creditur) ob quas Christus Dominus pascit fideles suos in mensa illa sanctissimi Sacramenti, est charitas, qua duo illi perillustres Patriarchæ SS. Franciscus & Dominicus, eorumque filii inter se colligantur, & tamquam fratres adunantur. Hoc, o Pater paradoxum est: repeto & iterum dico, ut Christus hoc spirituali epulo corporis & sanguinis sui pasceret & reficeret homines, eosque protegeret & defenderet contra minacem Dei indignationem, elegit nostros gloriosos Patriarchas, eosque jam dudum ante nativitatem eorum, imò antequam Deus incarnatus esset, delineaverat. Fateor, hyperbolica videtur hæc propositio, verùm ubi illam ex sacris litteris confirmavero, eam protinus ab omni duriori censura immunem comprobabo. Videamus, num rectè illam stabilire, aut verisimilem efficere poterimus.

5. Minatur Deus irundo per Prophetam Zachariam gravissima supplicia & pœnas juste pro peccatis & sceleribus perpetratis promeritas, & minitans, asseverat se non parciturum aut condonaturum peccatoribus inhabitantibus terram, & protinù singulatim recensens supplicia a se inferenda subjungit: *Ego non parcam ultrà super habitantes terram, dicit Dominus, & pascam pecus occisionis, propter hoc, o pauperes gregis &c.* seu ego vestri causâ ô pauperes! pascam pecus & oves occisioni dedicatas, ut vivant & incolumes serventur. Et tandem concludit: *Et assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, alteram vocavi Funiculum, & pavi gregem;* hoc est, ad exequendum hæc, elegi duas virgas, & unam appellavi decorem &c. Non inficior, quòd sacri Interpretes diversimodè hunc locum exponant, sed egregiè quadrat præsenti instituto singularis explicatio Ioachimi Abbatis, qui floruit centum annis, antequam gloriosi Patriarchæ nostri nascerentur, relatus a S. Antonino Florentinorum Archiepiscopo, qui ita hunc locum interpretatur: *Virgæ duæ sunt duo Ordines Mendicantium virgæ rectæ, auctitate, exiles & graciles austeritate, percutientes doctrina authoritate.* Ac si vaticinando prædiceret: duo Ordines illi mendicantium sunt duæ virgæ rectæ per sanctitatem instituti & perfectionis suæ, graciles & tenues propter austeritatem pœnitentiæ, & rigorem vitæ, quem profitentur, quo etiam corpora sua extenuant; virgæ percutientes & potentes, quę efficacia doctrinæ suæ corrigunt, emendant, & perditissimos quosque peccatores reformant: *Decor est Ordo Prædicatorum, per habitum decorum quasi Prælatorum designatur: Funiculus dicitur Ordo Minorum, quia funiculo manifesto cinguntur, & sequitur pavi gregem, scilicet, populum Christianum.* Decorem itaque accommodat Propheticus Abbas Ordini Prædicatorum, & hunc primo loco, propter antiquitatem nominat, funiculum verò adaptat Ordini Minorum, qui fune cinguntur & consequenter dicitur *pavi gregem;* id est Ecclesiam seu populum Christianum. Et quamvis per hunc pastũ conformiter ad doctrinam SS. Patrum & sacrorum Expositorum, possit intelligi pabulum doctrinæ & scientiæ, nihilominus, cum principalior alimonia, quam Deus præbet fidelibus suis in lege gratiæ, sit Sacramentum corporis, & sanguinis sui, indicant hæc verba, quod per has duas virgas, fœdere amicitiæ conjunctas, tum in duobus Patriarchis, quàm eorum filiis fraterno amore copulatis, Christus factus sit nobis socius peregrinationis in arcano illo Sacramento, solatium exilij nostri, & miseriarum nostrarum dulce refrigerium, & quamquam peccata

Zacharia 11. v. 6.

Ibid. v. 7.

Ioach. in aqud D. Antonin. 3 p. Histor. tit. 23. c. 1. §. 1.

cata nostra divinam provocent indignationem, & incessanter à Deo justam exigant ultionis vindictam, Christus tamen sub illo vitreo orbiculo relatus, Dei cohibet manum, ne nos puniat & ensem furoris sui ad vaginam revocat clementiæ, & totum hoc operatur fraternitas horum Patriarcharum & necessitudo, quà amborum filij adunantur, atque per hos nos alit & pascit. Hoc sonant verba illa jam memorata: *Assumpsi mihi duas virgas &c.*

6. Adnata videtur huic proposito curiosa quædam consideratio Docti cujusdam Moderni, qui notanter observat, quòd Melchisedech, qui benignissimè, sacro attestante Textu, Patriarcham Abrahamum excepit, vocetur: *Rex Salem*, quod juxtà familiarem sacrorum Interpretum expositionem, significat pacem, ad denotandum eam, quæ necessaria est illi qui comesturus panem, & vinum consecratum, quod nobis Redemptor in Melchisedech, teste Paulo, præfiguratus, propinat: *Non caret mysterio, Salem pax interpretatur, ut intelligamus pacem necessariam manducaturo panem, & bibituro vinum, quod verus Melchisedech Christus nobis paravit.* Imò notat prætereà præfatus Author occasionem, & temporis circumstantiam, quando Dei Sacerdos hanc viro sancto fecit oblationem, nimirùm postquàm auxiliarem dederat opem nepoti suo Loth, eumque ab hostibus eripuerat, non autem eo tempore, quô jurgia, & rixæ vigebant inter patruum, & nepotem, & amborum pastores, licet fuerint minoris momenti, quæ non dedecebant eorum personas, neque offendebant virtutem, neque etiam violabant amborum amicitiam: *Hinc est, quòd tunc occurrit Abrahamo, quando fraterno amore ductus Loth ab hostibus suis defenderat, non verò quando rixæ erant inter eos, amborumque pastores; quæ licet parvi momenti essent: quippè quæ etiam in sanctorum animas afflaret: tamen auferri eum Deus voluit, ut excipi à Melchisedech Abraham posset, panem & vinum in Sacramenti hujus figuram offerente.* Et si mysterium hujus scire aveati? breviter id vobis enucleabo: *Ut hinc intelligamus, nos quoque ad sacra Eucharistiæ mensam dignè accedere, cum parati sumus ob fratrum amorem, animas pro fratribus dare.* Tamquàm diceret, sancti erant Loth, & Abraham, & quantùm ad affectum cordis, semper individui, & integerrimi amici, sed sola levis altercatio inter illos, sufficiens fuit, ne Abraham tam idoneus foret recipiendis cœli favoribus, aut tam capax participandi figuram Sanctissimi Sacramenti: ast verò, postquam prodiit in campum, & descendit in arenam ad propugnandum jus fratris, aut nepotis sui Loth, & generoso impetu inimicos ejus debellavit, tunc tali beneficio recipiendo dignissimus est judicatus.

Gen. 14. v. 18.

Novarin. in Agno Eucharist. lib. 5. excurs. 34. num. 436. & 437.

7. Reverendi Patres, & fratres dilectissimi, semper fuistis hactenùs dignissimi servi Dei, quia veri filii tam inclyti, & gloriosi Patriarchæ, & proindè semper dignissimi, qui condignè Festum sanctissimi Sacramenti celebraretis, semper enim inter nos viguit charitas fraterna, quamvis pastores litigaverint super pascua gregis: ast postquàm manifestastis, & signis exterioribus syncerum cordis vestri affectum comprobastis, opponendo vos tam virili animo, & ardenti zelo invidis quibusdam, & æmulis cavillatoribus, qui, conspiratione factâ, contenderunt offendere, & effuscare gloriam amici, & patrui vestri Loth, & hac occasione reformata fuit charitas fraterna, & vetus restaurata amicitia; sunt vestri applausus festivi, vestraque solemnia ad honorem, & exaltationem augustissimi Sacramenti instituta, incomparabiliter Deo magis grata, & accepta: quare etiam non caret singulari mysterio, quòd etiam hoc die idem Dominus, sub Sacramento reconditus, ad nobilius transferatur Sacellum, seu domicilium, in signum quòd nunc tantò decentius occupet hospitium, quantò conspicit corda nostra arctiori charitatis vinculo esse illigata.

8. Et ut ad litteram Evangelii reducamus hanc doctrinam, & liquidò constet, quàm appositè inter se cohæreant, notate, quæso, observationem Franconii Abbatis, enucleantis mysterium, cur Christus Dominus panem nuncupaverit Sacramentum corporis, & sanguinis sui: *Hic est panis, qui de cœlo descendit*, attendendo ad species panis, sub quibus velatur, sive ad materiam ejusdem panis, quem elegit ad instituendum Sacramentum, ut hoc pacto nos edoceret, illud esse Sacramentum charitatis, & vinculum perfectionis. Nonnè videtis, inquit Præfatus Pater, unionem, quam inter se habent plura tritici grana, si in molâ conterantur, & plura acina, si in torculari exprimantur? *Ex multis granis panis efficitur, & ex multis acinis vinum exprimitur, in tantam namque unionem grana contrita, atq; confracta conveniunt, & ita unum omnia fiunt, & unum ab alio discer-*

Ioan. 6. v. 50.

Francon. tom. 2. de gratia Dei.

discernere nequeas. Sic uniuntur, ut unum omnino videantur, neque possibile sit, unum ab alio secerni, aut separari. *Si ergo ita uniuntur, atque individua sunt, quæ de terra oriuntur; quanto magis ea, quæ de grano Evangelico, & semine divinæ benedictionis nascuntur?* Hoc est, si ita identificantur terrena, ut prorsus unũ appareant, quanto potiori jure adunari debent, qui ex grano Evangelico nascuntur, & sunt fructus divinæ benedictionis: Ac si apertius diceret, ideo Christum Salvatorem elegisse materiam panis ad instituendum Sacramentum, imo, & hoc Sacramentum appellasse panem, qui est symbolum unionis, propter multitudinem granorum, ex quibus constat, ad denotandam animorum concordiam, quam hæc sacrosancta mensa requirit, & exigit ab illis, qui ad hoc convivium invitantur: *Hic est panis, &c.*

Hic est panis, qui de cœlo descendit.

CONSIDERATIO II.

Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, est saluberrima humilium alimonia, & in illis singulariter suos operatur effectus.

1. HIc panis dicitur è cœlis descendisse, secundum divinitatem, uti eleganter dixit S. Ambr. *Quia idem Dominus consors est divinitatis, & corporis;* quibus verbis S. August. addidit sequentia: *Nisi enim esset humilis, non manducaretur nec biberetur.* Hoc est, nisi descenderet, & se humiliaret, nemo eum manducaret. Cæterum in ipso vestibulo hujus considerationis, occurrit ratio dubitandi, qua de causa, quando Christus Dominus semetipsum dignatur dare nobis sub Sacramento velatum, protinus meminerit descensus, quo è cœlis ad terram descendit? Proferant alii suam opinionem, mea est, Christum hac loquendi forma voluisse nobis insinuare, hoc Sacramentum esse præsertim humilibus institutum, & præparatum, illisque potissimum communicari, & in illis suos sortiri effectus, omnesque convivas ad hocce epulum invitatos, debere humilitate excellere, si cupiant esse digni harum deliciarum commensales.

D. Amb. lib. de Sacram. cap. 1.
D. Aug. in Ps. 18.

2. Præclara est hujus assumpti confirmatio, quam nobis suggerit Evangelium Missæ Pontificalis, quæ hodie fuit celebrata: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere,* hæc dixit Christus Dominus Zachæo, qui, quia statura pusillus erat, & non poterat præ turba videre IESUM, conscenderat arborem, ut eum prætereuntem videret; jussit itaque illi ut descenderet, quia in domo ejus commorari, & laute excipi volebat. Ecquid refert, interrogo, quod Zachæus descendat, ut Christus apud eum manducet? Theophylus unus ex veteribus Patribus, relatus ab Angelico Doctore sancto Thoma, asserit hoc convivium, quo Christus exceptus fuit in domo Zachæi, fuisse symbolum illius, quod postmodum instituturus erat corporis, & sanguinis sui, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento: grata, & penè miraculosa sunt eius verba, quibus omnem propositæ difficultatis nodum dissolvit: *Festinans descende, hoc est, ascendisti, per pœnitentiam ad altiorem locum, descende per humilitatem, oportet enim me in humilis domo manere.* Quasi diceret Redemptor: Zachæe opus est, ut descendas, & te humilies, & quanto altior es per pœnitentiam, & virtutem, tanto demissior sis per humilitatem, ut hoc modo consequi valeas effectum huius mystici epuli, qui est, ut tu maneas in me, & ego in te: *In me manet, & ego in illo.* Quia enim ego tam humilis sum, & tantum descendi, quantum cœlum distat à terra, si tu elatior fueris per præsumptionem, erimus valde inæquales, neque poterit inter nos esse unio, quam ego solicitè desidero, & exopto: *Descende per humilitatem, oportet enim me in humilis domo manere.*

Luc. 19. v. 5.
Theophyl. in caten. D. Thom. bic.

3. Quibus igitur potiori iure competit cultus, & veneratio huius admirabilis Sacramenti, quàm filiis Seraphici Patris S. Francisci, qui antonomasticè indigitantur humiles Ecclesiæ, & inter cæteros ex professione sua Fratres Minores nuncupantur? Non est dubium, quin illi inter omnes fideles sint digniores, & aptiores propter profundam humilitatem suam, ad tractandum de hoc sacrosancto Eucharistiæ mysterio. Recordamini, ni fallor, celeberrimi illius convivii, quod divina instruxit Sapientia, fuitque ex pane, & vino compositum, ad quod suos vocavit amicos: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Ecqui fuerunt convivæ invitati?

Prov. 9. v. 5.

Dicat

Ibid. v. 4. Dicat ipsemet sapientissimus Salomon: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Veniant humiles, parvuli, infantes, & accumbant mensæ meæ. Ecquæ nova hæc loquendi forma, inquit doctissimus Lyranus, pueros, & parvulos convocat Christus ad convivium corporis, & sanguinis sui? Non capio. Scio quidem, ô Domine, & Redemptor animæ meæ, te aliquando locutũ fuisse Augustino servo tuo, hisce verbis *Augustine, ego sum cibus grandium, cresce, & manducabis me*, sed parvuli sint futuri commẽsales, & convivæ tui, quomodò in Ecclesiâ tua, iam tales approbata consuetudine excluduntur, neque ad participationem sacrosanctæ mensæ tuæ admittuntur? Notate textum, inquit relatus Lyranus: *Comedite panem, scilicet, corpus sub specie panis*, & mox subiungit. *Describitur invitatorũ conditio, & iuxta hoc conditio repulsorum, ut opposita iuxta seposita magis appareant: si quis est parvulus, id est, humilis, veniat, quia talis est dispositus* Non loquitur Sapientia parvulus ætate, neque desiderat ullatenus pueritiam virtutum, sed argumenta sanctitatis, verùm exoptat, & quærit parvitatem humilitatis, & solos illos invitat ad epulum suum, qui cùm sint magni virtute, sunt tamen parvi in sua opinione, & cæteris meritis excedentes, in æstimatione tamen propria sunt minores, & tales coram oculis mundi apparere contendunt.

In vita S. Augu.

Lyran. hic.

4. Fateor quidem omnibus humilibus hoc convivium patere, omnesque ad hoc convocari, verùm nemo mihi negabit, quin hæc verba singulariter sint dicta Seraphico Ordini, & filiis S. Francisci, præsertim locutum Spiritũ sanctum in illis, sin minùs, recurrite ad Evangelium, quod Ecclesia cantat in Festivitate gloriosi nostri Patriarchæ S. Francisci, & reapsè veritatem dicti mei approbabitis: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Agit gratias æterno Patri Author vitæ, quòd mysteria sua occultaverit sapientibus, & superbis mundi ingeniis, eaque revelando panderit parvulis, & humilibus, & ne frustra laboremus in perquirenda explicatione huius vocabuli, *parvulis*, declarat S. Ecclesia illos esse S. Franciscum, eiusque sacram Familiam. Quo posito, non aberramus à scopo veritatis, dicendo mysterium Fidei, eiusque venerationem, & cultum esse singulariter Minoribus Ecclesiæ commendatum, eosque tamquam postremos per humilitatem, esse primos per dignitatem invitatos, & commensales.

Matth. 11. v. 25.

5. Rogat Patriarcha Iacob Angelum, sive Verbum divinum, quemadmodum docet Angelicus noster Doctor S. Thomas, ut sibi benedictionis gratiam impendere dignetur, postquam per totam noctem cum eo luctatus fuisset, devinxitque cũ sibi, hisce verbis: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Alibi expendimus Iacob videri excessisse limites honestæ petitionis, cum iam anteà fratri suo Esau benedictionem surripuisset, imò ipsum apparere nimis cupidum, & lucris, seu commodis suis inhiantem. Porrò absolvimus eum ab ordinata cupiditate, cum Dionysio Carthusiano, & sancto Augustino, dicentes, Patriarcham non petiisse novam benedictionem, sed tantummodò totale complementũ primæ: prima autem benedictio, qua eum Pater donaverat, duo complectebatur bona terrena, & Deum sub Sacramento reconditum, ad hunc namque sensum interpretatur magnus Pater S. Augustin. illud Geneseos: *Det tibi Deus de rore cœli, & pinguedine terræ abundantiã frumenti, & vini.* Ubi succinctè S. Augustinus: *Ecce ab ubertate terræ erit tibi, & à rore cœli utere Sacramentis.* Qamvis igitur Iacob agnosceret, & videret suam benedictionem, quoad primã clausulam, adimpletam, quia dives, & opulentus redibat, *cum duabus turmis*, ut sacer loquitur Historicus, attamen non erat illa sorte contentus, & eapropter omnia floccipendens, utpotè bona fluxa, & transitoria, instantius interpellavit Angelum, seu Verbum divinum, ut sua benedictio etiam, quoad secundam clausulam, sortiretur effectum, suique posteri, fœlicitate Dei hominis, eiusque convivio sub speciebus panis, & vini propinato, convesci & perfrui mererentur.

Gen. 32. v. 26.

Gen. 27. v. 28.

D. Aug. Serm. 44. de diversis.

Gen. 32. v. 10.

Hæc litteraliter dicta sunt, altiùs quidpiam in illis meditor. Ecquod motivum habuit Iacob tam intrepidè, & confidenter loquendi Deo, aut qua fretus spe tam certam sibi spospondit rei petitæ consecutionem? Vel posito, quòd hoc esset postulaturus, cur potius id rogat in præsenti rerum statu, quàm aliis anteactis temporibus, in quibus plurimis beneficiis, & privilegiis fuerat cumulatissimè à Deo dotatus? Operosius recogitavi huius rei causam, & consului sacram Historiam, in qua reperi orationem, quam S. Patriarcha paullò ante Deo exhibuerat, agens gratias Domino pro benefi-

ciis sibi collatis. ubi signanter hæc intermi-
Gen 32. v. 10. scet verba: *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Quidquid in me bonum, aut laude dignum, ô Domine Deus! miserationes tuæ sunt, ex propriis viribus, & dotibus pauperculus sum, minor sum, & omnes in comparatione mei magni sunt, ego solus minor, imò omnium minimus. Ideircò igitur tanta animi fiducia rogat sibi donari Deum sub Sacramento consecratum, quia minor est, quia se minorem professus est, & consequenter intrepida securitate postulat à Deo, ut se ad epulum Eucharisticum admittere dignetur: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Totum hoc paucissimis verbis perstrinxit aureum os Chrysostomi: *Modo illud unum persuasum tibi fuerit, te omnium esse minimum, mirificè tibi animus fidendi, undequaque apud Deum, præstabitur.* Vidit Patriarcha se votorum suorum compotem, *& benedixit eum in eodem loco*, quia impertitus est ei benedictionem, vel saltem promisit ei adimpletionem illius. Ergò non absque fundamento diximus, singulariter competere hoc supremum Sacramentum minoribus, seu humilibus filiis Seraphici Francisci, quia est Sacramentum humilium, qui illud decentius tractant, Religiosius celebrant, & devotiùs recipiunt.

D. Chrysost hom. 4. de incomm. Dei.

7. Quid aliud est conservatio huius sacræ Familiæ, per universum terrarum orbem ita dilatatæ, & conspersæ, tot Heroum virtutibus exornatæ, sanctitate illustris; nisi fructus humilitatis, qua pio cultu augustissimum Altaris Sacramentum venerantur. Quid sunt tot, & tã magnifica Monasteria, solis divinæ providẽtiæ impensis absq; ullis redditibus certis enutrita, quidve sunt ædificia tam splendida, & maximè sacellum maius a minoribus ad maiorem divinissimi Sacramenti decorem extructum, nisi fructus, uti diximus, profundissimæ humilitatis, & reverentiæ, qua eidem Domino serviunt, eum iugiter laudando, & magnificando. Occurrit mihi ad rem præsentem, notissimus quidam sacræ Regum Historiæ locus, qui, nisi me fallat opinio, appositissimus est. Refert sacer Regum Historicus, & per ordinem enarrat translationem Arcæ Testamenti ad domum Obededom, ubi trium mensium spatio fuit commorata, & tandem concludit, domũ Obededom, maximà omniũ rerum copia, & affluẽtia fuisse ditatam: *Habitavit Arca Domini in domo Obededom, & benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius. Nuntiatumque est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededõ, & omnia eius propter Arcã Dei.* Operosè & magno studio examinant hic sacri Expositores, undè & quomodò scire potuerint quid ageretur in domo Obededõ, illi, qui tam seriò Davidi nũtiarunt domũ Obededõ propter Arcam Dei tot favoribus, & divitiis esse dotatam, & affluentẽ. Vel, ut apertiùs loquar, ex quibus colligere potuerunt omnem illam prosperitatem, & rerum abundantiam domus Obededom esse miraculosos Arcæ Dei effectus? Nonnè omnia illa ab alia causa seu origine provenire poterant? Omissis aliis responsionibus, quadrat intento nostro doctissimi Lyrani meditatio: *Benedixit multiplicando eum in bonis spiritualibus, & temporalibus, eò quòd circa Arcã Domini reverenter se habuerat, & devotè*; id est, animadvertebant zelum, & devotionem, qua humilis, & pauper Obededom venerabatur Arcã Domini, & quod bona tam spiritualia, quàm temporalia cumulatim in domo eius augebantur, quodque ille, qui paullò antè pauper, & inops vivebat, iam divitias, & opes ostentaret, & hunc prudentissimum efformarunt discursum: hæc proculdubio sunt miracula Arcæ, quæ devotio, & humilitas sancti, O pauperis Obededom impetrarunt. Ecce manifestum divinæ benedictionis argumentum.

2. Reg. 6. v. 11. & 12.

Lyran. hic.

8. Et si quærere voluerimus ex S. Ambrosio, quid Arca Testamenti significet: ipse dicet illam denotare sacratissimam Virginem, manna verò in ea contentum, fuisse symbolũ admirabilis Sacramenti Altaris: *Arcam, quid nisi sanctam Mariam dixerimus, &c.* Itaque mystici illi rerum eventus erant figura, seu umbra futurorum in lege gratiæ: *Hæc autem in figuris cõtingebãt illis.* Ecquis modò non videat in domo Obededom sacram Seraphici Francisci Familiam vivis coloribus depictam, & adumbratam, in qua singulari reverentia, & religioso cultu cœleste illud manna, & sacra Arca pari devotione coluntur, & celebrantur. Prætereo heroica facta in chronicis Ordinis contenta, quæ referre, nec tempus permittit, nec humanum ingenium assequi valet. Notissima enim sunt toti mundo, quæ Filii S. Francisci sæpius in honorẽ, & obsequium sanctissimi Sacramenti, & immaculatæ Virginis in Ecclesia Dei præstiterũt. Ecquis, sicut illi, ita veneratur, & co-

D. Ambr. Serm. 80.

1. Cor. 10. v. 11.

& colit Deum, ejusque sanctissimam Matrem? Nonnè videtis, quòd parietes clament, & ipsi lapides mutis vocibus hanc deprædicent veritatem? O pauper Obededom, unde tot opum splendores, unde tanta divitiarum copia, & abundantia? Quæ prædia possidetis, aut quæ æraria certa habetis, aut quas auri fodinas invenistis, hisce calamitosis temporibus, quod, quando alii etiam opulentissimi, non sufficiunt reparandis antiquis ædificiis, vos exstruatis nova, eaque sumptuosissima, & insuper ad honorem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, tot impendiis talia exhibeatis ostentationis, & solemnitatis indicia demonstrativa? Diceret aliqui magnam partem horum sumptuum deberi nobilissimæ huic civitati, sive munificentiæ rectorum, eam gubernantium, qui profusâ liberalitate plurimum ad hanc Solemnitatem contulerunt. Benè est; & si his velitis adjungere vigilantiam, zelum, & solicitudinem Prælati hujus Monasterii, quâ studet promotioni domus suæ commissæ; haud dubiè non minor pars illius fidelitati, & curæ attribuenda erit; reperiens enim illam, quasi luteam, in marmoream commutavit, verè æmulator illius Imperatoris, qui Romam, *invenit luteam, & reddidit marmoream*; vel ut melius dicamus domum hanc ad summam deduxit perfectionem, ita ut in illâ vix aliquid desiderari queat. Fateor multùm deberi prudentiæ, & zelo hujus superioris: non judico tamen hanc præcipuam esse tot bonorum causam, & originem, ex alio principio, & scaturigine promanant, & nascuntur. Vultis scire, unde? *Benedixit Dominus Obedom, & omnem domum ejus propter Arcam*. Miracula sunt cœlestis illius manna, & prodigia supernæ illius Arcæ, quæ (velint nolint invidi æmuli) semper augescent, & proficient. Hic requiescit Dominus, hic usque ad consummationem sæculi perpetuum figet domicilium, sub Speciebus Sacramenti velatus; quia cum sit Sacramentum humilium, apud Minores, tamquàm in centro suo commoratur: *Hic est panis, qui de cœlo descendit*.

***

Hic est panis, qui de cœlo descendit.

CONSIDERATIO III.

Pauperes habent singulare jus ad hoc divinum epulum, quia Redemptor illud ad spiritualis animarum famis refocillationem, & solatium instituit.

ALiam reperio rationem, ob quam, ô Patres, & Fratres dilectissimi, Dominus Deus tam libenter apud vos commoratur (erit hæc postrema Concionis nostræ pars,) & est arctissima paupertas vestra; quia sanctissima Eucharistia non solùm est Sacramentum amicorum, & humilium uti diximus, sed etiam pauperum, quia in remedium, & solamen spiritualis esuriei animarum, illud instituit, & propter pauperes specialiter descendit hic panis cœlestis, & ideò opponit Dominus unum panem & alteri, nimirum spiritualem panem corporis sui, quod fidelibus suis præbet, cœlesti manna, quod antiquitus pluerat è cœlis populo Hebræorum: *Cumque descenderet nocte super castratos, descendebat pariter & Man*; inquit sacer Textus, & ad illum alludunt hæc verba Evangelii: *Hic est panis, qui de cœlo descendit*, & maximè attendendo ad mysticam temporis circumstantiam, quando Dominus regale illud convivium, profusâ liberalitate illis præparavit in deserto, uti Regius adnotavit Vates: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, id est, inopi, & pauperi delicias mensæ tuæ communicasti, juxta interpretationem Doctissimi nostri Hugonis Cardinalis: *Parasti manna pauperi populo, qui non habebat, quod posset comedere*. Pauperibus ergò indigentibus dedisti panem cœli: ac si diceret; non præstitisti eis hunc favorem, quamdiu illis alia superessent edulia, aut dum adhuc haberent carnes, quas ex Ægypto secum attulerant, quibusque lautè victitabant, sed postquàm illæ defecerant in deserto, ita ut omninò jam omnibus cibariis destituti, veram paupertatem profitentes, nihil haberent, quò famem suam sublevarent. Vt hâc figurâ, & symbolo nos instrueret, professionem paupertatis esse optimam dispositionem ad recipiendum digno

L

Numer. 11. v. 9.

Psal. 67. v. 11.

dignè ipsum figuratum; quia proculdubio, quantò quis minus abundat rebus terrenis, tantò aptior est ad cœlestem panem manducandum.

2. Jam in Consideratione primâ discussimus ad aliud propositum celebrem illum Textum de Melchisedech, & Abraham: verùm singularis est observatio Sancti Cyrilli Alexandrini circà eumdem, qui magno acumine premit temporis circumstantiam seu occasionem, quâ Dei Sacerdos obtulit panem, & vinum, & benedixit Patriarchæ Abrahamo, nimirùm id contigisse, quando præclarum, & illustre illud facinus, omni elogio dignum, præstitit, & magnâ animi generositate repudiavit spolia, opes, & divitias, quas illi gentilis Sodomorum Rex offerebat: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Notissimus est locus, quapropter nolo eum fusiùs enarrare; indagat magnus Alexandrinus quam connexionem, aut cohærentiam habeat unum factum cum altero? videlicet contemnere thesauros sibi à Rege idololatrâ oblatos, & benedici à Melchisedech Dei Sacerdote? Et appositè ad rem nostram respondet: *Et quidem benedixit Melchisedech, qui figura erat Christi, sicut docet Paulus, & cùm nullum accepisset spolium, pane, & vino eum aluit.* Non sistendum est in facto, sed transeundum ad mysterium, per illud denotatum. Erigite altiùs cogitationem, & in umbrâ agnoscite veritatem. Abraham egit hic personam contemptoris rerum temporalium hujus vitæ, Melchisedech autem, uti dixit S. Paulus, vices Redemptoris exhibuit, & panis, & vinum erant materia totalis augustissimi Sacramenti Altaris, quod Deus futuris temporibus in lege gratiæ erat instituturus, quô nos jam fœlicissimi potimur, & fruimur. Voluit igitur Deus hoc pacto, & repræsentatione stabilire, quod jam futurum disposuerat, nimirùm omnia terrena, & caduca hujus vitæ bona, vilipendenda esse ab omni Christiano, cui Deus tam largiter seipsum præbet manducandum, & unà ipsi communicat inæstimabiles thesauros gloriæ suæ, sub velamine accedentium panis, & vini occultatos, & abconditos.

Gen. 14. v. 22.

D. Cyrill. Alexand. in collect. c. 6.

3. Egregia est, & maximè accommoda huic instituto, expositio doctissimi Scholastici Biël, super verba illa Cantici Mariani: *Esurientes implevit bonis.* Existimat prædictus Doctor, has sacratissimæ Virginis voces non solum esse enuntiativas præteriti, sed etiam vaticinia futuri, eamque in illis allusisse ad ineffabile Sacramentum Altaris. Gravissima simul & disertissima sunt ejus verba: *Nec breviùs, nec efficaciùs cœlestis edulii utilitatem, & fructum edicere potuit; dum non quoslibet, non utiquè divites, de quibus mox subjunxit, & divites dimisit inanes, sed esurientes bonis prædixerat adimpleri.* Vbi expressè excluduntur divites, inanes, & vacui futuri, & soli pauperes admittuntur, qui solent esurire, & non opulenti, omnibus affluentes. Voluit itaque beatissima Virgo insinuare divites, non participare copiosos effectus hujus Sacramenti; sed solos pauperes illo refici, & saginari. *Esurientes*, *&c.* O ter quaterque beata pauperum sors, & fortuna! ô fœlicissima paupertas! & maximè arctissima illa paupertas filiorum Seraphici Francisci, quos cœlum hoc glorioso titulo condecoravit, vocans eos non solùm pauperes, sed etiam ipsam paupertatem. Sed objicies mihi, qualem ego effingam distinctionem inter pauperes, & paupertatem? Probè norunt, qui Logicæ, aut Summulis studuerunt, differentiam inter nomina concreta, & abstracta, quòd hæc ipsam formæ perfectionem magis exprimant, quàm illi. Cupis quempiam à prudentia, aut fortitudine laudare, non uteris solummodò terminis concretis, sed assumis abstractos; quasi non sufficiat tibi dixisse, prudens, & fortis est, nisi etiam addideris abstracta, quæ majorem habent emphasim, & dixeris, ipsa prudentia est, ipsa fortitudo est. Ad rem ergò, vult cœlum extollere paupertatem S. Francisci, & filiorum ejus, dum virtutes sub specie Virginum illi occurrentes, omnes cum unanimi applausu salutarunt hisce notissimis vocibus: *Benè veniat Domina paupertas.* Tamquàm dicerent (nisi me fallat opinio) cæteros Religiosos esse quidem pauperes, sed Franciscum, ejusque Familiam, esse ipsam paupertatem. Itanè pauperes sunt? per naturalem igitur consequentiam illis debetur panis cœlestis, tamquàm maximè idoneis, & dispositis ad illum recipiendum: *Esurientes implevit bonis.* Favet huic doctrinæ Angelicus Præceptor, in Officio præsentis Solemnitatis, ubi alludens ad verba supremæ Angelorum Reginæ, inter cætera, ita fatur: *Esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittis inanes.*

Lucæ 1. v. 53.

Biël Serm. 1. in Festo Corp. Christi.

In vita S. Franc.

In officio Corp. Christi.

Nonnè mihi dicere poterunt sacrarum Litterarum gnari, quamobrem Christus Dominus,

nus: instituens hocce pretiosissimum edulium, illud novum Testamentum nuncupaverit: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Luc. 22. v. 20. Novi & scio rationes, quas communiter sacri Expositores hujus mysterii assignant, sed optarem audire aliquam particularem, quam cum non inveniam, placet mihi opinio eorum, qui ajunt, quod quemadmodum per Testamentum ablegantur bona terrena seu temporalia, & transferuntur ad alium possessorem, & testator omnibus illis exutus, nihil sibi retinet, ita etiam, qui voluerit frui calice pretiosissimi sanguinis Christi debet condere testamentum omnium rerum terrenarum, & exuere affectũ omnium temporalium: suffragantur huic meditationi verba magni Ecclesiæ Doctoris Sancti Ambrosij: *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem.* D. Amb. Ecquis sicut sanctus Franciscus condit testamentum in vita sua, omnia spernens possessa, & repudians quidquid ei mundus dare poterat? Totum hoc mysticè manifestavit cælum in illa heroica actione, qua Seraphicus noster Patriarcha cupidus Evangelicæ perfectionis, & anhelans ad syncerum Dei amorem, & obsequium coram Assisinate Episcopo omnibus renuntiavit, imò, & rejectis vestibus patri in terris omnia concedens, vilem induit saccum, quo nuditatem, & honestatem corporis tegeret, quasi vaticinando prædicens, id quod futuris temporibus eveniret, & quod aliquando idem foret, fieri Religiosum sui Ordinis ac condere testamentum, & exuere se dominio, imò & usu omnium rerum hujus vitæ, & idem fuit ac illos disponere, ad hæreditatem, & possessionem corporis, & Redemptoris nostri, ut hoc pacto adimpleretur in illis, quod ipsemet Dominus protulerat: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Et simul verificaretur doctrina Archiantistitis Mediolanensis: *Christianus qui mundum non possidet, &c.*

Docet divinus Magister discipulos modum & normam in oratione observandam, simulque præscribit ipsis formulam precum, quibus æterno Patri supplicarent, inter cætera autem statuit hoc esse rogandum, seu oratione petendum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Luc. 11. v. 3. Et subjungit hanc petitionem singulis diebus esse Deo exhibendam. Magnum Ecclesiæ lumen Sanctus Augustinus insistens Lectioni Græcorum Patrum, interpretatur hunc panem esse Eucharisticum, & supersubstantialem, id est, sanctissimum Altaris Sacramentum: *In Græco dicitur Epiusion, hoc est, supersubstantialem. Non iste est panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit.* D. Aug. in caten. D. Thom. hic. Alii explicant hunc panem esse corporeum, qui ad vitæ conservationem est maximè necessarius. Optarem ego has duas componere sententias, prima fronte adeò oppositas, salva tamen venia Authorum, quocirca dico Christum Dominum non tantum nos docere modum petendi panem cœlestem verum animarum cibum & nutrimentum, sed etiam panem terrenum necessarium corporis humani sustentaculum, & alimentum. Hunc autem quomodo debemus petere? ipsemet Dominus instruxit; *Da nobis hodie*, singulis diebus, more mendicorum, qui precario victitantes quotidie stipem emendicant. Non ego, sed sanctus Cyrillus id excogitavit: *Ex eo enim quod panem jussit petere, quotidianum alimentum, videtur, quod nihil concedit eis habere, sed magis honestam colere paupertatem, non enim est habentium panem petere, sed oppressorum penuria.* D. Cyril. in caten. D. Thom. hic. Haud dubiè præcipit Dominus illis quotidianum panem ad vitæ sustentationẽ necessarium, quia cupit omnes illos esse pauperes & amatores paupertatis. Ratio in promptu est, quia nemo habens, petit panem, sed carens illo vel esuriens illum mendicat. Bellè dictum, sed quonam modo applicabimus hanc doctrinam pani Sacramentali? Hic sanè urget difficultas quæstionis, ad quam, pro modulo ingenii mei, respondere conabor. Quantum igitur colligere possum ex doctrina Sancti Cyrilli jam relata, vult Dominus illos esse pauperes & egentes, & famem patientes, qui accessuri sunt ad sacrosanctam Eucharistiæ mensam, & comesturi panem consecratum, & quod titulo paupertatis eum rogemus, ut sua abundantia nostræ dignetur mederi necessitati. Itaque Christianus, qui adeò pauper est, ut ad extremam redigatur inopiam, & cogatur ostiatim stipem rogare, jam semidispositus est ad dignè participandum panem, qui de cœlo descendit, ut sit vita & alimonia animarum nostrarum: *Hic est panis qui de cœlo &c.*

6. Ex his præmissis, infero formalissimam consequentiam, videlicet nullum reperiri in Ecclesia Dei, qui majora habeat subsidia ad dignè communicandum, & recipiendum Sacramentum Altaris, ejusque ineffabilia mysteria pertractandum, quam filij Seraphici Patris

Francisci:

Francisci, quibus jure competit primatus paupertatis, ipsi namque sunt, qui panem suum ostiatim mendicant ad vitæ sustentationem necessarium, ad satisfaciendum regulæ & professioni suæ, & quantò exactiùs hoc sanctum observant institutum, tantò digniores redduntur ad percipiendum panem cœlestem, ejusque suavitatem, delicias & oblectamenta, quæ cœlum, tamquàm hæreditaria bona pauperibus oppignoravit, uti in exordio hujus discursus insinuavimus ex regio Propheta: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, ad quæ verba videntur alludere illa Salvatoris in Evangelio: *Hic est panis qui de cœlo descendit*. Ex hac ergo doctrina sic deducta, liquidò constat ob tres rationes principales competere filiis S. Francisci primatum in cultu & veneratione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, nimirum, quia est Sacramentum unitorum per charitatem, Sacramentum humilium, & Sacramentum pauperum. Et tandem cùm sit pignus cœlestis gloriæ, ad quam ut nos perduceret descendit in terram, etiam illi majus habent jus, præ cæteris ad gloriam: *Quam mihi & vobis donare dignetur, &c.*

TRACTATUS XVII.

IN FESTO

Fœlicissimæ Nativitatis

Præcursoris Christi

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Prædicata fuit hæc concio infrà Octavam Corporis Christi, fuitque expositum Sanctissimum & Venerabile Sacramentum.

Ioannes est nomen eius.

Lucæ 2. cap.

Caro mea verè est cibus, &c.

Ioan. 6. cap.



DVæ concurrunt hodierno die Solemnitates, mea quidem sententia, omnium quas celebrat S. Mater Ecclesia, celeberrimæ. Vna est sanctissimi Sacramenti Altaris, in quo Christus sanctus Sanctorum continetur. Altera magni Præcursoris, qui immediatus à Christo, & major reliquis sanctis, uti dixit magnus Augustinus: *Quidquid supra Ioannem est non homo tantum sed Deus est.* Et pulchrè inter se conveniunt hæ duæ Festivitates, non solùm quia semper, ubicumque sese offert occasio, hic inclytus Præcursor fungitur officio suo, quod est digito demonstrare Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, quemadmodum egit adhuc materni uteri conclusos ergastulo, dum Sol justitiæ Christus adhuc nube, Virginei corporis Mariæ

D. Aug. serm. de Baptista.

Mariæ involutus latitaret, & postmodum in Iordane, quando digito ipsum indicavit, & tandem etiam, quando idem Sol sub velamine specierum panis occultatur: *Caro mea verè est cibus.* sed etiam quia in illis concurrunt duæ nativitates, una Christi sub Sacramento velati, & altera Ioannis, Angeli concepti, & nati, Modestè Pater, vide quid dixeris! Non ego sed Sancti ita loquuntur. Audiatur quæso S. Petrus Chrysologus: *Ioannes Angelus est generatus in terris.* Qui ita? Angeli non nascuntur, neque generantur, quia totum suum esse per creationem accipiunt, verum hic datur Angelus generatus & natus in terris, & hæc novitas est inaudita. Tamquam diceret ingeniosus Ravennas, Angelus, Spiritus & creatus res est vulgaris, & jam antiquitus nota: *Millia millium ministrabant ei &c.* Cæterùm quando Ioannes nascitur, habet Deus cœlestem Seraphim in corpore, & Angelum incarnatum, sive ex carne & sanguine compositum, qui est admirabilis divinæ omnipotentiæ effectus: *Etenim manus Dei erat cum illo.* Superest difficultas, qui dici possit Christum sub speciebus in Sacramento esse natum, sed est doctrina S. Ioannis Chrysostomi: *Natalis calicis, ubi nativitatem in Sacramento corporis & sanguinis Christi insinuat.* Et conformiter ad hoc intelligitur illud Davidicum: *Vt educas panem de terra*, hoc est, ex terra accidentium panis, nascitur per virtutem verborum Consecrationis divinæ corpus & sanguis Redemptoris. Bella igitur conjunctio qua hæ duæ solemnitates & hæ mysticæ nativitates adunantur. His tamen aliam adjicio rationem, non minùs congruam nimirum Ecclesiam sanctam, ad ostentandam suam pulchritudinem & splendoris sui speciem, in hoc glorioso die triumphi Salvatoris Sponsi sui, sub Sacramento velati, debuisse indui & exornari pretiosioribus vestibus & monilibus suis, quibus jubilum & festivum gaudium suum contestaretur. Totum hoc in spirituali sacrarum Litterarum promptuario comprobatum reperiemus. Magnis encomiis celebrat & extollit Sponsus Ecclesiam Sponsam suam, & delineans ejus perfectiones à maxillis seu genis exorditur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quædam sese offerunt in his verbis consideratione digna, nempe cur quandoquidem oculi & os, sint partes magis essentiales pulchritudinis, quam genæ, has laudibus efferat, de illis verò prorsus subticeat? Aponius exponens in sensu mystico verba illa Canticorum: *Osculetur me osculo oris sui*, intelligit per osculum Sponsæ sacrosanctam Eucharistiam, & tres Patres cum Theodoreto per turturem, divinum Præcursorem interpretantur, qui gemebunda voce hominibus pœnitentiam prædicavit: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Accipite verba Aponii quæ revera attentionem merentur: *Quàm pulchra sunt genæ tuæ, sicut turturis, post oscula sancta suscepta, tunc initium pulchritudinis præ cæteris membris, à genis Ecclesia nasci docemur, & hoc pro magna laude turturi comparatur.* Quasi diceret divinus Sponsus tantus splendor, tanta venustas, tantum decus tibi nascitur ex osculo sancto Eucharistiæ, tantam gratiam & pulchritudinem debes corpori, & sanguini Redemptoris tui, sub speciebus Sacramentalibus abditi, & occultati, ita ut quando te attentius contemplor, videar intueri Baptistam præcursorem. Ne igitur modò aliarum perfectionum Sponsæ fiat mentio, sed sufficiat ad extollendum ejus decorem, & speciem, dicere, quod habeat Deum suum in Altari, seu in Eucharistiæ Sacramento. Et ob hanc rationem turturi divino, scilicet Ioanni apprimè similis & conformis. Si itaque tanta reperitur similitudo, & æqualitas inter Sanctum Sanctorum, & majorem inter natos mulierum, inter Sanctissimum Sacramentum, & gloriosum Baptistam, absque ulla temeritatis nota licitum erit Prædicatori in discursu Concionis suæ contexere paralellum, sive analogicam quamdam æqualitatem inter hos duos, puta Christum, & ejus præcursorem, hoc erit argumentum nostræ Concionis, non minùs novum, quam difficile, sed difficultatem omnem evincet gratia, quam Ioannes offert in suo nomine, & Maria in sua intercessione, devinciamus hanc nobis solita oratione ipsi pergrata:

Ave Maria.

* * *

D. Petr. Chrysol. Serm. 89.

Dan. 7. v. 10.

D. Chrysost. citat. à Fonseca lib. de vita Christi.

Psal. 103. v. 14.

Cant. 1. v. 9.

Cant. 1. v. 1.

Comment. trium Patr. & Theodor.

Ioannes est nomen ejus.

Caro mea verè est cibus.

CONSIDERATIO I.

Ioannes est similis Christo, non solum quia est filius gratiæ, sed etiam quia ipse in nomine suo gratiam sonat.

1. DEvotus simul ac contemplativus Pater Guerricus hæres melliflui spiritus Bernardi, & singularis S. Præcursoris cultor in quodam Sermone hujus Festi, inter plurima eaque nervosè dicta, in has prorumpit voces, *Ioannis nativitatem gratia operatur, natura miratur*; id est, attentius considerata fœlicissima nativitate Ioannis, ejusque admirabilibus circumstantiis, videtur in illa obstupuisse natura suasque vices cessisse operationi gratiæ, ita ut ad operis fabricam, non nisi admirationem cōtulerit, quia nempe opus illud erat superioris Ordinis, se imparem viribus agnoscens, attonita obstupuit, hæsit & admirata est. Alludit Sanctus Abbas ad nativitatem Christi, in purissimo utero beatæ Virginis, de qua cantat Ecclesia: *Tu quæ genuisti, natura mirante, tuum Sanctum genitorem.* Hoc est, in tuo partu, ô Regina cœlorum! nihil contulit natura præter admirationem, & totum operata est gratia. Idem proportionaliter contigit in nativitate Ioannis, inquit Guerricus, quia natura obstupescens & attonita, nullam applicuit manum operi, sed solummodò oculis contemplata est miraculum operis, cujus artifex erat gratia omnipotentis: *Gratia operatur, natura miratur.* Et si ibi fuerit Mater Virgo, hic fuit sterilis, ut uterque partus agnosceretur potius esse cœli, quam terræ, potius Dei, quàm hominum, atq; ideò hi agentes partem naturæ, rapiuntur in admirationem; *Quis puer iste erit?* Nihil aliud norunt facere, quam admirari & solicitè interrogare. Rerum naturalium perscrutator Plinius indagans mirabilia terræ, seu miracula, quæ indies in terras oculis nostris contuemur, profitetur se velle auspicari historiam suam ab eo, quod maximam illi parit admirationem: *Et quoniam à miraculis rerum cœpimus, sequemur eorum ordinem; in quibus vel maximum est aliquid nasci aut vivere sine ulla radice.* Itaque portentum naturæ, indicat Philosophus aliquid nasci sine radice, & sine illa sustentari. Et si hoc est præcipuum naturæ miraculum, quod disertissimus naturalium Historicus tantoperè admiratur, quantò magis potest & debet ipsa natura obstupescere, videns miraculum adeò inusitatum, quod excelsissima arbor, qualis est Ioannes (ita namque illum indigitat præfatus Guerricus) *Cedrus Paradysi* nascatur & foveatur sine ulla prorsùs radice in terris, sed solo cœlesti beneficio & virtute creatoris enutrita vigeat, & florescat.

D. Guerr. Abb. in serm. 1. de Baptista.

In officiis B. V. M.

Plinius, lib. 19. c. 2.

Ea ac tanta fuit excellentia Ioannis, ut natura prævidens Ioannem in Elisabeth nasciturum (liceat ita loqui) agnoscensque propriam virium imbecillitatem, stupore perculsa hæserit, & retrocesserit, non ausa aggredi opus tam supernum, donec gratia illud ederet in lucem, & pareret mundo infantem adeò miraculosum. Ponderat doctissimus noster Seraphinus à Porrectâ, quod Dominus Deus, creans cœlum & terram, cœlum mox fuerit absolutè perfectum & consummatum, terra autem sacro attestante eloquio, adhuc imperfecta & inculta remanserit: *Terra autem erat inanis, & vacua*, velut legunt Græci, *incomposita.* Paulatim Deus cœpit eam perficere, exornare, & plantis arboribusque vestire: *Germinet terra herbam virentem.* Cur ita, inquit præfatus Author; & respondet: *Et actus igitur, & potentia de se producendi negatur à terra, dum tum inanis & vacua dicitur.* Non absque singulari mysterio animadvertit sacra Historia terram in sua creatione fuisse sterilem & infœcundam neque produxisse fructus, neque habuisse potentiam productivam eorum; ut beneficia, quæ homo ex illa reciperet, soli Deo attribueret eique, tamquàm Authori eorum, debitas gratias referret, non autem terræ, quæ ex natura sua erat infrugifera, & incapax generationis, aut productionis alicujus rei creatæ: *Terra autem erat inanis & vacua.* Dico igitur formidinem & timiditatem naturæ in hoc sitam fuisse, quod toto tempore sterilitatis Elizabeth & Zachariæ, parentum magni Præcursoris Baptistæ, antequam eum generarent, attonita & perplexa substiterit, neque ausa fuerit auspicari, opus adeò excellens, quale erat Ioannes Baptista: *Terra autem erat inanis & vacua.* Et singulariter notāda est reduplicatio terminorum, seu vocum, terra erat inanis, & vacua, 2.

Gen. 1. v. 2.

Seraph. à Porrect. veritat. aurea. ad hunc locum.

quia gratia non fuit contenta, quacumque sterilitate, quia ad hoc sufficere poterant aliquot anni illorum matrimonij, quibus ex illis nulla proles nasceretur, essetque *inanis*, sed expectavit ipsam decrepitam senectutem, donec etiam foret *vacua*. Et dum jam propter utrumque impedimentum sterilitatis, nimirum, & senectutis, natura esset omninò impotens ad procreandam prolem, tunc existimavit gratia suarum esse partium, aggredi opus conceptionis & nativitatis S. Ioannis, ad comprobandum illũ esse potius legitimum filium suum, quam naturæ, quæ tunc impotens judicabatur: *Gratia operatur, natura miratur.* Quapropter si hæc obstupescit, ideò est, ut servet eumdem stylum, quem (uti diximus) in nativitate Salvatoris observaverat. Advertit quidam doctus Modernus & enucleatius ponderat verba illa, quibus sacer Evangelista describit nativitatem divini Præcursoris. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.* Verba sanè prorsus eadẽ cum illis, quibus Sanctus Lucas enarrat legationem Angeli S. Gabrielis ad sanctissimam Virginem, & Dominam nostram: *Missus est Angelus Gabriel à Deo* id est, venit destinatus à Deo cœlestis paranymphus ad tractandum mysterium sacrosanctæ Incarnationis Verbi divini, indicans hisce verbis, opus, de quo agebatur, totum esse divinum & cœleste, neque naturam in illo ullam habere partem. Attendens igitur ad hæc, præfatus Author, in has sequentes effitur voces: *Fuit homo missus à Deo, id est, singulariter fuit missus, quia suprà naturam ex senibus & sterilibus venit, quod non est natura, sed solius Dei opus* Ac si diceret? Non absque singulari mysterio advertit sacer Chronicus, Ioannem fuisse missum a Deo, ad denotandum tam eminentem creaturam non produci juxta leges naturæ, sed solius gratiæ esse opificium, sive illam esse opus solius omnipotentis Dei.

Ioan. 1. v. 6.

Luc. 1. v. 26.

Salmeron hic.

5\. Admirabilis est stylus, quo S. Paulus depingit nativitatem Isaac, quia videtur verbis suis insinuare ipsum non esse filium Abrahami: *Propter quod ab uno orti sunt, & hoc iam emortuo, tamquàm sydera cœli.* Et alibi *Non consideravit corpus suum iam emortuum, & emortuam vulvam Saræ* Eò quod genuerit in tam decrepita ætate, & jam in ultima vitæ suæ periodo, quod proinde fuit, ac si corpus jam emortuum generaret vivum. Et si curiosius perscrutati fuerimus in hoc judicia & decreta Dei, apposité respondet ad rem præsentem, inclytus Martyr Zeno Veronensis, nimirùm voluisse Deum, ut homines in Isaac figuram, & imaginem quamdam Filii sui venerarentur, quocirca æquum & condecens erat, ut non usitato, & communi modo prodiret in lucem, quemadmodum cæteri posteri Adæ, sed nasceretur ad modum quo stellæ & sidera in cœlo, quæ solum Deum patrem, & authorem suum agnoverunt: *Hic namque, charissimi, desperatus parentibus, sed Deo promitente suspectus, in transactæ ætatis & generantis genitalis flore consumpto, non tam à parẽtibus quam divina præceptione meruit generari.*

Hebr. 11. v. 12.

Rom 4. v. 19.

D. Zeno Verõ. lib. de Abra.

4\. Et Philo Hebræus adjungit rationem, ob quam omnes in nativitate Isaac lætati fuerint; Abraham, & Sara riserunt, quando illis fuit promissus, & protinus, ut natus fuit infans, illi risus, & lætitiæ nomen indiderunt, ad declarandum illum nasci in gaudium, consolationem, & exhilarationem totius mundi: *Risum mihi fecit Deus*, inquit Sara, id est, hanc mihi Deus peperit lætitiam. Vbi præclarè Philo: *Fecit, proinde valet, ac genuit. ex quibus verbis colligitur hæc sententia: Isaacum genuit Dominus* Filius tantæ lætitię benè apparet esse donum Dei, quia filij Evæ plorantes ex materno prodeunt utero, & inter ipsa lucis exordia mœstis concrepantes vagitibus, attestantur se esse opera naturæ, filii autem Saræ ultra nascentium legem nativitatem suam lætitiæ exultatione præveniunt, & adferunt secum lætitiam, gaudiũ & risum, in signum, quod Filius Dei ex illis nasciturus, sit mundo futurus gaudium, solamen & lætitia, ita enim Angelus annuntiavit Pastoribus: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi.* Audiamus nunc Authorẽ Thesauri novi qui juxta opinionem communẽ fuit noster doctissimus à Palatie, hanc doctrinam nunc explicatam magno Baptistæ accommodantem. Premit peculiari acumine gaudium quod persensit Elizabeth: mox ut fuit à Regina Angelorum salutata: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit infans in utero meo*, id est, vixdum percepi benignissimam & dulcissimam salutationem tuam, & statim infans in utero meo gestibus, & saltibus explicuit exultationem suam, & quod lingua non potuit exprimere, motu pedum demonstravit. Et meritò quidem inquit relatus Author: *Ipse namque est, secundus Isaac, qui interpretatur Risus unde poterat dicere Mater, risum mihi fecit Dominus ideò dicitur in textu, congratulabantur ei, quod Angelus prædixit: multi in nativitate eius gau*debunt

Gen. 21. v. 6.

Philo hic.

Luca 2. v. 16.

Luca 1. v. 44.

Thesaur. nov. Serm. 43. qui est de S. Ioanne Baptista.

debunt. Quasi apertius diceret; si in nativitate Isaac tot, & tanta exhibentur indicia communis iubili, & lætitiæ, quia præfigurabat ortum, & nativitatem Redemptoris, quantò ergò maioris iucunditatis, & lætitiæ materies, & & occasio datur in ortu Baptistæ, qui incomparabiliter magis similis fuit Salvatori. *Debuit præcursor Christi*, ait magnus S. Ambrosius, *aliquid habere simile Nativitati Salvatoris, siquidem Dominus de Virgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur, ille de adolescentula, iste de iam fessa generatur: sicut Mariã suspicimus, quod Virgo peperit, ita in Elizabeth miramur, quòd anicula procreaverit.* Consideret attentius utriusque nativitatem, quicumque voluerit nosse utriusque similitudinem, quia quantumcumque ambo sint inæquales, & dissimiles, uti sunt, præco, & iudex, lucerna, & dies, vox, & verbum, Dominus, & servus, voluit nihilominus amor eos ita assimilari in nativitate, ut unus nasceretur ex sterili, & alter ex Virgine, cum non sit minus prodigium, quòd Virginitas absq; læsione, aut detrimento suæ incorruptionis efflo-reat, quàm quòd senectus reluctante sterilitate generet, & prolem procreet, atque adeò in utraque nativitate, totum operatur virtus gratiæ, totum admiratur impotentia, & imbecillitas naturæ: *Gratia operatur, natura miratur.* Profectò ingeniosè excogitata.

D. Amb. Serm. 1. de S. Ioan. Bapt.

5. Posito, quòd in Christo (uti familiare, & commune est apud Theologos) duplex fuerit sanctitas, una essentialis, proveniens à persona; & altera accidentalis, nascens ex gratia remanet dubitationi locus, quonam modo Christũ Salvatorẽ appellabimus Sanctũ? S. Paulus sentit, & iudicat ipsum non solummodò esse nominandum Sanctum, sed ipsam sanctitatem; ut maxima eius puritatis excellentia significetur, quia hæc est natura, & indoles formarum, ut quando per se ipsas explicantur, quatenus sunt extra subiectum, nullum admittant contrariũm sui; & hæc est differentia inter sanctum, & sanctitatem, quod Sanctus potuerit, & possit esse peccator, & admittere quasdam imperfectiones, verùm sanctitas neque potuit, neq; potest admittere quidquã suæ perfectioni contrarium. Idcircò igitur dixit S. Anselmus de Christo, sequens aut innitens verbis S. Pauli: *Sanctus est & ipsa sanctificatio, iustus, & ipsa iustitia.* Et eo modo quo Christus semetipsum viã, vitam, & veritatem indigitavit *Ego sum via, veritas, & vita,* quia est vita immunis à tributo mortis, & veritas nullam patiens admixtionem mendacii, aut falsitatis, & tandem talis vitæ sanctitas, quæ nullam maculam, aut nævum culpæ admittit.

D. Anselm. ad 1. Cor. 1. v. 30. Ioann. 14. v. 6.

Supposita hac infallibili doctrina, operosius inquirendum restat, quis, aut qualis fuerit sanctus Ioannes Baptista. Dicent aliqui, imò fermè omnes, illum fuisse Sanctum eiusdẽ classis cum reliquis, quia solus Deus hoc discrimine, & differentia cæteros excedit, quòd ipse sit sanctitas ipsa; de ipso nãque solo cantamus, quod sit amor & charitas ipsa: *Deus charitas est.* Proprietas sanè ab hominũ conditione prorsus aliena, quorum perfectiones sunt accidentia, & ut talia simul cum subiecto suo unum compositum efficiunt. Magistrum non appellamus doctrinam, sed Doctorem, Regem omnipotentiam, sed potentem, neque mulierem nuncupamus pulchritudinem, & sed pulchrã, & formosam, & consequenter Ioannem non iustitiam, sed iustum vocamus, non sanctitatem, sed Sanctum, quia nomina illa abstracta, solam formam significantia, soli Deo, iure, & peculiari privilegio competunt, S. Paulo attestante, qui ait: *Qui factus est nobis iustitia, & sãctificatio.* Ita fieri debere dictat ratio, sed voluit Deus tanto honore condecorare, & extollere Baptistam, ut devotioni, & pietati facultatẽ cõcesserit, loquendi de illo, non secus ac de ipsomet Deo. Recurramus ad sacras Litteras, ne absque fundamento in aere castra metari videamur. Describens Regius Vates adventum Filii Dei in mundum, ait præparatorem hospitii illius fore iustitiam, quam præmitteret ad disponendas, & præparandas vias eius: *Iustitia ante eũ ambulabit.* Et si libuerit indagare, quem intellexerit Propheta per iustitiã, respondet nobis magna ingenii perspicacitate doctissimus noster Hugo Cardinalis, aliorum insistens opinioni: Iustitia ante eũ ambulabit; *Ioannes Baptista, præcursor erit Christi.* Et corroboratur maximè hæc appositio ex paraphrasi Hispani nostri Caceres, qui commentans hunc versiculum Davidis, asserit, quod iustitia saltabit ante Arcam, qui loquendi stylus soli Ioanni accommodari potest, strepitus namq; quẽ pedibus excitabat in utero matris suæ, existimat S. Chrysostomus, non aliud significasse, quàm saltum, & choream, qua divinus præcursor protestabatur gaudium orbis terrarum, quod adventus Filii Dei in mundum erat allaturus: *Saliebat, simul chorum ducens, & agrè ferens, quod teneratur*

6.

Ioan. Apost. Epist. 4. v. 8.

1. Cor. 1. v. 30.

Episcop. Astorgan. Caceres hic.

D. Ioan. Chry. ost. apud Surium tom. 3. in mense Iunii. tur in utero. Sed protinus oritur ratio dubitandi, quam ob rationem David Ioannem appellet justitiam, cùm nullatenus ignoraret hoc nomen appellativum esse adeò proprium Deo, ut nulli creaturæ, ne quidem accommodatitiè, aut mutuatè adaptari queat? Verumtamen si David, cujus lingua, & calamus fuit organum Spiritus sancti, nequivit ullum admittere errorem, & locutus fuit eodem idiomate, & eadem loquendi formulâ de Præcursore, quâ disseruit de Deo, proculdubiò voluit persuadere, & imprimere mentibus hominum, sanctitatem Ioannis Baptistæ, eumque esse talem, qui nedum erat contentus esse sanctus, & justus, ut cæteri Sancti, sed quodammodò competebat cum ipsa justitia, & quamvis non esset ipsa sanctitas, apparebat tamen similis illi.

7. Sed replicabit mihi quispiam, & objiciet doctrinam quamdam Fausti Patris antiqui, cujus sunt hæc doctissima, simul, & disertissima verba: *Homo duplex intelligi potest, qui vivens, & justus, & sapiens dici potest; vita autem, & justitia dici non potest, qui ita iis induitur, ut aliquoties exuatur: quod homini datum est, Deo insitum est;* id est, potest homo vocari justus, & sapiens in concreto, sed non justitia, aut sapientia in abstracto, quia taliter his exornatur perfectionibus, ut eas amittere queat. Id, quod homo habet per participationem, convenit Deo per essentiam, & naturam. Itaque virtus, & sanctitas hominis est vestis mutuatitia, seu commodata, & illa quasi mutuo data utitur; quæ si ita sint, nequit Baptista ullo protsùs modo justitia appellari. Vigens sanè, & difficilis videtur instantia; ast quia Deus est Dominus, & omnipotens, ad libitum disponit de bonis suis, ideò vestivit Ioannem gratia, imò ita eum stabilivit virtute, & sanctitate, ut nullus eum, teste Eusebio Emisseno, potuerit ea dispoliare: *Quid mirum, si in illo culpa aditum non invenit, cujus animam Deus in ipsis exordiis occupavit.* Et consequenter dignatus est eum tot illustrare donis gratiæ, & sanctitatis, ut plenis buccis liceat nobis ei accommodare nomina appellativa, soli ipsi Deo in sacris litteris appropriata; itaque appellando eum, *justitia*, possunt æquivocari personæ, accipiendo Ioannem, pro persona Christi.

Faust. Epist. tom. 3. Biblioth. Patr.

8. Attendite autem ad nomen, quod illi divino instinctu, & inspiratione fuit impositum: *Ioannes est nomen eius.* Præcipui interpretes conveniunt in legitima significatione hujus nominis, scilicet, illud gratiam Dei denotare: *Dei gratia interpretatur.* Huic opinioni suffragatur S. Hieronymus, Beda, Origenes, Rupertus, & alii. Hoc dato, componite mecum hanc doctrinam cum alia S. Apostoli Pauli, qui in Epistolâ ad Hebræos enarrans ea, quæ Filius Dei moriens pro nostrâ salute pertulit, in has prorumpit voces: *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Quæ plurimi interpretes exponunt, de beneficio, quod Deus præstitit mundo, dum filius ejus pro salute humani generis in Cruce ignominiosam subiit mortem. Hanc sequuntur viam plerique Moderni, ingenuè profitentes, se ab antiquorum explicatione recedere: verùm ego, securiori insistens semitæ, adhærebo expositioni Angelici nostri Doctoris S. Thomæ, qui asserit hanc interpretationem esse Glossæ, & S. Patris Augustini, qui per verbum illud, *gratia Dei*, Christum interpretatur; *Vel secundum, quod dicit Glossa Augustini, ut gratia, id est, ipse Christus, qui est gratia Dei, & sic gratia est nominativi casus: dicitur autem Christus gratia, quia Author est gratiæ, juxta illud Ioannis 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, vel quia est gratis datus, juxta illud Isaiæ 9. Filius datus est nobis.* Verùm hic nova exsurgit quæstio, qui nomen illud, quod S. Paulus attribuit Christo, possit Spiritus sanctus applicare S. Ioanni Baptistæ? An fortassè Ioannes est author, & artifex gratiæ? Aut forsitan fuit datus mundo, ut esset restaurator illius, quemadmodum Christus? Id non dicam ego: veruntamen audebo dicere absque ullo timore alicujus gravioris censuræ, etiam apud prudentissimos quosque, Deum fecisse Ioannem adeò eminentem, & illustrem Sanctum, & tam ad vivum in illo suas expressisse perfectiones, ut non solùm assimilaverit eum sibi, quia est filius gratiæ, sed etiam, quia est ipsamet gratia: *Ioannes est nomen eius.* Hinc occasionem, & motivum sumpsit gloriosus Gregorius Nazianzenus ad affirmandum optimam esse depositionem hominis ad dignè communicandum, & recipiendum sanctissimum Altaris Sacramentum, imitari Ioannem Baptistam, suamque vitam illius moribus conformare, quantum possibile fuerit, (uti egregiè dixit Guerricus Abbas: *Sanctitatem quam admirari possumus, imitari non possumus.* *Ita fiet*, inquit Gregorius Nazianzenus, *ut Pascha purè comedas, solitarii illius Ioannis, magnique veritatis præconis, præcinctionem imitans.* Et

D. Hieron. lib. de nominib. Hebraic.

Hebr. 2. v. 9.

D. Thom. hic lect. 8.

Guer. ubi sup.

D. Greg. Nazianz. Orat.

ratio in promptu est, meo judicio, quia cùm gratia sit, quæ nos disponit ad dignam receptionem sacræ Eucharistiæ, & Ioannes sit ipsamet gratia, imitari puritatem, & integritatem vitæ illius, est securissima dispositio ad accedendum ad illam supernam, & divinam mensam; quapropter non in vanum, aut absque mysterio conjunguntur hæc festa sanctissimi Sacramenti, & Ioannis Baptistæ, ad insinuandum nobis in puritate vitæ illius dispositionem, quam tam cœlestis, & divina mensa exigit, & requirit: *Caro mea verè est cibus.*

Ioannes est nomen ejus.

Caro mea verè est cibus.

CONSIDERATIO. II.

Nativitas Ioannis Baptistæ fuit certum prognosticon Nativitatis Christi, & quia Christus seipsum constituit sub Sacramento, voluit etiam Sanctus seipsum quodammodò velare sub Sacramento, & videtur omnimoda puritas necessaria, ut quis coram Ioanne compareat, non secus ac requiritur ad accedendum dignè ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

1. VNum ex præcipuis elogiis Sancti Ioannis, est, quòd sit præcursor Christi Domini: quapropter S. Mater Ecclesia, cæterorum oblita, hunc illi titulum in Kalendis adscribit: *Nativitas sancti Ioannis Baptistæ, Præcursoris Domini*, & jam dudum ante pater ejus Zacharias vaticinans prædixerat ei in illis verbis: *Præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.* Plurimi Oratores Evangelici, etiam majoris notæ, ad alium sensum detorquent verbum illud *Præcursor*, opinanturque hanc esse maximam S. Ioannis excellentiam, quòd, ubi cæteri viatores, & peregrinantes dicuntur in hoc mundo, ipse solus, *cursor*, indigitetur; ita ut, juxtà meditationem eorum, ea sit differentia inter Ioannem, & reliquos Sanctos, quæ inter lentè peregrinantem, seu tardo gressu incedentem, & celeri cursu properantem reperitur. Imò hasce adjungunt, illum ante reliquos instituisse iter suum, quia ab utero matris suæ incœpit, & ex hôc inferunt, quòd sicuti prior aliis prodiit, & in ipso cœpto itinere cæteris præcucurrit, consequenter etiam alios ita cursu præoccupaverit, ut omnes post se reliquerit, ita ut nullus ipsum assequi valuerit. Prudenter excogitatum.

Alii, & altiùs quidem mediantur, Ioannem non solùm fuisse cursorem, sed præcursorem Salvatoris, id est, ipsum cucurrisse ante Christum, & ipsum Salvatorem cursu prævenisse, *Præcursoris Domini.* Et reverà videtur non potuisse humani ingenii perspicacitas altius excurrere in laudes Baptistæ; cum namque Christus sit gigas fortissimus, qui celerrimè perfecit cursum suum; *Exultavit ut gigas ad currendam viam*; habeatque nomen sibi impositum apud Isaiam; *Accelera velociter festina;* & nihilominùs nobis dicat S. Mater Ecclesia Baptistam cucurrisse in hoc mundo, non ad latus, aut retrò, sed antè, *Præcursoris Domini*, & quòd Dominus quodammodò in cursu posterior remanserit; haud dubiè magna fuit Præcursoris Baptistæ velocitas. Perpulchrè profectò ponderatum, & ingeniosè expensum. 2. Psal. 18. v. 6. Isai. 8. v. 1.

3. Verùm ego flocci facio conceptus subtiliores, nisi in ipsa littera fundentur, & testimoniis sanctorum Patrum nitantur; quapropter, ut securius incedamus, & sano modo intelligamus verbum illud, *Præcursor*, debemus limitare, & restringere hanc præcursionem, dicendo hanc fuisse prioritatem temporis inter nativitatem Ioannis, & Christi, quia præcessit Ioannes Christum conceptione, & nativitate, non tamen meritis, ut omnibus notum est: quinimò ex hoc elicio primam clausulam tituli hujus secundæ considerationis nostræ, videlicet, nativitatem S. Ioannis fuisse certum prognosticon nativitatis Christi Domini: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, dedignabatur quodammodo Verbum divinum venire in mũdum, donec ipse Baptista non nasceretur in illo verũ ubi eum jam hominẽ conspexit, protinus decrevit humanã assumere naturam. Enucleemus modò aliter versum illum Davidicũ, quẽ paullo ante in præcedẽti discursu tetigimus: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos:* id est, præcedet Iustitia Filium Dei, Ioannes Baptista Christum Redemptorem, uti commentatur eminentissimus noster Cardinalis Hugo: *Ioannes Baptista præcursor Christi* & hac prævia dispositione, inquit Regius Vates statim accinget se itineri, & ponet in *via gressus suos*: Tamquam diceret Propheta ut veniat Deus in mundum, necesse est, ut præveniat prodro- Psal. 42. v. 3. Psal. 84. v. 14.

prodromus Ioannes, quia quãdiu mundus illũ non habuerit, qui sanctitate sua Deum impellat ad descendendũ è sinu Patris, non movebit pedem, nec incipiet percurrere viam nobis adeò utilem, & necessariam. Sit igitur Ioannes homo similis nobis: *Iustitia ante eum ambulabit*, ut saltem Deum permoveat ad incarnationem, eumque assumendũ humanam naturã, impellat, ut unà cum ipso homo factus redemptionis opus instauret: *Ponet in via gressus suos, Ioannes Baptista præcursor erit Christi.* Et hoc modo adeòpere placuit ei natura nostra, ut nato Ioanne inde mundo mox eam induerit, & assumpserit. Et hocce mysterium continet, (nisi me fallat ingeniũ) quod dilectissimus discipulus inter Verbum divinum in sinu Patris, & ipsum in nostrum incarnatum, collocet Baptistã, hominem factum, veluti medium: *Verbum erat apud Deum: fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: & Verbum caro factum est.* Quasi diceret: ille Dominus, qui videbatur dedignari humanam induere naturam, mox ut vidit Ioannem hominẽ factum, statim assumpsit rudem, & asperam humanitatis nostræ togam, ut ei conformaretur in nota cohortali, seu indumento nostro, & in natura humana ei assimilaretur.

Ioan. 1. v. 1. & sequentib.

4. Adeo formosa, & pulchra apparuit illi natura nostra, ut quamvis ex conditione propria rudis, & si villosa esset, ubi tamen eam in Ioanne contemplatus est, veluti trabeam, & splẽdidum vestimenti ornamentum æstimavit. Si quis iuxta sensum litteralem intellexerit verba illa, quæ Angelus, promittens miraculosum illum filiũ, annũtiavit Zachariæ: *Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi filium*, existimabit, filium illum fuisse concessum, & donatum Zachariæ propter efficaciam precum eius, verùm difficultatem hanc enodat S. Augustinus, relatus à S Thoma in catena aurea, qui nequaquam admittit verba illa hunc reddere sensum, imo asserit nullatenus tale quid summo Sacerdoti in mentem venisse: *Usque adeo ille se iam habiturum filium desperabat, ut hoc Angelo promittenti non crederet.* Iam omnẽ habendæ prolis spem amiserat, tam propter naturale utriusq; coniugis impedimẽtum, quàm etiam propter decrepitam senectutem suam, quocirca certum est, illum neutiquã postulasse filium, quem nullo modo sperandum ratio dictabat. Ecquis igitur scopus petitionis illius fuit? *Quod autem dicitur, exaudita est deprecatio tua, pro populo intelligendum est*: prosequitur sanctus Augustinus: offerebat Zacharias sacrificium pro peccatis populi, exhibens, & repræsentans Deo miserias, & calamitates illius, & instantius postulans à Deo mitti Messiam, unicum perditorum hominum remedium: & hæc oratio, quam cœlestis legatus ei pronuntiat esse exauditam, attamen semper eadem remanet difficultas: si namque hæc illius erat deprecatio, videtur non omninò suum sortita effectum, postulanti enim Messiam conceditur Baptista, & idcirco illi dicitur, quod exaudita sit deprecatio eius: *Exaudita est deprecatio tua, uxor tua pariet tibi filium* Huic obiectioni occurrit idem magnus Doctor, suũ concludens discursum: quòd Zacharias in promissione talis filii votorum suorum compos fiebat: *Quoniam populi salus, & redemptio, ac peccatorum abolitio per Christum futura erat: ad hoc nuntiabatur Zachariæ filius nasciturus, qui Christi præcursor destinabatur.* In filio sibi promisso habuit Zacharias, quod petiit, & quod orationibus suis sollicitabat: quia nullum erat evidentius argumentum futuri adventus Messiæ, quàm nativitas Ioannis, quasi iudicans impossibile, quòd non statim inclinarentur cœli, & descenderet Filius Dei factus homo, quando iam Ioannes esset natus in terris.

Luc. 1. v. 13.

D. Aug. in caten. D. Thom. hic.

Et consequenter nemo reputabit paradoxum, meum loquendi modum, scilicet, quòd quia Ioannes se suo Sacramento occultavit, voluerit etiam Christus sub Sacramento abscondere. Nonne meministis illius, quod Christus Dominus, agens chronicum, & præconem laudum ipsius, dixit per S. Matthæum: *Ecce ego mitto Angelum meum?* Ita sane. Audite ergo divinum Chrysologum, solita ingenii sui vivacitate disserentem super hæc verba: si Baptista est Angelus, & gaudet dotibus, seu privilegiis Angelorum, qui ergò videmus eum hominem, & tangimus eum tamquam carnes, & ossa habentem? Quonam modo? *Ut fieret Sacramenti filius inter Sacramenta concessus.* Adeo excellens fuit puritas Ioannis, adeo heroica illius virtus, adeo sublimis eius sanctitas, ut ad hæc encomia attendens Salvator, eum Angelum nuncupaverit, (non quod fuerit per naturam Angelus, uti aliqui apud Origenem senserunt, sed per gratiam, & officium. quod potest esse maioris excellentiæ, quàm per naturam, quamvis enim aurea tela nobilior sit vili panno, potest tamen vilitas panni

Matth. 11. v. 10.

D. Petri Chryso. seq Serm. 88.

Origenes tom. 5 in Ioann. ex illo Ma.

...elaborati, & acu pingi, aut auro obduci, ut etiam pretio telam auream, vel vestem serricam superet, & excedat.) Ioannes itaque homo, & fruens privilegio Angeli, & promeritus honorem spiritus, semetipsum quasi sub Sacramento abscondit, & hoc est quasi (ut rusticè loquar) sacramentari, ut supponit sanctus Doctor, & titulo humilitatis abscondit excellentiam, & magnitudinem Angelicam occultavit sub involucro carnis, & gloriam spiritus nube humanitatis obtexit. Itane? videtur dicere Redemptor, Ioannes sub Sacramento carnis humanæ abscondit gloriam, & dignitatem suam? ego pariter volo sub velamine Sacramenti latere, & divitias cœlestes, seu splendores gloriæ cum rudi humanitatis toga commutare, & occultare magnitudinem divinitatis meæ sub carne hominis, & sub involucris, seu speciebus panis, & vini, imò sub velo accidentium constituam me ipsum, ut omni modo possibili, dilectissimo meo præcursori assimilari valeam. Hic est sensus, quem ego adscribo verbis, & sententiæ S. Archiepiscopi Ravennatis: *Vt fieret Sacramenti filius, inter Sacramenta concessus*, id est, fuit Ioannes prævia dispositio, ut Christus sub Sacramento Altaris velaretur.

6. Veluti arcanum Sacramentum suspexit mũdus, & veneratus est Ioannem, quia ad comparendum coràm illius præsentia eadem utebantur homines dispositione, qua fideles ad sacram accedebant Eucharistiam: id est, absque reatu, seu conscientia peccati mortalis, quemadmodum decernit Concilium Tridentinum, quæ præparatio adeo necessaria est, ut sit saltem præcepti divini positivi, à Christo statuti, & Ecclesiæ per SS. Apostolos promulgati. Et egregiè hanc dispositionem confirmant verba illa Paulina: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Omnibus loquitur Apostolus, quia homo ibi supponit pro natura humana, & singula ejus complectitur individua. Verùm animadvertit S. Anselmus: & curiosius examinat, num si daretur homo addò purus, & integræ vitæ, ut non indigeret tali discussione, & examine, quia non habet conscientiam alicuius delicti ream, en ille adstringeretur præcepto Paulino de probatione sui ipsius? anima namque à peccato immunis, non habet quidquam purificandum. Nihilominus, inquit S. Anselmus, documentum Apostolicum non est minus grave, & necessarium, quàm salutare: *Quia etiã ex eo, quod homo est, sine peccato non est.* Coram Deo sub Sacramento velato nemo purus, nemo adeo sanctus est, quin habeat aliquid expoliendum, & emendandum.

Concil. Trident. Sess. 13. c. 7. 1. Cor. 11, v. 28. D. Anselm. hic.

7. Quocirca per confessionem expurgatur anima, fitque capax, & idonea ad panem cœlestem dignè recipiendum. Describens sacer chronicus Matthæus, nativitatem Christi, asserit eum fuisse natũ in Bethlehem Iudæ: *Cũ natus esset Iesus in Bethlehem Iuda.* Theophylus Pater antiquus argutè premit significationem harum vocum, seu terminorum, Iuda, & Bethlehem, & magnum in illis detegit arcanũ: *Bethlehem domus panis, Iuda vero confessio interpretatur, illic natus est Iesus, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Quapropter hac mystica connexione verborũ edocuit nos S. Evãgelista, illũ Dominum, qui de se dixit: *Ego sũ panis vivus qui de cœlo descendi*, solummodo nasci in loco, ubi erat confessio: argumẽtum evidens, dispositionem necessariam ad recipiendum Deũ sub Sacramento, esse integrã & humilem omnium delictorum confessionẽ.

Matth. 2. v. 1. Theophy. hic.

Attendite nunc ad ea, quæ S. Evangelista Matthæus refert de iis, qui in desertum ibant ad quærendum Ioannem: *Baptizabantur ab eo, confitentes peccata sua:* id est, confitebantur illi delicta sua, non solum, quia crimina sua per confessionem manifestabant, sed quia videntes ejus personam, etiam adhuc inaudita ejus prædicatione, ita commovebantur, ut spontaneè errata sua confiterentur, vita siquidem illius, cilicium, & austeritates vivendi, ita intuentes confundebant arguebantque, ut non auderent coràm illo subsistere, sed aperta voce, & quidem publicè crimina sua propalarent; & forsitan illuc collimabat aureum os Chrysostomi, dicens: *Inimitabilis erat conversatio Baptistæ, omnium vitam apparere faciebat culpabilem.* Vita integra conscientia quantumcumque pura, comparata integritati Ioannis Baptistæ, sordida apparebat, & quemadmodum lineum, quamvis candidissimum, coràm nive obscurescit, ita coràm sanctitate, & integritate Ioannis, etiam perfectissimi vitæ mores, veluti peccatorum nævis offuscati apparebant: *Quantùm ad comparationem Ioannis*, concludit S. Chrysostomus, *omnis homo videbatur immundus.* Nonnè videtis, quomodo Sanctum nostrum, quasi Sacramentum venerabantur? Et meritò quidem, quia sicuti omnia opera nostra bona

Matth. 3. v. 6. D. Chrys. sost. de S. Ioann. Baptista.

bona coràm Deo in sanctissimo Sacramento abscondito, apparent vitiosa, & egena, ita etiam quævis perfectiones : & virtutes, quamvis eminentes, coram Baptista videbantur immundæ, & cœno peccatorum involutæ, quid igitur mirum, quòd cœlum Ioannem ipsum gratiam indigitet? *Ioannes est nomen eius.* Quodque nos admoneat, ut ad comparendum coram eius præsentia, prævia peccatorum confessione nos præmuniamus, sicuti solemus nos disponere ad dignè recipiendum, ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, sive ad Deum sub ipso Sacramento occultatum. *Caro mea verè est cibus.*

Ioannes est nomen eius.

Caro mea verè est cibus.

CONSIDERATIO III.

Sicuti Sacramentum Eucharistiæ æquiparatum aliis Sacramentis, est fons, & origo gratiæ, ita videtur gratia Ioannis, esse fons & scaturigo gratiæ cæterorum Sanctorum.

1. EST constans doctrina eminentissimi nostri Cardinalis Cajetani, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum comparativè ad alia esse, veluti fontem, respectu rivulorum, qui ex illo tamquam scaturigine, emanant, & nascuntur, & aquas suas ab eo participant, quia cum verè, & realiter in se contineat fontem omnis gratiæ, nimirum, ipsum Deum, hoc excellentiæ elogium illi respectu cæterorum meritò attribuitur: *Hoc Sacramentum se habet ad reliqua, ut fons gratiæ ad rivos gratiarum.* Et eidem subscribit sententiæ doctissimus Algerus, licèt eam aliis & distinctis explicet verbis: *Carnis, & sanguinis Christi mysterium, non solum nobis, sed etiam sibi ipsi in aliis mysteriis censum egit.* Ac si diceret: cætera mysteria tributa pendũt sanctissimo Sacramento, eique honorem deferunt (& si dicere liceat) cætera omnia sunt tributaria illius, nam *censum agere*, nihil aliud est, quàm censum exigere, aut vectigal instituere persolvendum. Itaque omnia Fidei nostræ mysteria, sive sint gaudiosa, sive dolorosa, sive gloriosa, sunt tributaria, & jus clientelæ sacro Eucharistiæ Sacramento rependunt, & beneficium ab illo receptum grata agnoscunt.

Caiet. 3. p. q. 79. art. 1.
Algerus de Sacramentis.

2. Ex dictis facilè colligitur, quantùm Baptista sanctissimo Altaris Sacramento assimiletur. Innitor non solùm dictis Guerrici Abbatis: *Beati Ioannis tam magnificè sanctitas effloruit supra modum aliorum, ut crederetur Sanctus Sanctorum*, id est, adeo excelluit sanctitate, ut reputatus fuerit Sanctus Sanctorum, à quo cæterorum virtus, & sanctitas derivatur, sed etiam vocabulo nominis illius, quod cœlum illi imposuit, *Ioannes est nomen eius*, quòd iuxta interpretationem nostri Doctoris S. Thomæ, idem sonat, ac gratia Dei, *Ioannes est gratia Dei*. &c. quid autem gratia Dei efficit, & operatur? Id notissimum est, & S. Paulus dilucidè explicuit, illam, videlicèt, Sanctos facere. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Si bonus, si sanctus sum, id gratiæ Dei attribuere debeo: ergo si Ioannes est gratia, cæteri Sancti omnem sanctitatis suæ excellentiam illi referre debent. Et, ut paucis plura cõplectar, est Ioannes unus pro mille, imò pro omnibus, quia ab illo, veluti fonte, & omnium bonorum scaturigine cæteri gratias, & dona supernaturalia participant. Præcepit Deus Moysi ut eligeret septuaginta viros ex optimatibus Israel, eosque secum duceret ad ostium Tabernaculi, promisitque illis se oblaturum de spiritu eius, ad dandum illis, quo corroborati, & instructi, possent esse digni cooperatores, & adiutores eius: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri: & duces eos ad ostiũ tabernaculi fœderis, faciesque eos ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Pondarans hæc doctissimus Origenes, in has disertissimas simul ac gravissimas prorumpit voces: *Non intelligendum est, quasi materialem, & corporalem substantiam in septuaginta portiones secuerit, & unicuique particulam dederit: impiũ enim est intelligere hoc de natura Spiritus S. Sed Moyses, & spiritus, qui erat in eo, quasi clarissimi luminis lucerna fuit, ex qua septuaginta Deus accendit: ad quos principalis luminis splendor advenit: & origo ipsius nihil dãni ex derivatione accepit.* Nõ sic intelligendum est, quod Moyses idcirco minorem haberet spiritum, quia Deus non est pauper spiritu, ut debeat auferre ab uno ad dãdum alteri, sed taliter erat communicaturus illis spiritum Moysis, ut hic æquè repletus re-

D. Gueric Abb. Serm. 1. de S. Ioann.
D. Thom. hic.
1. Cor. 15. v. 10.
Num. 11. v. 16.
Origen. hom. 6. in Numer.

maneret, ac proinde ablatio spiritûs à Moyse, idem fuit, inquit Origenes, ac accendere lucernam, eiusque lumine, cæteros illuminare absq; ulla iactura, seu detrimento lucernæ, ita ut absque ulla diminutione spiritus Mosaici, septuaginta illi viri abundantissimè ab illo spiritum novum receperint, & communicaverint. Tamquam diceret Deus Moysi, incendam in te, & spiritu tuo septuaginta illos viros, & quemadmodum lucerna extincta debet lumen suum alteri rursus eam accendenti, ita etiam illi participabunt spiritum tuum, te remanente tamquam fonte luminis, cui totum sui spiritus splendorem referre, & attribuere debebunt. Nonnè Ioannes est lucerna ardens, & facula accensa ab anhelitu, & spiritu Dei? Ita profectò, quia hoc nomine eum indigitat Euangelium: *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Ex spiritu igitur illius haurient cæteri suam sanctitatem, virtutem, & spiritum, recipientes ab illo lumen suum, & quodammodo obstricti illius sanctitati, ex qua eorum virtus derivatur, & veluti rivus gratiæ à fonte bonorum cœlestium affluenter promanat.

Ioan. 5. v. 35.

3. Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum non absque fundamento appellat S. Dionysius Areopagita, reliquorum Sacramentorum perfectionem, & coronidem: *Omniũ Sacramentorum perfectio, & consummatio:* Cuius verba nobis occasionem, & ansam præbent enucleandi, & perscrutandi egregiam quamdam analogiam inter Præcursorem divinum, & sanctissimum Altaris arcanum. Revocemus in memoriam ea, quæ Salvator mundi quondam Ioanni, renuenti baptisma conferre Christo, respondit: *Sine modo, sic enim decet nos omnem implere iustitiã:* Quasi diceret, noli, ô Ioannes, admirari, aut obstupescere, quia motivum, ob quod ego cupio, & debeo à te baptizari est, quia in fœnore, & lucro huius actionis totum complementũ sanctitatis consistit: itaque manifestè declaravit Christus complementũ, & ultimatam perfectionem virtutis, & coronidem sanctitatis consummandam ab utroque dependere: ex quo infertur, quòd si Ioannes cum Christo debebat perficere, & ultimam manum adhibere virtuti perficiendæ, totam illam in eo, veluti compendio, fuisse, ac proinde ubicumque sanctitas reperta fuerit, sive in hoc, sive in illo Sancto, certum, ac indubitatum est, eam esse vectigalem Baptistæ, cum à Christo, & ab illo tota eius perfectio, & excellentia dependeat, & derivetur.

D. Dionys. Areopag. de Hierarh. Ecclesiast

Matth. 3. v. 15.

4. Nunc tandem capio locum quemdam obscurissimum Isaiæ Prophetæ, quem aliquamdo post diuturnum studium inexplicabilem existimavi, & nunc meridiana luce clariorem judico: *Apprehendent septem mulieres virum unum* id est, solicita aviditate ambient nuptias illius, ut titulo sponsarum eius protegantur auxilio, & honore, seu magnitudine nominis illius condecorentur. Scio quidem Euangelicum Vatem in sensu litterali describere excidium urbis Ierosolymitanæ, quæ cum esset maximè populosa, à Babyloniis depopulata, plurimis morte mulctatis, iuventute in captivitatem abducta, adeò ruinæ, & excidio vicina fuit tota illa florentissima Respublica, ut mulieres, quæ supremum illud exterminii periculum evaserant, lugerent præsentaneam sterilitatem suam, timentes, ne deficiente progenie sua, Messiam essent pariturae. Verùm prætermisso sensu Historico, Origenes allegorizans eadem verba, existimat per septem illas mulieres intelligi septem dona Spiritus sancti, sive septem virtutes, quæ, quamdiu Christo, capiti, & Sponso Ecclesiæ, non inhærebant, nõdum consummatam assequebantur perfectionem: *Septem mulierum spiritus, & c revera abstulit opprobrium* IESUS. Perpulchrè ponderatum! at ego, salva eius venia, urgeo hanc doctrinam, & audacter affirmo, ita intelligendum esse hunc Textum de Christo, ut tamen etiam de Præcursore eius verificetur, quem non absq; mysterio sanctus Euangelista hominem nominavit: *Fuit homo missus à Deo.* Fundamentum autem meum hoc est quia non solus Christus, sed Ioannes unà cum illo adimpleverunt omnes virtutes, & perfecerunt sanctitatem, secundùm verba superius allegata: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Et confirmatur discursus meus ex illo, quod Propheta nomine omnium virtutum subiungit, quæ unanimi voce rogabant virum illum, ut illis succurreret, patrocinaretur, & nomine suo eas protegeret, hocque esse unicum votum & desideriorum suorũ finem: *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos.* Et cùm exploratum sit omnia virtutum incrementa originem, & principium suum habere ex gratia, quia ad mensuram gratiæ in anima, augentur, & crescunt virtutes: si nomen Ioannis gratiam sonat: *Ioannes, id est gratia Dei,* meritò virtu-

Isaia. 4. v. 1.

Origen hom. 5. in Isaiam.

Ioan. 1. v. 6.

virtutes omnes eius implorant opem, ut nomen illius sibi assistat, quo maioris æstimetur, & indies de bono in melius proficiant, quasi ingenuè profitentes, omne suum argumentum à gratia Dei, (quæ vocatur Ioannes) derivari, tamquàm à fonte, & scaturigine omnis profectus spiritualis.

5. Ex hac doctrina infertur Ioannem Baptistam, non solùm esse fontem sanctitatis, in quo resident simul omnes virtutes, quibus exornantur iusti, & illustrantur, sed etiam esse veluti Epitomen quamdam virtutis, & compendium quoddam totius sanctitatis. saltem eo collimabat dictum Ioannis Episcopi, Patris antiqui, quando illum summam legis appellavit: *Baptista est legis summa.* Et quamvis hoc elogium plures admittat sensus, perplacet tamen ille, quem ex diserto quodam Oratore audivi. Ecce, aiebat, quando de expensis rei familiaris alicuius prædivitis, aut magnatis, ratio, aut supputatio initur, singulæ expositorum partes ad marginem adnotantur, tantum istius, & tantum illius, & tandem ad finem paginæ summa omniũ conficitur, & ad unam brevissimam lineam omnium expensarum epitome, seu, ut fertur, summa summarum reducitur; pari prorsus modo actum fuit in lege scripta, in cuius libro variæ sunt descriptæ partes, ibi ille cum titulo Prophetæ, alter cum nomine Martyris: unus dictus amicus Dei, alius elogio virginitatis exornatus, alius cum epitheto zelatoris gloriæ, & honoris divini, abstinentis, & tandem milleni variis coloribus, & encomiis depicti; sed omnia hæc habet Ioannes, & in illo solo omnes virtutes adunatæ reperiuntur, quæ in multis sunt dispersæ, & divisæ: rectè igitur nuncupant Ioannem summam Sanctorum, & legis, quia in illo omnes virtutes summatim continentur, quæ in cæteris per partes, & summas minores erant divisæ, & distributæ.

Ioann. Episcop.

6. Coronidem imponat huic Considerationi alia quædam singularis prærogativa Ioannis Baptistæ, quam paucis quidem, sed elegantissimis verbis complexus est mellifluus Doctor sanctus Bernardus, quam etiam nos alibi in Mariali nostro, in Tractatu primo de Rosario, consideratione sexta, iam expendimus. Sanctus Ioannes, inquit contemplativus, & devotus Abbas, est: *Splendor Sanctorum.* Si videres crucem auream, aut aliud quidpiam lapidibus pretiosis consitum, adamante, carbunculo, smaragdo, saphyro, aut alio quovis lapide exornatũ, quid pulchrius, quidve inter hæc omnia visu iucundius? An forsitan fulgor adamantis, an flammeũ carbunculi decus, an scintillatio smaragdi, aut splendor cæterorum? Nequaquam, sed confusa illa venustas, & decor ex omnibus illis collectim prodiens, maximè exhilarat. Ita est, inquit sanctus Bernardus, magnus Baptista: *Splendor Sanctorum:* quia in illo, veluti summario, omnium profectio, & pulchritudo continetur; nam in illo reperitur adamas virginitatis, carbunculus, seu pyrôpus martyrii, smaragdus confessionis fidei, & veritatis, & ut verbo dicam, in illo est *Splendor Sanctorum.* Ipse lumen est, à quo cæteri Sancti omnium gratiarum, & virtutum suarum fulgorem participant; uti liquidò constat ex eius nomine, quod gratiam Dei significat: *Ioanes est nomen eius.* Eo, videlicet, modo, sicuti, quia augustissimum altaris Sacramẽtum est quoddam compendium omnium mysteriorum salutis nostræ, ideo non datur particularis articulus illius, quia ipsum est veluti corpus omnium articulorum Fidei, siquidem in Sacramento, comprehenditur Deus homo, Deus mortuus, Deus resuscitatus: quãvis verba, quibus Salvator de hoc ineffabili Sacramento loquitur, tantummodò mentionem faciant carnis, & sanguinis sui pretiosissimi: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Ioannes est nomen eius.

Caro mea verè est cibus.

CONSIDERATIO IV.

Quod Ioanni denegetur divinitas, est maxima virtutis illius excellentia, & dignitas, qua extollitur super omnes, neque ullus cum eo conferri, aut æquiparari potest.

DEscribens S. Athanasius peccatum primi Angeli, & referens plurimas aliorum opiniones circa illud, inter cætera recenset dictum quorumdam, quod prima frõte mihi exoticum apparuit, quia asserit quosdam autumasse peccatum Luciferi in hoc fuisse, quòd voluerit adorare Adamum, mox ubi eum à Deo creatum conspexit, eò quòd vidẽs crea- 1.

 curam

turam adeò perfectam, tot, tantisque gratiarum, & virtutum ornamentis tam munificè dotatam, è manibus Dei prodiisse, quamdam ei divinitatem attribuerit. Ita ut, statim ac oculos suos conjecit in ipsum, (liceat ita loqui) tantum fuerit captus amore ipsius, ut cogitatione suâ decreverit eum, tamquam verum Deum, cultu latriæ venerari, & singulari adoratione prosequi. Verùm, inquit S. Antistes, fuit hæc mera fictio, & peregrina quædam aliquorum mentis hebetudo; cùm indubitatum sit, & omninò certum, primum Angelum jam antè creationem Adami in peccatum fuisse prolapsum: *Fabulantur quidam, quòd deciderit, eò quòd Adamum adorare voluerit: hominum stultorum commenta sunt hæc. Diabolus enim, antequàm creatus esset Adam, cecidit.* Sed esto, quòd sit figmentum, Angelos voluisse adorare protoparentem nostrum Adamum: docet tamen nos fides catholica, quòd quemdam filium ipsius, (si fas est eum ita nominare, qui juxta doctrinam SS. Patrum est filius gratiæ) Ioannem dico, voluerint homines adorare, eique cultum, soli Deo debitum, attribuere: & quia Spiritus S. prævidit hanc ineptam insaniam futuram, ex industriâ antevertit, & occurrit imminenti periculo, per os, & calamum sancti Evangelistæ, dilucidè manifestans, ipsum, quantumvis Angelum per gratiam, esse tamen hominem per naturam, ne homines, vanâ imaginatione decepti, ipsum esse Deum hominem factum sibi persuaderent. Idque disertis expressit verbis S. Cyrillus Alexandrinus, enucleans dictum S. Ioannis Evangelistæ, loquentis de S. Ioanne Baptista: *Fuit homo missus à Deo. Meritò*, inquit doctissimus Pater, *de beato Baptista, ut à mortali homine, ac creato, fuit, exclamat, nec isto solo contentus, tutissimè adjecit, homo, temeritatem nonnullorum evertens.* Notanter advertit S. Evangelista Ioannem fuisse naturâ hominem, mortalem ac creatum, adjiciens, *homo*, ad occludendum os stultis quibusdam Deicolis, qui inani quadam permoti devotione, ipsi divinitatem erant attributuri. Easdem cautelas repetiit idem S. Evangelista (adnotante doctissimo Abbate Ruperto) quando titulum lucis, qui tamen Apostolis, & Discipulis Christi adscribitur, Ioanni nostro denegavit: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Et investigans Tuitiensis rationem hujus negationis, non reperit aliam, nisi ut evitaretur error circa divinitatem Ioannis: *Lux iste denegatur, quia lux idem, & Christus esse putabatur*; ne æquivocaretur lux creata cum divina, & reputarent Ioannem esse primævam, & indeficientem lucem, ideò sacra Historia tot utitur cautelis.

D. Athanas. quæst. 6. ad Antioch.

D. Cyrill. Alexand. in c. 1. Ioan. c. 7.

Ioan. 1. v. 8.

Rupertus hic.

2. Post interfectionem Abelis, & supplicium Caini, natus est Adamo alius filius nomine Seth, qui habuit filium dictum Enos, de quô sacra refert pagina: *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Fuit hic primus, qui solemni ritu, & cæremoniis invocavit nomen Dei. Et rectè quadrat nomen Enos facto, seu rei, quia secundùm interpretationem sancti Hieronymi, idem sonat, quod, *Obrutus malis, & ærumnis.* Et notat sanctus Doctor ipsum, primitus fuisse expertum mala, & incommoda culpæ, ideoque agnoscendo Deum solum esse, qui illis mederi poterat, cœpisse altaria erigere, & sacrificia immolare. Hæc est familiaris, & communis omnium fermè Interpretum explicatio. Cæterum instituto nostro in primis servit expositio Theodoreti, & S. Cyrilli, juxtà translationem Aquilæ: *Tunc*, inquit Aquila, *cœptum est invocari in nomine Domini.* Et prosequitur Theodoretus hisce verbis: *Subindicat sermo ille quòd propter pietatem primus hic divinam appellationem sortitus est, & à cognatis vocatus est Deus.* Fuit Enos primus, qui propter singularem virtutis excellentiam Dei nomen adeptus est, quia parentes, & cognati raram ejus sanctitatem admirantes, veluti Deitatem quamdam, eum sunt venerati. Et sanctus Cyrillus Alexandrinus hanc extendens, & amplificans doctrinam, asserit, ideò homines illius ævi tanta veneratione fuisse prosecutos sanctum Enos, quia animadvertebant eum sedulò vacare exercitiis justitiæ, & operibus cæterarum virtutum: *Nam quoniam summa virtute præditus erat, meritò laudabatur, & vocabulo Dei ab his, qui tunc erant, honoratus: nominatus est enim Deus, omnis justitiæ, & virtutis existens studiosus.* Insigne profectò elogium Enos, proculdubio magna est opinio, quam illi virtus, & pietas apud omnes conciliaverat: tanta enim fuit illius æstimatio, & authoritas, ut Deus nominari promeruerit: quamvis tamen numquam sibi firmiter persuaserint homines illum esse verè Deum, cùm illum probè nossent prognatum Adami, juxta leges, & communes humanæ naturæ conditiones. In Ioanne autem valde diversæ militabant rationes; quia cùm nativitas ejus fuerit adeò miraculosa, & tot admirandis circum-

Gen. 4. v. 26.

D. Hieron. de nominib. Hebraic.

Theodor. quæst. 47. in Genes.

D. Cyrill. lib. 9. contra Iulian.

circumstantiis adornata, operæ pretium fuit, quòd Spiritus S. præveniens admoneret, & declararet ipsum esse hominem, & non Deum; quia nisi nos Fides illuminaret circa hanc veritatem, facilè contingere posset, quòd humana devotio aberrans in idololatriam prolaberetur.

3. De Noëmo refert sacra Historia, quòd post generalem diluvii inundationē cœperit agros, seu terram excolere: *Cœpit Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam*, id est, fuit primus, qui cœpit agriculturam exercere, seu terram colere; sed præsertim rationem attendo sacrorum Interpretum, quòd divinus Textus ex industriâ, & composito Noemum indigitet agricolam; & maximè ingenio suo premunt verbum illud, *vir*, existimantes illud esse supervacaneum, dicendo enim: *Cœpit Noe agricola exercere terram*, satis superque declarabatur sensus propositionis, & studium, seu exercitium Noemi. Doctus Commentator Ioannes Ferus responsione suâ insignem nobis suggerit conceptum, apprimè assumpto nostro subservientem: *Qui hactenùs tanta de Noe dixerat, ne quis putaret eum Angelum fuisse, aut aliquid dignius homine, dicit eum hominem.* Extulerat Spiritus sanctus per calamum Moysis Noemum, ejusq; virtutes magnis encomiis deprædicaverat: eò enim devenerat, ut ipsum solum coràm Deo justum, cæteros autem peccatores affirmare non vereretur, quodque propter merita illius Deus universum terrarum orbem funditùs non deleret, & plura similis excellentiæ elogia de illo enuntiaverat, unde illa audiens, potuisset quispiam Noemum suspicari esse Angelum, aut alterius eminentioris naturæ: ne ergò alicujus temerariæ præsumptionis præberet ausam, aut occasionem, solicita cura exprimit calamus Moysis Noemum esse hominem paris naturæ cum reliquis, & ne ipsum reputent divinæ consortem naturæ, introducit eum agricolam, & vacantem cultui terræ: hoc namque insinuant verba illa, quibus Moyses ejus studium, & exercitium describit: *Vir agricola, cœpit exercere terram.* Ast quantò potiori jure debuit omni diligentia prævenire, & nos admonere sacer Historicus, delineans, & depingens nobis personam Baptistæ, de quo ipsa veritas tot encomia tam peregrina prædicaverat, quemq; suo ore, & aperta voce Angelum nuncupaverat: *Ecce, ego mitto Angelum meum.* Omnes hæ cautelæ, & præventiones, imò majores erant necessariæ, ne indicia, sive signa divinitatis, quæ Ioannes exhibebat, effuscarent humanos intellectus, eosque in errorem abducerent, existimantes Ioannem non hominem, sed Deum esse.

Gen. 2. v. 20.

Ioan. Ferus hic.

Matth. 9.

4. Et hanc ob causam, inquit Dionysius Carthusianus, sacro attestante eloquio, Ioannes Baptista nullum addit miraculum, uti prædictum fuerat de Messia, quod plurima in fidem adventus sui miracula patraret, si enim Ioannem miracula & prodigia facientem vidissent, proculdubio illi supremam Messiæ dignitatē obtulissent, *Nullum fecit miraculū sicut Ioannes Evangelista; manifestè habet, & hoc ideo ut Iudæi adverterent non ipsum Ioannem, sed Iesum esse veraciter Christum, seu Regem Messiā, de cujus miraculis Isaias Propheta prædixit. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Quapropter nedū conveniēs fuit, sed etiam necessarium, ut Ioannes non faceret prodigia aut portenta, ne tanquā Christus haberetur, neve Ioannes inquit Theophylactus superinducens sanctitati morum, ac probitatis vitæ suæ admiranda quædam miraculorum opera, hominum fidem ad se raperet, quæ soli Deo debetur: *Virtus signorum magnam afferebat necessitatem, ut transferretur ad fidem Christi.* Egregia, & huic instituto apprimè apposita est confirmatio Sancti Macarii Episcopi Philadelphiæ, ingeniosè ponderantis, quod licet Deus plurima ediderit miracula, assumens virgam Moysis, veluti instrumentū, non tamen omnia fuerit illa operatus, sed quod per diversa instrumenta distribuerit prodigia à se patranda, fuitque hæc miraculorū præventio & cautela, quia videntes virgam illam miraculorum operatricem, non venerati sunt eam ut divinam, non enim ipsa sola hanc virtutem habebat, si autem virga sola omnem habuisset potestatem faciendi prodigia, forsitan eam ut divinam coluissent: *Non tamen omnia per virgam fiunt, ne à suis Dei loco haberetur & coleretur.* Pari prorsùs modo egit Deus cum Ioanne, illustravit nativitatem ejus miraculosis circumstantiis, plurima operatus est prodigia in ejus conceptione, evicit sterilitatem parentum eius, solvit linguā Zachariæ, mutoque loquelam restituit, & præcavens (ut videtur) ne, si Ioannes miracula faceret, conciliaret sibi apud homines opinionem divinitatis, destitit, & finem imposuit miraculis patrandis, neque voluit Ioannem fore instrumentum illorum, timens, ne eum, veluti Deum adorarent, quemadmodum timuit, ne virgæ divinitatem attribuerent: *Ne Dei loco haberetur & coleretur.* Et quamquam Deus tot

Ioan. 10. v. 41.

Dionys. Carthus. Serm. 3 de Bapt.

Isaia 35. v. 5.

Theophyl. hic.

D. Macarius apud Gretserum.

tot præventionibus præcaverit, ne Deus haberetur, Israëlitæ tamen, sive Iudæi, illum summis votis desiderarunt habere Deum, offerentes illi supremam Messiæ dignitatem: & ideò non est mirum, quod toties, tamque iteratis vicibus nos admoneant ipsum esse hominem, neque esse lucem, quia cùm illius sanctitas sit adeò peregrina, & præter leges communes, facilè possemus in eo hallucinari, & in errorē abduci.

5. Quòd sit major omnibus aliis Sanctis, est perspicua, & communis Sanctorum doctrina, & jam toties in concionibus repetita, ut sine periculo nauseæ, & fastidii auditorum nequeat in memoriam revocari; quapropter omissis Sanctorum testimoniis, unam, vel alteram solummodò rationem in confirmationem hujus veritatis proponam. Sit prima doctissimi Theologi Maironis, in quadam concione hujus Festi, deducta ex melliflui Bernardi doctrinâ, qui in Sermone encomiastico hujus S. Præcursoris, affirmat eum in utero matris suæ habuisse eam gratiæ plenitudinem, quam sancti Apostoli cum adventu Spiritus sancti receperunt. Expendit itaque mellifluus Doctor S. Bernardus, verba illa actuum Apostolorum: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, & signanter premit, nempè, quòd Apostoli exercitio virtutum sunt consecuti, id obtinuerit, & adeptus fuerit Ioannes ab utero matris suæ: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, ait cœlestis paranymphus. Vbi hæc subjungit S. Bernardus: *Ioannes legitur in utero assecutus quod Apostolica celsitudo tandem in longiori promissione meruit obtinere* Gratiâ, quam Apostoli post plurimos labores exantlatos, post longa temporum curricula impetrarunt, fuit Ioannes in primo vitæ suæ limine potitus, antequàm etiam adhuc terram pedibus calcaret: Vnde libera voce dicere possumus exordia, seu principia Ioannis æqualia fuisse etiam præstantissimis cœlorum Sanctis, qui, juxtà opinionem Angelici nostri Doctoris S. Thomæ, fuerunt ipsi Apostoli: & ubi hi videntur cursum suum consummasse, seu explevisse, inchoavit, & instituit Ioannes tyrocinia virtutum suarum, quò pacto omnes superavit, & post se reliquit, qui unanimi voto, pariter illi palmam, aut primas deferunt In hac igitur doctrina fundat suam doctissimus Mairo, eique adstipulatur maximus Doctor Abulensis: nimirùm omnes justos esse inter se inæquales meritis, ita ut in cœlis non reperiantur duo Sancti paris gloriæ seu virtutis, aut æquales sanctitate. Cui opinioni videtur suffragari authoritas S. Dionysii Areopagitæ à præfato authore relati. Ex quo infert S. Ioannem, majorem esse reliquis Sanctis, & hunc efformat discursum: *Ioannes plùs gratia, quàm alii, recepit, dicente Domino: inter natos mulierum, non surrexit maior Ioanne Baptista, scilicet in gratia. & per consequens, nec æqualis, quia secundùm Dionysium, duo non erunt in patria æquales.* Deus ponit hanc præmissam, seu majorem, nullus Sanctus est major in gloria Ioanne Baptista, hoc verò subsumptum, sive minorem docet Theologia: nequeunt dari in cœlis duo Sancti æquales gloriæ, ergò consequentia est evidens, & manifesta: ergo Ioannes est major omnibus Sanctis. Corroboratur non modicè hic discursus doctrina S. Pauli, dicentis: *Stella enim differt à stella in claritate*, id est, quemadmodùm stellæ sunt inæquales lumine, sed differunt penès claritatem splendoris, ita Sancti excedunt se invicem in gloria, & præmio, juxtà excessum, & diversitatem meritorum: & quia in his constituit primatum S. Ioannis, pertinaciter contradicere, aut negare Ioannem esse maximum omnium Sanctorum, idem videtur, ac reprobare judicium, & sententiam Christi.

Insignis, & celebris Cancellarius Parisiensis relatus per doctum Commentatorem Barradas, existimat nostrum gloriosum Præcursorem occupare in cœlis locum primi Seraphim Fundatur autem in eo, quòd homines sint occupaturi sedes, quas Angeli peccatores, & apostatæ propter peccata sua perdiderunt, quòdque secundùm majora, & minora merita sua digniorem, vel minùs dignum locum in cœlis possidebunt: & quia S. Ioannes post Christum, & sanctissimam ejus Matrem, antecellit cæteris sanctitate, necessariò debet occupare locum, ex quo exturbatus fuit Lucifer primus Seraphim: 6.
Sic Gerson testatur Dominum, Matrem suam super omnes Angelorum choros collocasse, huiusque proximum fecisse Ioannem Baptistam, quem in locum Luciferi subrogavit. Et ad hunc sensum intelligi potest locus ille S. Lucæ, quando sacratissima Virgo in mystico illo, & celebri cantico suo, *Magnificat*, quod intonavit in domo Elisabeth cognatæ suæ, dum infans materni uteri ergastulo inclusus, modo sibi possibili, Redemptorē vitæ adhuc in visceribus virgineis Matris suæ latitātē adoraret: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles* Ad casū primi Angeli alludūt hæc priora verba; vix enim creatus

Act. 2. v. 4. — *Lucæ 1. v. 15.* — *D. Bern. in Serm. huius Festi.* — *Abulens. Matth. 11. quæ st. 15.* — *D. Dionys. à Mairone hic citat.* — *Gerson. citat. à Barrad. tom. 1. concord. lib. 8. c. 4. circa finem.* — *Lucæ 1. v. 52.*

tus erat, quãdo jã turpissimũ casũ suũ illi exprobarũt: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer &c.* subsequẽtia verò de ipsamet Virgine cantante intelliguntur, quæ per humilitatem suam dignitatẽ Matris Dei sui adepta est. Verùm mox ratio dubitandi animum pulsat, debuisset enim potius loqui in singulari, & dicere, *Exaltavit humilẽ*, & non, *humiles*, quia ipsa una est persona, non plures: Variè respondent sacri Doctores, ast ego opinor sacram Virginem de duobus humilibus fuisse locutam, qui ibi aderant præsentes, de se nimirùm & Ioanne, quorum unus erat ipsa, quæ aperta voce se ancillam nominaverat ipsius, qui eam in Matrem suam elegerat: *Ecce ancilla Domini.* alter autem Ioannes, qui videns se ante nativitatem repletum gratia, modo possibili prostratus ipsum adoravit: *Exultavit in gaudio infans.* & oblata sibi postmodum dignitate Messiæ, illum pronus Dominũ professus est, cujus dignus non erat solvere corrigiam calceamentorum, & idcircò serenissima Angelorum Regina, suam & Ioannis exaltationem ruinæ Angelorum opposuit: *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles.* Ac si diceret, primas cœlorum sedes, quas illi per superbiam amiserant, se & Ioannem per humilitatem obtinuisse, eaque de causa se in Regno cœlorũ cæteris sanctis superiores Deoque proximiores futuros, æquũ enim erat, ut qui cæteris gratia, & humilitate præcelluerant, eos etiam gloria, & dignitate loci superarent, & excederent.

Isaia 14. v. 12.

Luce 1. v. 38.

Ibid. v. 44

Veluti rem certam & indubitatam docet S. Petrus Damianus hunc gloriosum Sanctum non habere sibi parem, aut ullatenùs æqualem: verba autem ejus notissima hæc sunt: *Vnus est & secundam non habet.* Et mellifluus Doctor S. Bernardus, amplificavit hanc doctrinam, dicens, Deum tria fecisse, quæ non admittunt secundum, putà Christum Salvatorem nostrũ, Virginem Sanctissimam Matrem suam, & Sanctum Præcursorem [illegible]: *Tria namque fecit Deus sine secundo Christum, Mariã & Ioannem.* Et idem asserit S. Ioãnes Damascenus ab authore Nucleri in Concione hujus Festi relatus. Egregiè extulerunt encomia Baptistæ hi sacri Doctores, licet conceptum suum nullis rationibus stabiliverint. Liceat autem mihi eorum excogitata, secundùm tenuitatem ingenij mei, divinis sacræ Scripturæ testimoniis confirmare. Describit sacer Historicus creationem mundi, & enarrans productionem primæ diei, ita effatur: *Et factum est vespere, & manè*

D. Petr. Damian. de S. Ioan. Bapt.

Bernard. hic.

Gen. 1. v. 5.

dies unus, & prosequens Historiam suam subjũgit, Deum creasse diem secundum & tertium, & sic de reliquis. *Et factum est vespere & manè dies secundus.* Dubitant hic Interpretes, cur Sanctus Moyses mutaverit stylum, enarrans efformationem dierum, & de primo, qui fuit initium cæterorum, non dixerit, factus est dies primus, sed factus est dies unus, consultius enim dixisset: *Factum est vespere & manè dies primus*, quia hic erat principium numeri, cui ad complementum unius hebdomadæ alii sex succedere debebant. Variis modis dissolvunt Doctores nodum hujus difficultatis sed expositio sancti Ambrosii apprimè congruit huic instituto Ratio, ob quam inquit Mediolanensium Archiantistes S. Chronicus nominavit prædictum diem unum, & non primum hæc fuit, ut demonstraret excellentiam, qua dies, in qua lux fuit creata, excedebat alios dies, in quibus cæteræ creaturæ fuerunt productæ. Adeò eminens est lux, ut videatur noluisse annumerari cæteris creaturis. Classem propriam constituit hæc pulcherrima creatura, neq; rationi consentaneum est, ut dies creationis ejus reliquis connumeretur, aut in eadem categoria collocetur lux cum aliis rebus creatis, sed ab omnibus sit segregata, & dies in qua Deus creavit lucem singulare constituat prædicamẽtum, ac proinde si diem primum, & non unicum diceret, quasi æqualis cum cæteris computaretur, utpote qui alios similes admitteret, verum cùm sit unus solus, illius eminentiam super alios indicat, cùm nullus cum illo die cõferri possit Accipite verba Sancti Doctoris, quæ meo judicio, sunt pretiosa: *Et factum est vespere & manè dies unus, ut lucis unitas ostendatur in sequentibus non est dictum dies primus, sed dies unus.* Creatio cœlorum materialium fuit symbolum creationis cœlorum spiritualium, quos ipsemet conditor naturæ, uti author gratiæ producturus erat Lux cœlica est magnus Baptista, & tanquam talis mundo donatus: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Lux unica, & quæ in suis prærogativis, & gratiis parem non admittit, de illo namque solo Fide credimus fuisse in utero matris suæ sanctificatum, solus ipse missus fuit à Deo, ut foret Præcursor Verbi incarnati, & discurrendo per alia ejus privilegia, ipse solus, juxta doctrinam sanctorum Patrum, in omnibus fuit singularis, & excellens. Quapropter jure merito S. Cardinalis Damianus, dicit ipsum esse unum sine secundo, & constituit

Ibid. v. 8.

D. Ambr. hic.

constituere sphæram particularem, & facere Hierarchiam superiorem respectu cæterorum Sanctorum.

8. Favet etiam huic sententiæ doctissimus Tertullianus, qui explicans verba illa quibus Christus Dominus orationem suam panegyricam in laudem Sancti Ioannis Baptistæ conclusit: *Qui minor est in Regno cælorum, maior est illo.* (Ubi quidam opinantur Christum Salvatorem, Ioannem viatorem prætulisse cuivis comprehensori) affirmat illum minorem, de quo loquebatur Redemptor, fuisse ipsummet Salvatorem, qui in opinione hominum habebatur inferior Ioanne, cùm tamen in rei veritate incomparabiliter erat major illo, quem infinito excessu superabat: *De semetipso loquitur, qui minor Ioanne habebatur, omnibus scilicet in solitudine concurrentibus ad Ioannem.* In quo consequenter fuit Dominus locutus ad ea, quæ anteà dixerat nullum surrexisse majorem inter natos mulierum Ioanne Baptista. Idemque fuit ac si dixisset, quamvis Ioannes sit adeò eminens, ut jam prædicavi vobis, nihilominùs alius reperitur major illo, videlicet ego. Ecquod dignius elogium dici potest de Ioanne, quàm quod sit Sanctitatem excellens, ut nullus illi queat comparari, & nullum nisi solum Deum agnoscat superiorem? *Qui minor est in Regno cælorum, maior est illo.* Ubi *in Regno cælorum*, debet intelligi in Ecclesia quæ sæpius in sacris Litteris Regnum cœlorum appellatur. Ad probandum itaque Ioannem esse majorem cæteris hominibus, solum voluit Dominus examinare, an se esset major, quia de aliis nulla poterat esse controversia, unde injuriam quamdam irrogat Christo, qui Præcursorem illius cæteris æquiparat Sanctis, non enim vult Christus, ut cum alteri, quam sibi comparent, quia inde sequitur & colligitur Christum esse Deum, eò quod tam insignem excellerit Sanctum, & Ioannem esse majorem cæteris, qui à solo Deo, ejusque Matre, quæ talem peperit Filium, dumtaxat superatur. Et in hoc maximè assimilatur sanctissimo Sacramento Altaris, quod Sanctus Dinoysius Areopagita nuncupapit, *Sacramentum omnium perfectissimum.* Vel ut ex Græco transtulit Ioachimus Perionius *Sacramentum Sacramentorum.* hoc est maximum, & veluti principale omnium, quemadmodum Ioannes est maximus omnium Sanctorum, quia Ioannes est major omnibus per gratiam Dei, *Ioannes est nomen eius*, ipsum verò Sacramentum, quia est ipse Deus, ejus caro & sanguis, spirituale animarum nostrarum pabulum & nutrimentum, *Caro mea verè est cibus.* fons & scaturigo gratiæ, & securum pignus futuræ gloriæ. *Ad quam nos perducat Pater, Filius, &c.*

Matth. 11. v. 11.

Tertull. lib. 4. cont. Marcion. c. 18.

D. Dionys. Areop.



TRA-

TRACTATUS XVIII.

IN FESTO

Vicarij Christi, seu Vice-Dei in terris, & gloriosi Apostolorum Principis

SANCTI PETRI.

Beatus est Simon Barjona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Matth. 16. cap.



NVllus ignorat notissimã illam Sapientissimi Salomonis confessionem, qui in proverbiis suis ingenuè fatetur, se etiam post diuturnius studium tria vel quatuor admirãda haud quaquã ingenij sui perspicacitate potuisse assequi: *Tria sũt mihi difficilia.* Sed omissis duobus solummodò tertium in præsentiarum expendam, videlicet id, quod de via colubri super Petram: *Viam colubri super terram.* Scio quidem gravissimos Interpretes, per hoc tertium mirabile, intelligere gloriosam Resurrectionem Christi Domini, qui nomine serpentis indigitatur à sacra Scriptura: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto* penetrans enim lapidem sepulchri, prodiit triumphans & gloriosus, nullum relinquens mortis vestigium, quemadmodum cæteri filij Adæ Alii varias excogitarunt hujus ænigmatis explicationes, cæterum, qui magis sequitur Litteram, magisque servit instituto nostro, est magnus sacrarum Litterarum perscrutator S. Hieronymus, cuius hæc sequentia sunt verba: *Viam colubri super petram, id est astutia hostis venenati insidiari nõ desinit eis quos in petra fidei fundatos esse conspicit* Per serpentem, qui graditur super petram, intelligo dæmonem inquit S. Hieronymus, qui venenata astutiã sua omni studio, & conatu gestit fideles in petra fidei solidatos inficere, & videns Salomon eorum constantem firmitatem, quia nullis inimici insidiis aut machinis à proposito deterreri, aut à petra avelli possunt, neque hæresum persecutionibus concuti valẽt aut labefactari, attonitus stupet & admiratur securitatẽ, & constantiam petræ, in qua fundantur, quæ quantumcunque quatiatur tempestatibus, aut impetatur insultibus, numquam primævam suam mentitur firmitatem. Id quod Salomonem rapit in admirationem, non est sagacitas serpentis, qua solerter eorum solicitat ruinam, sed firma constantia petræ ad tam crebris ictibus resistendum, manente dæmone semper victo, & fidelibus jugiter triumphantibus. Sunt hi effectus admirabiles, & quamvis omnipotentia divina sit prima causa huius firmitatis, sanguis tamen & fides Apostoli Petri, petræ firmissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam suam, non minimam contulit partem ad hanc securitatem, & fortitudinem: ex eo enim, quod sit fundata super basim & petram Apostoli Petri, advenit ei omne robur ædificii, cui se adjungit Verbum, & promissio Dei, quæ est principale hujus operis fulcrum & sustentaculum: obstrinxit enim Deus semetipsum, quod columnæ Ecclesiæ suæ

Prov. 30. v. 18.

Ibid. v. 19.

Ioan. 3. v. 14.

D. Hieron. hic.

Psal. 74. v. 4. suæ nunquam corruent aut deficient: *Ego confirmavi columnas eius.* Et idipsum comprobavit dicens Petro: Luca 22. v. 32. *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* quibus dictis in persona Petri fidem Ecclesiæ stabilivit, quæ in Fide Petri, veluti capite suo nititur. Ad agendum de encomiis & laudibus ejus (licet consultius foret cum Sapiente, eas admirando & silendo celebrare) indigemus auxilio gratiæ, securam eam habemus in cœlis dandam, & in B Virgine petendam, si eam solita oratione Angelica salutaverimus. *Ave Maria.*

Beatus es Simon Barjona.

CONSIDERATIO I.

Egregiè perfunctus est Petrus munere capitis Ecclesiæ, quod illi Christus Dominus imposuit, ostendens semper in suprema dignitatu honora profundissimam humilitatem.

1. MAgnus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus, enucleans verba illa, quibus Christus Dominus hodierno die summis laudibus exornavit fidem S. Petri, & heroicam ejus remuneravit confessionem, dicit illa duplicem posse reddere sensum, quorum unus est, Christum appellasse Petrum beatum, & filium columbæ, id est Spiritus Sancti, qui in specie columbæ apparuit ad denotandam plenitudinem donorum illius, quibus erat doratus. Alius verò est, Salvatorem eum nuncupasse beatum, & simul filium Ioannis, id est nomine patris sui, verãq; siquidem significationem continet illud vocabulum Barjona. Verba autem Sancti sunt sequentia: D. Hieron. in caten. D. Thom. *Ergo ex confessione sortitur vocabulum, quod revelationem à Spiritu sancto habeat, cuius & filius appellandus sit, siquidem Barjona in lingua nostra sonat filius columba, alii simpliciter acceperunt, quod Simon id est Petrus filius sit Ioannis, iuxta alterius loci interrogationem, Simon Ioannis diligis me, &c.* Hac doctrina succinctè posita, illicò ratio dubitandi exurgit, quomodo eo tempore; quo Christus tantum extollit dignitatem & eminentiam Petri, ut eum filium Dei faciat, eodem revocet ei in memoriam, ut recordetur se esse filium Ioannis: & eisdem verbis ei significet duo tam opposita, unum supremum, & pené divinum, & aliud tam vile & abjectum? Philosophentur alii, ut voluerint, ego autem opinor, quod quia Dominus evehit Petrum ad tantæ dignitatis culmen & fastigium vocando ipsum Filium Dei, eique pollicebatur principatum Ecclesiæ suæ & successionem in vices suas in terris, existimavit esse operæ pretium simul ei tribuere insignem humilitatis ejus vadem, & fidejussorem, ideòque indigitat eum nomine, in quo continebantur simul, & nobilitas Patris, quam ei de facto donat, & vilis abjectio Patris, qui eum genuerat, ut non attendat ad id, quod est per Dei favorem, nisi una recordetur natalium suorum, & quando audiverit se nuncupari filium Spiritus sancti, simul audiat se nominari filium Ioannis, qui fuit egenus, inops, & infimæ conditionis homuncio.

Ejusdem significationis commonefecit eum Dominus, tamquam rei maximi momenti, in ultima cœna, uti ingeniosè observavit emunentissimus noster Cardinalis Cajetanus: *Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum, sed ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua,* id est, magno conatu & studio sollicitavit dæmon evertere firmitatem fidei tuæ, sed ego rogavi patrem meum, ut te consolidaret & non deficeret: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos,* id est, moneo te ut animes & conforres fratres tuos, quia constitui te vicarium meum & Vice Deum in terris Premit singulari acumine doctissimus Cardinalis vocabulum illud, *fratres suos,* & super illud facit glossam ingenio suo dignam: *Vide quod non subditos, sed fratres vult haberi reliquos à Petro. Vide quod officium non dominãdi sed confirmandi pronuntiat ac mandat.* Singulari attentione notãdum est, quod quando Christus Dominus injungit Petro munus regiminis & curam cæterorum Apostolorum, dicat ei, ut eos habeat veluti fratres, & non ut subditos, neque enim præcipit ut mandet, sed ut confirmet eos, ad insinuandum ipsi, quod prælatio officii non debeat ei esse occasio inaniter superbiendi, aut subditos vilipendendi, sed eos sibi adæquandi, animando illos tamquam filios, & diligendo ut fratres, & simul recordando quod licet per singulare Dei beneficium tantæ dignitatis occupet locum, se tamen esse filium humilis & abjecti piscatoris, & filium alterius, paris conditionis cum reliquis. 2.

Luca 22. v 31. & 32.

Caietan. hic.

Hocce

8. Hocce modo instruebat cœlestis Magister Discipulum suum Petrum, & ipse tam promptè executus est doctrinam Magistri sui, ut etiam antequàm officium, aut provinciam sibi mandatam exerceret, jam diligenter mandata doctrinæ ejus perficeret. Testem appello mirabilem illum rei eventum, qui ei contigit, dum unà cum Ioanne & reliquis sociis piscanti apparuit Salvator mundi in littore incognitus, & sciscitatus est ex eis, num quid haberent ad manducandum? Et respondentibus illis se nihil ad manum habere, præcepit eis: mittite in dexteram navigii rete, & cœperunt ingentem piscium multitudinem. Agnovit Discipulus ille, quē diligebat Iesus, Magistrum, & dixit Petro: *Dominus est.* Et statim Petrus ut audivit sacro attestante elogio, *tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare*, ut Domini vestigia exoscularetur. Mirabiliter torquet omnium fermè Interpretum ingenia præsens Petri factum, cū enim familiare sit nataturis exuere vestes ad cōmittendum se mari & natandum, proculdubio non caret singulari mysterio, inusitatus & planè peregrinus agendi modus Petri, dum jam anteà nudus, ad natandum tunicam induit. Enucleat illud mellifluus Doctor in Libro, quem scripsit Eugenio Pontifici, quem officii sui commonens hisce alloquitur verbis: Scias amice, & Pater mi, mysterium fuisse, quod Petrus missurus se in mare, tunicam induerit, quia hoc modo possessionem Sedis Apostolicæ accepit, quia mare symbolum est hujus turbulenti mundi. *Quid istud nimirum singularis Pontificii Petri, per quod non navim unam sicut cæteri, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim sæculum est navis Ecclesia. Unde est, quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, unicum se Christi Vicarium designavit, qui non uni populo sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi.* Alii Discipuli venerunt navigio ad littora, singuli singulis navibus, quia futuri erant particularium Ecclesiarum Prælati, ast Petrus non unica conclusus navi, sed præcipitans se in mare, aggressus est possessionem omnium, quia futurus erat Princeps omnium Ecclesiarum, & caput omnium Provinciarum quæ in sacris Litteris per aquas denotantur. Quapropter facili negotio intelligitur mysterium, cur Petrus induat vestes nauticas, aut piscatorias, salturus in mare & Provinciam regiminis sui auspicaturus, ad insinuandum, quanta cautela officium sibi commissum susciperet, non utens in illo vestibus pontificalibus, sed humilibus, & piscatoriis, ad conservandum in dignitate Pontificis humilitatem vestium piscatoris, ut illi perpetuum foret excitamentum suæ vilitatis, in suprema tantæ potestatis excellentia. Hanc emphasim, & mysterium expressit actio mittendi se in mare, quando solo habitu piscatorio indutus, graditur super aquas maris.

Ioan. 21. v. 7.

D. Bern. lib. 2. de consider. c. 6.

Non est minùs admirabile, neque minoris humilitatis argumentum, id quod eidem Petro contigit cum Centurione illo, qui dum ei occurreret, postravit se, & reverenti cultu eum adorare voluit, quem videns S. Petrus flectentem genua, & prono pectore postratum, dixit illi: *Surge, & ego ipse homo sum.* Elevavit Cornelium Centurionem, eique prohibuit, ne hominem consimilis naturæ adoraret. Eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus hocce factum solito ingenii sui acumine premens, asserit usitatam fuisse Iudæorum consuetudinem non nisi Deum utroque poplite adorare: *Fuisse morem Hebræorum soli Deo flectere utrumque genu*, & noluisse Apostolum usurpare sibi honorem soli Deo debitum, ideoque tantæ humilitatis indicium demonstrasse. Verùm unum videtur pati incommodum hæc doctrina, videlicet, quòd in hodierno Evangelio, postquàm discipuli Christo retulerunt opiniones hominum, & judicia quæ de illo ferebantur, ipse Dominus dixerit illis: *Vos autem, quem me esse dicitis?* id est, istud dicunt homines, at vos, qui non estis homines, sed Dii per participationem, & dignitatem Apostolicam, vos, consiliarii mei, qui nostis arcana pectoris mei, & quibus secretissima mysteria pandi, *quem me esse dicitis?* Ad hunc siquidem modum exponit verba illa doctus, & antiquus Ericus: *Illi, qui homines sunt, diversa æstimantibus, vos, qui Dii estis, & per adoptionem Filii Dei effecti, quem me esse dicitis?* Supposito itaque, quòd Dominus illos effecerat Deos per participationem, & signanter Petrum Vicarium suum, videtur non fore rationi dissonum, si Sanctus admitteret cultum latriæ, tamquàm Vice-Deus, quem ei Cornelius Centurio exhibere intendebat. Prætereamus modò rigorem Theologiæ, quæ prohibet omnem adorationem creaturæ deferendā, & solùm ponderemus humilitatem Petri, qui nedùm repudiavit cultū, seu venerationem sibi à Centurione oblatā, sed 4.

Act. 10. v. 26.

Cajetan. hic.

Matth. 16. v. 15.

Ericus hic.

etiam se hominē cæteris æqualem professus est: *Surge, & ego ipse homo sum.* Audit S. Gregorius Magnus Petrum loquentem, & admirans profundissimā eius humilitatē, in has voces effatur: *Cum adorante se Cornelio, sibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis suæ recurrit, dicens: Surge, & ego ipse homo sum, quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata æqualitate conditionis.* Armavit se Petrus contra imminentē sibi vanitatis, & superbiæ tentationem, dum videret se ab hominibus adoratum, & ne inanis gloriæ cupido caput perturbaret, revocavit in memoriam vilitatem natalium suorum, qua cogitatione omnem depelleret fastum, & titillantem superbiæ cupiditatem refrænaret. Quasi diceret, quid refert, personam quam ago, esse divinam, si natura mea semper sit terrena, tametsi enim ex una parte sim filius Spiritus sancti, & divini, ex altera tamen sum etiam humillimus piscator, ideoque in nomine meo adunantur Simon, & Ioannes: *Beatus es Simon Bariona.*

5. Tam connaturalis est hæc virtus glorioso huic Apostolo, tamque coæva illi, ut hæc sola maxima fuerit occasio, cur Dominus hodierno die, quando tam ingenuè confessus est eius divinitatem, adeo munifica manu, & prodiga liberalitate eum tot beneficiis cumulaverit. Invenit S. Andreas Christum, ad quem miserat eum Magister illius, nimirum Baptista, & tamquam fidus germanus, volens fratrē suum Petrum esse suæ fœlicitatis comparticipem, dixit ei se Messiā invenisse, duxitque eum secum, ut pariter Discipulus Domini adscriberetur: *Invenimus Messiam, & adduxit eum ad Iesum.* Et vixdum pervenerunt ad IESUM, & intuens Salvator Petrū, dixit illi, sacro attestantē Evangelio: *Intuitus eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus.* Iona autem iuxta interpretationem S. Hieronymi, idem sonat, quod columba, cui assentitur Alcuinus, dicēs: *Iona lingua nostra dicitur columba*, ita ut vocaverit Petrum filium columbæ, & Spiritus sancti. Et quod admirationem parit, est facilitas, qua Petrus tam cito sibi gratiam, & favorem Christi Salvatoris conciliaverit, vix enim illum cognoscit, & statim mutat ei nomen & meliorem patrem tribuit: *Necdum Petrus aliquid fecerat, & iam meruit nomen mutari*, inquit præfatus Author. Hoc quidem prima fronte ita apparet, sed re attentius perpensa, iam promeruerat Petrus, ut Christus illi tot beneficia, & favores conferret, eiusq; humilitas tantum sibi pepererat honorum. Erat Petrus frater maior natu, seu senior Andrea, uti sentit Alcuinus, & consequenter æquum erat, ut Andreas illi obediret, & non Petrus eius obtemperaret mandatis, & nihilominus fuit Petrus adeo humilis, ut dicenti Andreæ, & vocanti eum ad præsentiam Christi, confestim paruerit, & acquieverit monitis illius, qua animi demissione promeruerit favores & augmenta gratiarū, quæ illi Christus ad primū ingressum, tā profusa largitate donavit: *Minorem fratrem secutus est, & quem habebat discipulū, non dedignatus est habere Magistrū.* Æquū quidem erat, ut natu maior juxta maturioris ætatis leges mandaret, ipse tamen juniori obtemperat & hoc ipsi maximam accersivit sanctitatem, fecitque filium Spiritus sancti: *Filius ergo dicitur Spiritus sancti*, concludit tandem Alcuinus, *quia humilitatem de Spiritu sancto acceperat.* Ea fuit humilitas Petri, ut solus Spiritus sanctus potuerit esse pater illius, & eapropter agnoscit Petrum ut filium, replens eum donis, & virtutibus, inter quas non minima fuit viva Fides, qua hodie Christum Dominum, tamquàm verum, & legitimum Dei Filium, confessus est, prorumpens in has celeberrimas voces: *Tu es Christus, filius Dei vivi.*

Ioan. 1. v. 41.

Ibid. v. 41.

Alcuin. hic.

Videtur ab illo tempore incœpisse Deus disponere in Petro, quòd postmodum in eo decreverat perficere, qui namque, antequàm discipulus Christi esset, noverat iam, quamvis maior natu, se humiliare, & submittere fratri minori, & iuniori, manifestum est, quòd etiam grandior factus, & ad eminentiorem dignitatis honorem evectus, profundissimam conservabit humilitatem. De Romanis narrat Cluniacensis, eos, quos ad perpetuam damnabant servitutē, solitos fuisse eis abradere capillos, & coronam facere, adinstar coronę clericorum, in signum captivitatis, ita ut, quemadmodum nunc litttera Sancta, & clavus sunt insignia servitutis, tūc corona esset signum captivitatis: *Romani, quos servituti subdebant, comā tondebant, & coronas rotundas, sicuti nos facimus Clericis, eis faciebant in signum servitutis:* Attendēs igitur Sanct. Apostolus Petrus ad hunc Gentilium morem, iussit sibi fieri coronam, ut hoc signo humilitatis, & abiectionis, omnem superaret superbiæ occasionem, quam suprema sta- 6.

Paulin. Serm. 1. de S. Pet.

Idem Serm. 1. de S. Pet. tus dignitas suggerere poterat: *Petrus ob humilitatem docendam*, inquit Præfatus Author, *caput desuper tonderi instituit*. Quapropter humilitas ei scutum fuit, quo se contra fastum, & arrogantiam protegeret, semper memor primævæ suæ vilitatis, & abiectionis, quod & divinus Magister eum edocuit, complectens uno, eodemque nomine duo tam distantia extrema, ut sunt vocari, & dici Filius Spiritus sancti, & simul eum reddere memorem, quòd sit filius Ioannis: *Beatus es Simon Bariona*

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.

CONSIDERATIO II.

Non honoravit Christus Dominus venerandam plurium annorum canitiem Petri, sed copiosam meritorum eius multitudinem, & taliter eum exaltavit, ac sublimavit, ut ipsi Deo æqualis videatur.

§ 1. PONderat ingeniosè gloriosus sanctus Ambrosius, quòd, quamvis Andreas fuerit senior Petro, (ita enim sentit S. Ambrosius) & ætate maturior, priorque Discipulis Domini, Christus tamen nequaquam eum constituerit Vicarium suum in terris, aut Principem Ecclesiæ suæ, sed minorem natu Petrum: *Prior Andreas secutus est Salvatorem, sed primatum non accepit Andreas*, sed Petrus. *D. Amb. in 1. ad Corinth.* Ac si apertius diceret, Dominus in electione sua non tam inspicit, aut æstimat annos, quàm merita, stylus plane iam olim Deo nostro familiaris, non attendere in distribuendis honoribus antiquitatem, aut senium, sed virtutem, & sanctitatem Mystica prorsùs fuit, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, commutatio, sive decussatio illa manuum Patriarchæ Iacob, dum benedictionem impertiret duobus filiis Ioseph, nepotibus suis, nimirùm, Ephraim, & Manasse, volēte enim Ioseph ambos collocare iuxta patrem, & statuente Manassen ad dexteram illius, tamquam natu maiorem, & primogenitum, ad sinistram verò Ephraim annis minorem; sanctus senex commutavit manus suas, posuitque eas decussatim super capita eorum, ita ut dextera contingeret caput Ephraim iunioris, sinistra verò caput Manasse primogeniti, existimās autem Ioseph patrem propter oculorum caliginē errasse apprehensum manum Patris conatus est levare de capite Ephraim, & trāsferre super caput Manasse, sed renuens Pater, respondit illi: *Scio fili mi, Scio*, ne reputes fortuitò factum, quod singulare est mysterium. *Gen. 48. v. 19.* Quod perscrutans S. Odo Pater antiquus carpit attentiùs significationem nominum duorum nepotum Iacob, nempe Ephraim, & Manasse, quorum hic idem sonat, quod, *oblivio*, ille verò idem est quod *fœcunditas* Ex quibus hanc elicit allegoriam: *Maior est natu Manasses, Ephraim, quia præcedit oblivio temporalium, & sequitur sanctificatio virtutum, dignior manus ponitur super Ephraim, minus digna super Manassen, quia sublimius est intendere virtutibus quā obliuisci mundum, & concupiscentiā eius* *Ordo in alleger. Tilman.* Maior ætate annorū erat Manasses, quia manifestum est, neque negari potest, quin oblivio mundi sit prior plenitudine virtutum, quocirca, non absque mysterio manus dextera ponitur super caput Ephraim, & sinistra super Manassen, ut benedictio detur virtutibus, quia nō est dubium, quin primas ferat in meritis, qui præterquā iam mūdi oblitus, omnibus terrenis valedixisset, totum se virtutum studio impendit, quapropter tametsi Manasses sit maior ætate, Ephraim tamen est operibus, & virtutum incrementis fœcundior, & quamvis hic sit posterior tempore, est tamen prior honore. Prior oblitus erat mundum Andreas, & ætate annorum senior Petro, verumtamen, quia Petrus iunior illum excessit virtute, fuitque primus, qui lingua sua divinitatem Christi confessus est, idcirco contulit ei Dominus primatum, constituens eum Principem, & caput Ecclesiæ suæ, iuxta opinionem Sancti Ambrosii: *Prior Andreas secutus est Salvatorem, sed primatum non accepit Andreas, sed Petrus.*

2\. Enumerat sacer Historicus progeniem Thare parentis sancti Patriarchæ Abrahami, & ita effatur: *Thare genuit Abraham, & Nachor, & Aram.* *Genes. 11. v. 26.* Magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinus, exponens hæc verba, singulare quidpiā in illis advertit, quod cæteri Interpretes, veluti minoris momenti, silentio præterierunt, nimirū constare ex sacro contextu, Abrahamū fuisse filium Thare natu minorem, & postremum. Qui igitur, indagat S. Doctor, Moyses non enumeravit filios ordine, ponendo singulos iuxta antiquitatem suam, aut cur postremū omnium filiorum primo loco recensuit? existimabunt quidam casualem fuisse hanc transpositionem aut inversionem ordinis; at cùm in sacra Historia etiā casualia, sint mysteria, arbitror ego Spiritum S. qui dirigebat calamum

sacri Chronici, nedum dictasse illi substantiam Scripturæ, sed etiam modum, & ordinem eius sidei: *Nec in his attendendus est ordo nativita-*
D. Aug. q. 25. in Genes. *tis, sed significatio futura, in qua excedit Abraham* Quasi diceret, Abraham meritis excedit fratres suos, & heroica fide sua futurus est Pater credentium, caput populi mei, & Princeps illius. Detur igitur illi primatus in Genealogia sua, quamquam enim iunior sit, & minor ætate Nachor, & Aran fratribus suis, ad præponendum tamen ipsum aliis; non ætas, sed virtus est attendenda.

3. Notatu dignus est modus, quo sacra Scriptura refert nativitatem Caini, & Abelis, & maiorem pariet admirationem, si rectè adnotetur Versio Septuaginta Interpretum, Paraphrasis Chaldaicæ, & translatio doctissimi nostri Pa-
Gen. v. 4. 1. v. 2. Iuxta Septuag. Paraph. Chald. Pagnin. gnini: *Adam*, inquit sacer Textus, *cognovit mulierem suam, quæ concepit, & peperit Cain & addidit, ut pareret fratrem eius Abel.* id est, Eva peperit Cainum, & postmodum addidit, ut pareret Abelem. Mysticus sanè visus est sancto Ambrosio hic loquendi modus, qui singulari perspicacitate premens vocabulum illud, *addidit, ut pareret,* ait fuisse quamdam obliterationem Caini, ut in eius locum Abel subrogaretur: *Cum adiicitur aliquid, quod prius erat tol-*
D. Amb. lib. 1. de Cain. c. 1. *litur, ergo cũ adiicitur Abel, aufertur Cain.* Perspicuum est hoc in Arithmetica, computat enim per numerum, quem addit, & deletur nomen præcedentis numeri; ita ut numerus binarius, addito ternario, destruatur, ideoque idem videtur nasci Abelem, & deleri seu destrui Cainum. Porrò non sistit hic Consideratio S. Doctoris, sed alibi in eodem libro, observat diversitatem styli, qua sacra Historia de iisdem duobus fratribus loquitur: *Fuit Abel pastor*
Ibid. v. 2. *ovium, & Cain agricola.* Vbi eleganter S. Ambrosius. *Non est otiosum, quod cum antea genera-*
D. Amb. ibid c. 3. *tus sit Cain (ut lectio docet) prælatus sit hoc loco Abel, nec idem sit ordo nominũ, qui est ordo naturæ.* Et mox subiungit: *Vbi nascuntur hi fratres, servatur in prædicando ordo naturæ; ubi verò exprimitur disciplina vivendi, seniori minor antefertur.* Valde ponderandum est, ait S. Ambrosius, Cainum quoad nativitatem præponi, Abelem verò quoad vivendi mores, illi anteferri, quia vult Deus excellentiam virtutum Abelis præcedere prioritatem nativitatis Caini, & ex his facilè intelligitur translatio superius insinuata, quia hunc reddit sensum: ideo voluit Deus Cainum delere, & auferre ex progenie patris sui Adæ, eamque incipere ab Abele, ad declarã-

dum, hunc esse cui in omnibus primatus loci erat debitus, quia prior erat virtute, ideoque quamvis ætate minor Caino, primus tamen nominatur fuisse pastor ovium, antequam Caini agricultura describatur, in signum, quòd non soleat Deus eligere quempiam ad honores, attendendo ad pluralitatẽ annorũ, sed solummodo ad excellentiam meritorũ. Ob quam rationem, etiam Petrus fratri suo antecellnit, & quã quam minor ætate, maior tamen virtute, promeruit principatum, & supremam Ecclesiæ dignitatem, cui Deus claves Regni cœlorum commisit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.*

Et tibi dabo claves regni cælorum. Ponderate 4.
illud, *tibi,* quod secundum Glossam Ordina- Matth.
riam, significat integritatem animi, qua Chri- 16. v. 19.
stus Dominus, ac Redemptor noster distribuit beneficia sua, & rationem ob quam potius Petro conferret illum dignitatis locum, & honorem, & quamquam hæc electio suas videatur posse habere instantias, quia nõ deerant in Collegio Apostolorum alii digniores, prudentiores & in regimine exercitatiores, sanguine illustriores, stemmate nobiliores, & Christo proximiores, quibus ob parentelam regimẽ, & magistratũ Ecclesiæ suæ commendare, & injungere poterat, & non Petro, qui ex piscatoriæ artis exercitio ad tantum honoris gradum ascendebat, absque eo, quod ullæ ex prædictis rationibus pro illo militarẽt. Verũ Glossa Ordinaria satis superq; satisfacit huic propositæ quæstioni: *Qui præ cæteris confessus est, præ cæteris donatur clavibus* Videtur loqui in persona Redemptoris, ad hanc dubitationem respondentis: *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Tibi Petro, præ cæteris trado claves Ecclesiæ meæ, *Tibi,* minimo omniũ: *Tibi,* qui iudicio, & opinione hominũ, minus dignus haberis, *Tibi,* vili, & abiecto piscatori, non stemmate nobili, neq; consanguinitate mihi coniuncto: *Tibi dabo claves Regni cœlorum, Tibi,* qui cùm esses humilis origine, tam præclaram, & heroicam confessionem meæ divinitatis edidisti, & tantò ferventiorem fidem præ cæteris habuisti, quantò excellentior est tua confessio eorum silentio. Eapropter eris successor meus, & Vice Deus in terris, æquum siquidem est, ut qui cæteris emines confessione, divinitatis meæ à me præmiũ reportes, & cæteris dignitate præstes, & loco digniori potiaris, & ideo, *Tibi dabo claves Regni cœlorum.*

Curiosiùs observat doctissimus Origenes, 5.
quod

quòd quando Christus Dominus contulit aliis Apostolis potestatem similem potestati Petri, ut ligarent peccatores, aut absolverent à suis peccatis, eam dederit limitatam, & non absolutam: *Quæcumque ligaveritis super terram*, inquit Christus Dominus, *erunt ligata & in cœlo.* Commisit eis cœlum in singulari, ut eorum authoritatem, & facultatem restringeret, & limitaret at S. Petrum aliâ alloquitur formâ loquendi. Cur dixit ei: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*? Ad insinuandum discrimen inter potestatem Petri, & reliquorum Apostolorum, quia horum cœlum erat unicum, & singulare, cœlum verò sancti Petri absolutum, & universale, quia ipsi huic, vel illi præsiderunt Ecclesiæ: sed Petrus futurus erat universalis omnium Ecclesiarum Pastor, & æquum erat ut omnibus præstaret honore, qui omnes excedebat gratia: referam verba Origenis, quæ licèt plurima sint, gravissima tamen, & maximè curiosa judico: *Non modica differentia est, quòd Petro data sunt claves, non unius cœli, sed multorum cœlorum, ut quæcumque ligaverit super terram, sint ligata non tantùm in uno cœlo, sed in omnibus cœlis: ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & solutores in terra, sic dicit, ut solvāt, ut alligent, non in cœlis sicut Petrus, sed in uno cœlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, ut alligent, & solvant in omnibus cœlis.* Ex quo infertur eminentia Petri super alios, quam non anni, sed merita ipsi pepererunt.

Matth. 18. v. 18.

Matth. 16. v. 19.

Origen. hom. 6. in Matth.

6. Et tanti fecerunt cæteri Apostoli eminentem prærogativam Petri, ut ad inquirendam ejus magnitudinem, propriam negligerent dignitatem, & cùm dubia, seu controversia foret cæterorum antelatio, altercantes inter se, quis eorum major esset, numquàm tamen dubitaverint de primatu Petri, aut ejus dignitate, virtute, seu excellentia. Valdè appositum est huic instituto nostro, quod Eminentissimus noster Cardinalis Cajetanus advertit in sacro Evangelista Matthæo, enumerante ordinem seu seriem Apostolorum inter se, dum ita exorditur: *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Et mox sine appositione secundi, vel tertii prosequitur: *Et Andreas frater ejus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes &c.* In singularitate hujus styli, seu modi loquendi, fundavit doctissimus Cardinalis suum acumen, nimirùm, cur dando primum locum Petro, non attribuat Andreæ secundum, & Iacobo tertium, & sic singulis per ordinem, sed nominato Petri primatu, reliquorum ordinem confusum, & dubium relinquat? Ratio est, quia nulla est controversia de eminentia, & primatu Petri, potest autem esse dubium, quisnam sit major, aut dignior inter reliquos discipulos, ad invicem collatos, ideo S. Evangelista Matthæus, agnoscens prærogativam excellentiæ S. Petri, attribuit illi primum locum, absque eo, quòd determinet secundum, quia operæ pretium est, hoc unum scire, quòd Petrus nullum habeat sibi æqualem, neque tantoperè necessarium est examinare, quis sit secundus, vel tertius ab illo. Accipite verba Cajetani: *Solus Petrus ordine insignitur, & describitur primus, ad insinuandum valdè spectare ad Christianam notitiam, primatum Petri, nulliusque momenti esse, nosse ordinem Apostolorum inter se, ac si apertè dixisset, scitote Petrum primum, quidquid sit de aliis: propter quod nullum descripsit secundum, ac tertium, ex hoc ipso significans, quòd primatum Petri inter alios intendebat Evangelista significare.* Sciendum est omnes Apostolos, respectu S. Petri, esse secundos, non tamen determinari singillatim eorum loca, ne dicatur unum alterì esse subjectum, & inferiorem aliis, quamvis omnes simul sint æqualiter inferiores Petro: quod etiam animadvertit noster B. Albertus Magnus, favens opinioni nostri Cardinalis Cajetani: *Attende, quòd licèt Petrus vertex dicatur primus, non tamen dicitur Andreas secundus, nec Philippus tertius, & sic deinceps, sed omnes secundi sunt Petro, ad jurisdictionem, quia non unus sub alio, sed omnes sub Petro.* Ecce eminentiam Petri; quia dum ipsimet collegæ illius, suorum ordinem locorum relinquunt sub lite, & dubio, venerantur magnitudinem ejus, & omnes unanimi voto, tamquàm Principi, deferunt Petro primatū.

Matth. 10. v. 2. & 3.

Cajetan. hic

D. Albert. Magn. hic.

Ad mensuram meritorum Petri, etiam multiplicati fuerunt favores Christi, & tantùm excreverunt, ut visus fuerit esse æqualis Redemptori, seu divinæ ejus Majestati. Notissimum est etiam tyronibus, & pueris elementariis sacræ Scripturæ, proprium esse Christo titulum, seu nomen lapidis, & petræ: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes*, ait David, & alibi S. Paulus: *Petra autem erat Christus*, & hujus rei plures alii sunt Textus. Dat ergò Christus Petro dignitatem Pontificiam, instituitque eum Vicarium suum, imò ipsummet titulū suum ei cōcedit: *Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam.* Quid ita, inquit S. Ambrosius, tam

Psal. 117. v. 22.

1. Cor. 10. v. 4.

tam liberalem te exhibes, ô Domine Deus, erga Petrum, ut præter honorem, & dignitatem officii, etiam proprium nomen, & titulum ei conferas? Utique, respondet S. Doctor: *Rectè meretur consortium nominis, qui consortium meretur operis.* Injungebat Christus Dominus idem munus, & officium Petro, quamvis per modum Vicarii, & substituti, quod sua Majestas obibat, & ut hominibus innotesceret, Apostolum Petrum id esse in terris, quod Christus in cœlis, ejusque officio, & vice fungi in mundo, voluit eum proprio condecorare nomine, & titulo, ut & eadē prorsùs appellatione, quâ Christus Petra, ipse etiam S. Petrus indigitaretur, & quòd præter similitudinem nominis, etiam analogiam perfectionis haberet: *Rectè meretur consortium nominis, qui consortium meretur operis.*

D Ambr. Serm. 47. de S. Petro.

8. Dionysius Carthusianus in Concione hujus Festi, volens extollere magnitudinem S. Petri, ejusque encomia, & laudes altiùs deprædicare, asserit, quòd Christus quodammodò Petrum tanto honore affecerit, quanto Pater æternus ipsum Christum prosecutus fuerat: & ad hunc finem meminit versûs illius Davidici, quem alibi expendimus, ubi recensens Regius Vates honores, & prærogativas, quas Rex Pharao contulit sancto Ioseph, dicit, quòd eum fecerit præfectum aulæ regiæ, & œconomum domus suæ: *Constituit eum Dominum domus suæ,* id est, tanto eum condecoravit honore, ut mandaverit omnibus illi obedire, tamquàm supremo familiæ suæ gubernatori: *Et Principem omnis possessionis suæ.* Neque quidquam sibi reservavit, sed omnem authoritatem, regimen, & Provinciam illi commisit. Idem prorsus, inquit hic Doctor, egit Pater æternus cum Christo Domino, jam homine facto, dans ei absolutum dominium, super omnem domum suam, id est, Ecclesiam sanctam: *Per Ægyptum designatur hic mundus, quemadmodum namque Pharao præfecit Ioseph suo Regno, atque palatio, & omnibus, quæ habebat: sic Deus Pater Christum hominem omni creaturæ præfecit, secundùm, quòd ipse testatur: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, constituit quoque Pater Christum Dominum domus suæ, id est, totius Ecclesiæ, de qua ad Timotheum scribit Apostolus, sciat, quomodò conversari te oporteat in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Et non secus, inquit doctus Cathusianus, egit Christus Dominus cum S. Apostolo Petro, quocircà mysticè

Carthus. Serm. de SS. Petro & Paulo.

præfata verba de eo exponi possunt, quia etiam præfecit eum eidem & domui, & Regno, constituens eum summum Pontificem, Ecclesiæ militantis, conferensque ei universalem super cunctos fideles potestatem, & jurisdictionem: *Insuper verba ista ad hæc mysticè valde convenienter, exponuntur de Christo, & sancto Petro, Christus namque constituit beatissimum Petrum Dominum domus suæ, scilicet, Prælatum, Hierarcham, atque summum Pontificem totius Universalis Ecclesiæ peregrinantis in terra.* Ita ut ex his colligamus Petrum esse quodammodo æqualem Christo, sicut Christus est æqualis suo æterno Patri; quemadmodum enim Deus donavit Christo omnem plenitudinem potestatis, regendi, & administrandi totam domum suam, ita Dominus Salvator commisit Petro omnem administrationem pertinentem ad illam, & sicuti Pater dedit Christo supremam jurisdictionem in cœlo, & in terra: *Data est mihi omnis potestas, in cœlo, & in terra:* ita Christus contulit Petro jurisdictionem in terra, & in cœlo: *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis,* idcircò ingenuè confessus est S. Bernardus, nullum videri æqualem, aut similem illi, nisi ipsum Deum: *Præter ipsum Deum, non est similis ei, neque in cœlo, neque in terra.*

Matth. v. 18.
Matth. 16. v. 19.
D. Bern. Serm. Concil.

9. Et si cuipiam visum fuerit me parodoxa prædicasse, aut hyperbolicè fuisse locutum, audiat ipse, quod jam dicturus sum, & omnia prædicta minima fuisse testabitur. Recordamini illius testimonii, quod Pater æternus præbuit in monte Thabor de Filio suo, juxta relationem S. Matthæi: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Quemadmodùm etiam attestatur S. Petrus in sua Canonica: *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Et eadem vox paterna audita est in Iordane, dum Dominus noster baptizaretur. Indagant sacri Interpretes, cur Deus non honoraverit, aut manifestaverit Filium suū per Angelum quempiam, uti olim egit, volente enim Abrahamo immolare filium suum Isaac, voces cujusdam Angeli cœlestis executionem operis impediverunt, Quinimò minùs suspectum videretur testimonium, & multò firmius alicujus personæ extraneæ, quàm ipsius Patris, qui eum generaverat? Verum ingeniosè solvit nobis hujus dubitationis nodum sanctus Petrus Chrysologus.

Matth. 17. v. 6.
2. Petr. 1. v. 17.
D Petr. Chrysol.

Serm. 138 qui est ; de Idor. Magor. gus, *Ipse sui testis Filii, ipse assertor assistit, Hic est Filius meus dilectus, quoniam alterum, qui testimonium diceret, non habebat: testem generatio nescit divina, ipso Filio dicente, nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Nemo potest testari, nisi conscius rei, & cùm nullus noverit Patrem, neque ingenio assequatur divinam ejus, & æternam generationem, consequenter solus poterit ille præbere testimonium Filii, qui eum intellectu suo generavit. Bellè dictum! Verùm qui S. Petrus absque eo, quod esset Deus, aut eum cognosceret, aut intelligeret modum, quô Pater æternus per actum nationalem produxit Filium suum, tam præclarum, & infallibile hujus veritatis protulit testimonium? Et qui dixit, & tam apertè confessus est: *Tu es Christus, Filius Dei vivi?* Responsio in promptu est, quia Pater æternus id ipsum illi revelaverat. *Quia caro, & sanguis non revelavit tibi* Quod convenit cum illo, quod Dominus post verba relata subjunxit: *Aut cui Filius voluerit revelare*, hoc est, quòd absque singulari revelatione cœlesti nullus poterat cognoscere Christum esse Filium Dei, neque huic veritati fidem facere: singularis igitur est excellentia S. Petri, quòd speciali divina dispensatione illustratus potuerit testari divinitatem Salvatoris, in hôc namque eum quodammodò sibi assimilavit, & æquiparavit, volens ut Sanctus vices suas suppleret, & solus Deus, & Petrus forent divinitatis testes fideles. Igitur valdè promotus fuit noster Sanctus, & supra modum exaltatus.

Matth. 16. v. 16. Ibid. v. 17.

10. Verumtamen longè excellentius reputo, (nisi fallar) quod S. Hieronymus, & Origenes adnotarunt, videlicèt, Christum, quotiescumque remisit peccata, semper id fecisse in tertia persona: *Remittuntur tibi peccata tua*, quasi subordinans potestatem suam jurisdictioni, & prudentiæ Petri, cui Regimen totius Ecclesiæ suæ commiserat; non secus ac Dominus quispiam, qui dicit præposito pecuniæ suæ, præfectus domus meæ dabit tibi apocham omnium, & liberabit te ab omni debito. Et ne absque ratione, & fundamento loqui videar, audite S. Petrum Damianum in Sermone hujus Festi, egregiè disserentem super verba illa, quæ Christus Dominus Petro dixit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; en præcedit Petri sententia, sententiam Redemptoris, quia non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso idipsum attestante, quodcumque ligaveris, &c.* Præcedit sententia Petri sententiam Christi, & Christus ratum habet judicium Petri, sicuti sententia prolata in foro superiori approbatur in Tribunali subordinato. Et ne aliqua desit ei solemnitas, prosequitur S. Doctor suum discursum admirando, quòd Deus confidat Petro, quod Angelis denegavit, quòdque Christus, & Petrus eidem præsideant Tribunali, quasi duo judices, coram quibus Angelici spiritus comparere non præsumunt: *Quid est hoc, quod Angelorum, & hominum agminibus exclusis solus Petrus in consortium divinæ majestatis, & cum Domino residet præsidente?* Ad tantum voluit Dominus Petrum sublimare honoris, & dignitatis fastigium.

D. Petr. Damian. de S. Petro.

11. Quamvis, meo quidem judicio, etiam Dominus voluerit ei frænum quoddam injicere, nescio, an fortassè ad humiliandum eum (uti diximus in Consideratione præcedenti,) & ne favoribus elatus, in superbiam incideret; quia inter Patrem, & Filium videtur quædam æmulatio exorta. Sæpiùs mecum tacitus consideravi, cur Petro non fuerit revelata convenientia, & necessitas Passionis Christi, maximè cum jam esset revelata notitia divinitatis. Existimo autem, (nisi me fallat opinio) causam fuisse, zelotypiam quamdam Christi, si dicere fas est, seu timorem quemdam, ne Petrus omnia mysteria cognosceret; ideoque voluit illi quædam occultari, ut ignorantia illius testaretur inæqualitatem. Quasi diceret; noscat quidem Petrus meam generationem, & revelet illi Pater me esse Filium suum, nequaquàm tamen ei pandatur congruentia, & necessitas mortis meæ, ut ipsius scientia hunc patiatur defectum, & ignorantia aliquorum, qua laborat, sit certum inæqualitatis illius testimonium, ne mihi omninò æqualis habeatur. Imò, reor ipsum Patrem æternum, quodammodò fuisse æmulatum Filio suo Petri causa; videns enim, quòd eum tot tantisque encomiis extolleret, eique confideret rem maximi momenti, nimirùm regimen, & administrationem Ecclesiæ suæ, ut tot favoribus remoram, & obstaculum quoddam objiceret, esseretque Christus obligatus eum reprehendere, quem priùs tot honoribus, & elogiis condecoraverat, revelavit ei Pater divinitatem Filii sui, occultans tamen illi convenientiam mortis, ac passionis illius: ita ut necessarium fuerit attenuare, & præscindere favores Petri, & ipsius ignorantiæ fuerunt efficacissima magnitudinis illius argumenta, ne enim specimen præberet divinitatis,

vinitatis, & Christi, opus erat, ut aliquid ignoraret: Sufficiat ad æstimationem ipsius, quòd occupet locum Christi, participans, tamquàm jure hæreditario, non solum officium, sed & nomen ipsius, quia sicut Christus petra, ita & ipse Petrus nuncupatur: *Tu es Petrus, &c.*

Beatus es Simon, &c.

CONSIDERATIO. III.

Ex primatu dignitatis S. Petri colligitur eminentissima ejus virtus, & quemadmodum per merita beatissimæ Virginis acceleratum fuit opus divinæ Incarnationis, ita etiam per merita Petri accelerata fuit copiosa Redemptio Salvatoris.

1 NUmquàm aliquis in vitâ fuit catalogo Sanctorum adscriptus, & hoc adeò rationi consonum est, ut etiam Gentiles, lumine Fidei divinæ destituti, hanc assecuti fuerint veritatem.

Ovidius in Metamorphos.

—— *Sed, scilicèt, ultima semper*
Expectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

At quorsùm ad humanas recurrimus Litteras, cùm in sacris plurima hujus veritatis reperiamus testimonia? Incipit divinus musicus pulsare citharam suam, & ad sonum ejus decantare elogia, & encomia viri justi, & primam tangens chordam, ita intonat: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* (*Ps. 1. v. 1.*) Multa occurrunt hic notatu digna, unum tamen solummodò servit maximè intento nostro, videlicèt examen cujusdam dubii, quod solent sacri Interpretes hic curiosiùs investigare: an vir iste, cujus laudes decantat Regius Psaltes, sit viator vivens hac mortali vita, an verò comprehensor, qui jam est patria, & gloria cœlesti donatus. Gloriosus S. Basilius Magnus opinatur Davidem loqui de Sanctis non hujus mundi, sed comprehensoribus jam in patria commorantibus; rationem autem opinionis suæ assignat, quia in hac mutabili, & inconstanti nullus dici potest beatus, nam omnes vicissitudini, & casu subjiciuntur, & qui majorem sibi spondet securitatem, sæpiùs proximior est ruinæ. Totum hoc Phœnix Græciæ paucis, sed g... mis complexus est verbis; *Beatus vir, qui non abiit: non dixit, qui non abit, sed non abiit in consilio impiorum: non tam enim ille, qui in vita est, beatus est prædicandus ob exitum incertum, sed qui vices suæ functionis, & vocationis semel absolverit, vitamque fine certo clauserit, hic jam beatus tutò dici potest.* (*D. Basilius in hunc Psalmū.*)

2 Posita hac veritate, tamquàm infallibili, quonam pacto collocat hodierno die Christus Dominus, Petrum in Catalogo Sanctorum, cumque aperta voce beatum pronuntiat? *Beatus es Simon, Barjona, &c.* Nescio, quo modo hanc difficultatem evadere possimus, nisi recurramus ad arbitrium divinæ voluntatis, quæ, ut Petrus singularem constitueret Hierarchiam inter Sanctos, concessit privilegium fruendi legibus patriæ, ut adhuc peregrinus, & viator existens, titulo beatorum gauderet; neque hoc solo contentus, insuper eum commissarium suum generalem, Rectorem Ecclesiæ suæ, & alterum Christum in terris instituit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dabo claves Regni cœlorum.* Eumque promovens super omnes Sanctos Apostolos: *Petrus Apostolus*, inquit S. Cardinalis Ostiensis, Petrus Damianus, *Apostolorum princeps*, quod intelligi debet nedum de principatu dignitatis, sed etiam de eminentia virtutis. Supponit S. Cardinalis, quamdam doctrinam, veluti indubitatam, quam postmodùm nos edocuit Angelicus noster Præceptor S. Thomas; nimirum maximos omnium Sanctorum totiùs Ecclesiæ fuisse sanctos Apostolos, utpotè, qui primitias Spiritus sancti, ejusque gratiarum copiosiori affluentia abundantiam receperunt: *Qui primitias Spiritus acceperunt, & tempore prius, & abundantius, &c.* (*D. Thom. 1. 2. q. 106. art. 4. in corpor.*) Quamobrem etiam David eos Principes appellavit: *Constitues eos Principes super omnem terram.* (*Psal. 44. v. 18.*) Et inter cæteros S. Petro concedit primatum, propter incomparabilem ejus sanctitatem, ita ut aliorum Apostolorum verè sit, & nomine sit Princeps.

3 Et quamvis S. Cardinalis Ostiensis, nequaquàm hunc efformaret discursum, ex electione tamen, qua eum Salvator promovit ad dignitatem Vicarii sui, evidenter infertur eminentia virtutis, & præclarissima meritorum ejus excellentia. Exploratum namque est, electiones Dei esse dissimillimas, & diversissimas ab electionibus hominum, quia hi sæpiùs reguntur affectibus

ctibus, & Deus tantummodò ratione, & meritis permovetur. Quinimò, ut Pelbardus refert, communi, & unanimi consensu omnium Apostolorum, fuit S. Petrus electus caput Ecclesiæ, & omnes incunctanter, & absque ulla tergiversatione vota sua in ipsum contulerunt, ut Prælatus constitueretur. Movet hic Doctor curiosam quamdam quæstionem, in qua disputat: *Utrum solus Christus per seipsum præfecerit Apostolus Petrum, an etiam Apostoli præbuerint ad id consensum?* Et appositè respondet ex Textu quodam Pontificis Anacleti, qui ita sonat: *Quòd licèt, inquit, omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi interesse voluerunt ad ipsum, ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas primum caput, & principium teneret Apostolatus.* Hoc est, quod jam diximus, quòd non sola voluntate Christi, sed communi acclamatione Discipulorum assistentium fuerit Petrus caput, & dux aliorum constitutus: & hoc ipsum significat nomen quod Christus Dominus illi imposuit: *Tu vocaberis Cephas*, id est, *Capitaneus*, juxtà expositionem relati Authoris.

Pelbart. Serm. 4. de privileg. 8. Petri.

4. Ponderat maximus sacrarum Litterarum Interpres S. Hieronymus, præceptum, & statutum Dei in lege Veteri, circa electionem summi Pontificis observandum, ut scilicèt omnis populus præsens assisteret: *Congregabis omnem cœtum ad ostium*, (dicit Moysi, qui & mox paruit imperanti:) *Congregataque omni turba ad ostiũ tabernaculi.* Quorsùm, inquit S. Doctor, statuit Deus, ut populus compareret ad electionem, & consecrationem summi Sacerdotis? Reverà, supervacanea videtur hæc populi convocatio; cũ enim ipsemet Deus eligeret eum ad tantum ministerium, & determinatè mandaret, ut electus munus illud obiret, etiam renitente, & reluctãte populo, imò electionem ejus improbante, equidem electus locum illum occupasset, quia Dominus id factum volebat ratum haberi. Cur igitur obligat cunctos ut compareant, & assistant electioni? Bellè S. Hieronymus: *Requiritur ergo in ordinando Sacerdote, & populi præsentia, ut sciant omnes, & certi sint, quoniam, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.* Volo, inquit Deus, & hoc decretum est meæ voluntatis, ut omnis populus assistat electioni Sacerdotis, & oculis suis conspiciant electum esse digniorem, excellentiorem, & pluribus dotibus præditum, qui per merita sua talem occupat dignitatis locum, ut omnes sciant, & communi applausu approbent hanc veritatem; nimirùm quòd si eum antepono, & præfero aliis, hoc idcircò fieri quia dotes, & virtutes ipsius illud, præ cæteris, promerentur. Eadem prorsùs forma disposuit Christus Dominus, ut totum collegium Apostolicum assisteret ad promotionem S. Petri, & ut omnes unanimi voce eum superiorem suum acclamarent, quasi ingenuè confitentes, cæteros in comparatione Petri esse pygmæos, seu pumilos, dum ille giganteam adipiscitur dignitatem: *Tu es Petrus, &c.*

Levit. 8. v. 3. & 4.

D. Hieron. hic.

Ecce, quantæ utilitatis, & meriti fuerit S. Petro hæc præclara confessio; illam namque majori præmio remuneravit Christus Dominus, quàm humanus intellectus assequi, aut suspicari poterat. Non enim deest, qui asseveret, amore illius Salvatorem nostrum accelerasse suam, & anticipasse totius generis humani redemptionem: *Urgente Fide Petri*, inquit S. Cyrillus, & Euthymius, *ex eo tempore, ex quò firmiter cognoverunt Discipuli, quòd naturalis esset Dei Filius: tunc demùm cœpit prædicere illis, quæ passurus esset.* Quamdiu Petrus non manifestavit cæteris Magistrum suum esse Filium Dei, numquàm illis quidquam de morte, aut passione sua prædixit; mox tamen, ut Petrus tam gloriosam edidit confessionem, Salvator adeò se illi devinctum professus est, ut statim absque ulla interposita mora statuerit agere de morte sua, maximaque festinatione ultimam manum applicare operi redemptionis. Quapropter subjungit S. Evangelista: *Et exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, &c.* Ita ut heroica fides Petri fuerit occasio anticipatæ redemptionis generis humani. In quo maximè assimilatur S. Apostolus sanctissimæ Virgini, quia quemadmodùm merita, & orationes hujus accelerarunt Incarnationem Verbi divini, ita etiam fides Petri acceleravit mortem, & passionem ejusdem Verbi incarnati. 5.

D. Cyrill. & Euthym. apud Barrad. tom 2. Concord. lib 10. c. 25.

Matth. 16. v. 21.

Petrus Alphonsus ex Iudaismo ad Fidem nostram conversus, affirmat, quòd quando Archangelus Gabriel venit ad sacratissimam Virginem, & Deiparam: *Missus est Angelus Gabriel, &c.* adhuc defuisse viginti annos ad numerum eorum, qui inter creationem mundi, & nativitatem Messiæ intercedere debebant, & hanc fuisse anticipatam propter virtutes, & merita ejusdem beatissimæ Virginis. Hujus Authoris 6.

Petr. Alphons. citat. à Pennaf. ætat. 5. c. 4. §. 18. Lucæ 1. v. 26.

 doctri-

doctrina nobis servire poterit ad explicandum quemdam locum Sancti Matthæi : *Quid nobis & tibi, Fili Dei?* Verba sunt Dœmoniacorum ad Christum & addiderunt : *Venisti huc ante tempus torquere nos?* Quod dicebant, quia loquendo secundum numerationem, & computum Iudæorum, nondum completa erant quatuor millia annorum, quos merita sanctissimæ Virginis prævenerant & anticipaverant. Et S Paulus fortasse alludens ad hocce mysterium ita loquitur ad Romanos : *Propior est nostra salus, quam cum credidimus.* Quod rectè intelligitur de annis, quibus per merita B. Mariæ V. fuit ejus nativitas anticipata. Igitur non aberrat discursus noster ponens in paralello merita sanctissimæ Virginis, & fidem S. Petri, & dicens, quod ambobus debeamus anticipationem & præventionem libertatis nostræ, sicut enim sacratissima Virgo acceleravit incarnationem Verbi divini, ita etiam S. Petrus mortem & passionem ejusdem.

Matth. 8. v. 19.

Rom. 13. v. 11.

7. Verum hæc doctrina videtur unam posse pati instantiam, videlicet quo pacto Deus propter fidem Petri poterat facere, id quod jam ab æterno statuerat faciendum? Maximè cum decreta Dei sint magis infallibilia, certa, & efficacia ad exequendum id, quod præconceptum est, quàm vires, aut causæ humanæ ad suspendendam executionem ejusdem. Facilis est responsio, quia passim reperimus in sacra Theologia talia decreta conditionata Dei, quatenus sua divina Majestas anticipat vel postponit, seu differt opera facienda secundum occasiones vel eventus rerum, non quod hæc mutatio se teneat ex parte Dei aut incertitudo aliqua, sed quia ex parte causarum erat hæc inclinatio seu propensio, juxta quam Deus decreverat ita faciendum. Exemplum elucidabit rei veritatem. Interpellat Deipara Virgo Filium suum in nuptiis Canæ Galilææ, eique supplex repræsentat inopiam & defectum vini, & respondet Dominus: *Nondum venit hora mea.* Et vixdum protulerat hæc verba, & statim exoritur quæstio, quomodo si nondum venit hora faciendi miracula illicò Christus Dominus convertendo aquam in vinum, supplevit vini defectum, & optimo musto recreavit convivas? S Gregorius Nyssenus ad evadendum difficultatem hujus perplexæ quæstionis, conjungit hæc verba præcedentibus, & omnia simul conjuncta legit interrogativè: *Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea?* Ast gloriosus Sanctus Cyrillus dilucidè nodum dissolvit dubii. quia autumat Salvatorem nostrum amore gloriosæ Virginis hoc miraculum edidisse: *Statim ad actum propter Matrem accedit, quem, quantum in eo erat parumper distulisset* Certum est, quod tempus & decretum miracula patrandi, nondum advenerat, quia à tempore captivitatis S. Ioannis Baptistæ inceperunt sancti Evangelistæ enarrare miracula Christi, & admirabilia doctrinæ ejus, verum preces Matris illius, inquit S Doctor, accelerarunt tempus & angustiæ profundaque suspiria supernæ Virginis, executionem miraculi anticiparunt, quemadmodum orationes & suspitia ejusdē sacratissimæ Virginis causa acceleratæ incarnationis fuerunt. Idem prorsùs dicendum est de S. Petro, cujus fides tantæ virtutis & efficaciæ fuit, ut Deus illam attendens, decreverit prævenire mortem suam & accelerare nostram redemptionem. Nescio quodnam ex his duobus excellentius sit, an quod fides illius competat cum meritis sacratissimæ Virginis, dum Deus propter merita & preces illius anticipat tempus Incarnationis, an verò quod sit successor & Vicarius ipsius Dei in officio Pontificatus. *Tu es Petrus, &c.*

Ioan. 3. v. 4.

D. Greg. Nyssen.

super illud Tunc & ipse filius subjectus erit.

D. Cyrill. in Ioann. apud Barrad. hic.

Tibi dabo claves.

CONSIDERATIO IV.

Licet magna sit excellentia S. Petri esse Vicarium Christi, maior tamen eminentia est, Christum illius esse substitutum.

8. EST hic discursus Arnoldi Carnotensis, quapropter non vendito illum tamquàm novum, cum illius Author sit antiquus. Considerat hic doctus Pater Christum pendentem in ligno crucis, donantem bono Latroni Regnum cœlorum, in præmium confessionis peccatorum suorum factæ, & memoriæ sui, quam à Christo obnixè postulaverat: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Et sermonem suum convertens ad Petrum, ita eum Arnoldus affatur: Quid ita Petre, quomodo huc non advolasti ad auspicandum munus tibi commissum? cùm namque sis Vicarius Christi, & claviger cœli, aperi cœlos huic converso peccatori. Species negligentiæ & incuriæ videtur in hac

Luca. 23. v. 43.

hac occasione deficere; sed esto contentus, quia quod apparet indicium culpæ, hoc tibi maximum conciliavit honorem, nẽpè quod Christus substituat vices tuas, & veluti Vicarius tuo fungatur munere & officio: *Tetamen iuxta Crucem non video, territus lates, nec ibi Apostolica authoritate uteris, ubi ad invicem fixis iuxta crucibus, privata miscent colloquia Salvator & peccator: absẽs eras & ministerii tui claves (quod pace tua dixerim) modo non profers, supplet vicem tuam Summus Sacerdos, apertisq; seru antiquis latro primitiæ derelictorum introducitur, aperiente Christo in Regnum cœlorum.* Et notandum, quod licet Christus nondum reipsa Petro contulisset supremam potestatẽ clavium, sed solum in spe, attamen tantum ei detulit Dominus respectum, ut dicat Arnoldus quod Christus ei commisisset absolutionem illius peccatoris, si præsens adfuisset & ex tunc suam incœpisset exercere jurisdictionẽ quia verò abfuit, supplevit Salvator vices illius quasi Vicarius & delegatus ipsius foret

Arnold. de 7 verbis Domini.

4. Tanta est gloria Petri, ut non solùm ipse sit Vicarius Christi, & vices gerens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, sed etiam ipsemet Dominus agit vices ipsius, & nomine illius tãquam Vicarius, reserat, & aperit portas cœlestis aulæ latroni, in signum, quod solus Christus possit defectum Petri. Quadrat huic instituto locus quidam sacræ Historiæ) quem ut rectè memini, alibi expendimus) Hærebat Moyses in monte, familiarius colloquens cum Deo, & populus impatiens moræ, accessit Aaronem, dixitque ei, ut faceret ipsis Deos, qui eos præcederent in via, alioquin se non migraturos è loco: *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei.* Ponderat doctissimus Abulensis, hanc populi petitionem, neque videtur ei formalis, aut rationi consentanea, quia poterat absentia Moysis suppleri, designando Ducem aliquem substitutum aut successorem ejus in regimine, impium enim erat intentare tam absurdum errorem, qualis erat facere Deos, qui eos præcederent, & ducerent ad terram promissionis, & absentis Moysis locum occuparent. Et post varios discursus ultrò citròque habitos, appositè respondet doctissimus Episcopus, causam, cur nullum hominem, sed ipsum solum Deum petierint Vicarium, seu locum tenentem Moysis, fuisse qui tam egregiam de eo concipiebant opinionem, tantique æstimabant sanctitatem vitæ ejus, & tanto applausu approbabant modum regiminis illius, ut firmiter sibi persuaderent, nullum fore reperiendum inter homines, qui ejus vices dignè suppleret, ac ideò petierunt Deos, qui munere illius fungerentur. *Nullus talis ut Moyses videbatur inveniendus, visumque fuit eis, quod nullum sufficientem ad rectorem habere poterant nisi Deus esset.* Abest Petrus, cujus curæ commissus est ingressus populi ad terram promissionis, id est, illius officii est, animas ad cœlum perducere. Eja igitur, agat Deus homo factus vices Petri, & in absentia fungatur officio illius, quia nullus dari potest homo in mundo, qui in tam urgenti occasione, & tam digna sanguini Christi, uti est aperire cœlum uni latroni, repræsentet personam Petri, nisi sit ipsemet Deus.

Exodi 32. v. 1.

Abulensis hic.

Neque etiam inveniri potest, qui vices agat Christi, nisi vel Spiritus Sanctus, vel Sanctus Petrus, quatenus filius ipsius. Didymus Alexandrinus scribens contra quosdam Hæreticos sui temporis, asserentes Spiritum Sanctum non esse Deum, convincit eos erroris, probatque hæresim eorum esse omninò à ratione alienam, eo quod Christus Dominus, quem illi verum Dei Filium profitebantur, promiserit Discipulis suis, & in illis toti Ecclesiæ suæ, Patrem suum æternum missurum Spiritum sanctum in locum suum, qui eis assisteret, instrueret, confirmaretque eos in cognitione omnium, quæ idem Dominus eos docuerat: *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis.* Ergò, inquit Doctus Pater, Spiritus divinus, seu sanctus, est Deus, quia si Deus nõ esset, haud quaquam posset supplere vices Redemptoris, aut dignus esse Vicarius illius: *Quia ergo Spiritus Sanctus in nomine Filii à Patre mittitur, ostendit quod unitate sit iunctus ad Filium.* Et Tertullianus ponderans verba illa ejusdem Salvatoris: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* id est; plura habeo mysteria vobis revelanda, quorum nondum capaces estis, affirmat ex his evidenter colligi Spiritum Sanctum fuisse complementum & perfectionem doctrinæ Christi Salvatoris, & fuisse summe necessarium ut ipse rediret tamquàm Vicarius ejusdem.

5.

Ioan. 14. v. 26.

Didymus in catena D. Thom. ad hæc verba Ioan 16. v. 12. & 13.

ejusdem Redemptoris, qui adventu suo cuncta illius opera consummaret, & ad completam perfectionem adduceret: *Propterea Paraclitum misit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur ad perfectum disciplina ab illo Vicario Domini Spiritu sancto.* Hæc verba adeò manifesta sunt, ut operosiori enucleatione non indigeant.

Tertull. lib. de veland. Virgin. c. 1.

4. Verùm illicò exurgit ratio dubitandi, si namque solus Deus est dignus Vicarius suiipsius, & in absentia Christi descendit Spiritus Sanctus ad prosequendum opera, quæ Christus inchoaverat, vel saltem ad ultimatè ea perficiendum, quomodo Salvator mundi instituit Petrum, Vicarium suum, eique confert in omnibus & per omnia jurisdictionem suam universalem, & eum præficit Vice Deum in terris? Dicant alii quod sentiunt, quod mihi dicendum occurrit, est, quod quia Petrus propter heroicam fidem & illustrem confessionem suam effectus est filius Spiritus sancti, *Barjona* enim juxta Interpretationem S. Hieronymi idem sonat, quod *Filius columbæ* & ex puro homine ascendit ad tam altam dignitatem, quia filius, secundùm leges communes, fruitur privilegiis Patris, & quia Spiritus sanctus, quoad aliqua, est Vicarius Redemptoris, ita etiam S. Petrus, quoad alia exercet & exequitur eamdem commissionem, & super excedens sphæram hominis, quantum ad dignitatem ipsimet Deo æmulatur. Et ne videatur hæc mea cogitatio malè fundata, mementote primi illius Concilii Apostolorum, quod refert sacra Historia, & comperietis Spiritum sanctum, una cum Petro, veluti Patrem cum Filio omnia Fidei dubia, cæterasque Ecclesiæ difficultates resolvisse, & quæ certa erant, tamquam articulos fidei credenda statuisse, & determinasse: *Visum est enim Spiritui sancto & nobis,* id est, ita judicat Spiritus sanctus & ego. Ecquis umquam purus homo ad tantam pervenit altitudinem? aut quæ umquam pura creatura, ad talem pertigit dignitatis excellentiam? nisi Petrus. Imò audeo dicere pro coronide hujus discursus, quod si sanctissima Trinitas (per impossibile) admitteret quartam Personam, nullus ea esset, nisi Petrus, qui enim tantopere eũ sublimavit, ut parem & æqualem sibi fecerit dignitate, etiam eum (si possibile foret) parem sibi efficeret in natura.

Act. 15. v. 28.

5. Resuscitat Christus Dominus à mortuis Lazarum jam quatriduanum. Mox ut defunctus audit vocem ejus: *Lazare, veni foras,* prodit vivus è sepulchro, sed, *ligatus manus, & pedes institis,* præcepitque Dominus discipulis suis, ut ligatum solverent: *Solvite & sinite abire.* Dubitari potest, quam ob causam Christus, dum Lazaro am issam restituit vitam non præceperit, ei ut solutus & liber à ligaminibus è sepulchro prodiret? Qui potest majus, potest & minus, si Dominus eum resuscitet à morte, etiam posset solvere ligaturas ejus. Dissolvit nodum hujus difficultatis Angelicus noster Doctor Sanctus Thomas. Erat Lazarus, inquit Angelicus Thomas, symbolum peccatoris jam vivi, & per contritionem divinæ gratiæ restituti, institæ autem seu vincula, quibus illigatus prodit, significant ligamina culpæ, seu peccati, quibus pœnæ manet obstrictus. Dicit itaque Angelicus Præceptor, primum, quod est resuscitare animam à morte culpæ, eamque restituere vitæ spirituali gratiæ, hoc præstitit Deus, alterum verò quod attinet ad solutionem vinculorum totum commisit Petro ejusque successoribus, ut ambobus, Christo scilicet & Petro, peccator suam deberet salutem: *Mortuus aut procedens adhuc ligatus est, confitens adhuc reus: ut autem solvãtur peccata eius, ministris mandatur, ut solvant eum, & sinant abire. Nam, quem Christus per seipsum interius vivificat, discipuli solvunt, quia ministerio Sacerdotum vivificati solvuntur. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Nonne videtis, inquit Sanctus Thomas, quantum deferat Christus respectum clavibus, & quod velit, ut suo modo etiam ipsius delegati habeant partem in justificatione peccatoris? Singulariter loquebatur Dominus Petro, dum ait: *Solvite & sinite abire,* & ad eum dirigebantur verba illa, quem paullò ante Dominus instituerat Vice-Deum suum in terris: *Quodcumque solveris &c.*

Joan. 11. v. 43. Ibid. v. 44. D. Thom. hic in catena.

6. Quinimò, etiam in modo patrandi miracula videtur Petrus ipsemet Christus, sacro namque attestante eloquio: *In plateas eiiciebant infirmos, & ponebant in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis,* Scio quidem Oratores Evangelicos mille acumina & subtilitates ingenii hic excogitare: quidam enim dicunt, Petrum potiùs per umbram suam, quam per aliud quidpiam

Act. 5. v. 15.

piam patrasse miracula, quia cum esset filius Spiritus sancti, voluit in hoc enim imitari. Præstiterat Spiritus Sanctus omnium miraculorum maximum in incarnatione Verbi divini, sola umbra sua, tribuens sacræ Virgini virtutem concipiendi absque omni concursu, aut semine virili: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vt filius itaque Spiritus S. fecit S. Apostolus tot tamque admiranda miracula, ut in omnibus ei assimilaretur, rara sanè excellentia, & soli huic glorioso S. Petro concessa. Alii inhærentes vestigiis S. Ioannis Chrysostomi, volentes altius extollere elogia ipsius, affirmat, hic fuisse verificatum, quod aliquando apertè dixit Salvator noster: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet:* id est, opere, & affectu præstabit ea, quæ ipse facio. In cuius rei confirmationem adducit sanctus Doctor, quòd prædicante Christo plures quidem convertebantur ad fidem, numero tamen finiti, prædicante autem Petro, innumeri ad agnitionem fidei reducebantur: *Hinc probatur ingens illa multitudo accedentium ad fidem Christi, maior profectò (ut Chrysostomus observat) quam prædicante Christo: ut & in hac re impleta sit eiusdem pollicitatio: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet.* Itaque tanti æstimavit Salvator Petrum, ut maiora per ipsum, quàm per se ipsum miracula operatus fuerit.

Lucæ 1. v. 35.

Ioan. 14. v. 12.

D. Chrysost. apud Loren. hic

7. Fateor, hæc omnia curiosè, & prudenter esse dicta, verùm rediens, unde digressus sum, & loquens absque ulla hyperbole, existimo singularem esse prærogativam Petri, quòd Christus Dominus soli illi modũ patrandi miracula confiderit, quo ipse in postrema vitæ suæ periodo illa fuerat operatus. Ecquæ causa fuit tam admirandæ cõversionis boni latronis? Aut cur illi confitenti Christum esse Dei Filium & petenti remissionem peccatorum suorum tam facilis conceditur venia: *Domine, memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Suppono tamquam indubitatum, gratiam Dei esse causam efficientem omnis boni, ast præter hãc, quænam fuit occasio tam peregrini miraculi, quòd homo adeo perditæ conditionis, & patibulo affixus, divinam agnoscat Maiestatẽ? Noster S. Vincentius Ferrerius gravissimos cõmemorat Authores, qui in solam umbram Redẽptoris tam admirabile referunt portentũ. *Refert beatus Vincentius Ferrerius quosdã putasse Christi in cruce umbram percussisse latronem, qui dexter erat: eique sanctitatem contulisse, quando, & sanitatem nunc contulit umbra Petri.* Ita ut primum miraculum quod legimus de umbra, fuerit illud, quod Christus Dominus egit in latrone pendente à dextris suis, fuitque efficax solus umbræ contactus, ut eum Sanctum efficeret, & quia Salvator mundum deserebat, eique iam valedicebat, & quia nos privaturus erat præsentia sua corporali, neque umbra sua ad nos deinceps erat perventura, cuius virtute medelam dolorum nostrorum, & remedium infirmitatum obtineremus: providit, & sustinuit umbram Petri miraculosam, ut ipsa donec viveret Petrus, prosequeretur id, quod ipse Dominus pendens in arbore crucis, tam fœliciter inchoaverat, & auspicatus fuerat.

Lucæ 23. v. 42.

D. Vincent. Ferrer. apud Lorin. in c. 5. Act. Apost. Serm. in Parasc.

8. Imò addit Thomas Bosius, tam efficacem, tantæque virtutis fuisse salutem, quam umbra illa tribuebat, ut etiam ipsa haberet virtutem sanandi cæteros circumstantes, etiamsi umbra illos nequaquam attigisset: *Vno dumtaxat ex ægris obumbrato, reliquos in plateas elatos, sanatos esse, qui sibi id sibi vellent verba illa, obumbraret quempiam illorum & liberarentur ab infirmitatibus suis.* In quo superat, & excedit umbra Petri, ipsius Servatoris nostri umbram, & æquiparat ipsam, (nostro loquendi modo) ipsimet Christo, quasi divinæ æmula virtutis, quemadmodum enim ipse non solùm habet virtutem ad sanandũ, sed etiam ad communicandũ eam cui voluerit, ut idem præstet, quod ipse, iuxta illud Evangelistæ: *Dedit illis potestatem, &c. ut curarent omnem languorum,* etiam umbra Petri communicabat virtutem illi, quem sanabat ut etiam cæteros curaret. Sed nõ idcirco dicemus Petrum maiora fecisse miracula, quàm edidit Salvator noster Christus; hic namque est principalis causa, & agens eorum: verè tamen affirmare possumus, ipsum Dominum maiora patrasse miracula interventione Petri, quam per semetipsũ solum. Adeò voluit exaltare gloriosũ hunc Sanctum, ut in aliquibus eum sibi ipse prætulisse videatur.

Thom. Bosius lib. 15. de notis Eccles. c. 12. & lib. 13. cit. apud Lorin.

Matth. 10. v. 1.

9. Quinimò, quia Sanctus videbat se tot favoribus cumulatum à Christo, ut mundus quodammodo hallucinaretur, ignorans quis è duobus, an Christus an verò Petrus esset habẽdus Redẽptor, ex industria petiit, ne mors sua similis formæ foret cũ morte Redemptoris, ne tanta esset paritas, & similitudo utriusque. Prædixit ei Dominus gloriosam mortem, quam subiturus, & sanguinem, quem pro honore, & gloria

sua profusurus erat. Conformiter ad hæc explicat Sanctus Evangelista, agens partes Commentatoris, verba illa Christi: *Ioan. 21. v. 18.* *Cum autem senueris extendis manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Et subiungit S. Ioannes, Dominum hæc dixisse prænuntiando illi mortem, quam pro illo passurus erat: *Ibid. v. 19.* *Hoc autem dixit, significans, qua morte esset clarificaturus Deum.* Mors autem illius, iuxta relationem Veterum Authorum, & præsertim S. Hieronymi, fuit crucifixio: *D. Hierō. de Scriptor. Ecclesiast.* *Affixus cruci martyrio coronatus est, & in sublime pedibus elevatis.* Paratos iam carnifices ad crucifigendum illum more solito, & consueto, quo cæteros reos crucifigebant, instantiùs, & summis precibus rogavit, ut dignarentur eum crucifigere inversum, id est, capite in terram, seu deorsum, & pedibus in aera sursum: *Crucem resupinus ascendit.* Ecquare, obsecro, tam solicitè ambivit S. Petrus tam insolitum, & novum tormenti genus? Plurimi dicunt, idipsum efflagitasse, ut acerbius foret supplicium, & crudelius tormentum. Adducunt in favorem sententiæ suæ S. Ambrosium, dicentem, Petrum hoc modo voluisse aggravare passionem suam, & augere tormenta, seu dolores suos: *D. Amb. ibi.* *Vt ipse sibi exacerbaret supplicium.* Piè quidem consideratum; sed magis arridet alia ratio, quam idem Sanctus Doctor excogitavit: *Idem Serm. 20. in Psal 118.* *Metuens, ne sic ea specie crucifixus esset, qua Dominus affectasse Domini gloriam videretur;* id est, ne reputaretur velle usurpare gloriam Christi, & Redemptoris. Verba sanè, prima fronte, intellectu difficilia, quia mori in Cruce, erat maxima ignominia, quam quis pati, aut subire poterat, & soli rei, & infames tam ignominiosa morte plectebantur. Qui igitur asserit S. Ambrosius, Petrum elegisse hoc mortis genus ne diceretur affectasse gloriam Christi? Rectè quidem memini, & recordor, Apostolum Petrum aliquando ubi se conspexit honore societatis Christi sublimatum, & gloria eius in monte Thabor donatum, ubi Dominus gloriam suam ostentavit, summis votis anhelasse, & concupivisse perennem, & stabilem possessionem eiusdem loci, gloriæ & splendoris: *Matth. 17. v. 4.* *Bonum est nos hic esse.* Quomodo ergò tam scrupulosum se exhibet modo ad moriendū morte Magistri sui, si tunc tam ardenti desiderio gestiebat participare, & imitari gloriam Christi?

10. Nisi dicamus, quòd Sanctus comparans unam gloriam alteri, [illegible] m gloriam Crucis gloriæ montis Thabor, judic[illegible] [illegible]ràm hac solam gloriam Calvariæ promereri [illegible] nomen, & titulum, & hanc solam æstimasse Christum tamquam veram, & solidam gloriā. Et ne videatur hæc consideratio minus fundata, recurramus ad Apocalypsim S. Ioannis, & reperiemus in illa, seniores illos, qui incessanter Agnum laudabunt, idipsum hisce verbis protestantes: *Apoc. 5. v. 12.* *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, id est, dignus est omni laude. Quæ, verba enucleans doctus, & Venerabilis Beda, notat, quod congratulationem gloriæ de qua applaudunt Agno, attribuant meritis, quibus illam consecutus est: *Beda hic* *Congaudent quidem gloria, sed congratulantur dignitati;* & hoc maxima laude, & gloria dignum reputant, quòd Agnus illam promeruerit, quasi Christus illustrior, maiorque fuerit propter mortem Crucis, quam pertulit in terris, quàm ob gloriam, qua fruitur in cœlis. Supposita hac doctrina, tamquam vera, non est tantopere mirandum, quòd Apostolus S. Petrus qui optavit esse particeps gloriæ montis, scrupulum faceret, habere partem cum Christo in gloria Crucis, noverat enim indolem, & conditionem cœlestis Magistri sui, quòd apud ipsum nulla alia gloria, nisi gloria Crucis supponat, quodque hæc sola antonomasticè sit gloria ipsius: idcirco recusat eadem corporis positione crucifigi cum Christo, sed ad pedes eius caput suum versùs terram, cupit collocari; ne dicatur servus affectasse gloriam, & excellentiam, quæ propria est Domini, ac Magistri.

11. Ponderans Sanctus Augustinus postulationem Elisæi, qua rogavit Magistrum suum Eliam, quando tolleretur è mundo, duplicem spiritum: *Fiat in me duplex spiritus tuus.* *2. Reg. 2. v. 9.* Ecquæ, inquit Sanctus, tam peregrina, & inusitata petitio tua? An fortassè cupis melior esse Magistro tuo Elia? Non es contentus forte, & sanctitate illius? Recordare dicti: *Matth. 10. v. 24.* *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum.* Respondet S. Doctor in favorem Elisæi, agitque partes, & causam eius, manifestè demonstrans petitionem illam, non censurâ, sed singulari laude dignam esse: *D. Augusl lib.* *Non elatione affectus, super Magistrum esse voluit, sed videns peccata populi innumera, non simplici spiritu*

Elia,

2. de mirabil. *Elia, sed duplici compesci posse pravidit.* Quod Eliseus desideret esse maior Elia non superbia, sed charitas, petiit namque duplicem spiritum, ut magis prodesset. Fuit postulatio utilis, & proficua bono communi, cum enim perspectum haberet peccata hominum indies magis magisque augescere, & ad ea corrigenda non sufficere unum solummodò spiritum Eliæ, postulavit duplicatum, ut fructus foret copiosior, ubi maior erat necessitas. Hic familiarissimus est modus explicandi hunc locum, quem passim sacri Interpretes ratum habent: ast insignis Vatablus in suis Scholiis ait, nō hanc fuisse mētē Elisei, sed dixisse Magistro suo, & protestatū fuisse se multò minori spiritu, & inferiori esse contentum: *Noli me efficere tantū, quantū tu es: sed solum da mihi duas partes tui spiritus.* Quasi diceret Eliseus; ò Magister mi, non facias tibi æqualem, sed tantummodò tribue mihi duas partes tui spiritûs, velle enim discipulum Magistro suo æquiparari temeraria foret præsumptio. Crucifigant me inquit S. Petrus inversum, & opposito modo, quo alii simili supplicio affici consueverunt: ne umquam de me suspicio habeatur, quòd adeò audax fuerim, ut ambiverim eumdem supplicij modum, cum cœlesti Magistro meo: *Noli me efficere tantum, quantus tu es.* Nolo siquidem possidere gloriam Magistro meo competentē.

Vatabl. in Scholiis N. 16.

XI. Finiit tandem Sanctus Apostolus vitam suam morte, & martyrio singulari (uti diximus) pedibus sursùm, & capite deorsum crucifixus: Passio sanè mysterio plena. Scio Oratores Evangelicos mille hic excogitare considerationes, pias simul, & doctas; imò ego, quamvis minimus illorum, dixi aliquando, hoc novum, & singulare tormenti genus præfigurasse perpetuam Summorum Pontificum Romanæ Ecclesiæ successionem Movebat autem ad hoc affirmandum, verbis ipsiusmet Domini Salvatoris, qui dum prædiceret ei gloriosum martyrij finem, etiam dixit: *Pater meus agricola est.* Nonne vidistis aliquando vitem capite in terram versùs immitti? Propriè dicunt illum huc, & illuc duci, ut uberiores proferat fructus, imò ipsa experientia docet palmitem suffossum copiosiores emittere pampinos è terra, & luxuriantia producere sarmenta, quæ à vite in terram capite immissâ originem suam trahunt, & enascuntur. Eodem prorsùs modo prædixit Christus Dominus Petro mortem, & martyrium suum. Dum esses junior, ait illi, ibas, quò volebas, sed quando fueris senex: *Alius cinget te, & educet, quò tu non vis,* id est, alius te crucifiget capite inverso in terram, ut ex te prodeat tota successio summorū Pontificum, Vicariorum meorum, & successorum tuorum Nunc autem adiungo illud, quod gravis quidam Doctor adnotavit, in Oratione quadam habita in electione sūmi Pontificis Leonis Vndecimi, in qua dixit, maximum præbere solatium fidelibus hanc Petri morientis formam, & positionem, *Pedibus in cœlum tendentibus mortuus est Petrus, quasi itinere pergentibus ad cœlum, & sequentibus Christum & verso in terram capite, quasi eodem tempore, & ad Deum ascenderet, & Ecclesiam minimè desereret.* Hoc est, pedes versùs designant Petrum proficiscentem in cœlum & sequentē vestigia Christi, caput autē demissum versùs terrā quod licèt iret ad perfruendū demonstrat, gloria sibi præparata, non idcirco tamen desereret Ecclesiā, quodq; superius esset, quoad gloriam, remaneret tamen inferius in terris, quoad curā, & solicitudinem, animas Fideles suo patricinio, eisque favens sibi intercessione, impetrans eis veniam peccatorum, perseverantiam in gratia, quæ est pignus æternæ gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.*

Ioann. 15. v. 1.

Ioann. 21. v. 18.

Marcell. Vest. orat. ad PP. ante election. Leon. XI.



TRACTATUS XIX.


IN FESTO

Gloriosæ sanctæ

MARIÆ MAGDALENÆ.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius, &c.

Lucæ cap. 7.



N omnibus operibus suis ostentat Deus omnipotentiam suam, sed præsertim, & maximè in cōdonandis peccatis, quemadmodum cantat Sancta Mater Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* Et enarraturus S. Evangelista Lucas miraculosam conversionem Magdalenæ, introducit eam primò in scenam ut peccatricem, & petram scandali universo orbi; posteà verò exhibet eam uti Sanctam, & castam, & pudicam, ut agnoscatur, quæ, qualisve prius extiterit, & in qualem postmodum fuerit commutata, ut nimirum sciretur, qualis esset ex natura, & in qualem gratia divina eam transformaverit: & sicuti nigrum iuxta album expositum, magis elucet nigrum, & in contrariis per vicinitatem magis eminet eorum perfectio, ita etiam ad præsentiam peccatorum Magdalenæ, gloriosior, & excellentior apparet eius sanctitas, & tanto magis elucessent divitiæ, & ornamenta virtutum, & gratiæ eius, quanto magis abominanda fuerint eius delicta. Et tanto celebrius laudabitur potentissimi artificis opus, quia fecit ex lebere phialam, & de vase contumeliæ, vas gloriæ, efficiens in tali, tamque rudi materia, tam nobilem, & insignē permutationem. Magnum Ecclesiæ decus S. Ambrosius explicans verba illa Sponsi in Canticis: *Flores apparuerunt in terra nostra*, singulari acumine ingenii adnotavit, Sponsum nedū dixisse, quod flores apparuerint in terra, sed addidisse nostra, quasi admiratur videre in terra nostra, & in hac rudi, agrestique humanitate, quæ non germinabat, nisi spinas, & tribulos, iam per Deum exculta, rosas, & flores parturiret: *Bene addit Propheta, nostra, quasi admirās, quod ubi ante impudicitia, ibi castitas.* Stupebat attonitus Propheta, videns, quòd ubi antea grassabatur impudicitia, iam vigeret castitas & ideo adiecit *terra nostra*, hoc namq; maximam parit admirationem. Tempore peccatorum, aut perditæ vitæ non producebat Magdalena, nisi vepres, spinas, & tribulos: verùm postmodum in illa per Christum conversa apparuerunt flores pudicitiæ, & honestatis, admirabiles divinæ gratiæ effectus. Primus status illius habet singularem sibi diem deputatum in Quadragesima. In secundo autem, adiuti Spiritus sancti auxilio, considerabimus eam in præsenti Concione. Rogemus Virginem sacratissimam Dominam nostram, ut sua potenti intercessione illud nobis impetret, eamque solita oratione, seu Angelica salutatione nobis devinciamus, dicentes: *Ave gratia, &c.*

Cant. 2. v. 12.

D. Amb. lib. de Isaac. c. 4.

Lacry-

Lacrymis cœpit rigare pedes eius.

CONSIDERATIO I.

Summa virtutis excellentia Magdalenæ, eiusque prærogativa sanctitatis, non tam in constanti perseverantia, quam ferventi operatione sita fuit.

1. DOctissimus noster Episcopus Barbastrensis, considerans hoc verbum Evangelistæ: *Cœpit rigare*, quòd, videlicet, Magdalena incœperat lacrymis rigare pedes Redemptoris, existimat idem fuisse, ac dicere: *Videtisne tam copiosas lacrymas?* Estote certi, illam non fuisse hisce contentam, aut finem imposuisse fletui, & totus hic ploratus, nō nisi præludium fuit, & initium abundantissimi aquarum rivuli, qui emanaturus erat ex oculis eius toto vitæ decursu, qui ad plurimos fuit protractus annos: *Cœpit, sed non defecit.* Hic est familiarior modus dicendi Oratorum Evangelicorum, autumo tamen sacrum Evangelistam hocce vocabulo voluisse nobis indicare favorem Magdalenæ in lacrymando, & cæteris operibus exercendis, quæ non solum erant habitura perseverantiam, sed etiā diligentiam, & fortitudinem: ita ut postquā multum in illis profecisset, & quasi cœlum lucrata fuisset, tanto affectu, & favore perseveraret in illis, quasi tunc demum inciperet, absque eo, quod tempus omnia commutans, impetum, & vehementiam cursus illius impedire aut retardare posset: *Lacrymis cœpit rigare, &c.* (Hieron. La Nuza hom. 38. §. 23.)

2. Mysticus planè, & admirabilis apparet sacris Interpretibus stylus, quo usus est Moyses in descriptione operum creationis; postquam enim dixisset, Deum tenebras appellasse noctem, & lucem diem, addit ex vespere, & manè primum diem fuisse factum: *Et factum est vesperè, manè & dies unus.* (Gen. 1. v. 5.) Verba sane obscura, & prima fronte difficilia intellectu, inquit Dionysius Carthusianus, nam si dixisset, quòd ex manè, & vesperè factus fuerat unus dies, nihil erat hæsitandum, quia manifestum est in die prius esse manè, quam vesperum, verum, quod sacer Historicus transmutet verba, & dicat, ex vespere, & manè diem unum esse factum: *Factū est vespere, &c.* Haud dubiè causat admirationē, & ad enodandā hanc difficultatem, recurrit præfatus Author ad energiā, & emphasim mysticam eorumdem: *Vespera lucis perfecta, dici potest cessatio ab actu virtutis, & gratiæ: manè verò est renovatio actus virtuosi, quòd dum agimus, completur in nobis dies unus interior.* (Dionys. Carthus. hic.) Ac si diceret, altius debet conscendere homo Christianus in intellectu horum verborum, & scire, non absque mysterio unum fuisse diem factum, ponendo pro principio, quod est finis, ad edocendum nos modum, quem observare debemus in servitio Dei, & via virtutis. Debemus namque ex vespere, facere manè: *Et factum est vespere, & mane dies unus*; id est, dum servus Dei, sive iustus ad summæ perfectionis culmen pertigerit, tūc ex vespere debet facere manè, & incipere amare, quasi nondum incœpisset post plures actus charitatis, debet progredi, quasi tunc demū auspicaretur, & iā plenus meritis, sibi persuadere, se nihil egisse, & plurima restare agenda; si namque manè incipiat homo maiori fervore opus suum: *Exibit homo mane ad opus suum*, (Ps. 103. v. 23.) facere ex vespere tempus matutinum, idem erit, ac operari tanta alacritate postrema opera, quasi prima forent, hoc namque modo dies spiritualis componitur.

3. Velut aquilas exoptabat David omnes fideles aspirantes ad summitatem perfectionis, si votis suis frui cupiant. *Qui replet in bonis desideriū tuum, renovabitur ut aquila iuventus tua.* Dabit, (inquit, loquens iusto) tibi Deus petitiones cordis tui, dummodò æquæ fuerint, & quidquid postulaveris, pro votis consequeris. Vel ut legit Paraphrasis nostri Hispani ex Hebræo: *Qui replet in bonis os tuū*, (Psal. 102. v. 5.) sed ut hæc tibi ad votum succedant, opus est uti aquila renoves juventutem tuam, id est, ad exemplum illius veterem exuas hominē, & novum induas. Ad elucidationem huius metaphoræ serviet nobis observatio S. Maximi cuius hæc sequentia sunt verba: *Senectutem aquila non sentiit, sed plumā, de novo ergo se vestit, & pullulantibus pennis vetusta mater iterùm renovatur in pullū*, (D. Maxim. hō. 5. de Resurrectione.) post longam namque, & quodammodo attritam senectutem tanta velocitate instaurant volatum, ac si tunc demum volare inciperent. Eumdem prorsùs modum servare debent animæ, quæ de virtute in virtutem progredi concupiscunt, debentinquā, adinstar aquilarū, plenæ plumis bonorum operum denuo renovare iuventutem suam, neque ullatenus cessare ab ope,

operibus virtutum; cum enim semper possint plus promereri, non est æquum, quòd ponant finem aut terminum in operationibus virtutū. Hic est verus, & legitimus stylus serviēdi Deo, & quem ad amussim observavit sancta Magdalena: tunc nimirùm incipere, dum jam opus consummatum videtur.

4. Volens Sponsa vivaciùs exprimere quantum Sponsus divinus à filiabus Ierusalem, id est, ab animabus sanctis amaretur, in hæc verba prorupit: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Carpit ingeniosè hæc verba Origenes, nam videtur Sponsa haudquaquam illis Sponsum suum dilectissimum laudare, quia Dominus rapitur magis amore animarum, quæ jam sunt veteranæ, & annosæ in via virtutis, quam novitias, & tirunculas, atque adeò, dignioribus eum extolleret encomiis, si diceret illum à vetulis, & annosis tenerrimè diligi, & amari. Si verba Sponsæ juxtà sonum litteræ intelligenda forent, haud dubiè quæstio proposita difficultatem pateretur, verùm nequaquam hæc fuit ejus mens, aut intentio, neque voluit exprimere verbis suis animas novitias in virtute ferventiori dilectione eum prosequi: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Sed altiùs quoddam mysterium excogitavit, inquit Origenes: *Dilexerunt te, non illa vetula, ac veterem hominem induta anima, sed adolescentula, in augmento scilicet ætatu, & pulchritudinu potita anima, quæ semper innovantur, & de die in diem renovantur, novum se hominem induentes, qui secundum Deum creatus est.* Voluit itaque Sponsa dicere, ô amantissime Domine, illæ tibi perplacent animæ, quæ non contentæ operibus, tui amore peractis, donec tibi serviunt, & vivunt, semper magis inardescunt, & quando videntur, post plurima obsequia tibi præstita posse supersedere à labore, tunc noviter excrescunt, & florida ætate gaudentes jugibus virtutum incrementis revirescunt. Tantùm absunt à complacentia eorum, quæ fecerunt, ut semper renovata spiritu pergant, & novis desideriis contendant tibi servire, quasi tunc demum inciperent.

Cant. 1. v. 2.

Origen. hom. 11. in Cant.

5. Ponderans Hugo Cardinalis verba illa Spiritus sancti in Proverbiis Salomonis, ubi comparat justum florenti ramo, ac viridi: *Iusti autem quasi virens folium germinabunt*, observat, comparationem videri impropriam, commodioremque fore similitudinem, si justum ramo veteri, & fructibus onusto æquipararet, & non germini, quod nova emittit, & profert folia.

Prov. 11. v. 28.

Verùm huic objectioni occurrit doctissimus Cardinalis, dicens justum comparari surculo, aut germini, non quia non sit copiosis onustum fructibus, sed quia tanta ubertate eos producit, quasi nova esset planta: *Vel ideò dicuntur justi germinare, quia semper se novos reputant, non maturos.* Ecclesiastici 18. *Cùm consummatus fuerit homo tunc incipit.* Fatigatus est justus labore, & proferendis fructibus, & adhuc reputat se primitias offerre, imò plenus operibus bonis, & meritis, operatur, quasi tunc demum inciperet mereri. Et hoc insinuat Ecclesiasticus. *Cùm consummaverit homo tunc incipiet.* Ecquæ arbor plenior, & copiosior fructibus, & virtutibus, quàm Magdalena? Et nihilominus tanto animi vigore, & alacritate vacabat exercitiis virtutum, quasi tunc inciperet. Dum Elias in curru igneo raperetur ad cœlos, crebris vocibus acclamavit illi discipulus ejus Elisæus, forsitan ut illis abeuntem revocaret. Et notat sacer Historicus, quòd tulerit pallium Magistri sui: *Levavit pallium suum, quod ceciderat ei.* Egregias considerationes excogitant sacri Interpretes super hoc mystico rerum eventu, ast Moderni cujusdam observatio apprimè instituto nostro deservit, eamque fundat in doctrina Lyrani, asserentis hoc idem fuisse pallium, quo Elias jam anteà Elisæum Prophetam inunxerat: *Cumque venisset Elias ad eum misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Sed quodnam mysterium continet, quòd Elias relinquat discipulo suo Elisæo idem pallium, quo ipsum Prophetam inunxerat? Accipite ingeniosam responsionem illius Moderni: *Ac si dixisset, ne è memoria excidat tua vocationis dies, pallium tibi relinquo, quo in Religiosorum cœtum vocatus es.* Tamquàm diceret Magister discipulo, cupis sanctus esse? Ecce tibi methodum præscribo, modum edoceo, quo votorum tuorum compos fieri valeas. Hoc eodem habitu, seu pallio admissus es ad Religionem, & numerum Prophetarum, recordare tuæ primæ vocationis, & quando maximè profeceris in virtute, arbitrare tunc demum te assumpsisse habitum, teque esse novitium, & tyronem in rudimentis virtutum, & hoc efficacissimum est medium pertingendi ad statum perfectionis, quem ambis, & prætendis, cogitans te adhuc in primo limine virtutum subsistere, plurimaque supere esse facienda. Sit tibi pallium hoc excitamentum, ut, quoties illud conspexeris, ardentiori fervore, & alacriori solicitudine viam perfectionis capessas.

Hugo Card. hic

Eccl. 18. v. 6.

3. Reg. 19. v. 19. & 20.

Villaroel. in Iudic. c. 1. v. 10. Aphoris. 4.

A prir-

A primo instanti suæ conversionis, inquit Dionysius Carthusianus, die noctuque incessanter Magdalena Deo servivit, jugiterque dilexit, absque ulla intermissione, aut mora, ita ut post triginta annos pœnitentiæ, tanto ardore, & animi devotione prosecuta fuerit cœptum amoris exercitium, quasi tunc recenter inciperet: *Quid aliud egit die, ac nocte per annos illos triginta, nisi Deo vacare, eum laudare, orare, contemplari, diligere, quasi continuè, omnique hora validius ipsum amare, intentiùs inflammari; ita quod tota resolvebatur, ac transformabatur in Deum.* Notate verba illa, *validiùs, & intentiùs*, id est, majori vigore Deum amabat, & magis intensè illum diligebat, & crescentibus annis, indies in virtutibus augebatur, cum hac tamen differentia, quòd accretio annorum causaret debilitatem, & progressus in virtute adderet animositatem; ac proindè, quantò hæc gloriosa Sancta plus amabat Dominum, eique serviebat, tantò animosior, & robustior fiebat ad amandum, & serviendum illi. Et in hoc, uti diximus, sita fuit excellentia virtutis, & prærogativa sanctitatis ejus, non solùm in eo, quòd constans perseveraret, sed quòd animosè operaretur. Huc collimant verba illa: *Cœpit rigare pedes ejus.*

Dionys. Carthus. Serm. 3 de Magdalen.

Vides hanc mulierem, &c.

CONSIDERATIO II.

Qui in charitas divina transformat omnia, adeò immutata fuit Magdalena per amorem, ut ex serva peccati effecta sit Sponsa Christi.

COmparat S. Joannes Chrysostomus Noëmum, ejusque Arcam Christo Domino, & ejus Ecclesiæ. Quemadmodum enim in aquis diluvii, omnes, qui non refugerunt ad Arcam, miserè perierunt: ita etiam in nova lege, quotquot non sequuntur Christum, neque ad Ecclesiam ejus recurrunt, nequeunt salutem consequi, aut veram obtinere vitam animæ. Hæc tamen reperitur differentia inter Noëmum, & ejus Arcam, & Christum ejusque Ecclesiam, quòd, quamvis Noë omnes quos suscepit ad Arcam reddiderit vivos, non tamen immutatos, qui namque ingressi sunt homines, egressi sunt homines. Leones intrarunt, & egressi sunt Leones: verùm Christus nedum nos conservat, sed etiam transformat: *Arca animalia suscepit, & animalia conservavit: Ecclesia animalia suscipiens, transformavit introivit quis accipiter, colũba exit, introivit lupus, agnus egreditur.* Noë idem, quod recepit restituit: at Christus nos immutat, & transformat, non in natura, sed gratia: *Etenim Arca, & excipiebat animalia, & conservabat: Ecclesia verò semel suscepta animalia immutat.* Et prosequitur ulterius quidam Author: *Non quidem immutata natura, sed explesa militia.* Suscipit homines, & reddit Angelos, Leones feros, & transformat eos in agnos, & castos. Vile lutum, in pretiosum convertit aurum, & vasa contumeliæ in vasa honoris.

D. Chrysost. hom. 3. de pœnitent. tom. 5.

Mendoza tom. 1 in c. 1. Reg.

Hoc canit sancta Mater Ecclesia, exaltans omnipotentiam divinam, & aggratulans gloriosæ Magdalenæ, in qua tam fœliciter tot supernas commutationes amor divinus effecit: *Fit ex lebete phiala, in vas translata gloriæ, de vase contumeliæ: gemmaque lucet inclyta de luto luci reddita.* Iam me avocat insignis quidam locus Iobi, qui, licet sæpius sit repetitus, singulariter tamen eum elucidabit enucleatio antiqui Tertulliani: *Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo, Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.* Si te converteris, ô homo, ad Deum, (ita namque legunt Septuaginta) *Si conversus fueris*, & utroque termino rectè explicatur conversio peccatoris, uti notat doctus Commentator Iobi; quia reverti ad Deum, denotat eum fuisse elongatum ab eo, & se convertere designat eum oblitum fuisse omnis virtutis, & cultus divini, & solùmodo rebus humanis vacasse: *Est enim in utraque voce peculiaris vis revertitur enim, qui se elongavit à Deo, & abiit in regionem longinquam, procul à Dei conspectu, & religionis memoria. Convertitur, qui postbabuit omnem pietatem, & cultum numinis, atque oculis, & animo in res externas parandas incubuit.* Dicit, itaque Spiritus Sanctus, si te converteris, ô homo, ad Deum, & deserueris peccatum, & statum culpæ, ipse ædificabit te manu sua. Est hæc metaphora desumpta ab ædificio ruinoso, quod paulatim vergit

Iob. 22. v. 23. & 24.

Pineda hic.

vergit ad casum, & interitum, si reparetur, statim in melius commutatur. Talis est peccator in delictis suis hærens, qui veluti domus minans ruinam, paulatim decidit; ad reædificandum verò illum, necesse est fidem ejus excitare, charitatem incendere, spem erigere, & plures virtutes denuò instaurare, & tandem peccata ab anima expellere. Quinimò amplius faciet Dominus. Ecquid? *Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos*, id est, ex silicibus venæ, & scaturigines auri prodibunt. Quæ compendio dicta hunc reddunt sensum, ex luto vili te in pretiosum commutabit & convertet aurum.

3. Videtur ob oculos habuisse gloriosam nostram Sanctam, ejusque miraculosam conversionem & immutationem, quam divinus amor in illa operatus est. Audiamus Tertullianum egregiè hunc locum Iobi elucidantem, & altiùs ejus doctrinam explicantem, nam parat nobis viam, & præbet ansam sua expositione, eam instituto nostro accommodandi. Bone Deus, quam nobile est aurum! quam æstimabile! quod etiam in capitibus Regum splendet, & elucet. Res sanè mira! Ecquis tantam ei contulit gloriam, & decorem? An fortassè nobiliori progenie natum est, quàm cætera metalla? Minimè gentium, quia ex terra est, & hæc fuit ejus parens. Qui igitur adeò diversum est à cæteris, ut ne nomen quidem commune servaverit? *Nomen terræ in igne reliquit*, inquit Tertullianus, id est, conflatoriò ignis debet hanc sui nominis immutationem; in illo etenim expurgatum, cæterorum metallorum conditionem superat, & beneficio illius terra gloriosior, dedignatur consortium, & societatem aliorum metallorum, quæ ex eodem parente sunt progenita: *De ignominiis in honores, metallis refuga mutatur.* O Magdalena divina, si sacra Scriptura, ad explicandam eminentiam privilegiorum, quibus peccator verè conversus condecoratur, afferat, Deum convertere ex terra in aurum, nescio sanè, in qua conversione hoc magis verificetur, quàm in tua. Terra eras, imò, & vile seu sordidum lutum, (ita siquidem cantat S. Ecclesia) toto tempore, quò peccatis immersa periclitabaris; verùm, mox ut te ignis divini amoris attigit, *dilexit multum*, in aurum purissimum es cōversa; *de luto luci reddita*, & de vase contumeliæ, translata in vas gloriæ, & tandem non ampliùs vocaris *mulier, quæ erat in civitate peccatrix*, sed alia, *Hanc mulierem*. Ecquis, quæso, tam admirabiles causavit mutationes? Quis? *Nomen terræ in igne reliquit*. Miracula sunt divini ignis, seu amoris, qui transformat terram in aurum, & de obscuris tenebris splendidam educit lucem.

Tertull. de habitu mulier. cap. 3.

4. Singularem adnotavi locum ex Malachia huic instituto nostro accommodatissimum. Delineans Propheta Incarnationem, & adventum Filii Dei in mundum, & admiranda potentiæ ejus opera, quæ patraturus erat, in has gravissimas prorumpit voces: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Eia Fideles, macti animo, læta vobis prædico nuntia (inquit Propheta, nomine Patris æterni) Filius meus illuminabit vos, tamquàm Sol justitiæ, & consolamini, quia velociter veniet ad succurrendum vobis. Author Thesauri novi, juxta communem opinionem est noster a Palude, ponderans hæc verba, largo quodam discursu, quo describit proprietates, & conditiones Solis naturalis, manifestè probat convenientiam Christi Redemptoris cum Sole naturali, ac proindè eum non immeritò Solem justitiæ appellari. Omissis aliis, in alias occasiones, tantummodò unam referemus: *In terris calor suæ virtutis lapides pretiosos, aurum, & argentum gignit. Hic Sol virtutem, quam ostendit in terris, quia terrenos homines, quos invenit, in aurum mutat charitatis divinæ, & argentum puritatis.* Non quiescit hic pulcherrimus planeta ab illuminando, & illustrando radiis suis terram, & plura alia ei præstat beneficia, quia virtute caloris sui procreat uniones, margaritas, aurum, argentum, &c. ita etiam Christus Dominus non solum tamquàm verus Sol illustravit mundum lumine fidei, sed innumeris aliis modis splendentes radios suæ omnipotentiæ mortalibus ostendit; quæ singulariter elucet in eo, quòd homines terrenos mille sordibus, & imperfectionibus repletos convertat in purissimum aurum charitatis, & argentum puritatis. *Nonnè*, (ait idem Author, prosequens dictum suum) *Maria Magdalena tota fuit terrena, & more terræ frigida? Sed Christus ipsam sui luminis calore tangens in nobile aurum mutavit charitatis, ita Dominus veritatis de ea protulit*: *Lucæ* 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Ecquæ umquam magis terrena, quam Magdalena? adeò frigida charitate, ut terra ex na-

Malach. 4. v. 2.

Thesaur. novus Serm. 1 de S. Andrea.

6.

ex nativa sua indole, ast tetigit eam Christus calore luminis sui, radiisque suis animam ejus illustravit, & illicò eam transformavit in aurū tam eminentis charitatis ut ipsâ veritate attestante ei plurima fuerint peccata dimissa, quia plurimùm dilexit.

5. Ponderans insignis noster Lusitanus Oleaster, ascensum illum Seniorum ac Rectorum populi Hebraici ad cacumen montis, ubi viderunt Deum sedentem in throno gloriæ, qui rutilantes emittebat radios, indicaruntque Thronum illum esse, *quasi opus lapidis sapphirini*, & inhærendo translationi doctissimi nostri Pagnini, erat Thronus *quasi opus lateris sapphirini*. Lapides autem sapphiri sunt coloris cœlici, & insuper is iis, quædam puncta aurea interlucent: *Significatur, quod sub pedibus Dei erat non quidem lapis sed later, aut lapis formam lateris habens, sapphirini coloris; est autem lapis sapphirus, ut dicitur, coloris cœlici aut cærulei & aureis punctis collucere.* Cæterùm mox ratio dubitandi occurrit, quonam modo unum alteri cohæreat? Si lateres, quomodo sapphiri? Et si sapphiri, quomodo lateres? Optimè inquit doctissimus Lusitanus, juxta opinionem & relationem Hebræorum. *Dicunt autem Hebræi, Deum laterem eis sub pedibus ostendisse, ut scirent quod ex populo servili populus divinus & liber facti essent, ita ut lutum illud in quo in Ægypto operati fuerant, in pretiosissimum lapidem mutatum esset*, id est, erant lateres coloris sapphirini, quia erant illi Ægyptiaci, in quibus Israëlitæ multum laboris & molestiæ pertulerant, ex quibus Deus sibi Thronum gloriæ construxerat, ast quamvis lateres coloris tamen erant sapphirini, qui ex præsentia Dei, sub cujus pedibus existebant, emanabat tanta enim claritas lucis prodibat à Domino, ut radii illius per reverberationem attingentes lateres illos colore sapphirino intingerent. Ecquid eras ô Magdalena Sancta ante conversionem tuam, nisi later Ægypti, igne sensualitatis seu immoderatæ libidinis excoctus? Verumtamen postquam te ad pedes Redemptoris abjecisti, *secus pedes eius*, in domo Pharisæi, & lacrymis abluisti crimina tua, *lacrymis cæpit rigare*, jam alio prorsùs imbuta es colore. Priùs eras later, & jam es sapphirus, priùs terra, jam cœlum, priùs peccatrix, jam sancta. Refulserunt in te radii divinæ pietatis & misericordiæ. Et quamquàm later fueris, non obstitit, quin pulcherrimus fieres gloriæ sapphirus, licet enim multum deliqueris & peccaveris, non minus dilexisti, ac proinde in conflatorio reliquisti nomen terræ ad instar auri: *Nomen terræ in igne reliquit*, quapropter etiam nunc in aliam es transmutata: *Hanc mulierem.*

Exod 24. v. 10.

Pagnin. hic.

Oleaster hic.

6. Verba illa Hymni Ecclesiæ jam citata *fit ex lebete phiala*, alludunt, inquit noster Barbastrensis ad illa Zachariæ: *Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari.* Erit in tempore illo Messiæ sive Redemptoris, & fient illæ nigerrimæ, in quibus coquebantur carnes, phialæ utræque pretiosæ ad altaris ornamentum. Doctus Commentator minorum Prophetarum, ad exponendum hæc verba, innititur dictis S. Hieronymi, cujus sententiam refert: *Lebetibus carnes victimarum coquebantur in templo, Phialæ coram altari ponebantur plenæ odoramentis, ut ait Hieronymus*, id est, statuebantur phialæ in altari floribus sive odoramentis refertæ, veluti urceoli; in lebetibus autem coquebantur carnes immolandæ in sacrificiis, ac proinde semper nigredine & fœtore pessimo inficiebantur, quapropter etiam sicuti lebetes fœtorem, ita etiam phialæ suavissimum odorem spirabant, quemadmodum sanctus Ioannes se eas vidisse testatur: *Phialas aureas plenas odoramentorum.* Ideoque verba Zachariæ hunc reddunt sensum: Erit aliquando tempus, in quo nigerrimo ollæ fumo deturpatæ convertuntur in phialas & ornamenta Altaris. Nescio, in quo hocce vaticinium expressius sit adimpletum, inquit noster Barbastrensis, quàm in Magdalenâ, quæ priùs fuit lebes, in quo carnes bulliebant & coquebantur concupiscentiæ, ex quibus fumus & vapor ascendebat obscœnitatis, nunc autem phiala reddita aromatica, nunc urceolus floribus fragrantissimus, vas prius in contumeliam, nunc vas in honorem & gloriam, adeò nitidum & mundum, ut ipsas Virgines superet puritate, prout aureum Chrysostomi os eloquitur. *Meretrix illa in Evangelio, etiam ipsas Virgines honestate superavit.* Si diceret Sanctus illam excedere gloria, & dolore peccatorum, non permagni facerem, sed quod mulieri tam lascivæ, cum tanto honestatis detrimento Virgines æmulentur, & invideant, est argumentum evidens magnæ potentiæ Dei in convertendis animabus, & efficaciæ divinæ gratiæ in illis reformandis.

Zachariæ 14. v. 20.

Ribera hic.

Apoc. 5. v. 8.

La Nuza hom. 48. §. 41. n. 3.

D. Chrysost. hom. 6. super Luc.

Et in hoc elucet, inquit devotissimus Ab-

bas

bus S. Bernardus, differentia inter Moysen, & Christum Dominum (omissis aliis) quia ille duxit uxorem Æthiopissam & deformem, & licet eam duxerit uxorem, æque fœda & turpis remansit, neque potuit illi aliam tribuere formam aut colorem: ast Salvator desponsans nos sibi, quamvis obscœnos & deformes peccatores, potest animas transformare, ita ut ne vestigium quidem præteritæ turpitudinis remaneat, sed solùm pulchritudo gratiæ & virtutum, quas confert appareat: *Moyses quidem Æthiopissam duxit uxorem, sed nō potuit Æthiopisse mutare colorem: Christus verò, quam adamavit ignobilem, adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibet Ecclesiam, non habentem maculam nec rugam.* Et videtur Christus in hodierno connubio, cum Magdalena inito, idipsum experimēto voluisse comprobare, dum eam ex cœno vitiorum & abysso peccatorum extraxit, & in paradisum florum, & virtutum commutavit. Epropter eam hodie aliam indigitat: *Videns hanc mulierem &c.* Ecquid enim in hac muliere reperitur, quod non sit gratia & sanctitas? Vidistinè unquàm expressius aut vivacius symbolum gratiæ? Scias eam esse adeò puram, castam & sanctam, ut quemadmodum ex Chrysostomo diximus, supergressa fuerit virgines etiam castissimas & pulcherrimas, atque ideo jā non est illa meretrix sed alia mulier quam divinus amor transformavit. Et in hunc finem adducit sanctus Gregorius Nazianzenus illud, quod Naturales referunt de Phœnice, nimirùm quod ipsemet ignem extruat & incendat, quo exuritur & consumitur, & ex ipsis cineribus novus enascitur Phœnix, multò vegetior priore, ita ut sit quoddam singulare miraculum, & portentum naturæ.

D. Bern. Serm 2. in Dom. in post Epiphan.

Vt Phœnix moriens, &c.

In mediis flammis post plurima lustra renascens.

Atque novum veteri surgit de corpore corpus.

D. Greg. Nazianz. de Phœnice.

Non secus hæc Sancta, igne divini amoris consumpta & exusta, ex propriis cineribus adeò immutata prodiit, tot virtutibus & donis cumulata, ut sit unum ex præcipuis divinæ omnipotentiæ miraculis & prodigiis. Et totum hoc videtur insinuasse Dominus in hisce verbis Evangelii: *Vides hanc mulierem.*

Vides hanc mulierem, &c.

CONSIDERATIO III.

Frequentissimus Angelorum descensus è cœlis ad visitandum gloriosam Magdalenam, est argumentum clarum incomparabilis sanctitatis illius, & crebra elevatio illius ad cœlos, & manifestum indicium, eam quatenus viatricem, participatione quadam fuisse beatam in terris.

1. QVod Angeli septies in die descendant ad montes Massilienses, ad visitandum sanctam Magdalenam, eamque dulcisona musica exhilarandam. Magnum quid est! Sed cessat omnis admirationis causa, si pulchritudo animæ, & decor virtutum ejus attentiùs consideretur, quia hæc singularia ejus dona, vim habent attractivam non solum ad Spiritus Angelicos, sed etiam ipsum creatorem alliciendum & permovendum. Quod Angeli quandoque descenderint è gloria, & astiterint majoribus Sanctis tam novæ quàm antiquæ legis, perspicuum est & cunctis notum, ut sacræ attestantur Historiæ, hi tamen Angeli pauciores, unus vel alter fuerunt, & hoc quidem brevissimo temporis spatio: Verum quod Angeli catervatim tam crebrò & tot annis Magdalenam comitentur & obsequantur singulare fuit beneficium tantummodo uni Sanctæ tam eminentis sanctitatis concessum.

2. Quando Apostolorum Princeps S. Petrus miraculosè Angeli ministerio evasit carcerem, in quo vinctus inter custodes & milites Herodis detinebatur, sacro attestante eloquio in Actis Apostolicis, exeuntes Angelus & Petrus pervenerunt ad domum matris cujusdam Discipuli Salvatoris, & pulsante Petro ostium januæ, & puella, ut cognovit vocem Petri, intro currens nuntiavit Petrum stare ante januā, sed quidam fideles ibi congregati & orantes, dixerunt, non Petrum esse, sed Angelum ejus, existimantes impossibile factu, quod Apostolus ex tam arcta Tyranni custodia liberatus aut ereptus esset: *Angelus eius est.* Dubitari potest quonam fundamento hi sancti persuaserint sibi pulsantem ad ostium non esse Petrum, sed Angelum *Act. 12. v. 15.*

gelum ejus. An forsitan Apostolus semper habebat Angelum aliquem sibi visibiliter assistentem, aut comitem, præter invisibilem Angelum custodem? Nequaquam, quo igitur motivo ducti hunc efformarunt discursum? *Angelus eius est.* Magnus Origenes opinatur Vicarium Christi, cæterosque ejus condiscipulos habuisse Angelos sibi deputatos, qui eis in munere prædicationis assisterent. Movetur autem doctus Pater Textu Sancti Lucæ jam citato; verba ejus prolixa compendio referam: *Quamvis & ipsi Apostoli Angelis utantur adjutoribus ad explendum prædicationis suæ munus, & opus Evangelii consummandum.* (Sic enim dicebatur in actibus Apostolorum, *quia Angelus eius esset, qui pulsaret ad ostium*) ita ut spiritus beati, tam eminentes natura, summam fœlicitatem reputarent assistere sanctis Apostolis, non quidem prædicando (quia hoc specialiter erat Apostolis commissum) sed comitando eos, ut ita præsentia & comitatu majori in pretio haberentur. Ingens profectò beneficium & singularem favorem præstitit cœlum Principibus Ecclesiæ (si vera est sententia Origenis) ast quamvis grande munus, limitatum tamen fuit, quia solus unus Angelus neque omni tempore, sed aliquando solum illis assistebat.

Origen. hom. 11. in Numer.

3. Si ad veteres Historias recurramus, & ad Patriarchas præclaros heroes antiquæ legis attendamus, reperiemus Abrahamo apparuisse tres Angelos in valle Mambre, in fervore diei, & æstus, dum cuncta radiis Solis adurunt: *Apparuerant ei tres viri stantes prope eum.* Aliâ apparitionem enarrat facer Historicus factam nepoti ejus Loth, verum notanter addit hanc circa Solis occasum contigisse: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis.* Si ambas apparitiones libuerit conferre, comperiemus eas fuisse valdè diversas, earumque differentia præbet nobis ansam dubitandi, cur nam Deus apparuerit Abrahamo in Angelis in ipsa meridie, jam Sole cuncta radiis suis inflammante, nepoti verò ejus Loth ad occasum Solis, jam vespere adveniente, & nocte diei succedente? Insuper cur patruo tres, & nepoti solum duo Angeli apparent? Haud dubiè arcanum hæc continent mysterium, inquit idem Origenes: *Veniunt ad Abraham tres viri meridie, & ad Loth duo vespere veniunt: non enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem Abraham autem capax fuit plenam fulgoris lucem excipere.* Fuerunt favores cœli meritis singulorum accommodati Loth velut minori sanctitate conspicuus, minorem etiam habebat aptitudinem ad favores supernos excipiendum, ideòque etiam beneficia limitantur, & pauciores ad eum Angeli descendunt, Abraham autem quia eminentioris erat virtutis, capaciores habuit sinus ad plura dona cœli capiendum, & idcircò eum visitarunt plures Angeli, & in ipso fervore lucis meridianæ, ita ut ad mensuram virtutum eorum collati fuerint ipsis favores, & juxta magnitudinem & proportionem donum, seu meritorum, plures aut pauciores receperint apparitiones.

Gen. 18 v. 1.

Gen. 19 v. 1.

Origen. in caten. Græca Gloss.

Ordin. in c. 18. Gen.

4. Hæc suprema fuit insignissimorum heroum tam novæ, quam veteris legis necessitudo & familiaritas cum Angelis, ast quod innumera multitudo Angelorum descenderet in terram, singulis æmula quadem contentione gestientibus (liceat ita loqui) servire, obsequi & placere uni personæ, est singularis prærogativa soli Magdalenæ reservata. Sola sublimitas meritorum & eminentia virtutum ejus potuit hoc sibi præmium promereri. At dicet quispiam S. Patriarchæ Iacob simile à Deo fuisse præstitum beneficium, redeunti enim ex Mesopotamia ad patrios lares, sacro referente Textu occurrerunt plures Angeli, quasi dedita opera ejus consortium ambientes: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei.* Quod enucleans eminentissimus noster Cardinalis Hugo, advertit Deum nullatenus hoc honore eum affecisse, quamdiu morabatur cum Laban, sed postquam ejus contubernium deseruisset, evidens argumentum, solos eos qui relinquunt mundum, & valedicunt rebus terrenis, esse idoneos ad fruendum hisce cœlestibus beneficiis: *Post recessum à Laban, id est mundo, obviam ei occurrerunt Angeli, non unus sed plures, quasi parati juvare, & consolari,* omnes & singuli anhelant se totos impendere ejus ministerio & solatio. Prudenter excogitatum!

Gen. 32. v. 1.

Hugo Card. hic

5. Quamquam etiam hic favor suum habuerit limitem, quia solummodò una alterave vice contigit: imò neque hi Angeli veniebant adeò parati ad opitulandum Patriarchæ Iacob unus siquidem singulariter ei deputatus ad serviendum, ad paucos gressus, in ipso limine itineris, quasi fatigatus substitit, & à comitatu ejus recedere contendit. Non hæc mea, sed magni Tertulliani est meditatio, qui ponderans mysticam

mysticam illam luctam, in qua Iacob ita invaluit contra Angelum, ut hic se dimitti rogaverit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Attonitus plurimùm admiratur videre cœlestem, & Angelicum spiritum adeò devictum, & prostratum, ut veluti fessus, magnis precibus postulet à Iacob inducias, eique concedens palmam, unicè roget solvi & liberari è manibus luctatoris. Et causam hujus investigans adinvenit Tertullianus hanc sequentem: *Colluctatus homini Angelus, toto corporis pondere, dimitti desideravit ab eo, à quo detinebatur.* Ac si diceret: persentiebat Angelus molem corporis, quod ipsum fatigabat, & insuetus tanto oneri ferendo, cupiebat è lucta dimitti, timens potius corporeum pondus, quam animositatem Iacob. Carpite quæso & altius perpendite hanc insignem ponderationem. Adeò prægravabat Angelum corpus phantasticum ex aere assumptum, & verum corpus Iacob, cui colluctabatur, ut impatiens utriusque corporeæ molis intensiùs inducias luctæ postulaverit, & qui descenderat è cœlis ad succurrendum Patriarchæ, eumque animandum & confortandum adversùs fratrem suum Esau, instante majori periculo & necessitate, voluerit eum deserere, ne gravitatem corporis deinceps sentiret.

Gen. 32. v. 26.

Tertull. lib. de Carne Christi c. 2.

6. Longè aliter profectò egerunt Angeli cum Magdalena, nam æmulatione quadam inter se illam quotidiè septies in aera ad gloriam cœli contemplandam sustulerunt, non reputantes molestiam aut laborem, sed solamen tam sanctum contingere corpus; ut ex his dignoscatur eminentia Magdalenæ super Patriarchas antiquæ legis etiam supremos, quorum corpora tangere, non sæpiùs sed semel, non diuturno, sed brevi etiam temporis spatio insupportabile pondus judicant, tangere autem corpus Magdalenæ tot tamque iteratis vicibus, summo ducunt honori; ideò forsitan, quia cum virtute perpetui jejunii illud spirituale reddidisset, privilegio spirituum gaudebat, neque dedignabantur illud Angeli, sed ejusdem naturæ secum reputabant. Eapropter videntes Magdalenam totam fragrantem, per horrida & montosa deserti cacumina ascendentem, nubes & aera penetrantem, se mutuò interrogant: *Quæ est ista, quæ descendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii.* Intelligentes, nimirum, per aromata & suavem odorem universi pulveris pigmentarii excellentiam virtutum ejus.

Cant. 3. v. 6.

Audiamus Abbatem Gilbertum, Spiritu Sancto Bernardo parem, enucleatiùs ponderantem attonitum stuporem Angelorum, videntium tantam perfectionem, & inauditam Sponsæ sanctitatem: *Quæ est ista quæ ascendit? Attende profectum. In superioribus custodes interpellat, & de visione rogat dilecti: hic ipsis custodibus admiranda prorumpit.* Notate, quæso, tantam mutationem, & peregrinam novitatem, illa; quæ aliquando solicita quærebat Sponsum, interpellans auxilium, & opem Angelorum, qui sunt custodes & vigiles civitatis, eosque supplici prece interrogans, num dilectum suum vidissent: *Num, quem diligit anima mea vidistis?* modo eadem est ipsis custodibus admirationi, dum animadvertunt eam tot virtutum ornamentis condecoratam, totque supernis beneficiis cumulatissimè ditatam *Hic ipsis custodibus admiranda prorumpit.* Opinor ego hunc locum juxta sensum litteralem exponendum esse de sancta Magdalena, inter brachia, & manus Angelorũ ascendente per aera & penetrante nubes, cum tanta gratiarum & perfectionum fragrantia, ut ipsimet Angeli memores ejus, quod aliquando vigili cura & solicito studio quærens Sponsum suum Iesum Christum, ex iis quæsierat num vidissent dilectum, jam attoniti obstupuerint ad tam insolitam & miraculosam cõmutationem, quam virtus divinæ charitatis in Magdalena fuerat operata.

Gilbert. Abb. Serm. 15. in Cantica.

Ibid v. 3.

7. Neque minorem illis causat admirationem, quod Deus tam prodiga liberalitate concedat uni creaturæ stationem gloriæ, eique hocce privilegium donet, ut in statu viatoris, beatorum perfruatur dotibus æternæ beatitudinis. Rectè quidem memini Moysen, fretum familiaritate & amicitia cum Deo, iteratis precibus rogasse eum, & postulasse, ne in conferendis sibi donis cœlestibus parcum aut avarum se exhiberet: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Obsecro ô Domine, ut si invenerim gratiam in oculis tuis, non mihi deneges visionem gloriæ tuæ, sed merear dulcissimo aspectu tuo perfrui, post longissima tot annorũ obsequia tibi præstita. Magnus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius ponderans hanc fiduciam Moysis, affirmat eam verisimiliter fuisse fundatam in eo, quod Sanctus Propheta sæpiùs jam viderat Angelos & pulchritudinẽ seu fulgorem faciei eorum curiosius consideraverat, & his visionibus permotus, persuasit sibi oculos, qui Angelos aspexerant, etiam Domi-

Exod. 33. v. 13.

num

num eorum eodem obtutu videre posse, sed turpiter erravit, quocircà in pœnam inordinati affectus, omni desiderio se frustratum agnovit. *Per eas* (inquit S. Doctor loquens de visionibus Angelicis quas habuit Moyses) *magis accensus, ut videret Dominum Angelorum. irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis servi, qui ultra naturam suam devotione progressus, de Domini Angelis æstimabat, quātum in Domini vultu plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere*, immoderata erat hæc cupiditas, quæ ex notitia servorum ad agnitionem Domini provocabatur, sic Moyses contentus visione Angelorum, ne irrito conatu gestiat videre Creatorem illorum, quia simile privilegium soli Magdalenæ ex industria est reservatum, quia solæ illius heroicæ virtutes tantum beneficium promerentur, sola illa potest obtutu oculorum videre Angelos, & eorum humeris innixa conscendere ad cœlos, non semel uti Paulus, sed septies in die, idque per multorum annorum curricula, ibique clara visione intueri mysteria, & Sacramenta, quæ solis Beatis panduntur & revelantur. Sola Magdalena potuit ad hanc perfectionis altitudinem pertingere, non alia mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, sed hæc quæ præbet specimen cujusdam divinitatis: *Vides hanc mulierem, &c*

D. Amb. Serm. 8. in Psalm. 118.

Hanc mulierem.

CONSIDERATIO IV.

Tam excellens fuit Magdalenæ amor, tamque perfecta & efficax eius pœnitentia, ut eam ex terrena in cœlestem, ex profana in Sanctam, ex peccatrice in quodammodo impeccabilem, & tandem ex humana in divinam transformaverit.

1. DUm Sancta Mater Ecclesia devotè recolit memoriam Magdalenæ jam gloriosæ & in cœlo æterna beatitudine perfruentis, adducit Evangelium, in quo nobis exhibetur pœnitens & recens conversa, sacratissimos Redemptoris pedes copioso lacrymarum imbre rigans, eosque devota & humilis crebrius exosculans, & quam primum consideravi hanc connexionem duorum extremorum adeò distantium, occurrit memoriæ meæ curiosa quædam doctrina, quam in Sancto Bernardo adnotaveram super illa verba Canticorum: *Osculetur me osculo oris sui.* Videtur, inquit mellifluus Doctor, hæc nimia confidentia (ne dicam temeraria audacia) quod anima recens conversa aspiret ad tantæ familiaritatis indicia, ut ruat in amplexus, & oscula Sponsi, cùm hæc sint suprema beneficiorum argumenta, quibus post diuturniora virtutum exercitia & consummatæ perfectionis studia solet familiarissimis servis suis gratificari, ideoque prius debuisset ambire oscula pedum ac manuum, & ex his condignè disposita, veluti gradatim ascendere ad oscula oris, quæ quodammodo animam beatam efficiunt, quasi iam statione cœlestis gloriæ potiretur. Oscula enim pedum ait S. Abbas, sunt sicut oscula Magdalenæ, quando Christi pedes exosculans, illos lacrymis rigavit, eumque ad tantæ misericordiæ & pietatis permovit clementiam, ut tot tamque gravia & enormia delicta ei indulgendo condonaret dicens: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace.* Et subjungit mellifluus Doctor hæc pretiosissima verba: *Non tibi ille locus vilis aut despicabilis videatur, ubi sancta peccatrix peccata deposuit, & induit sanctitatem: ibi athiopissa mutavit pellem, & in novum est restituta candorem.* Non parvi æstimes humilem pedum Christi locum, quia ibi Magdalena veterem exuens Adamum, novam induit virtutem, & nigra peccatis, per pœnitenciam perfecto candori est restituta. Hanc innovationem causarunt oscula pedum Christi in fœlicissima illa anima, & post hæc ascendit ad oscula manuum Domini, quia videns se immunē à peccatis, ne ad ea denuò rediret, supplex rogavit eum sibi manum porrigi, & adjuta ejus favore & auxilio, ita constans & firma permansit, ut in dies proficiens de virtute in virtutem, de amore in amorem omnium rerum mundanarum oblita, soli Deo adhærere conata fuerit: *Si dixerit mihi Iesus*, prosequitur idē sanctus Bernardus loquens nomine hujus nost. æ sanctæ: *Dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam si reinduero eam, quantum profeci* Taliter pœnituit Magdalena, tantùmque profecit in via virtutis, ut post dulcissima oscula pedum Sponsi pertigerit ad oscula oris, ad quæ non nisi jam consummati, & virtute eminentes admittūtur & ut compendio plura complectar, per ferventissimum ardorem

Cant. 1. v. 1.

D. Bern. Serm. 3. in Cant. 68.

amoris sui ita transmutata est in aliam, ut ex terrena, prophana, & peccatrice evaserit cœlestis, impeccabilis & divina. Eia speciatim singula probemus, & stabiliamus.

1. Mystica, & admirabilis visa est magno Ecclesiæ Doctori S. Hieronymo conglobatio illa, sive connexio, quam Regius Vates in Psalmo 146. contexuit: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: qui numerat multitudinē stellarū, & omnibus eis nomina vocat*, id est, Deus sanat omnes infirmos corde, & medetur omnibus malis ipse est, qui veluti dexter Chirurgus, alligat, & comprimit vulnera, ut refrigerio, & solatio ligaminum, dolor eorum mitigetur, minusque sentiatur. Ipse denique est, qui novit numerum, & multitudinem stellarum, & singulis nomina imponit. Advertit difficultatem huius tam peregrinæ connexionis S. Hieronymus, & ad explicandam coniūctionem alligationis vulnerum, cum ipsa numeratione stellarum, in has voces effatur: *Numerat multitudinem stellarum, quando sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Illos, qui ante contriti fuerant postea sanat, vertit in stellas: multi enim fuerunt, qui peccaverant, multi sunt, qui curati sunt. Qui enim numerat multitudinem stellarum, non numerat vulneratos, sed eos numerat, qui iam in stellas versi sunt: non numerat Deus, nisi eos, qui numero eius digni sunt.* Dum audis Davidem dicentem, quòd Dominus Deus sanat infirmos, & numerat stellas, noli existimare ipsum perperàm, aut inconsideratè loqui: tametsi enim primo intuitu distena videatur hæc locutio, neque cohærere videantur hæc duo opposita extrema, haud dubiè tamen in sensu mystico optimè conveniunt, quia illi, qui per peccatum erant sauciati, & infirmi, per misericordiam Dei fuerunt reparati, & ipsosmet numerat Dominus inter stellas, hoc est, inter iustos, quos stellas appellat: quia quemadmodū hæ in cœlis nascuntur, ita etiam peccatores verè contriti talem faciunt mutationem, ut Deus non numeret eos inter res terrenas, sed inter stellas cœlestes, & forsitan hæc fuit causa, ob quam noluit, ut Magdalena commoraretur in terris, sed præcipua eius conversatio foret in cœlis, quia cùm post peccata, & vulnera sua adeò sana, & integra remanserit, jam non ad Rempublicam humanam, sed ad cœlestem Hierarchiam pertinebat.

D. Hieron. apud Arbor. vitæ Concion. ad illa verba Gen 15 Numera Stellas.

2. Ex his facilè intelligitur sensus quorumdam verborum magni Baptistæ, quibus communiter pro Themate utebatur: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum cœlorum.* Rapit attentionem omnium fermè Interpretum hæc coniunctio, quam facit Baptista pœnitentiæ, & Regni cœlorum, quæ videntur extrema omninò disparata, & opposita. Quid enim pœnitentia habet commune cum gloria, cùm hæc tota quietem, & lætitiam, illa vero laborem, & tristitiam sonet? S. Petrus Damianus voluit sui muneris esse, pœnitentiam cum gloria componere, in hæc verba effatus: *Inter pœnitentiam igitur, & Regnum cœlorum nihil est medium*, id est, pœnitentia semita, diverticulum, seu via abbreviata est cœli, inter illam, & cœlum nihil interponitur, quia verè pœnitens non habitatorem seu peregrinum terræ, sed civem cœlestem se reputare debet, & huc collimebat magnus Origenes dicens, S. Ioannem cœlesti lumine illustratū meritò coniunxisse pœnitentiā cœlo, ad insinuandum nobis, animam corde contritam esse ipsummet cœlum, & aliquid gloriæ: *Et fortassè unaquæque virtus est Regnum cœlorum, ut iuxta hunc sensum tam in Regno cœlorum sit, qui secundùm virtutem vivit & quod dictum est, pœnitentiā agite, appropinquavit enim Regnum cœlorum, non ad tempus referatur, sed ad actiones affectusque.* Quid igitur admirandum, quod Magdalena exemplar verè pœnitentium, sua contritione, & dolore promeruit titulum divinæ, ex terrena in cœlestem transformatæ?

D. Petr. Damian. Serm. 50.

Origen. Tract. 1. in Matth.

Quod ex prophana in sanctam fuerit transmutata facili negotio probari potest, & quia iam hanc secuti sumus methodum, non negligamus, id, quod sacra Scriptura nobis liberaliter offert, & præsentat. Meministis, gnati sacrarum litterarum, ni fallor, illius, quod Deus summus Sacerdos eius dixit Aaroni: *Tu, & filii tui, & domus patris tui tecū portabitis iniquitatē Sanctuarii.* Verba, profectò, difficilia intellectu, eo, quod soneent oppositionem sanctuarii, & iniquitatis, & vehementius urget ratio dubitandi, si ad Lectionem Origenis, & Septuaginta Interpretum attendamus, quæ ita sonat: *Portabitis iniquitatem Sanctorum* & cùm sit sanctitas tam inimica culpæ, seu peccato, necessarium est magnam reperiri difficultatem in enodanda hac combinatione, prima frōte adeò opposita. Verùm eam nobis elucidat præfatus Origenes, suggerens nobis, per transennam, insignem nostri discursus confirmationem 4.

Num. 18. v. 1.

Origen. hom. 10. in num.

tionem. *Idcirco ergo cautè, & significanter sermo legis designat, quia Pontifices, & Sacerdotes, non quorumcumque, sed Sanctorum tantummodo sumant peccata Sanctus enim est, qui peccatum suum per Pontificem curat.* Non est novum, aut peregrinum, quod Sacerdotes assumant sibi curanda peccata Sanctorum, nam exploratum, certumque est, illum, quem Pontifex curat, recipere gratiam, omnis veræ sanctitatis parentem. Quia igitur ab ipso Authore gratiæ summo Sacerdote, & Pontifice Christo Domino liberata fuit Magdalena à peccatis suis, quid mirum, quòd cum mutatione status, etiam mutet nomen, amittens illud, quod antea habebat offensivum, & occasionem præbens scandali, & acquirens denuò nomen Sanctæ. Et quia de fructibus pœnitentiæ fusius agimus in Tractatu de lacrymis Petri, poterit curiosus Lector eò recurrere ad prolongandum hunc discursum.

5. Maiorem videtur ingerere difficultatem, quòd pœnitentia Sanctam nostram de peccatrice in impeccabilem transformaverit, & si intentum meum foret id affirmare, ut sonat procul dubio censuram mereretur; quia solus Christus Dominus per naturam, & sacratissima eius mater per gratiam impeccabilitatis privilegio sunt gavisi, quapropter hoc solum statuere contendo, quod quia Sancta nostra per virtutem præstantissimæ pœnitentiæ ita exuit omnes effectus, & propensiones carnis, quibus in decursu vitæ suæ fuerat assueta, ut etiam deinceps ignoraret modum peccandi, & ideo quamvis voluisset exequi peccatum, defectus notitiæ etiam ipsam culpam impedivisset. Conformiter ad hæc interpretatur S. Ambrosius tergiversationem illam Sponsæ, nolentis aperire ianuam Sponso pulsanti: *Exui me,* inquit illa, *tunica mea quomodo induar illa?* Re vera, calva videtur hæc excusatio, & supinam quamdam indicare socordiam, & negligentiam, quid enim familiarius in mundo, quam tunicam semel exutam, aut depositam, iterum induere: Et propter prætexere hanc impossibilitatis aperiendi Sponso, excusationem, est arguere teporem propriæ voluntatis, si enim aperire cuperet, rei tam facilis non prætexeret excusationem. Adeonè familiare id reputas, inquit sanctus Ambrosius, certè falleris: iusta conversi ad gratiam ita exuerunt tunicam, seu vestem peccati, si vera fuerit eorum conversio, ut ignorent modum reinduendi vestem, quam semel deposuerunt: *Tanta vis consummatæ emendationis, ut in quamdam redeant pueritiæ spiritualis ætatem, quæ vias errorum ignoret, crimen, etsi velit, non possit admittere.* Verè pœnitentes quodammodò pueri efficiuntur, quemadmodū enim in his virtus est necessitas, & impeccabilitas potius est impotentia, quàm renitentia voluntatis, ita etiam illi, qui virtute salutaris pœnitentiæ acquirunt gratiæ effectum, taliter renuntiant affectibus passionum, carnis, & sanguinis, ut quodammodo experiantur seipsos incapaces, & impotentes ad offendendum Deum, cui totis viribus placere, & servire conantur, & exoptant: Quæ cum ita sint, non est mirum, quòd Magdalena, quæ virtute admirabilis, & miraculosæ conversionis suæ tam generosè dominata est illecebris, & incentivis suæ carnis, reddita fuerit quodammodò impeccabilis: tanto enim studio, & sollicitudine serviebat Deo, ut quodammodò oblita modum offendendi Deum, ipsum servire Deo in illa, iam veluti quædam necessitas videretur.

Cant. 5. v. 3.

D. Ambr. Serm. 22. in Psalm. 118.

6. Quòd gloria cœlestis transformet in se animam, eamque reddat divinam, est doctrina Catholica: *Nos verò revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem trāsformamur, à claritate in claritatem.* Ac si diceret: reverberantes in nos radii gloriæ Christi, in eamdem imaginem Salvatoris nos transformant. Verba sanè, quibus, iuxta opinionem Græcorum Patrum, egregiam Paulus nobis insinuat Philosophiam, quia ubi vulgata nostra dicit, *speculantes*, legit Græcus, *inspeculantes*. Quod vocabulum, licèt insinuatum, pōderans S. Gregorius Nyssenus, profūdissima eruit ex illo mysteria, utque idem significare, quod *Ad modum speculi respicientes*. Desumpta fuit metaphora ex speculo, radiis solaribus exposito, quos ita recipit, & in se tam vivaciter exprimit, ut speculum ipsemet Sol esse appareat, vel saltem vivum eius exemplar, emittens ipsosmet radios, quos Sol diffundit. Idem prorsùs nobis contingit, inquit S. Paulus, quod positi veluti specula ante Deum, Solem divinum, & considerantes magnitudinem, bonitatem, & æternitatem gloriæ eius, refunduntur in animam nostram splendores, & radii eius, ita ut videatur acquirere quoddam esse tam divinum, ut in divinitatem, seu esse Dei transformetur. Alludit Doctor Gentium, mea quidem sententia, ad id, quod contigit Moysi, qui ex Dei alloquio eiaculabatur ex facie sua radios, & ita

2. Cor. 3. v. 18.

Lectio Græca hic.

D. Greg. Nyssen. in Orat. in illud. tunc ipse filius, &c.

& ita splendida, ac refulgens erat, ut necesse fuerit eam velare, ne intuentium oculos offuscaret: Et si de pœnitentibus recèns conversis, uti erant Corinthii, loquatur S. Paulus in hac Epistola, animans eos ad perseverantiam, eisque proponês fructus pœnitentiæ, cuius virtute homines dotibus beatorum donantur, nescio, cui magis ad vivum accommodari possit hæc doctrina, quàm exemplari omnium pœnitentium, scilicèt S. Magdalenæ. Quia non soli radii divinæ gratiæ in animam eius, quasi in speculum reflectentes, seu reverberantes, eam Deo assimilarunt, sed etiam ut esset exactior, & expressior similitudo, etiam in ipso exteriori vultu fuit Christo simillima: de illo referunt S. Euangelistæ, quòd in monte Thabor: *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Et S. Ioannes in sua Apocalypsi idem confirmat: *Facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* De Magdalena autem narrat Dionysius Carthusianus, quòd quando Angeli eam duxerunt ex deserto ad Oratorium, in quo sanctus Maximinus ei sacram communionem seu viaticum, ante mortẽ porrexit, eam repererit in choro associatam Angelis, sublatam ad duos pedes à terra, brachiis expansis ad formam Crucis orantem, eiusque vultum adinstar Solis refulgentem: *Cumque Maximinus Episcopus iuxta Sacerdotis orationem, hora præfixa orationi, introivisset, invenit beatissimam Mariam Magdalenam in choro, in medio Angelorum stantem, & duorum cubitorum spatio à terra levatam, extensis que brachiis orantem, splenduitque vultus eius ut Sol.* Et credibile est hanc fuisse eius communem, & ordinariam imaginem, operante, (& meritò propter continuam familiaritatem) in ea, præsentia Salvatoris raros illos effectus, quos aliquando Dei aspectus in Moyse operatus est. Triginta annis quasi sepulta delituit in antro quodam deserti, omnium oculis invisa, & abscondita, ideoque magis disposita, & digna erat visitari ab Angelis, & familiarius poterat crebris vicibus invisere Redem, totem in cælis. Et si, ut in vita eius narratur, singulis diebus septies ad cœlum transferebatur, quidni lucem divinam haberet: Recepit (uti diximus ex Carthusiano) sanctissimum altaris Sacramentum, copiosso lacrymarũ imbre prefusa, ferventissimæ orationis devotione absorpta, & mox prostrata orans ante Altare, & in ipsa oratione elevata tradidit animam suam in manus Creatoris, tanta gratiâ ditatam, quantâ modo gloria potitur in cælis. *Ad quam nos perducat, &c.*

Matth. 17. v. 2.
Apoc. 1. v. 16.
Dionys. Carthus. Serm. 3. de Magdal.

TRACTATUS XX.


IN FESTO

Gloriosi Apostoli, & Patroni Hispaniæ

SANCTI IACOBI.

Potestis bibere calicem, &c. Possumus:

Matth. cap. 20.



Amersi omnes fideles magnum affectum, & devotionem debeant illustri Heroi, invicto Ecclesiæ Duci, Protomartyri Apostolorum, glorioso, inquam, Sancto IACOBO, qui omnium primus pro fide Christi sanguinem, & vitam profudit: singulariter tamen nos Hispani obstricti sumus, eumdem celebriori cultu venerari; quia in vita sua fuit Doctor noster, suaque prædicatione ad lumen, & agnitionem Evangelii nos adduxit,

adduxit, & mortuus apud nos sepulchrum suum elegit, ad tuendum nos tamquàm Patronus, & auxiliandum nobis sua protectione tam in spiritualibus, quàm temporalibus, uti longissima experientia dilucidè attestatur. Venit hic gloriosus Sanctus in Hispaniam, prædicavit in ea, rediitq; Ierosolymam ad accersendum sibi mortem quam hic invenire non poterat, ad probandum ardorem amoris sui ergà Deum. Magnoperè laudantur alii Sancti, quòd sanguinem suum pro Christo fuderint, ea tempestate, & persecutione tyrannorum, qua necesse erat, aut Christum abnegare, aut sanguinem profundere; & meritò quidem, quia dare vitam pro Deo, est supremus charitatis effectus: *Majorem charitatem nemo habet, &c.* Verum gloriosus noster S. Iacobus (nisi me fallat opinio) hunc charitatis terminum longè excessit, & superavit; non enim duntaxat vitam dedit, ne Christum abnegaret, neque solum non subterfugit occasionem præsentem, sed etiam, ipsemet sponte sua quæsivit occasiones patiendi: quando vix quispiam tot peragraret terras, ad salvandam vitam, quot ipse perambulavit ad accersendum sibi mortem, & vixdum alius tantam adhiberet diligentiam ad vivendum, quantam ipse impendit ad obtinendam martyrii coronam. Etsi tanto desiderio eam concupiverit, negari non potest, quin majora habuerit merita, ferventiorem amorē & excellentiorem charitatem, iis, qui solummodò nacti urgentē occasionem pro Christo vitam exposuerunt: *Et placebit Deo super vitulum novellū, cornua producentem, & ungulas.* Verba sunt Regii Vatis, quæ varias admittūt expositiones, ast tamen litteræ conformior, & instituto nostro congruentior est ea, quā sequitur S. Hieronymus, & Genebrardus ex Hebræo depromit: *Proferentem, & ungulas.* Cuncta sacrificia sunt Deo grata, & accepta, singulariter tamen ea, quæ ex nobismetipsis facimus: cæterum quando vitulus non expectat ductum alterius, sed ultrò pergit ad lanienam, & ipsemet extendit collum ad excipiendum ictum porrigit, seu profert cornua, ut alligetur funibus, *cornua proferentem*, pedesque, & manus stringendas offert, *& ungulas*, hoc gratissimum est Deo sacrificium: *Et placebit Deo super vitulum novellum, &c.* Et sanguis hocce modo perfusus maximè irrigat terram Ecclesiæ, uti egit S. Iacobus Apostolus cui præsertim fidei Catholicæ firmitas, & stabilitas in Monarchia Hispaniæ debetur; quapropter etiam Hispania memor suæ obligationis celebrat hodiè non minori amore, quàm devotione ejus Festum, & eadem per totum anni decursum frequentat ejus sepulchrum, & sacratissimas corporis ejus exuvias veneratur, confidēs, quòd sanctissima ejus anima, quæ jucundè Deo fruitur in cœlis, impetrabit ei copiosissimum donum gratiæ. Hac, præ cæteris, indigemus, ut aliquid ad gloriam Dei nostri, & honorem S. Iacobi dicere valeamus: B. Virgo singularis ejus devota nobis aderit ad illam consequendā, si eam nobis solita oratione devincamus. *Ave Maria.*

Ioan. 15. v. 13.

Psal. 68. v. 13.

D. Hieron. & Genebrardi, hic.

Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

Consideratio I.

Quia amor divinus occupaverat cor sancti Iacobi, eumq; totum sibi subjugaverat, idcircò tanta animi fortitudine etiam difficillimis se objecit periculis, & adversis.

1. Omnia vincit, redditque facilia verus amor, amatum dulcorat, arduum facile, impossibile factu possibile, asperum suave, & insipidum delectabile facit. Quare dixit S. Augustinus, cuncta hujus mundi vano distrahi labore, & solum amorem non persentire laborē, quia in nullo reperit difficultatem, Aggreditur, & tentat maximè ardua, eaque levia judicat, amara vertit in dulcedinem, & ut verbo plura complectamur, ibi verus viget amor, nulla difficultas opponitur, quæ non appareat ficta, neque ullum periculum, quod terreat, nec labor, qui exanimet, neque denique ulla mors, quæ timorem incutiat, quia difficillima reputat grata, & quæ impossibilia, tamquàm sine labore facienda, et vivacissimè objiciuntur, & repræsentantur.

D. August. in Confess.

2. Ingeniosè observavit celeberrimus noster Lusitanus Oleaster diversum loquendi stylum nostri Redemptoris Christi, apud S. Ioannem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &* protinus subjungit divinus Præceptor: *Qui non diligit, sermones meos non servat.* Quid ita, Domine Deus? In primo versu appellas legem divinam, unicum sermonem, & in secundo sermones, quasi plures sint leges divinæ? Non vos torqueat modus, & forma effandi Salvatoris, inquit Oleaster, quia mystica fuit hæc vocum permu-

Ioan. 14. v. 23. Ibid. v. 24.

permutatio: *Ac si d cat: Qui me dilexerit, lex mea non lex illi videbitur, sed sermo, neque multæ leges, sed unus sermo, timor verò ex unica lege multas facit.* Quasi diceret Christus; me diligenti lex est unicum verbulum, non amanti autem lex plura mandata apparet. Amor ex multis unum componit, & intellectus judicat facile, & clarum, quod amat voluntas, quod autem hæc abhorret, ille obscurum, & difficile existimat. Si igitur intellectui victoritas voluntatis tantum prodest, & favet quid mirum, quòd amor voluntatis omnia vincat, superet, dulcoret, & plana faciat?

3. Ingenti flagrabat David desiderio bibendi haustum aquæ frigidæ ex cisterna Bethlehemitica, dum in has desiderio plenas prorupit voces: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxtà portam.* Audientes hæc desiderantis verba, tres fortissimi milites irruperunt castra Philisthinorum, & cum manifesto vitæ discrimine hauserunt aquam ex cisterna, & attulerunt eam Davidi. Considerans Rex generosum hoc facinus, & ratus se in aqua illa bibere sanguinem illorum hominum, qui illum tam periculosæ commiserant aleæ decrevit eam non bibere: *Noluit bibere, sed libavit eam Domino.* Magna dignum est ponderatione, quòd tantus Princeps ita se permiserit abduci cupiditate sua, ut ad eam explendam, periculo exposuerit vitam, & sanguinem suorum. Quapropter sacri Expositores circà hoc factum, in varias abeunt sententias, ast Lyrani inter cæteras instituto nostro maximè suffragatur. Non desideravit David aquam illam, inquit Lyranus, ad bibendum, sed ad amorem suorum experiendum: *Hoc non dixit propter concupiscentiam aquæ, sed quia volebat, audaciam eorum experiri.* Voluit experientia certior fieri, num sibi adhærentes in castris, ut videbantur, fideles forent, & idcircò ad tentandum eorum animos, illos præsentissimo exposuit discrimini. Tamquàm diceret eis, audebitnè quisnam vestrum cuneos penetrare Philisthinorum, & mihi adferre aquam, quam unicè desidero? Ut ipso opere, & experimento comprobaret generositatem voluntatis eorum, certo certius sibi persuadens eos cuncta superaturos pericula, & objecturos pectora sua quibusvis adversis si verè Principem suum amarent. Hæ sunt vires, & animi, quos amor infundit, & tribuit cordi, quod totum occupat; non eum exanimant gladii, aut enses, neque eum deterrent lanceæ, aut spicula, sed quasi omnia flocci pendens, complanat montes, & tentat impossibilia, & denique ad omnia se paratum exhibet, cum nostro Apostolo S. Jacobo, qui ad oblationem amarissimi calicis: *Potestis bibere calicem?* animoso cordis impetu, intrepidus respondit: *Possumus.*

2. Reg. 23. v. 15.

ibid. v. 16.

Lyran. hic.

Stabat Maria Magdalena ad monumentum plorans, & veri amoris igne succensa, interrogat Dominum, quem hortulanum existimabat: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam,* videlicet, quem tam anxio desiderio sepultum quæsivi; & audiens lamentabiles ejus voces, Magnus Origenes, difficillimam ei proponit quæstionem: *Si corpus Iesu positum est in atrio Principis Sacerdotum, in quo Princeps Apostolorum calefaciebat se ad ignem, quid factura es?* Et respondet Magdalena: *Et ego eum tollam. Et si ancilla ostiaria interrogaverit te, quid factura es?* Cui illa: *Et ego eum tollam.* Etiam reluctantibus Sacerdotibus, Anna, & Caipha, imò obsistentibus armis militum, qui sacrum Domini mei cadaver custodiunt, ego illud eripiam è potestate, & manibus eorum, & tollam. Et quis umquam talem vidit animi generositatem? inquit Origenes? *O ineffabilis hujus mulieris amor! ô mirabilis mulieris audacia! ô mulier, non mulier! Nullum enim excipit locum, nullum anteponit, sine timore dicit, absolutè promittit: Ego eum tollam.* Haud dubiè admirabilis est amor ejus, quæ tantam animositatem ostendit, nisi enim amor animum, & calcar adderet, nullatenus tot se periculis exponeret, ast quia voluntas dominatur cordi, omnibus se opponit difficultatibus, quemadmodum S. Jacobus hodierno die egisse perhibetur. 4.

Ioan. 20. v. 15.

Origen. hom. 10. de diversis.

Quàm animosum, & intrepidum se exhibet S. Paulus, inquit magnus Ecclesiæ Doctor S. Chrysostomus, in Epistola ad Romanos: *Quis ergò nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c.* Et quis non admiretur Paulum, toti mundo bellum, indicentem, & omnes Angelorum, & dæmonum potestates, persecutores, & tribulationes ad certamen provocantem? Nemo sanè est rationis compos, qui non obstupescat ad tanti animi fortitudinem cuncta explodentis, & nihili facientis: notandum tamen est, inquit aurea Chrysostomi lingua Paulum nequaquàm pecuniæ, aut divitiis hujus sæculi bellum indixisse. An fortassè, quia pluris æsti- 4.

Rom. 8. v. 35 & 38.

æstimabat potentiam, & vires pecuniæ, quàm tentatoris diaboli astum, & fortitudinem? An forsitan satis animosus ad superandam famem, mortem, & persecutiones, confessus est se imparem esse viribus ad repudiandum sæculi divitias? Fortassis ita, quia sic effascinant homines, ut, qui majores evincunt difficultates, ad primam divitiarum superentur tentationem. Verum aliam ob causam longè diversam, non nominavit S. Paulus divitias, seu opes mundanas, inquit S. Chrysostomus, nimirùm, quia dedignatur eas propter vilitatem suam nuncupare, aut eas in eodem choro cum cæteris hostibus collocare; *Non dixit pecunia an divitia? an ornatus; Hac enim valdè vilia, & deridenda: sed quæ videntur esse gravia posuit, fames persecutiones, mortes, & hæc tamquàm nihil essent, contempsit* Sed quid mirum, si jam erat amore Christi armatus, & cataphractus. *Quis nos separabit à charitate Christi?* talibus enim armis præmunitus, nullos adversariorum impetus pertimescit. Omnia potest, omnia audet, qui veri amoris igne est succensus: *Omnia possum,* ajebat Paulus, & *possumus,* inquit hodie S. Iacobus, offerens semetipsum ad animosè bibendum calicem martyrii, generositas verè nata ex voluntatis affectu, quô Deum diligebat, desiderium namque, & voluntas fuit, quæ gaudentem duxit ad necem, & aciem gladii obtudit, & hebetavit.

D. Ioan. Chrysost. hom. 63. ad popul.

Philip. 4. v. 13.

5. Neque novum est, inquit doctissimus Magister noster Yanguas, hos Sanctos tam heroicis elucere factis, cùm nomen illis à Christo impositum omnia hæc complectatur: *Boanerges quod est Filii tonitrui,* ac si eos fulmina appellaret, & examinans hic Doctor, quodnam fuerit tonitru, quod hos sanctos Apostolos genuit, affirmat illud fuisse Verbum incarnatum, cujus gratia, & charitate fuerunt procreati, eapropter nô est ullatenùs admirandum, cùm ardeant charitate, eosq; animaverit amor divinus, quòd contemnant mortem, & quævis superent adversa. Verba Yanguas sunt hæc sequentia: *Docet autem Gregorius hoc tonitruum esse Christum Dominum nostrum, propter nos incarnatum, cujus gratia, & charitate isti Apostoli generati sunt: undè non mirum, si omnia possint in Christo, quos ejus gratia gignit, charitas corroborat & dilectio fortior, quàm mors insuperabiles, & quasi omnipotentes facit.*

Marci 3. v. 17.

Yanguas Serm de S. Iacobo.

6. Et differens peculiariter de S. Iacobo, Episcopus noster Ianuensis, asserit ipsos dæmones tantùm abfuisse à superando illo, ut potiùs ipsis fuerit terrori, adeò enim abhorrebant ejus præsentiam, ut etiam aspectum sudarii ejus veluti terriculamentum, aut spectrum quoddam pertimescerent, *Ad dæmones fuit multæ potestatis: nam sicut in Legenda habetur, dæmones valdè timebant sudarium eius,* Imò post mortem ejus maximè patuit eum fuisse quodammodò verum fulgur, quia etiam insensibilia elementa ei paruerunt, & insuperabilem ejus fortitudinem agnoverunt: *Ibi enim ostendit miraculum in omnibus elementis; scilicèt in aqua; nam Discipuli ejus se mari exponentes, sine remige tranquillum mare habuerunt. In aëre, quia ventus secundus eis flavit; qui ad portum eos deduxit. In terra, quia cùm in terra super unum lapidem eum posuissent, mox lapis cessit, & in sepulchrum se coaptavit. In igne, quia draconem spirantem ignem, Discipuli, qui portabant corpus, per medium, virtute Crucis, ipsum draconem sciderunt.* Omnia igitur elementa ei obtemperarunt, aqua sine nauclero deducens navigium, aër nullas excitans tempestates, terra aperiens sinum suum in lapide marmoreo, super quem in Galilæa corpus ejus deposuerant, ita ut veluti fulmine divisus corpori sancto sepulchrum præbuerit, veluti depositum quoddam, in quo ad Hispaniam fuit transvectum, ignis etiam suum præstitit obsequium, nam draco ignem ejaculans, qui voluit impedire ingressum sancti Apostoli, signo Crucis, per discipulos ejus, facto crepuit, & per medium est dislocatus

Iacob. de Voragine Serm de S. Iacobo.

Ast curiosiùs reflectens, & attentiori consideratione premens, quòd terra deposita duritie emolliatur, & scindatur ad recipiendum corpus S. Iacobi, firmiter mihi persuasum habeo hoc miraculosum factum fuisse fœlix augurium, & certum prognosticon illius, quod futurum erat in obduratis Hispanorum cordibus, qui aliquando durissimæ cervicis se se exhibuerunt ad amplectendam, & capessendam fidem, & modò perfracta, & immutabili voluntate eam conservare, ac tueri satagunt, ita ut quanta pertinacia eam priùs recipere detrectarunt, tanta nunc eam promovere studeant: effectus sanè prædicationis S Apostoli, & præsentiæ corporis illius, quod non minori fuit præditum virtute ad emolliendas rupes, quàm ad convertendas animas. Ponderavit ingeniosè S. Hilarius scissionem saxorum, seu lapidum in morte Redemptoris, & insolitam terræ commotio-

motionem, juxtà sacri Evangelistæ descriptionem: *Terra mota est, petra scissa sunt*, & tametsi quidam dicant hunc tremorem terræ natum fuisse, ex divisione rupium, seu scissione lapidum, manifestum tamen est, secundùm mentem saniorum Interpretum, hanc terræ concussionem non fuisse casualem, sed miraculosam, & in opinione S. Hilarii fuit protestatio quædam, qua terra virtutem, & potentiam Domini morientis attestata est, cujus potestas pertingit etiam usque ad ipsa saxa, emolliens eorum insensibilem duritiam, & penetrans virtute sua induratam eorum resistendi pertinaciam: *Petra scissa sunt, omnia enim valida, & fortia penetrans Dei Verbum, & potestas æterna virtutis imperat.* Et doctus quidā Modernus, ponderans hoc peculiare miraculum, ait, lapides, & saxa hocce salutari documēto voluisse instruere homines, quatenùs addiscant in morte Redemptoris emolliri, ut victoriam, quam vivus incepit, mortuus perficiat, & consummet: *Ipsa quoq; durissima saxa scinduntur, ut homines doceant, in morte Redemptoris corda scindere saxea.* Ecquis non videat similitudinem inter corpus S. Iacobi, & Christi: ad præsentiam namque amborum petræ miraculoso modo dividuntur, exemplum præbentes hominibus, ut pariter cordium suorum duritiem conterant, & mitigent, quia coràm Christo, & S. Iacobo durissima saxa suæ induratæ indolis obliviscuntur.

Matth. 27. v. 51.

D. Hilar. in Caten. D. Thom. hic.

Barrad. tom. 4. lib. 7. c. 21.

2. Ex his facile elicietur ratio, ob quam Deus voluerit, ut noster Apostolus Hispaniam mortuus omnino subjugaret, quam vivus ad fidem reducere nequiverat; utque Hispani potiùs præsentiæ sepulchri ejus, quam vivæ voci ejusdem victas manus darent. Neque alia prorsus, nisi, quòd Christus voluerit Iacobum sibi assimilari, & quemadmodum ipse post mortem in Cruce subjugavit sibi Ecclesiam, ita S. Iacobus post mortem Hispaniam ad veram fidei cognitionem adduceret: quis poterit enumerare multiplicatam generationem, & numerosam posteritatem illius, quem ne posteros relinqueret, occiderunt? *Generationem ejus, quis enarrabit? quoniam abscissus est de terra viventium.* Quæstionem hanc movet Evangelicus Isaias, disserens de Christo Salvatore, quem eo animo ignominiosè crucifixerunt, & vita exuerunt, ne quis superesset hæres spiritus legis illius, aut doctrinam ab eo haustam conservaret, cùm tamen ablatio vitæ necessario requireretur ad longævam posteritatem habendam: *Si posuerit ibi pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Idem prorsus evenit Sancto nostro, volens enim Satanas, invidiæ æstro percitus, Apostolatum funditus exterminare, molitus est excidium Iacobi, sibi firmiter persuadens, quod si eum è medio tolleret, citiùs depravato suo desiderio potiretur, ideoque per tyrannum Herodem florentissimam hanc arborem Ecclesiæ, securi abscidit, credens, se morte ipsius repullulantes surculos amputaturum, & unico ictu totam fidem excisurum. Verùm fuit desiderio suo frustratus, quia sanguis S. Iacobi semen fuit fidelium, cujus primitiæ extiterunt ipsimet carnifices, qui eum trucidarunt: quo pacto mors ejus extitit securissima fidejussio augmenti Christianæ Religionis, super quam oppignorata remansit fides, quæ usque in hodiernum viget in Hispania. Quod condignum est præmium immensi laboris, quem ad introducendam eam, ferventi studio exantlavit, & simul generosæ illius animositatis, qua intrepidè interroganti Christo: *Potestis bibere calicem?* respondit, *possumus*, & hoc responso ferventissimi amoris sui ardorem patefecit, & promptissimam patiendi voluntatem declaravit.

Isaia 53. v. 8.

v. 10.

Calicem quidem meum bibetis.

CONSIDERATIO II.

Tamquàm præmium eminentissimæ sanctitatis concessit Christus S. Iacobo amarum calicem suæ passionis.

1. Difficilis est hæc propositio, & prima fronte paradoxa videtur, quid enim magis peregrinum, & à communi hominum sensu magis alienum, quàm persecutionem tribuere virtuti tamquàm præmium & martyrium constituere veluti coronam sanctitatis? Attamen re bene perpensâ, nullum potest conferri justo præmium nobilius, aut excellentius, quam persecutio, & tribulatio. Et ne hæc imaginatio ex proprio cerebro nata videatur, scitote illam esse expressam S. Hieronymi doctrinam: *Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia, persecutionibus crevit, martyriis coronata est.* Eapropter, quando De-

D. Hieron. Epist. 62.

do Deus vult amicum aliquem majoribus cumulare officiis, aut favoribus subministrat illi occasiones patientiæ exercendæ, & novi meriti acquirendi: alludunt hæc verba Sancti Hieronymi ad alia quædam Evangelici Vatis Isaiæ: *Coronans, coronabit te tribulatione*, in quibus repromittit justo, quòd Dominus eum tribulatione coronabit, in præmium præstantiorum obsequiorum, quæ in hoc sæculo exhibebit, quia nihil pretiosius, aut excellentius habet in hac vita, quo remunerare possit officia sibi præstita, nisi dando occasionem, & materiam patiendi, hæ sunt deliciæ, & favores, quibus Deus se amantes lautè excipit, & cohonestat.

Isaia 22. v. 18.

2. Invitat animarum Sponsus amicos suos ad epulas, ut comedant, & bibant in mensa sua. *Comedite, amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Habet hic Textus plures explicationes, quam syllabas aut litteras. Doctissimus Gislerius existimat Christum illis alloqui Apostolos suos, & justos in ipsis adumbratos, eisque testificari, esse amicos suos, quia facit illos commensales, & participes omnium deliciarum, quas sibi Pater æternus, tamquàm filio dilectissimo, præparavit, quæ non nisi tribulationes, & persecutiones fuerunt; sicuti quidam dixit Propheta: *Saturabitur opprobriis*, & alius non minus apposité: *De torrente in via bibet.* Et probat hic Doctor ex sacro contextu suam opinionem: *Quod enim in Evangelio ait, tale est: Vos estis amici charissimi qui permansistis mecum in tribulationibus meis: atqui ad hoc testificandum, quòd charissimi mei estis, tribulationibus vos premi permitto, in tribulationibus ipsis participes vos efficiens ejus Regni, quod in hac lacrymarum valle disposuit mihi Pater, ejus denique, & convivii, quod paratum mihi desuper fuit, ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno, quod in terris obtinui.* Non possum aliis indiciis probare vobis singularem benevolentiam, & amorem meum ergà vos, nisi iis, quæ mihi Pater divinus ostendit: ad demonstrandum, me esse Filium suum dilectum, & fuerunt tribulationes, & tormenta, hoc fuit convivium, quod mihi disposuit, & illius ego vos participes efficio, ut securum amoris mei pignus habeatis. Et subjungit Gislerius, Dominum hoc modo egisse cum duobus illis fratribus SS. Ioanne, & Iacobo, quando eis, veluti intimis amicis suis, calicem suæ passionis propinavit: *Proptereà bene illos discipulos interrogavit, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; &c.*

Cant. 5. v. 1.

Threnor. 3 v. 30. Psalm. 109. v. 7. Gisler hic in Expositien. 2.

3. Conformiter ad hæc explicuit sanctus Augustinus, versum illum Davidicum: *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est.* Ac si diceret Christus; ecquem majorem possum amicis meis præstare honorem, quàm dare eis præmium meritorum suorum, partem in calice passionis meæ? Differens super hæc verba S. Doctor, alloquitur Deum hisce verbis, ô Domine, quàm dulce est amoris tui philtrum! quod propinas animæ, cui hanc statuis legem; ut pro te moriatur, ac proindè tam vita, quàm morte sua mundum commonefaciat, eique persuadeat, se magis te, quàm illum diligere: quia tanta est voluptas, & oblectamentum, quod nascitur ex hoc sancto amore, ut videatur sibi perire, & tibi soli vivere, non jam humana, sed tota in divinam commutata, imò quamdiu in hac vita peregrinatur, sed jam æterna beatitudine potiri, & cœlestium consortem reputat, & horæ, seu momenta, quibus occasiones pro te moriendi procrastinantur, ei sæculorum myriades apparent: *Hoc calice ebrii erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant,* inquit magnus Pater Augustinus, id est, properantes ad martyrium, & omnium rerum caducarum hujus vitæ obliviscentes, te solum votorum suorum finem respiciebant, cujus amore tot tormenta sufferebant. De omnibus generaliter Martyribus loquitur gloriosus Ecclesiæ Doctor: Verùm liceat mihi, salva venia tanti Patris, ejus doctrinam singulariter S. Iacobo accommodare, quia in illo magis ad vivum exprimuntur effectus, quos promissio calicis oblati ipsi à Domino, solet causare in animabus sanctis; ipse enim uti diximus, tanta solicitudine eum quæsivit, tantaque diligentia ambivit illo inebriari, ut in eum finem ex Hispaniis ad terram sanctam peregrè sit profectus. Existimabat siquidem necessarium sibi esse omnem movere lapidem, ut beneficium calicis, sibi à Magistro promissi, pari officio compensaret; cum etenim Dominus eum tanto condecorasset honore, ut sibi quodammodò æqualem constituisset, faciens eum participem honoris sibi à Patre æterno dispositi: *Calicem, quem dedit mihi Pater, calicem quidem meum bibetis.*

Psal. 22. v. 5.

D. August. in Psalm. 36.

Iam facilis erit intellectu mystica illa connexio & combinatio, qua concinno quodam vocabulorum stylo Sponsa in Canticis dilecti sui egregias corporis dotes, & pulcherrima formæ illius ornamenta delineavit. Notate quæso verba ejus, quia insigne præbent discursui nostro robur & stabilimentum: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Non parum torquetur ingenium Abbatis Ruperti circa hanc connexionem, primo enim intuitu vixdum discernit, quomodo hæc duo cohæreant, ideoq; quasi replicans Sponsæ, eam interrogat. *Unde candidus & unde rubicundus?* id est, qui fieri potest, ut Sponsus ex una parte sit candidus, & ex altera rubicundus? Attamen altius discutiens hujus connexionis mysterium, decernit Sponsum esse candidum sanctitate, & rubicundum passione: *Nimirum candidus sanctitate, rubicundus passione.* Porrò unam patitur hæc doctrina instantiam, inquit Tuitiensis: *Dicat aliquis; si ergo candidus quare rubicundus, si Sanctus quare passus?* Debilis est hæc objectio, & facilis ejus responsio. Quinimò, quia tam purus, syncerus, & plenus gratia, & virtutum ornamentis, ideò crucifigendus, & profundet sanguinem suum, juxta Patris æterni decretum, in signum, quod sit Filius ejus dilectissimus. Verba illius sunt apud Vatem Zachariam: *Framea suscitare super pastorem, & super virum cohærentem mihi.* Vel queadmodum legit sanctus Hieronymus, *proximum mihi.* Ad hunc modum exponit has voces doctus minorū Prophetarum Commentator: *Causam Deus Pater docet statuisse se, ut Christus morti traderetur, & gladiū auten vocat mortem, persecutionem, vulnerationem.* Et elucidans hoc vocabulum *cohærentem mihi*, asserit Patrem æternum velle illo exprimere, Christum esse æqualem, & consubstantialem sibi: *Manifestè ostenditur æqualitas & consubstantialitas Patris.* Quæ compendio dicta, ita sonant; quod quia Christus Dominus est adeò candidus, voluit Pater ejus, ut fieret rubicundus & afflictus, ideòque pulchrè sibi cohærent hæc duo epitheta, rubicundum & candidum, quibus Sponsa perfectiones illius descripsit: *Dilectus meus candidus &c.*

Cant. 5. v. 10.

D. Rupert. hic.

Zacharia 13 v. 7.

D. Hieron. hic.

Ribera hic.

5. Hæc est lex, quam Deus inviolabiliter observat cum suis, quatenus viatoribus, & hocce modo declarat magnitudinem amoris sui erga illos. Estque munus hoc adeo præstans, ut Magister Gentium Sanctus Paulus non dubitet illud dono fidei æquiparare: *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo moriamini:* tamquàm ineffabile beneficium reputate, tribulationes, & adversitates vobis à Deo immissas: est namque tam ingens hoc donum, ut nullis officiis vestris id promereri potueritis, sed solis Christi meritis, (quemadmodùm dedit donum fidei) sit gratuitò vobis concessum. Ante observat Angelicus noster Doctor sanctus Thomas combinationem, quâ S. Apostolus Fidem Christi cum passione pro eodem connexuit, supponens illa esse maxima Dei dona, quibus excellenti...a Deus illis præstare non potuit: ideoque asserit Angelicus Doctor, illa verba hunc reddere sensum: *Gratia estis saluati per fidem, quod est magnum, & primum donum, & etiam, ut pro illo patiamini, quod est majus donum, ut scilicèt curam Christi agatis, quasi athleta eius.* Et valdè ponderandum est, quod Apostolus tam conjunctim ponat hæc duo beneficia, & secundùm sacram Theologiam liquidò constat, fidem non cadere sub meritum nostrū, sed esse donum Dei merè gratuitum: *Fides Dei donum est, non ex operibus,* & hortatur nos Paulus, ut tanti æstimemus pati pro Christo, quanti ipsum donum Fidei, quia est munus adeò sublime, & superexcedens, ut etiam justi, quantumvis perfectissimi, in rigore loquendo, illud non promereantur, quia signaculum est, & nota prædestinatorum, idcircò non abs re Apostolus Iacobus, tam lætanter acceptat oblationem, qua ei Dominus calicem suæ passionis propinat: *Potestis, &c. Possumus.*

Ad Philipp. 1. v. 29.

D. Thom. hic lect. 3.

6. Varias expositiones assignant sacrarum Litterarum Interpretes verbis illis Canticorum: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eum,* id est, syncerè amans, i. e: dederit amato totum, quod possidet, attamen adhuc nihil largire videtur. Hic est sensus grammaticalis illorum verborum, verum altius intendendo cogitationem, & insistendo doctrinæ sanctorum Patrum, loquitur Spiritus sanctus de amico, & servo Dei, qui totum se dedicat, & consecrat ejus servitio, & amori, neque quidquam sibi reservat, quod ei non offerat. Refert S. Ambrosius, & sequitur versionem Septuaginta, quæ ita sonat: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione: despectione despiciet eum,* id est, si homo omnes opes, & divitias suas largitus fuerit pro amore, contemptui, & opprobrio habe-

Cant. 8. v. 7.

habebitur: quæ verba primo intuitu paradoxa, & difficilia intellectu videntur, hoc enim ut videtur, foret recipere malum pro bono, remuneratio sanè, quæ in cœlis non habet locum: tamen hoc ipsum est, quod, iuxta explicationem sancti Ambrosij, vult indicare Spiritus sanctus, nimirùm quod Deus iustis meritorum, & virtutum cumulo repletis retribuet in hac vita, tamquàm præmium & mercedem operum, opprobria, ignominias, & afflictiones, veluti certa pignora coronæ gloriæ, quàm illis præparatam reservat in cœlis: *Quoties benefacta crimini dantur, quoties virtus opprobrio ducitur quoties ipsa ingrata est gratia: vendidit iustus facultates suas, dispensavit pauperibus, nihil sibi reliquit, contemnitur plerumq; in ipsa Ecclesia quia dives esse desiit, sicut scriptum est: si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contemptu contemptus erit.*

D. Amb. Serm. 21. in Psal. 118 citat. à Ghisterio hic.

7. Sed nullatenus hoc intelligendùm est cum tanto rigore, quin Deus sæpissimè donet suis servis in hac vita præsenti præmia quædam, quæ sint prænuntia eorum quæ expectant in futura. Testem advoco sapientissimum Salomonem in Proverbiis: *Sapientia ædificavit sibi domum* Et antiquus Tertullianus insistens Lectioni Hebraicæ ita transfert: *Sophia iugulavit filios suos.* Fateor ingenuè combinationem harum Lectionum, ita discrepantium, magnam mihi ingessisse difficultatem, & perplexitatem: quid enim significat, quod sapientia, dum ædificat domum, iugulet filios suos: Oppositum namque videtur sequi, quia occidere filios suos, non est ædificare, sed destruere domum: ast notate verba utriusq; Textus, quæ, licèt prima fronte opposita, & contraria videantur, facillimo tamen negotio componuntur; quia idem est sacrificare Deo filios suos, seu disponere eos ut immolentur, ac ædificare iis domum, ut honorentur, & extollantur. Vultis rem digito demonstrari? Convertite oculos vestros in Apostolum nostrum, idem enim fuit illum gladio tyranni interfici, ac ædificari illi domum à Deo, in qua nomen eius magnificaretur, & memoria eius celeberrima fieret, ad hunc namque modum interpretatur doctissimus noster Yanguas, verba illa Evangelici Prophetæ: *Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob.* Videtur Propheta mente, & spiritu suo prævidisse tempora gratiæ, in quibus Regna, Provinciæ, nationes, & populi devotione, & pietate permoti, solemnes instituerẽt peregrinationes ad domum Dei Iacob, & ad ædem Iacob servi illius, quia iuxta idioma nostrum idem est, ac Iacobus, cuius Templum sæpissimè à diversis nationibus devotionis ergo frequentatur, tum propter sacras corporis illius reliquias, tum etiam propter indulgentias eidem Ecclesiæ à summis Pontificibus, ad fruendũ eius venerationem, talibus peregrinantibus concessas. Et rectè quadrat Sancto nostro nomen Iacob: quemadmodùm enim ille luctatus cum Angelo eum devicit, & superavit, ita etiam hic Iacobus invaluit contra gentem indomitã, & cultui idolorum deditam, ut eam ad cognitionem veri Dei adduxerit, in fide animaverit, & ita Hispanos illustraverit, ut ipsis adnatum videatur illud Davidis elogium: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentiũ faciem Dei Iacob*, inter omnes enim nationes sola Hispania Catholica nuncupatur ipsaque sola hoc elogio, & titulo gaudet, quæ singulariori solicitudine, & ferventiori pietate veneratur, & confitetur Deum, quem Iacob, adorabat, & reverebatur Iacobus: *Magnus planè Iacob*, inquit noster Yanguas, *iste Iacobus, qui tam mirabiliter, tam fortiter luctatus est cum Angelo, ut gentem indomabilem, gentem robustissimam, & cultui dæmoniorum deditissimã in divina virtute superaverit, vicerit, & ad lucem Euangelii, veramque Religionem, & sanctitatem extraxerit: adeò ut ex generatione prava, & exasperanti esset hæc generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Omnia hæc mirabilia operatus est sanguis S. Apostoli nostri profusus, uti Dominus illi promisit, quando dixit: *Dalicem quidem meum bibetis.*

Prov. 9. v. 1.

Tertull in scorp. c. 7.

Isaiæ 2. v. 2. & 3.

Yanguas in Serm. huius Festi.

Calicem quidem meum bibetis.

CONSIDERATIO III.

Sanctus Iacobus præ cæteris Apostolis gloriosius, & illustrius subiit martyrium, quia fuit primus eorum, qui sanguine colli sui, invictum animi sui robur comprobavit.

1. EST constans doctrina Angelici nostri Doctoris S. Thom, martyrium esse actũ nobilissimum, & maximè heroicum, quia est excellen-

D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 3. in corp.

cellentissimæ charitatis argumentum: *Martyrium inter omnes actus virtuosos maximè demonstrat perfectionem charitatis, quia tanto magis ostenditur aliquis aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit pati. Manifestum est autem, quod inter omnia alia bona præsentis vitæ, maximè amat homo ipsam vitam, & econtra maximè odit ipsam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum quorum metu etiam bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, ut Augustinus dicit in libro 83. quæst. 36. & secundùm hoc patet, quod martyrium inter cæteros actus humanos est perfectior secundùm suum genus, quasi maxima charitatis signum, secundùm illud Ioannis 15. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ac si diceret Angelicus Præceptor, quamquàm magnus sit honos cujuslibet justi, major tamen est excellentia, & primum locum occupat dignitas illius, qui vitam propriam negligit & contemnit pro Deo, & quia martyrium eminet inter virtutes majori perfectione charitatis, & amoris, quia tantò magis ostenditur quispiam rem aliquam amare, quantò magis odit rem præ cæteris dilectam, &c. evidenter infertur actum profundendi vitam pro Deo, esse manifestum amoris indicium, & promptissimæ voluntatis testimonium, sacro attestante eloquio per Sanctũ Ioannem: *Maiorem charitatem &c.* Promptissimus fuit S. Iacobus ad promittendũ *possumus*, sed non minùs celer ad exequendum, & promissa opere complendum. Neque hic substitit charitas Sancti nostri, inquit S. Bonaventura, qui adeò fervens fuit ut inter cæteros Apostolos fuerit primus qui sanguinem suum pro Christo profudit in compensationem cruoris Christi, pro se copiosissimè effusi: *Hic Apostolus sanctus dum accendit ignem ardentem intùs celare non potuit, sed primus de omnibus Apostolis amorem Christo reddidit quem accepit. Nam primus inter omnes Apostolos pro Christo morti se dedit, sicut dicitur: quia misit Herodes Rex manus &c.* Ipse primas tulit, & dux cæterorum extitit, ipseque primus omnium virili pectore propinatum sibi à Christo calicem bibit: cujus exemplo reliqui ad tantundem præstandum fuerunt animati, quod non est minimum ejus elogium, neque parvam pro eo meretur gloriam, quia perspicuum est in sacris litteris, primos in quolibet genere virtutis, & eos, qui suo exemplo provocant alios ad sui imitationem singulari favore à Deo affici, & particularibus muneribus cumulari. Est hæc doctrina S. P. nostri Vincentii Ferrerii de transfiguratione Christi disserentis.

D. Bonavent. Serm. 1. de S. Iacobo.

2. Transfiguratus est Dominus, & una ei assistentes quodammodo fuerunt transfigurati ejusdem gloriæ participes effecti. Variè interpretantur Sacri Expositores rationem ob quã præ cæteris fuerint assumpti ad montem Thabor Apostoli Petrus Ioannes, & frater ejus Iacobus & non alii, ast eorum placita in alias remitto occasiones, quia instituto nostro nequaquam deserviunt. Sanctus Vincentius Ferrerius uti diximus, quamvis ad alium finem consideret hos testes electos ad confirmationem sui discursus: in ratione tamen, quam gloriosus noster prædicator assignat, prærogativa horũ Apostolorum persistit constans, forsitan quia magis solidam & indubitatam reputabat: *Secundò* (inquit) *vocavit Iacobum maiorem, quia primus erat martyrium suscepturus, ut habetur Actorum decimo:* Et in secunda Concione licet tertio loco id referat, idem omninò affirmat: *Tertio Iacobus fuit assumptus, quia primus debuit per martyrium paradisum intrare de Apostolis. Ideò Christus voluit eum consolari ostendens illi aliquo modo gloriam.* Dicit itaque secundus Hispaniæ Apostolus, quod Iacobus erat futurus protomartyr collegii Apostolici, ideoque Christum voluisse eum suæ transfigurationis facere participem.

D. Vincent. Ferrer. Serm. 1. & 2. de Transfigurat.

3. Narrat sacra Historia de Seth, quod habuerit filium nomine Enos, qui primus solemni ritu cœpit invocare nomen Domini, ut jam antè meminimus, causam, ob quam altaria erexerit, sacrificia obtulerit, jam etiam alibi ex sancto Hieronymo retulimus, unde ne eadem sæpiùs repetamus, revocanda est in memoriam versio quædam S. Cyrilli & Theodoreti ad hæc verba: *Cœpit invocare nomen Domini.* Vbi juxta Hebræum ita legunt: *Cœpit vocari nomine Domini*, id est, omnes eum appellabant nomine Domini, & uti talem venerabantur. Ast quam ob causam homines tanto honore affecerunt, ut eum nomine & titulo divino indigitarent? Paucis sed disertis verbis rem totam elucidavit S. Cæsarius: *Deificari cœpit Enos illis temporibus, quia cœpit primus invocare.* Quamvis Enos esset vir justus & probus, nõ tamen justitia aut probitas ei tantam opinionem apud mortales conciliavit, sed zelus religionis

Gen. 4. v. 26. D. Cyrill. lib. 1. Glaphir. Theod. hic.

D. Cæsar. Dialogo 1.

gionis, quo permotus cœpit primus colere Deum, eiusque nomen invocare, & quia omniũ antesignanus fuit, antecelluitque omnes pietate, & primus fuit veri Dei cultor, omnia elogia videbantur hominibus imparia, neque existimabant se illum condignis celebrare encomiis, nisi eum tamquam divinum, aut deificatum honorarent.

4 Voluit Deus gloriosum facere nomen amici sui Abrahæ, idque apud omnes illustrare, & ea propter præcepit, ut filium suum unigenitum offerret in holocaustum. Promptus obedivit Sanctus Patriarcha, imponensque filium Altari, iam præceptum executioni mandasset, nisi Angelus ictum, & effectum impedivisset. Adeo grata fuit Deo hæc obedientia, ut animadvertens tantam animi generositatem, lætus in has proruperit voces: *Per memet ipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenito tuo propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Tamquàm diceret: tantum me tibi devinxisti hoc heroico actu, ut me obligem ad tibi, & semini tuo benedicendum innumeris donis, & beneficiis, O bone Deus! quàm grata fuit hæc actio: inquit insignis noster Lusitanus: videntur enim Deo verba deesse, ad eam condignis encomiis extollendam *Quia fecisti hanc rem, hic Dominus non solũ opus commendat, sed tanti facit, ut nomen, quo laudet aut operi imponat, non inveniat. Sed quia fecisti rem hanc, Quam quæso Domine? Non invenio nomen operi dignum.* Enucleemus operosius ponderationem huius loci. Ecquæ circumstantia hoc opus ita extollit, & exaltat? Nonne Abraham iussu Dei egressus fuerat è terra, & patria sua, & præceptum circumcisionis exactissimè observaverat, iam viribus fractus, & annis gravis? Haud dubiè ambo fuerunt maximi meriti opera, & generosi animi argumenta; cur igitur illa non tã grata fuerunt Deo, sicut promptitudo obedientiæ ad immolandum filium, Fateor quidem, tunc Deum singulares, & ingentes illi promisisse benedictiones, quæ etiam prima fronte hisce æquales, & paris dignitatis apparent: *Faciamque te in gentem magnam, &c.* Ast iuxta veriorẽ, & securiorem sacrorum interpretum doctrinam, fuerunt hæc Dei beneficia secundum substantiam longè diversa, quia ibi solùm promisit illi carnalem prorogationem, & innumeram multitudinem posterorum, hic autẽ spondet, & pollicetur illi posteritatem spiritualem, & dignitatem patris credentium: ibi, tandem dedit illi filium humanum, & hic divinũ. Est hæc doctrina magni Origenis, qua eleganter probat intentum nostrum, quia curiosius observat, quòd prima vice reperit Dominus Abrahamum in terris: *Et eduxit eum foras, & ait illi, suscipe cœlũ,* secũdâ verò vocavit eum è cœlis: *Vocavit autẽ Angelus Domini Abraham secundò, de cœlo.* Ad comprobandum, quòd primus filius esset futurus terrenus, & secundus cœlestis: *Illa enim quæ prius dicta sunt, & ad priorem populum pertinent, in terris: sic enim dicit Scriptura: & eduxit eum foras de tabernaculo suo, scilicet: Vbi autem secundò repetitur repromissio, designat, quòd locutus est ei de cœlo, & datur promissio prima de terra, secunda de cœlo. Nonnè apertè hic illud designari videtur, quod Apostolus dicit primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.*

Ad quæstionem igitur propositam, nimirùm, quare in hoc opere potiùs, quàm in aliis enumeratis Deus seipsum obstrinxerit ad compensandum obsequia Abrahami tot beneficiis, tantaque mercede, qualis est nasci Christum ex semine eius, non invenio commodiorem responsionem, quàm eam, quæ ex doctrina S. Ioannis Chrysostomi colligitur, videlicet. Abrahamum, quia primus fuit, qui auspicatus est opus adeò peregrinum, & inauditum, ut, in obsequium Dei, non dubitaverit proprii filii carnificem agere, atque hoc præclarum facinus tot tantaque donorũ cœlestium augmenta ei conciliavit: *Quod novum & inauditum esset, nec ab ullo unquam tale quidquã factum erat.* Ait aureum Chrysostomi os, ad ostendendũ, quòd servire Deo, in eius obsequio nova adinveniendo media, devinciat suam divinam maiestatem ad singulares favores conferendos: quapropter parva, & imparia arbitratur omnia munera, & dona sua, quibus hodie condecorat S. Iacobũ, quia fuit primus omniũ Apostolorum, qui paravit viam mortis, eamque sanguine suo rubricatã ingressus est, ut cæteri, exemplo suo permoti, etiam sanguinem suum pro Christo effundere non dubitarent. 5.

6. Egregiè quadrat huic intento curiosa observatio doctissimi Abulensis. Dum filii Israel pergerent ad expugnandam terram Chananæorum,

Gen. 22. v. 16. 17. & 18.

Oleaster hic.

Gen. 12. v. 2.

Gen. 15. v. 5.

Gen. 22. v. 15.

D. Chrysost. ad illud Genes. 22. dixit ad pueros suos.

rum, sacro attestante eloquio, Caleb supremus belli præfectus cæteros duces, & Tribunos hisce eos animavit, & adhortatus est vocibus: *Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem*, id est quicumque intrepido pectore expugnaverit Civitatem hanc, filiam meam præmii loco habebit. Ast illico dubitatio animum pulsat, quomodò callidissimus Dux, bellicæ artis peritissimus promulgaverit edictum sub conditione quasi impossibili, absque miraculo enim etiam animosissimus quisque solus sine socio milite, civitatem illam adeò munitam debellare, aut expugnare non poterat. Verum appositè solvit nodum dubii relatus Author: *Non intelligitur, quod aliquis de Israelitis deberet percutere urbem, id est, omnes habitatores urbis, & vastare eos delendo, scilicet, totaliter, quia hoc non posset quisquam facere: sed intelligitur de illo, qui primò irrumperet in urbem, & inciperet occidere viros urbis* Non est credibile, quòd Caleb, vir in scientia rei militaris astutissimus, pollicitus fuerit hocce præmium occupanti urbem solis viribus, absque auxilio aliorum: tale enim fortitudinis genus soli omnipotentiæ divinæ congruebat; sed intentio eius fuit, tam pretiosum munus, & præmium adeò excellens tribuere illi, qui tantæ foret animositatis, ut portas civitatis aggrederetur, mœnia conscenderet, aut castra hostium invaderet, & hoc appellat Caleb, vastare, & funditùs evertere civitatem, existimans sufficere primo, qui invicto robore, & cum discrimine vitæ suæ hostem impeteret, præbens aliis exemplum tantumdem præstandi, ut ei hoc honoris præmiũ daretur. Ecquis dubitet filiam Dei amantissimam esse nostram Catholicam Hispaniam? ipsa namque tanto fervore conservat Fidem eius, ut tamquàm legitima filia malit potius millies vitam, quam fidem amittere. Cui igitur potiori iure, aut titulo illam daturus erat Sponsam, nisi invictissimo Duci militiæ suæ, nostro glorioso Apostolo, nam ipse primus omnium hosti se opposuit, sanguine proprio obtulit, & hebetavit ensem, seu falcem mortis, & amarissimum mortis poculum exemplo suo potabile fecit, & mare, in quo etiam instructissimæ triremes naufragium pertimescunt, suo martyrio navigabile præbuit.

Judic. 1. v. 12.

Abulens. in cap. 1. Judic. q. 14.

7. Loquens aliquando Christus Dominus discipulis suis (minitans Iudæis) dixit eis, se vindicaturum sanguinem justorum, à sanguine Abelis, usque ad sanguinem Zachariæ: *Et veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ.* In ipso vestibulo, statim hæsitavit sanctus Augustinus, admirans peregrinum loquendi modum. O benignissime Deus, inquit, nonnè Zacharias sanctus, quemadmodum Abel justus: Nonne ambo vitam suam pro honore tuo defendendo exposuerunt? Nonnè illam perdidit Abel in campo, & Zacharias in Templo: ne ergò omnem attribuas justitiam Abeli, eaque privans Zachariam; vide ne malitia in suspicionem incidat, & tacendo sanctitatem Zachariæ, tuum silentium suspectam reddat eius opinionem. Apagè, inquit sanctus Augustinus, an nescitis Abelem fuisse primum, qui in lege naturæ gustavit amaritudinem mortis, in quem primò suas exercuit vires: Vocetur igitur iustus, non verò cæteri, quamquàm etiam summa polleant iustitia, est etenim tam heroicum opus auspicari, aut inchoare martyrium, ut ipsum solum Sanctos declaret, & tametsi alii moriantur pro Christo, quia jam tritam reperiunt viam, & vestigia præeuntium insequuntur, ipsa aliorum imitatio splendorem sanctitatis obscurare videtur: *In eo enim, quod dicit à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ. & non addit iusti, ostendit quod Abel in iustitia hominum primatum tenuit: eò quòd primus Martyrum iustus fieri meruit.* Quid ergò mirum, quod cæteri Apostoli, comparati cum S. Iacobo, obliviscuntur nomen iusti, & communi suffragio confiteantur ipsum esse maiorem reliquis, cùm ipse primus extiterit, qui amarum calicem passionis, sibi à Christo propinatum, bibit, uti hodiernum attestatur Evangelium: *Calicem quidem meum bibetis.*

Matth. 23. v. 35.

D. Aug. de mirab. S. Script. tom 3.

Calicem quidem meum bibetis.

Consideratio IV.

Mittens divina providentia sacras reliquias, seu lipsana Sancti Iacobi ad Monarchiam Hispaniæ, spopondit, cavit illi securitatem defensionis, & patrocinii illius.

1. Occasionem, & facultatem ita Philosophandi præbet, & suggerit nobis mellifluus Doctor S. Bernardus: alibi enim similem efformavit discursum Plurimùm gaudeo, aiebat mónachis suis, omnesque lætari debemus, quia Deus tantum nobis præstitit beneficium, ut divinitùs disposuerit Malachiam apud nos, & in domo nostra sepeliri, evidens enim argumentum est, & manifesta confirmatio divinæ erga nos, & domum nostram benignitatis, eapropter singulare reputo beneficium divinæ providentiæ, quod ad Hispaniam nostram destinaverit sacra lipsana, seu reliquias corporis sancti Iacobi, in signum, quòd eam singulari prosequatur amore, magis enim opulenta, & dives effecta est hoc sacro deposito, quàm omnibus laminis argenteis, & auri fodinis Indicis, quæ ipsam non mediocriter locupletant.

D. Bern. in vita Malach.

2. Quàm diversæ fuerunt solicitudines, & studia Moysis, & aliorum Hebræorum, hi, egredientes ex Ægypto, omnem industriam, & diligentiam suam adhibuerunt in auferendo secum auro, & argento Ægyptiorum, ille verò omnem movit lapidem ad asportandum secum ossa Patriarchæ Ioseph, qui fuerat supremus Ægypti præfectus: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph*, inquit sacer Textus, & Procopius, enucleans hæc verba, subiungit sequentia, *Hebræi, quia carnalia sectabantur, iussi sunt mutuo accipere aurea, & argentea vasa: Moyses verò elegit viri iusti ossa, quæ præfert immensis Ægyptiorum thesauris*, sublimioris erat ingenii Moyses, ac proinde non terrenas opes, sed sacra ossa Sancti secum defert, pluris æstimans unius sancti Patriarchæ reliquias, quàm omnes Ægyptiorum divitias: Ast, dicite quæso, ecquæ comparatio inter ossa Ioseph filii Iacob Patriarchæ veteris testamenti, & reliquias S. Iacob novæ legis gratiæ; id est, gloriosi Apostoli S. Iacobi, absque dubio plus ditata est Hispania hoc inæstimabili thesauro, quem possidet, quàm omnibus opibus, quæ illi ex novo advehuntur orbe, imò locupletior, quàm si amplissimas Cræsi, aut Salomonis divitias obtineret, hæ namque omnes fluxæ sunt, & transitoriæ, illæ verò quatenus utiles animæ, permanentes, & stabiles, & perpetuæ durationis.

Exod. 13. v. 19.

Procop. hic.

Recordamini, ni fallor, illius Libri, quem Benjamin Christi Ioannes vidit in sua Apocalypsi, pulchrè compactum, & septem sigillis signatum, & agnum immaculatum, qui se obtulit ad aperiendũ librum, & solvit signacula eius, & cœpit revelare mysteria legis gratiæ, & aperiendo quintum signaculum, ait S. Ioannes, se vidisse animas occisorum pro Deo, quæ voce magna clamabant. *Vidi sub altare animas interfectorum propter Verbũ Dei, & clamabant voce magna*, erant autem hę animæ beatorum martyrum. At extemplo occurrit ratio dubitandi, qui dicat sanctus Ioannes se vidisse animas sanctorum Martyrum subter altare militantis Ecclesiæ, præsertim cùm illæ iam in triumphante beatifica perfruantur visione; Discrepant sacri Interpretes circà expositionem huius Textus, verum accommodissima est instituto nostro, quam Pubertus explanans Apocalypsim excogitavit, *Reliquias sanctorum*, inquit, *vocari, animas ipsorum ab Apostolo Ioanne, non quòd ibi morentur animæ, usq; ad generalem Resurrectionem, sed quia cum ibi iaceant eorum corpora, & ad ipsorum præsentiã, aut contactum quotidie efficiantur miracula, potiùs animæ, à quibus ea virtus manat, quàm corpora, & reliquiæ ab Apostolo censentur residere*, id est, nõ vult dicere Ioannes, ibi commorari animas iam gloriosas, hoc enim repugnat fidei, sed quia ibi manent sepulta earum corpora, ad quorum præsentiam quotidie miracula fiunt, quæ efficiuntur virtute animarum Sanctorum, qui tamquam instrumenta ad ea patranda concurrunt, ideoque sanctus Evangelista nomen animarum attribuit reliquiis eorum. Sub summo altari Cathedralis Ecclesiæ Galicianæ requiescit anima, (liceat ita loqui) sancti Iacobi, quia ibidem reconditus est inæstimabilis thesaurus sacrarum reliquiarum eius, cuius artificium, & pretium, operis totus admiratur orbis Christianus: & quamvis ibi corpus degat exanime, quia anima æternis perfruitur gaudiis in cœlo, attamen ad benefaciendum nobis, videtur vitam habere in se: quapropter possumus ei

3.

Apoc. 6. v. 9.

Pubert. apud Benedict. Fern. in cap. 51. Genes. sect. 9.

ei accommodare verba S. Evangelistæ, & dicere, animam S. Iacobi subter altare continua & perpetua intercessione exorare Deum pro populo, sibi devoto: *Vidi sub altare animas, &c.*

4. Insuper magis extollit hanc considerationem doctissimus Geneseos Interpres, quia addit, quod, licet Sancti nobis plurimùm faveant in vita, magis tamen eorum patrocinia post mortem experimur, maximè illorũ, quorum sacra lipsana, aut reliquias asservamus. Cõponit hic Author duos vel tres Textus Prophetæ Elisæi, omnes ex quarto libro Regum desumptos. Valdè notanda est infœlicitas, (si fas est ita loqui) Elisei, in patrandis miraculis, dum adhuc mortalem ageret vitam, permagno enim illi constabant labore, & nonnisi ingenti difficultate ea perficiebat. Hæreditariè accepit pallium illud ab Elia magistro suo, veluti pignus omnium mirabilium, & hypothecam miraculorum, & tamquàm cunctorum prodigiorum eius unicum instrumẽtum. Lætus, & gaudens, tanto munere dotatus accessit ad Iordanem, & pallio percutiens aquas illius, præcepit eis ut transitum patentem præbeant, obsurdescunt illæ ad voces, & mandata imperantis: redit ille pudore confusus, & clamat in cœlum: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?* Ac si diceret, ubi nunc virtus illa Eliæ? Nonnè videtis, quomodo pallium assuetũ faciendis miraculis, ut illo Elisæus unum efficiat, sint necessarii clamores, suspiria, & gemitus? Accedit semel, & non obedit, accedit iterum, & resistit, ita ut compellatur implorare opem Eliæ, ut succurrat, & auxiletur ad perficiendum miraculum. Imo, moritur filius Sunamitidis, obsecrat Prophetam, eiusque solicitat auxilium, mittit Eliseus Giezi discipulum, mandatque ei ut baculum suum in manu deferat, neminem in via salutet, aut salutatus alicui respondeat, ipsumq; baculum, mox ut domum intraverit, ponat super faciem pueri, existimans idem futurum iri puerum baculo tangi, & à mortuis resuscitari: abiit Giezi, intrat domum, tangit puerum baculo, & non revivisceit. Nunciatur Eliseo tota rei peractæ series, accingit se Propheta itineri, ingressusque domum, clausit ostium super se, & super puerum, & crebris precibus orat Dominum, ingemiscit, suspirat, deambulat in domo semel huc atque illuc, & videns se omninò oleum, & operam perdere, incubat super puerum, & quia inæqualis erat staturæ cũ puero coarctavit se, posuitq; oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, *& oscitavit puer septies, aperuitq; oculos*. O bone Elisee, quanto labore tibi constat unicum miraculum! Sed an fortasse easdem subivit molestias ad patranda miracula post mortem? Minimè gentium. Rem notissimam enarrabo: Quidam volentes sepelire hominem defunctum, viderunt latrones quosdam ex latebris exilientes, & adacti timore, omnisq; pietatis obliti, projecerũt cadaver in sepulchrũ Elisei. Res inaudita, & mirum prodigium: Vixdum cadaver emortuũ tetigerat reliquias eius, & statim mortuus vitæ restituitur: *Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos*. Quid ita? tanta facilitas ad resuscitandum defunctum, & tanta difficultas, & molestia ad restituendũ vitæ puerum? Hic solus contactus ossium sufficit, imò nimius est, & tibi totus Propheta, non est sufficiens? Scitis causam, inquit præfatus Commentator: *Vivus Propheta non facile defunctum puerum excitavit, sed multa miraculum præcesserunt. Deambulavit ille, oravit, proiecit se super cadaver, nec primo, nec secundo, sed tertio, tandẽ rem obtinuit. Contra verò Elisei demortuũ corpus, ubi primùm defuncti cadaver simul consepultum attigit, illicò vivum reddidit.* Non erat tanta virtus Elisei vivi, ut mortem superaret, qui tamẽ inæqualibus armis, & longè excellentioribus contra illam dimicabat, at verò exutus, & spoliatus vita noverit resuscitare mortuum, est novum prodigii genus. Et si mors est symbolum peccati, non foret tanta excellentia, & dignitas S. Iacobi, quòd voces, & verba eius Hispaniam convertissent, quàm quòd ossa eius eam resuscitent. Et noverit insuper Hispania, quod in sancto Iacobo mortuo maiorem habeat beneficiorum cœlestium fiduciam, & securitatem, quàm vivo, nã ad contactum, & venerationem sacrarum reliquiarum eius, tot quotidiè cernentur mirabilia, indies magis stabiliatur, & confirmetur eius patrocinium, & nostra provocetur pietas, & gratitudo.

5. Fœlix ergo & ter quaterque beata Hispania tanto ditata thesauro, tantoque exornata Patrono, ut sit locupletior reliquiis Sancti Iacobi, quàm omnibus aurifodinis, habet namque in illis mortalem certitudinem à Deo, quòd eam singulari prosequatur benevolentia, qui tanta solicitudine, & cura illius studuit conservationi. Referunt SS Epiphanius & Dorotheus quod quando Ieremias abscondit Arcam Testamen-

[Marginalia: 4. Reg. 2. v. 14. — 4. Reg. 4. v. 35. — 4. Reg. 13. v. 21. — Benedict. Fernand. loco citat.]

D. Epiph. & Dorotheus.

stamenti, ne in Babyloniam captiva abduceretur, eam sepelivere in tumulo quodam: *Inter duo sepulchra Moysis, & Aaron*, quasi eam committens curæ, & protectioni eorum, ut eam sartam, & intactam conservarent, certo sibi persuadens, quòd tamquàm Leones generosi, dormirent oculis apertis, eamq; tuerentur & ab imminenti periculo custodirent, ne ad manus hostium deveniret. Voluit Deus corroborare, & securam reddere nostram Catholicam Hispaniam, ne umquam deficeret à fide, sed semper constans resisteret hæresi, & in hunc finem, disposuit, ut fieret depositaria reliquiarum S. Iacobi, quæ efficaciùs, & animosiùs, quàm corpora Moysis, & Aaron eam protegant, & defendant, uti latiùs in Consideratione sequenti dicemus. Quapropter Doctus ac sanct. Archiepiscopus Valentinus asserit, tot titulis nos esse obligatos divinæ bonitati, quia voluit Hispaniam esse pulpitum doctrinæ sancti Iacobi, & depositariam sacri corporis illius, dando eum uti Magistrum fidei, & Ducem belli, seu armorum Hispaniæ, ut etiam maxima gratitudinis indicia imparia sint, & inæqualia tanto favori, quamvis etiam singulari veneratione, omni conatu, & zelo studeat se gratam exhibere: *Grandis favor, Domine, quòd sic æstimasti eam, & quòd tanti est apud te in fine mundi posita, non enim sic eam æstimasses, & tanto Patrono dotasses, nisi grandis futura esset.* Et accuratius discurrens S. Archipræsul in hac materia: quòd, licèt cætera Regna, & Provinciæ huius mundi uno tempore receperint fidem, alio tamen eam amiserunt, sola Hispania inter omnes nationes illæsam, & incorruptam conservat fidem Catholicam, idque virtute, & patrocinio S. Iacobi, quemadmodùm diversa attestantur miracula, & apparitiones, quas recensent Historiæ, & enarrat S. Archiantistes Valentinus: *Ecce Achaia, Ægyptus, India, Asia omnes perdita sunt, & ex Provinciis Christianis multa infecta: Hispania maximè servat fidem illæsam, meritis, & patrocinio sanctissimi Apostoli, & si aliquando capta est ab infidelibus, tamen eius patrocinio liberata est, unde legitur in Historiis Apostolū visibiliter aliquando in bello apparuisse.*

D. Thom. à villa nova ser. de S. Iacobo.

4. Ex sancto Iacobo, igitur, & sacris eius ossibus promanavit Hispaniæ omnis firmitas, & robur fidei, de qua tantopere gloriatur, & nisi me fallat consideratio, omnem hanc securitatē præsagiit miraculosa illa apparitio, sacratissimæ Virginis super columnā ex Iaspide excisā, dum noster sanctus Apostolus Cæsar Augustæ commoraretur. Historia est cunctis notissima, quando Regina Angelorum sanctissima Virgo Maria, adhuc vivens in hac lacrymarum valle, manibus cœlestium spirituum delata, appulit Cæsar-Augustam, ubi primùm prædicavit noster Apostolus, ibi apparuit illi in columna supradicta, quam etiamnum, *& Pilar* indigitant, dixitque ei: Fili mi super hanc columnam ædificabis primā Ecclesiam Hispaniæ, nomini meo sacram, & dedicatam. Et ponens super columnam illam, hanc imaginem meam alabastrinam (quam, usque ad hæc tempora, summa pietate colunt, & venerantur) & spondeo tibi, quòd perseverabit usque ad finem mundi, absque eo, quòd umquam in illa fides Iesu Christi deficiet: *Eritque Pilare hoc usque ad finem mundi, & credentes in Deum in hac urbe, numquā deficient.* Hæc miraculosa apparitio fuit felicissimum augurium perpetuæ firmitatis, qua fides in Hispania stabiliretur, & hac fretus securitate, audeo dicere, quòd (si per impossibile fieri posset, fidem deficere) potiùs deficeret in reliqua parte Ecclesiæ, quam in Hispania. Decreverat Christus perpetuam fundare Ecclesiam, & elegit Petrum, ut prima illius foret petra, super quam ædificaret pōdus totius fabricæ, committens illius stabilitati securitatem totius operis, seu ædificii: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Integritas, igitur, & constantia Ecclesiæ fundata est super Petrū lapidem fortissimū, & quamvis in illo tantum nitatur pondus, numquàm vacillavit ædificium. Bellè dictum! Ecclesia autem Hispaniæ super quas bases est fundata? aut super quam ædificatur petram? Iam diximus ex Historia, quod super Mariam, primam Ecclesiarum Hispaniæ columnam. Ecce nunc ponderatio mea. Christus Ecclesiam Catholicam ædificat super petram, sanctus verò Iacobus super columnam; petra Ecclesiæ est Petrus, petra autem Ecclesiæ Hispanicæ est Maria. Certissimum est, quòd nequeat ruere ædificium fundatum super Petrum, quia habet Christum veluti sustentaculum, quo innititur: at considerati Petrus, & Maria secundùm se, quis dubitet, quin maior sit firmitas pilæ, seu columnæ Marianæ, quam soliditas petræ Principis Apostolorum? Ergò, si possibile foret, collabi possent ædificia, magis timendum esset, quòd faciliùs concideret funda-

Ex Historia.

Matth. 16. v. 18.

fundatum super illam petram, quam exstructum, aut fabricatum super hanc columnam.

7. Sed an fortassè ad hoc alludit adventus S. Iacobi in Hispaniam in sepulchro lapideo? Ita sanè, quia non casu, sed divina dispositione factũ est, ut in sepulchro marmoreo Sanctus noster Hispaniam ingrederetur, ut ex eo, veluti pulpito, nobis prædicaret, & asseveraret, tantam fore firmitatem fidei in Hispania, quantam lapis ille ex nativa sua indole habebat. Magno ingenii acumine premit S. Petrus Chrysologus, & ponderat sessionem Angeli post resurrectionem Christi super lapidem monumenti, & singulare deprehendit mysterium in sessione *Accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum.* Ecquid significat, inquit magnus Ravennas, quòd Angelus sedeat super lapidem, qui erat signaculum, seu sigillum sepulchri Salvatoris? Videtur planè parva decentia. Agedum non casualis, sed mystica fuit hæc actio, sed & tamquàm Magister ad annuntiandum, & asserendum supremum fidei nostræ mysterium, & cæterorum coronidem, videlicet, resurrectionis Dominicæ arcanum; & sic requievit super lapidem, ut ex soliditate reclinatorii, & sedis firmitatem mysterii auditoribus asseveraret: *Ut fidei Doctor, ut resurrectionis Magister sedebat supra petram, ut soliditas sedis daret credentibus firmitatem.* Sanctus Iacobus requiescens sub sepulchro lapideo, quid aliud indicat, quàm quòd ipse sit Magister fidei Hispaniæ: Sepulchrum ejus est pulpitum ex quô prædicat, cathedra doctrinæ cœlestis, ex qua docet fidẽ, & quia lapideum est, firmitatem ejus in Regno Hispaniæ designat: imò excellentior est prædicator S. Iacobus, quàm Angelus, quia in eo non fuit mirum, quòd claritate vultus, splendore faciei, & candore vestium illustris, & ad ostium monumenti adhuc spirantis calorem Christi, in eò non ita pridem sepulti, fidem firmaret: at quòd S. Iacobus mortuus, ossa omni decore exuta, sepulchrum, quod non est Christi, tantum sibi conciliet applausum, ut in sua soliditate stabiliat, & firmet fidem Hispaniæ, est singularis ejus excellentia, & magna nostra felicitas, de qua meritò gloriari possumus, & totum hoc effectus est generositatis animi, qua bibit calicem, sibi hodiè à Christo propinatum: *Calicem quidem meum bibetis.*

Matth. 28. v. 2.

D. Chrysol. Serm. 74.

9

Calicem quidem meum bibetis.

CONSIDERATIO V.

Magna, & ingentia sunt beneficia, quæ Hispania debet sancto Iacobo, quia fuit Magister, Doctor, & fundator Ecclesiarum ejus, estque etiamnum Princeps, Coryphæus, & Dux militiæ, & armorum Hispaniæ.

10 EXistimaveram ego soli Christo competere insignia, esse simul Ducem, & Magistrum, idque permotus vaticinio Evangelici Prophetæ: *Ducem, & Præceptorem gentibus.* Pater namque æternus dedit navit eum ut esset Dux, & Magister hominum. Verùm re altiùs considerata, invenio etiam sanctum Iacobum utroque persungi officio, & Christum destinasse illum in Hispaniam, ut esset Dux, & Præceptor illius, quemadmodùm Deus Pater Christum misit, ut esset Magister, & Dux totius Ecclesiæ: neque, meo judicio, est minimum elogium sancti Iacobi, in hoc Christo assimilari. Circa mysticum illud animal Ezechielis, quod vehebat currum gloriæ Dei, ponderant sacri Interpretes, juxtà testimonium sacræ Scripturæ, illud habuisse vultum seu faciem Cherubim: *Facies una facies cherub.* Et enucleans doctus quidam Commentator Apocalypseos, significationem hujus vocabuli *Cherub*, asserit illud secundùm Biblia Regia, & Vaticana, duo denotare: *Alteram invenies ex Bibliis Regiis, Cherub, quasi pugnans altera ex Vaticanis sic sonat, Cherub, quasi Magister,* ad denotandum, quòd maximi sit momenti, unum, & eumdem esse Magistrum, qui doceat, & Ducem belli, qui acriter pugnet, ut gloriosa consequatur trophæa, & illustres adipiscatur triumphos. Et quia Deus non minus est sapiens, quàm fortis, ideò vincit, debellat, & prosternit inimicos suos. Nonnè videris, qualiter sanctus Apostolus Iacobus specimen quoddam præbeat divinitatis, uno, eodemque tempore, & Magister scholarum Hispaniæ, & supremus Dux bellorum ejus existens? ut veluti Magister eam instruat, & tamquàm Dux eam defendat, doceat ut prædicator, & ut tutelaris coryphæus eam protegat, & conservat.

Isaia. 55. v. 4.

Ezech. 10. v. 14.

Alcazar. in annot. c. 7 Apoc.

Opera

2. Operosè consideravit Abulensis positionem illius Cherubim ad portam Paradisi, qui districto ense, flammeo atque versatili gladio custodiebat ingressum ad arborem vitæ. Ecquid Cherubim animatus gladio (Res sanè nova! Quod Seraphim totus amor animetur ad tractandum arma, vel quod potestas, aut dominatio ad arma convolet, non tantopere mirandum; quia nomini fortitudinis & animositatis rectè quadrant instrumenta bellica, ast quod Cherubim, qui totus est scientia, militem agat? Non capio, nec intelligo. Siste gradum, inquit Tostatus, pulchrè hæc duo componuntur, si duo tamquàm indubitata supponantur, primò, videlicet, fidem, esse arborem vitæ plantatam in paradiso Ecclesiæ, juxta testimonium Sancti Ioannis: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Secundò duplicis generis esse hostes, seu inimicos Ecclesiæ, quorum primi impugnant illam scriptis, alii autem aperto Marte armis eam offendunt, & violant, hæretici calamo, & pertinaces refractarii ferro eam lacessunt. Ambobus igitur sese opposuit unus Cherubim, ut doctrina sua nos instruat & fortitudine sua defendat, per doctrinam dissipet errores, & per arma pertinaciam convincat: *Voluit Deus*, inquit Abulensis, *custodire lignum vitæ & portam Paradisi à dæmonibus & hominibus*; ipsi etiam hæretici dæmones appellantur, quia diabolum uti patrem suum agnoscunt: *Vos ex patre diabolo estis.* Dum video ad portam Paradisi excubantem, in ipso meditullio Galæciæ sepulchrum sancti Iacobi divinam collaudo providentiam, & videor novum Cherubim ad portam Paradisi oculis meis obijci. Esto secura, o fœlix Hispania quia fortissimum habes Cherubim protectorem. Doctrinam ejus requiris? attende scientiam, fortitudinem desideras? respice arma. Ne timeas igitur, quia contrà hæreticos, præsto tibi est ejus calamus, & contra rebelles, seu obstinatos, bellica ejus virtus tibi offertur. ipse etenim Sanctus Iacobus ad modum Christi utrumque combinat, videlicet & Ducis, & Magistri munus & officium.

Gen. 4. *Ioan. 17. v. 3.* *Abulens. hic.* *Ioann. 8. v. 44.*

3. Narrat sacer Chronicus Ioannes, quod Redemptor noster intrans Templum, & inveniens illud usuris, & illicitis commerciis prophanatum, zelo divini honoris extimulatus, fecerit flagellum ex funiculis, ejeceritque omnes vendentes & ementes, eos acriter redarguens sacrilegii, & impietatis, quia domum Dei fecissent domum negotiationis: *Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, &c.* *Et his, qui vendebant columbas dixit: Auferte ista hinc. & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Eruditè satis expendit Sanctus Cyrillus has duas Christi actiones, & animadvertens, quòd uno, eodemque tempore eos corripiat. & doceat, conjungens reprehensionem flagello, in hæc disertissima effatur verba: *Sicut Dominus imperat, & sicut Doctor ad æquum, & justum hortatur.* Duo hic obivit officia Salvator, ut Dominus mandavit, & severè punivit, & ut Magister docuit eos reverentiam debitam ergà domum Dei. Sequens ergò vestigia Christi, idem præstat nobis S. Iacobus, quamvis diverso tempore, & circa distinctas personas: Veluti Magister annuntiavit fidem, eamque propagavit, Hermogenem, & Philetum vaferrimos magos, & incantatores fidei veritate imbuit, hæreticos vicit, plures Discipulos instruxit, quos meritò Apostolos Hispaniæ nuncupamus: & quis illius, ut Ducis, præclara facinora, & heroica certamina enumeret? ipse enim pluries Hispanos animavit, & suo patrocinio celeberrimas victorias ipsis obtinuit, & quamquàm natio Hispanica indole, & natura sua sit pugnacissima, protectione tamen sancti Iacobi toti mundo facta est terribilis, & formidanda.

Ioan. 2. v. 15. *D. Cyrill. hic.*

4. Et quamvis maxima gloria, & decus Hispaniæ sit, sanctum Iacobum habere Patronum, & Ducem, est tamen etiam quoddam præmium accidentale ipsius Sancti esse Principem militiæ Hispanicæ, in qua tam egregiè fides Iesu Christi, & vera religio intacta conservatur: Et si exploratum, certumque sit Deum, priusquàm officia commendet, merita commensurare, nisi jam dudum sibi perspectam habuisset virilem sancti Iacobi fortitudinem, & intrepidi pectoris constantiam, nullatenùs ei supremam militiæ Provinciam demandasset. Permagni Deo interest ut Hispania victrix evadat, quia cùm in illa jam fides radices egerit, jam ad æstimationem, & honorem Dei pertinet, tueri partes nostras; quapropter cùm Deus quodammodò sit devinctus, & omnem curam commiserit sancto Iacobo, procul dubio jam pridem habuit experientiam animosi pectoris, & invictæ fortitudinis illius, dum illi totius exercitus regimen, & habenas commendavit. Ea propter audeo dicere, sanctum Iacobum cæteros

teros omnes animi robore, & generositate excedere, & primas ferre absque æquali, etiamsi supremum Ecclesiæ caput, Petrus reliquis annumeretur. Singulari adnotatione dignum est, quòd Deus committens arbitrio Petri totum regimen Ecclesiæ, illi tamen nequaquam rem militarem confiderit, nam ipse revera non minùs doctè novit libros revolvere, quàm dexterè arma tractare. Rectè memini ipsum quadam nocte in defensionem Magistri sui evaginasse gladium, & licet undique ab hostibus esset obsessus, eorum impetus elusit, & unius auriculam amputavit, & ei vitam abstulisset, nisi mandatum Christi prohibentis intercessisset. Securè ergò, Domine, potes committere ejus animositati universale tam doctrinæ, quàm militiæ gubernaculum, quia non solum novit edere tam præclaram tuæ divinitatis confessionem, sed etiam re armis tueri, eique concedere, & imperium militare, & tiaram Pontificiam, in ipsius enim fortitudine, & doctrina, sita erit instructio, & victoria. Ast non ita egit Christus, sed duo hæc munia inter Petrum, & Iacobum partitus est, ad exemplum Mathathiæ qui hæc duo inter Simonem, & Iudam filios suos distribuit Appropinquans enim ad extremum vitæ terminum, vocavit hos duos filios suos, dixitque eis: *Ecce Simon frater vester, scio, quòd vir consilii est, ipsum audite, ipse erit vobis pater*, id est, Filii mei, reverentiam exhibete Simoni, tamquàm Patri, & non veluti fratri, attendite ejus doctrinam, quia meritò ejus consiliis acquiescere potestis, & auscultate ejus in rebus gerendis prudentiæ: verùm convertens sermonem ad Iudam dixit: *Iudas fortis viribus à juventute sua, sit vobis Princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.* Sit Iudas archistrategus, & supremus militiæ præfectus; quia ipse ab incunabilis vitæ pollet viribus, *à juventute sua*. Idem omninò fit inter Simonem Petrum, & Iacobum. Bipertiantur, inquit Christus, jurisdictiones Ecclesiæ, doceat eam Petrus, & armis eam propugnat sanctus Iacobus. Simon propter eminentiam confessionis suæ, primam occupet dignitatem; & Iacobus propter intrepidum animi robur. Non est Petrus aptus belli Dux, aut miles, quamquàm enim dexterè noverit se armis tueri, novit tamen etiam Magistrum suum negare, & ad vocem ancillæ ostiariæ vacillavit ejus constantia; & ad subeundam mortem, necessè fuit Christum descendere, & verbis suis ei transitum asserere. Ne, ergò ipse sit ductor militum; cùm enim ab eo dependeat animositas gregariorum militum, ipso stratego animi imbecillitate laborante, facili negotio tota periclitatur victoria: porrò sanctus Iacobus, qui generosa audacia non exhorruit mortem subire, neque expavit bibere calicem passionis, sibi à Domino propinatum, quem solummodò videns ipsemet Salvator contremuit, verè idoneus est ad supremum militiæ imperium adeundum: *Esto Princeps militiæ.* Dentur, igitur Petro claves, ast Sancto Iacobo armorum Provincia commendetur; quia in fortitudine unius, & magisterio alterius, nititur securitas fidei, & totius Hispaniæ defensio, & tutela.

Matth. 26.

1. Machab. 2. v. 65.

ibid. v. 66.

5. Ita planè res se habet. Vndè existimatis Leoni Hispaniæ tantam inesse fortitudinem? Vndè, quæso? Accipite Pierium ita ex Plinio disserentem: *Leo solidis omninò ossibus constat, & inde accrescit ei furor, eò quòd medulla Leoni nulla, vel perexigua est.* Nostis animosum Leonis robur, superbam illam jubæ erectionem, feros ungues, generosum incessum, terribilem rugitum, oculorum ejus vim, & imperium super cætera animantia; unde quæso, tanta, tamque generosa animositatis argumenta? Scitote, hæc omnia ex soliditate ossium ejus originem trahere. O Leo Hispaniæ! in quo fundatur robur tuum nisi in sancto Iacobo, ejusque ossibus? Soliditas materiæ ejus est radix tuæ fortitudinis. Coronetur Leo tamquàm Princeps animalium, & Hispania velut Regina Nationum, & tandem aliquando notum fiat omnibus, quod sicut robur Leonis in ossibus, sic fortitudo Hispaniæ in reliquiis sancti Iacobi fundatur.

Pierius lib. 1. c. de Leon.

6. Et hoc adeò verum est, ut solum nomen sancti Iacobi extenuet, & frangat vires hostium, & victoriam reportet etiam prælio nondum inito, aut inchoato, imò, quod majus est, magis terribile videtur in bello nomen sancti Iacobi, quàm ipsius Dei. In celebri illa pugna contra Madianitas, fortissimus Dux populi Gedeon præcepit suis, ut ad primum castrorum congressum, ubi tubæ classicũ canere inciperent statim elatis clamoribus, & alta voce perstreperent: *Conclamate. Domino, & Gedeoni.* Doctissimus Abulensis examinans hæc verba, reperit difficul.

Iudic. 7. v. 18.

difficultatem in hac nominis Dei & Gedeonis combinatione, videtur enim quodlibet seorsim sumptum sufficiens. dato igitur, quod alterutrum sit omittendum, intermittatur nomẽ Gedeonis, quia pårvam sonat fiduciam in nomine Dei, illi aliud adjungere, & qui audiverit ambo simul, poterit perperam suspicari & judicare necessariò esse adjungendum nomen Gedeonis. Verùm ingeniosè occurrit dubitationi insignissimus ille Abulensium Antistes, dicens nullatenùs esse timendum, quia Gedeon tantũ sibi nomen & famam armis conciliaverat, ut in prælus, potius nomine suo quàm gladio aut ferro fuerit hostibus terrori. & quia nomen Dei non erat ita cunctis cognitum, forrasse non fuisset tanto respectu & tremore auditum, & acceptum: ideòque conclamabant Gedeoni in pugna, ut certiorem sibi facerent victoriam: *Hoc factum est ad hoc, ut cognosceretur dux exercitus, nam interdum quidam sunt terribiles hostibus, quorum nomine audito pavescunt, quos nominare in bello bonum est.* Incredibilem simul & immortalem Gedeon jam consecutus erat famam, & hostes propter notitiam illius somnii magnum conceperãt timorem de illius persona, & ea propter præcepit suis, ut unà cum nomine Dei suum inclamarent, & audientes Gedeonem esse Ducem, timore commoverentur, & omnem victoriæ spem amittentes, ad præliũ nequaquàm congrederentur. Invocent igitur Hispani sanctum Iacobum in conflictibus & pugnis suis quia plures ad vocabulum Sancti Iacobi quàm ferro & ense perimuntur: quàmvis enim nomen Dei sit reverà potentius & efficacius apud infideles, non tamen tanti in apprehensione æstimatur. Crebris vicibus videtunt Apostolum nostrum in aere apparentem, lucidis armis digladiantem contra hostes, qua propter efficacior est una invocatio sancti Iacobi, quàm copiosus militum exercitus.

Abulens. hic q. 24.

7. Coronidem huic concioni imponet acutissima quædam nostri Cardinalis Cajetani meditatio, & firmiter mihi persuadeo, hunc S. Apostolum esse adeo intimum & benevolũ Patronum Hispaniæ, ut quamvis multas consequatur victorias, plures tamen semper, & majores illi exoptet, & si in æterna beatitudine daretur locus tristitiæ aut dolori, contristaretur ipse quia arma Hispanica non semper fœlici, & prospero gaudent eventu. Perpulchrè adnotavit acutissimus noster Cardinalis, Eliseum fuisse Patronum Israëlis, uti modo sanctus Iacobus Hispaniæ Patronus habetur. Et rex Ioas cupidus victoriæ reportandæ ab Assyriis, consilia cordis sui Prophetæ Eliseo patefecit. Animavit eum Eliseus ad pugnam, mandavitque ei ut jaculo percuteret terram, quia futurum esset, ut quoties sagittâ solum percuteret, toties hostem superaret. Paruit Rex mandato Prophetæ, & tertiò percutiens terram, supersedit. Indignatus Eliseus, & sancto quodam zelo permotus dixit illi: *Si percussisses quinquies, aut sexies sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Ac si dixisset: Nonne tibi tradidi potestatem vincendi inimicos tuos, & trina tantummodò victoria es contentus? si usque septies percussisses totam Syriam funditùs delevisses; non meæ protectioni, sed ignaviæ tuæ adscribendus est omnimodæ victoriæ defectus. Ecce, inquit Cajetanus, quomodo Eliseus amaro fert animo imbellem pusillanimitatem Regis qui paucis contentus fuerat victoriis. Ast non admiror, quia Patronus erat Israëlis, & uti talis dolebat non meliorem fuisse fortunam suorũ clientum: *Ægrè ferens minorem futuram esse victoriam.* Quis dubitet, quin ægerrimo ferret animo sanctus Iacobus infortunatas belli aleas exercituum Hispaniæ, cum illorum sit electus patronus & perpetuus defensor? Nullatenùs ambigendum est de ipsius patrocinio, quod si pauciores obtineantur victoriæ, non ipsius inertiæ aut negligentiæ, sed peccatis nostris est attribuendum: hæc impediamus, & secundos consequemur bellorum eventus. Et tu, ô gloriose Sancte, quia es Magister & supremus Dux Hispaniæ, Doctor ad instruendam illam, & Dux militiæ ad defendendam eam, corrobora utrãque militiam spiritualem quidem doctrina tua, & temporalem gladio & ense tuo; hauriat ex te nobilis animositatem, imitetur miles tuam generositatem, proficiant justi tuo exemplo, & mali tuo patrocinio sanentur & convalescant. Succurre necessitati & ægritudini bellorum, medere malis animæ nostræ, asseveret nobis robur brachii tui victoriam, & efficacia intercessionis tuæ gratiam, quæ est pignus æternæ gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.*

4. Reg. 13. v. 19.

Caietã. hic.

TRA-

TRACTATUS XXI.

IN FESTO


Gloriosi Patriarchæ

Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Patris nostri.

SANCTI DOMINICI DE GVZMAN.

Vos estis lux mundi.

Matth. cap. 5.



Elebrat hodierno die Sancta Mater Ecclesia communi applausu Festum magni Patriarchæ, & Fundatoris illustrissimi Ordinis Fratrũ Prædicatorum, sancti Dominici de Guzman Patris nostri, dedicat consecratque festiva solemnia Seraphim humano, homini divino, gloriæ Regni Hispaniæ, & splendidissimo mundi totius decori, fortissimo Ecclesiæ Athlanti, & Fidei acerrimo propugnatori ex quibus liquidò constat ipsum præ cæteris Sanctis esse charissimum Deo, omnium Sanctorum coronæ & gloriæ. Dura quidem propositio, ut videtur, non tamen adeò exotica, paradoxa & malè fundata sicuti sonat. Singularis est observatio Eruditissimi Lusitani Oleastri ad rem propositam. Sanctus Moyses benedicturus Benjamin filio Iacob in has prorumpit voces: *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Notate quæso *amantissimus*; datur namque amans amantior, & amantissimus in superlativo gradu, id est, cæteris amore præstans. Hic, inquit sacer Chronicus est Benjamin, ecqui dictum suum confirmat? quia habitabit in illo Deus, & dulciter inter humeros ejus requiescet. Oleaster & alii Expositores Litterales explicant hunc locum de Templo Salomonis, quod fuit sub ditione hujus Tribus ædificatum, & idcirco, ait, quod Deus requiescet in illo, quodque Templum ejus, humeros Benjamin esset habiturum pro fundamento: *Quia terra Beniamin erat ab utroque latere temili, aut templum in terra eius.* Tamquam diceret, templum illud habiturum perpetuitatem, quia Benjamin humeros suos veluti basim ei supposuit. Divinus Benjamin, insignis Patriarcha noster, humeros suos supposuit (uti constat ex visione facta summo Pontifici Innocentio Tertio) non ad sustentandum Tẽplum Salomonis, sed aliud pretiosius & augustius

Deuter. 33. v. 12.

Oleaster hic.

stius, videlicet Templum Ecclesiæ militantis, in Ecclesia sancti Ioannis Lateranensis Romana adumbratum, argumentum evidens, & manifesta probatio singularis amoris, qui Deum eum prosequebatur, cum cæteris præferens Sanctis: *Amantissimus Domini.* eumque declarans superiorem aliis, & veluti gigantem sanctitatis, in cujus comparatione reliqui pumiliones & pygmæi apparent, quia solis humeris ejus confidit pondus Ecclesiæ suæ, eumque solum reparatorem illius prædicavit, quemadmodum in discursu Sermonis latiùs prosequemur. Nihil efficere poterimus absque speciali gratiæ auxilio; jamque notum est, quàm sit cordi sacratissimæ Virgini excellentia & dignitas hujus devotissimi filii sui, quapropter hac freti fiducia audacter ei supplicare possumus, ut eam nobis impetret: *Ave Maria.*

Vos estis lux mundi.

Consideratio I.

Inter omnium Ordinum Fundatores, magno Patriarchæ Prædicatorum S. Dominico debetur primatus, ejusque Ordini propter instituti nobilitatem & professionis excellentiam competit principatus.

1. Verum exemplar hujus Evangelicæ lucis est Sol oriens cum ardore, qui in meridie exurit & inflammat orbem terrarum, juxtà Ecclesiastici testimonium, sive ille fuerit Salomō, ut censet S. Augustinus, sive doctissimus ille Hebræus, Iesus filius Sirach, uti existimat S. Epiphanius, saltem est Liber Canonicus, & à Spiritu sancto dictus, ubi disserit in hunc modum: *Sol in aspectu, annuncians in exitu, &c. in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus, quis poterit sustinere?* (Eccl. 43. v. 2. & 3.) Incipit igitur Spiritus divinus hisce verbis, teste S. Hieronymo, describere hujus mundialis machinæ pulchritudinem & excellentiam ex nascentis Solis exortu: ex cujus tenero ortu præsagit splendorem & incendium, quo in meridie terram exuret, Sol enim manè ardens, quid in meridie, nisi flammas & ignes ejaculetur? Audite, quid Ecclesia in Festo sanctissimi Patriarchæ nostri canet: *Quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in Templo Dei.* (In officio S. Domin. Continuo Sanctorale.) Quasi diceret, tam fortunata vitæ principia, tamque miranda sanctitatis crepuscula in Dominico, non nisi gloriosum exitum & finem spondent & prænunciant, si enim nascens, vel adhuc uteri materni ergastulo conclusus ita exardet, quis dubitet, quin ex illo prodiens totam exuret, & incendet terram? (Ex Ecclesiast. 50. v. 7.)

2. Attentiùs mecum recogitans alia quædam verba, quæ in officio ejus recitantur, incidi in hæc mysterio plenissima: *Ardebat quasi facula pro zelo pereuntium.* videntur enim alludere ad ea, quæ sacra Pagina de Elia Propheta recenset *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat* (Eccl. 84. v. 1.) Carpo hoc vocabulum *surrexit*. Vnde? quomodo & quando surrexit ille Propheta? aut quando incœpit tantæ lucis splendor; quando se mundo visendum exhibuit, Fateor, alii Expositores aliter nodum hujus dubii dissolvunt, ast ego inhærens vestigiis doctrinæ SS Epiphanii & Dorothei (D. Epiphan. D. Doroth.) aliam reprehendo solutionem: asserunt namq; hi sacri Doctores, quod Eliam adhuc in cunis vagientem, splendidi quidam viri, nimirùm Angeli, niveum præ se ferentes habitum, pusionem salutaverint, matrisque quasi uberibus in ignem allueriut, imò & flammam ignis cibi loco ministraverint, qua rei novitate obstupefactus Pater Ierosolymis summum Oraculum nempe summum Sacerdotem consuluit, ut tam inauditæ visionis mysterium pandeset, & revelaret, respondit que ei Oraculum, infantem illum igneis panniculis ita ab Angelis involutum, fervidum & igneum contra hostes Dei zelatorem futurum, ita ut stupenda illa nascentis Eliæ primordia, quis quantusque jam grandævus esset futurus prænuntiarent. Somniat gravida mater Sancti Patris nostri Dominici, atque sibi visa est continere in alvo catulum, qui facem ore præferens totum terrarum orbem incenderet: *Ore portans faculam, quæ totum mundum incenderet* Nonne hoc est igne pasci & foveri? nonne hoc est futuræ sanctitatis indicium, & quod labentibus annis erit doctrinæ & zeli incendium, quo mundum pietate inflammabit, & zeli flammis exuret? Neque hæc tantummodo pia conjectura reputanda est, sed expressa revelatio, qua mater ejus novemdialibus intenta precibus, & vigiliis opem Sancti Dominici exsiliensis vulgò *Silos* implorans, fuit divinitùs donata: per speciem enim vidit Sanctum Abbatem Dominicum de

Silos qui benignioris partus jubeat eam esse certiorem, somniumque, ut retulimus, explicat, additque filium quem paritura erat futurum lumen & lucem mundi, & universum terrarum orbem igne charitatis incensurum, & exusturum, & quod Deus eum non sibi, sed multorum saluti creasset: in quo maximè amoris Christiani fervor elucet.

3. Redeamus iterum ad verba priùs relata: *Quasi Sol refulgens*, quia plus significant, quàm sonent: non enim meo quidem judicio, tam de Sole materiali, quem oculis nostris quotidiè cernimus, quam de Sole justitiæ Christo sunt interpretanda de hoc namque vaticinatus est Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitia, & sanitas in pennis ejus.* Solem justitiæ appellat Malachias Verbum incarnatum, & quamquam sacri Interpretes varient in expositione eorumdem verborum, maximè tamen mihi arridet docta Sancti Ambrosij explanatio, cujus hæ sunt voces: *Magnus justitia splendor, qui aliis potiùs nascitur, quam sibi communitatem, & societatem nostram adjuvat.* Meritò comparatur Soli Salvator noster, quia est bonum commune omnibus & singulis suam communicat virtutem, radiosque suæ lucis, & ingenitæ misericordiæ suæ sinum cunctis largiter aderit & expandit; imò semetipsum omnibus communem & familiarem exhibet, & donat. Talem prædicat S. Ecclesia nostrum gloriosum Patriarcham Dominicum: *Quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in Templo Dei.* Est Dominicus alter Christus in terris, quemadmodùm enim hic tamquàm primordialis, & fontana lux Apostolos suos lucem fecit secundam & participatam: *Vos estis lux mundi.* non secùs Patriarcha noster instituit Ordinem, cujus alumni forent præclara mundi lumina, ipsa S. Matre Ecclesia attestante: *Unde tanta mundi lumina in Ecclesia promanarunt.* Ministerium siquidem Evangelicæ prædicationis, quod Servator noster per semetipsum, suosque Apostolos exercuit, sanctissimus Patriarcha Dominicus, per se suamque sacram Familiam graviter est prosecutus: ideòque Summi Pontifices ejus Ordini & non alteri, illustre nomen & titulum Prædicatorum indiderunt, neque hoc mirum, cùm è cœlis illud insigne nomen jam dudum fuisset divinitus dispositum & ordinatum, uti circumstantiæ, & ritus liquidò attestantur, quibus

Malach. 4. v. 2.

D. Amb. in lib. de officiis.

Ecclesiæ Principes Sancti Petrus & Paulus cum Patriarcham Ordinis Prædicatorum inaugurarunt.

4. Petrus quidem baculum seu scipionem, Paulus verò librum ei porrigentes, ambo dixerunt, eique annuntiarunt. *Vade & prædica, quia ad hoc ministerium electus es à Domino*, hoc est, quod officium illius, & fratrum seu filiorum ejus foret prædicare, quasi ordo illius ad hoc singulariter à Deo esset conditus & electus, neque aliam ob causam Gregorius IX. indigitans Dominicum Pastorem, aliisque eum encomiis exornans in hæc effatur verba: *Dominicus Pastor, & Dux inclytus in Dei populo factus, novum Prædicatorum Ordinem instituit.* Si igitur S. Dominicus est Pastor & Dux populi Dei, necessè est omnes fideles, qualiscumque fuerint conditionis, illi, ut Duci milites, ut Pastori oves subjici & subordinari. Ex quibus verificatur, & dilucidè comprobatur veritas tituli considerationis propositæ, nimirùm quod inter omnium Ordinum Fundatores illi debeatur primatus, ejusque Ordini inter reliquas Religiones competat principatus: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Fatetur Christus per os Regii Vatis se Regem à Patre æterno constitutum, regnumque suum explicat hisce verbis: *Prædicans præceptum ejus*, id est, fungor munere prædicatoris mandatorum ejus, mirantur summoperè sacrarum Litterarum Interpretes miraculosam illam connexionem, qua Regius Propheta Regnum & prædicationem Salvatoris componit & conjungit, prima etenim fronte videntur vix combinari posse, hæc duo, regnare & prædicare, attamen doctus Incognitus facili negotio ad rē nostram nodum dubitationis dissolvit. *Hic ponitur Christi Regis gloriosa sublimatio*, ac si diceret: his duobus verbis complexus est David omnem Christi honorem, & sublimē ejus gloriam. Non capio mysterium, nonne alia præclariora facinora, aliæque actiones heroicæ magis Christum sublimarent, & illustriorem redderent. Cætera cum prædicatione Salvatoris collata vilescunt, & flocci penduntur, quapropter etiam Pater æternus ea negligere videtur, & majoris facere ejus prædicationem, quàm reliquas res ejus præclarè gestas, & tantummodò eum extollit laudibus, quia videt insignem prædicatorem, eoque titulo & munere ipsum, ut

In Bulla Canonizationis.

Psalm. 2. v. 6.

Incognitus hic.

Filium

Ibid. v. 7. Filium lætus agnoscit, ideòque gaudens ei apprecatur: *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Dum videt eum strenuam operam prædicationi navantem, tamque illustri exercitio vacantem, quale esse magistrum & Coryphæũ Prædicatorum, tunc ipsum plenis buccis Filium suum pronuntiat & depræ dicat.

5. D. Antonin. in vita S. Cathar. Audite celebrem illam visionem sanctæ Catharinæ Senensis, quam illa revelavit confessario suo, & refert S. Antoninus hisce fermè verbis. Vidit illa in imaginaria quadam visione summum & æternum Patrem de ore suo coæternum sibi Filium producentem, & ex alio latere beatissimum Patriarcham Dominicum, ex ejusdem Patris pectore prodeuntem, & admirāti sacræ Virgini tam inauditum spectaculum, respondit Pater æternus, hi, quos vides, ambo sunt filii mei, unus naturalis, & alius adoptivus, unus velut verbum ex ore meo nascitur, & alter putà Dominicus tamquàm corculum meum insidet pectori meo, quod amori & zelo est jure debitum, quo ipse, ejusque filii & alumni evangelizant Verbum meum, meque toti mundo notum & manifestum reddunt; in corde illos foveo, semperque eos tamquàm eximios honoris mei zelatores & præcones gloriæ meæ protegam, & tuebor, tamquàm apertiùs diceret, propter illustre munus Evangelicæ prædicationis filios, una & parentem veluti filios meos peculiariter amabo, Christo Filio meo propter prædicationis institutum simillimos: quo pacto eos cæterorum Ordinum Religiosis, eorumque Fundatoribus præstantiores & superiores commonstravit Sanctus Paulus ad probandum Hebræis, Christum fuisse incomparabiliter majorem & excellentiorem Moyse, quemadmopum egregiè adnotavit Angelicus noster Doctor, hoc usus est argumento: *Moyses quidem fidelis erat in* Hebr. 3. v. 5. *tota domo ejus, tamquam famulus, Christus verò tamquam filius in domo quæ sumus nos.* D. Thom. hic. Insignis & eminens fuit Moyses, tam intimus & charus Deo, ut illum ore ad os alloqueretur: Exod. 33. v. 11. *Sicut solet homo ad amicum suum* Tam familiaris in domo ejus, ut cuncta arbitrio suo regeret disponeret & gubernaret, tam potens in patrandis miraculis & portentis, ad affligendum Pharaonem, ut illius in terris Deus haberetur: Exod. 7. v. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis,* omnis tamen hæc dignitatis excellentia . neutiquàm dignitatem famuli excessit, secùs tamen Christus: *Tamquàm filius in domo sua*, ita ut quemadmodum Dominus excedit famulum, ita etiam Christus amplioris gloriæ præ Moyse dignus est, ipsumque longissimè superat & antecellit: efficacissimum sanè argumentum ad scopum instituti nostri comprobandum. Reliqui Sancti sive in cœlis commorantes, sive in terris peregrinantes, ecquam dignitatem habuerunt in domo Dei? quem locum occuparunt, aut quo nomine fuerunt insigniti? Eodem prorsùs, quo Moyses, videlicet appellatione famuli. Vultis videre unum cæteris omni exceptione majorem? audite Sanctum Paulum Ecclesiæ decus, Corinthiis ita scribentem: *Sic* 1. Cor. 4. v. 1. *nos existimet homo ut ministros Christi.* Premite quæso, ly *sic*, vult se suosque collegas & coapostolos tamquàm ministros domus Dei æstimari, neque ullo majori dignitatis titulo condecorari: *Sic nos existimet* nullus audeat quidquam altius de nobis concipere, quam quod simus ministri & famuli Dei, *ministros Christi.* Ecquid dico? mente cœlorum intima penetremus, ipsosque supremos Seraphim, qui ab ipso primæ creationis suæ instanti perpetuo amore incensi flagrant, attentius contemplemur, & auscultemus, quam eis excellentiæ prærogativam adscribat Sanctus Doctor Gentium Paulus: *Omnes*, inquit, *sunt admini-* Hebr. 1. v. 14. *stratorii spiritus.* Nullum excipit, omnes comprehendit, & Sanctus quo privilegio gaudet in domo Dei, ipsemet Dominus declarat dilectissimæ filiæ suæ Catharinæ, Dominicum esse filium cordis sui, cæteri Sancti sunt famuli & ministri, Dominicus autem est filius, elogium profectò tam sublime & excellens, ut nulli alteri noverim simile fuisse concessum: quapropter nullos cum ipso aut sacro ejus Ordine, ita Deo disponente conferri aut comparari valet

7. Nemo inquam hoc singulare prædicationis donum illis invidere potest, ita loquor, ne modestiæ limites excedam, quia non sum genii, aut conditionis eorum, qui omnia sibi arrogare præsumunt. Omnibus quidem abundanter favet Deus, & singuli Patriarchæ eorumque sacri Ordines singularibus dotantur prærogativis, quibus unus Ordo alterum excedit, unus hac, alter illa eminet excellentia, ita ut singuli suis gaudeant beneficiorum privilegiis; constanter tamen assero, donum & gratiam prædicationis, cujus scopus, finis & objectum est bonum proximi, & salus animarum Sancto Dominico, ejusque Ordini

dini ab ipsis incunabulis concessum, ejusdem institutum super cæteros mirificè commendare, & extollere Insignem, & egregium quemdam locum adnotavi in Isaia Propheta, qui hujusce veritatis mysticum videtur fuisse vaticinium. *Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion.* Magnus Ecclesiæ Doctor sanctus Hieronymus legit juxtà Textum Græcum: *Tu quæ Evangelizas Sion:* id est, tu prædicatrix ascende supra montem, &c. sed ecquæ est ista, quam Evangelicus Vates adhortatur? an forsitan etiam mulieres prædicatorum funguntur munere? Nequaquàm profectò, quia nec sanctus Paulus illis permittit docere, neque Ecclesia tam sublime officium illis consentit; igitur familiam, aut communitatem aliquam alloquitur? hoc mihi firmiter persuadeo, quia loquitur illi, quæ ex instituto suo gaudet, & fungitur prædicationis officio. Accipite nunc S. Hieronymum ingeniosè hunc locum in sensu morali enucleantem: *Mirum, cùm ipsa Sion mons sit, super alium altiorem montem jubetur ascendere;* monetur familia illa prædicatrix super alium excelsiorem montem conscendere, ut inferiores montes, in comparatione illius, humillimæ valles esse videantur; omnes quidem Religiones sunt montes perfectionis, sed prædicatrix super illas in altiori monte residens, ut Magistra discipulis, prælucet, & antecellit.

Isaia. 40. v. 9.

Lect. Græca.

D. Hieron. hic.

7. Plurimùm torsit ingenia sacrorum Expositorum visio viginti quatuor seniorum, quos vidit sanctus Ioannes in sua Apocalypsi, stantes juxta thronum Dei, omnes candidis indutos vestibus, & coronis redimitos, &c. *Et in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores, circumamicti vestibus albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ, &c. Et mittebant coronas suas ante thronum.* Et hæc exponens eminentissimus noster Cardinalis Hugo, ita disserit: *Scilicet, quas de Diabolo, & peccato per ipsum obtinuerant: ipsi attribuendo, & quidquid boni habent ad ipsum retorquendo.* Qua actione omnes victorias, quas per illum de mundo, carne, & dæmone, reportaverant, illi attribuebant, & omnes coronas, & bonorum omnium perfectiones, quibus animæ eorum erant cumulatæ, in ipsum referebant, ad instar fluminum, quæ acceptam aquarum abundantiam, refluentia in mare veluti scaturiginem refundunt. Vndè Andreas Cretensis hæc subjungit: *Tu Domine coronarum victoriæ Author, & subministrator fuisti.* Verùm omnis huiusce Textus difficultas consistit in examinando, qui, qualesve fuerint seniores illi, qui coram Rege cœlorum, veluti familiares, & domestici eius tam propinquè assistebant. Variant, uti diximus, sicut Interpretes, & quisque suam sequitur opinionem, & sententiam. Modernus quidam Commentator, sed doctus, voluit per hos viginti quatuor seniores, omnes Magistros, & Prædicatores sacri Ordinis Patriarchæ Dominici, esse adumbratos. & hi, inquit, sunt Magnates aulæ cœlestis, qui iugiter throno summi Regis viciniores assistunt: *Et quis enim non concinnè, & argutè illum fuisse locutum putet, qui dixerit Magistros in Theologia ex familia S. Dominici, esse illius Reipublicæ viginti quatuor viros?* Sive, igitur, locus ille de triumphante, sive militante intelligatur Ecclesia, semper eius expositio manifestè assumptum nostrum confirmat, nam concedit, & defert sacræ Religioni nostræ in cœlis primatum, & in terris principatum, quia teste Angelico nostro Doctore S. Thoma: *Hierarchia Ecclesiastica exemplatur à cœlesti,* id est, regimen Ecclesiasticum, a regimine cœlesti speciē, & normam desumit, ac proinde Patriarchæ nostro S. Dominico, eiusq; sacræ Religioni, & in cœlis, & in terris primatus, & eminentia debetur.

Apoc. 4. v. 4. & 5.

Hugo Card. hic

Andreas Cretens.

Alcazar in Apoc. c. 4. ann not. 5.

D. Thom. 1. p. q. 108. art. 4. in 3. argum.

Et si quis hisce dictis nondum acquiescere velit, inveniet ipsummet Deum supremum vindicem in extremo judicio, certissimū huic veritati testimonium perhibentem, ubi, justè judicans, & singulorum exactam, requirens rationem, iustis præmia & reprobis pœnas, seu supplicia reddere volens, tamquam obsequii, præstitis mercedē tam gratas remunerat opera misericordiæ, pauperibus exhibita, quasi illa sola sibi placerent, & tanti æstimat hanc virtutem, ut cæteras omnes flocci pendere videatur. Ad hunc modum communiter exponunt S. Patres verba illa supremi Iudicis per Matthæum relata: *Esurivi, & dedistis mihi manducare, &c.* in quibus tantummodò operū misericordiæ mentionem facit. Dicet quispiam rectè ex hac doctrina inferri excellentiam charitatis super cæteras virtutes; attamen, quòd nequaquam ex illa convincatur eminentia Evangelicæ prædicationis. At satis ingeniosè huic obiectioni respondet doctissimus Cardinalis Vitriacus, nimirum, consideratis singulis operibus charitatis, omnia in ipsa prædicatione

Matth. 25. v. 35.

tione contineri, & includi: *Non solùm autem pane spirituali pa cit esurientem, qui Verbum Dei prædicando populum docet, sed omnia miseri cordiæ opera spiritualiter adimplet.* Et discurrēs per singula, evidentibus sacræ Scripturæ testimoniis conceptū suū corroborat, & confirmat. Quia prædicator, ait præfatus Cardinalis, pascit esurientem, & porrigit potum sitienti, vestit nudum, excipit hospitio peregrinū, consolatur infirmum, eiusq; ægritudini medetur, & denique visitat captivum. Pascit esurientem, quia, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Dat potum sitienti, quia secundùm phrasim sacræ Scripturæ, Verbum Dei aquæ, & lacti non incongruè assimilatur: *Lac potum vobis dedi, bibite charissimi.* Vestit nudum, ecquis enim magis denudatus, quàm ille, qui per peccatum nuptialem vestem charitatis amisit? *Cum videbis nudum, operi eum.* Peregrinum hospitio suscipit, quia divinum, & errantem ad caulas gregis Christi solicito labore reducit: Erravi sicut ovis, quæ periit. Solatur, & animat infirmum, quia dulcore verbi Dei mitigat dolorem cordis eius, vox est Ecclesiastici: *Non desis plorantibus in consolatione.* Et tandem visitat captivos, quos culpa in tetro dæmonis ergastulo, peccatorum compedibus constrictos tenet, quod bellè Evangelicus prædixit Vates: *Vt prædicarē captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* Rectè igitur affirmat Doctus Cardinalis prædicationem Euangelicam esse quasi omnium operum charitatis breve compendium: Ex quibus luculenter deducitur, institutum Ordinis Fratrum Prædicatorum reliquarum Religionum instituta longè superare meritis, & dignitate excedere.

Vitriac. Serm. Feria 4. post Penthec.

Matth. 4. u. 4.

1. Cor. 3. u. 2.

Isaia 58. u. 7.

Isaia 61. u. 2.

9. Ad cuius rei confirmationem apprimè serviet nobis celebris illa revelatio, in fœlicissimo sanctissimi Patris nostri transitu ad gloriam æternæ beatitudinis visibiliter ostenta, secundùm declarationem Sancti Vincentii Ferrerii Ordinis nostri, eam commemorantis. Visum est namque cœlum rescindi, indeque duas scalas ad terram usque dimitti: harum alterum cacumen Christus, alterum Virgo Mater tenebat, in medio earum parte ima sedes pretiosissima, in qua gloriosus Patriarcha noster, aureo diademate redimitus cœlos, conscendebat: Quæ omnia ingenio suo premens S. Vincentius, asserit hisce indiciis non solùm tanti Patris gloriam fuisse probatam, sed etiam filiorum eius in terris remanentium animos mirabiliter confirmatos: *Quòd Religio Prædicatorum, non solùm per unam scalam, vitæ scilicet contemplativæ mittit fratres, sed etiam per aliam, scilicet, activæ.* Tamquàm diceret, Religiosi aliorum Ordinum per unam scalam cœlos petunt, hi per contemplativam, illi per activam vitam, porrò filii, & fratres S. Dominici per duas, nimirum per contemplativam, meditando, & per activam contemplata aliis tradendo, conscendunt. Ingeniosè excogitatū! ast ego, salva venia tanti Doctoris, ad cœlos rescissos, & apertè reseratos ad recipiendum ingredientem sanctū Dominicum oculos converto: *Visum est rescindi cœlos, indeque duas candidissimas scalas, atque fulgentes submitti.* Si ad excellentem magnitudinem Dominici in hac mortali vita peregrinantis, recurrerimus, ipsum quibusdam beatorum dotibus fuisse exornatum comperiemus. Faventiæ perhumaniter, & benevolè ab Episcopo exceptus hospitio, cùm ad statas noctis horas persolvendum semper surgere solitus esset, surrexit ipse una cum socio, & obseratis foribus exiverunt domo, & à duobus Angelis, funali, seu tedâ accensâ ad S. Ambrosii ædem deducti, mox redierunt. Verùm occurrit illicò ratio dubitandi, si in corpore mortali adhuc existens, fores Ecclesiæ seris obfirmatas penetrat sanctus Patriarcha, quarè ut gloriosus cœlos pertranseat, hi rescinduntur, aut reserantur, qui cuilibet corpori beatorum sese pervios præbent, & singulis liberum ad tum patefaciunt? Vt huius obiectionis difficultatem enodemus, revocanda est in memoriam ingens multitudo fideliū, quos ad veram fidem convertit, centum enim millia hæreticorum Albigensium à vera religione aberrantium, ad gremium Ecclesiæ reduxit neque prætereunda est, aut silentio involvenda expositio S. Ambrosij ad illa verba Psalmistæ: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales,* quæ iuxta mentē S. Ambrosii, & aliorum eum sequentium exponenda sunt de admirabili Ascensione Salvatoris ac Redemptoris nostri, & explicant claritatem, qua Angelici spiritus accurrerunt ad portas cœlorum, easque sibi reserari, aut potiùs è cardinibus evelli postularunt, ut Christo commodior ingrediendi facultas fieret, & liberior pateret accessus. Emphasis huius loci, sita est in examinando, quam ob causam Filius Dei, qui in descensu è cœlis per incarnationem per has potuit.

D. Vincent. Ferrer. in Serm. quius Festi.

Michael Pius lib. 1. c. 26.

Psal. 23. v. 7.

potuit transire portas, jam è terris ad cœlos ascendens per easdem nequiverit intrare? ita ut opus fuerit eas attolli, vel saltem è cardine evelli, ut reserato rectè Filio Dei triumphatori amplior via, & commodior ingressus præparetur. Variè respondent ad hocce dubium sacri Doctores, sed omnium optimè, & pulcherrimè sanctus Ambrosius: *Debuit tamen novo victori novum iter parari, quia iam non unus homo, sed totus in omnium Redemptore, mũdus intrabat.* Necessarium fuit cœlorum portas omninò extendi, & referari, quia Redemptor non iam solus, qui per incarnationem descenderat, ad cœlos redibat, sed totus mundus cum eo, quem proprio sanguine redemerat, & idcircò ut tanta hominum caterva simul cum triumphatore commodè intraret, rationi consentaneum fuit vectes cœlorum attolli, ipsosque cœlos dilatari, & extendi. Idem quodammodo dicere possumus de reserratione cœlorum ad introitum S. Dominici in gloriam æternæ beatitudinis, quia cum fuerit reparator Ecclesiæ, uti constat ex miraculoso quodam eventu, qui in Historia, & actis eius refertur, nimirùm, quòd cùm nutrix auditura Missæ sacrificium detulisset secum parvulum Dominicum infantem, audiverunt circumstãtes, quòd Sacerdos sese ad populum convertẽs prolaturus consueta verba, *Dominus vobiscum*, intuens puerulum nostrum loco eorum clara, & distincta voce pronuntiaverit: *Ecce reparator Ecclesiæ.* Cum igitur reparator Ecclesiæ innumera animarum, quas ad fidem converterat, multitudine stipatus ad cœlos ascenderet, decens fuit, & æquum, ut cœlestes illi aulici eadem lætitiæ signa ederent, quæ in Ascensione Dominica ostenderant, & eadem pompa, ac triumpho quo sua Majestas fuerat cœlos ingressus, pari solemnitate Dominicus Ecclesiæ reparator exciperetur, eique applauderetur, elogium excellentiæ, reverà soli Dominico, & per eius merita suo Ordini concessum.

D. Amb. lib. 4. de fide cap. 1.

10. Non inficior, neque renuo, quin Ecclesia persecutionibus lacessita, & acerrimis hæreticorum prælijs impugnata, post Sacramentorum, & divinæ Scripturæ armaturam, maxima auxilii, & defensionis subsidia ab approbatis Ordinibus recipiat eorumque suppetiis plurimùm corroboretur, & stabiliatur, nullus tamen datur (absit verbo iniuria) qui fluctuanti, & laboranti Ecclesiæ magis opituletur, & succurrat, quàm sacer Ordo Dominici, seu Prædicatorum, errorum, & hæresum zizania in medio tritici à dæmone superseminata eradicando, & evellendo: *Et quis potest similis sic gloriari tibi?* Et paullò inferius; *qui Prophetas facis successores post te.* Ait Ecclesiasticus, loquens Eliæ. Non enim solummodo maioris Prophetæ gaudes titulo, & honore; sed etiam discipulos habes tui spiritus hæredes, zelique tui æmulatores, qualis fuit Eliseus, ut communis omnium Doctorum vox sonat. Non incongruè, eadem verba à magno Elia ad Patriarcham nostrum Dominicum transferre possumus, quia nedum vitam Eliæ, eiusque zelum divini honoris æmulatus est, (ut abundè eius gesta testantur, & supra insinuavimus) sed etiam quia non unum, sed innumeros [illegible] ardentioris suæ charitatis ergà Deum, & proximum, hæredes post se reliquit,

Eccl. 48. v. 4. ibid. 8.

Curiosiùs adnotavit Sanctus Paschasius stylum, & mysticum ordinem, quo sacer Chronicus Matthæus enumeravit duodecim Apostolos, & intimiores Christi Salvatoris discipulos: *Primus Simon qui dicitur Petrus.* Et statim reperit præfatus Pater rationem dubitandi, quare sanctus Evangelista primum locum, seu primatum detulerit Simoni Petro, cum is Andreæ, jure antiqui ætatis, & senii videatur competere? Non enim titulo Principis Ecclesiæ hunc dignitatis honorem Petrus ambire poterat, quia nondum hac prælationis excellentia donatus erat, dum hanc seriem, & ordinem Apostolorum Evangelista enumeraret. Et si forsitan, aliquis mihi eminentiam meritorum eius obiecerit, aveo scire, quo virtutum genere cæteros supergressus fuerit, aut unde colligitur, inquit S. Abbas, Petrum promeruisse sibi primatum in serie duodecim Apostolorum? Non alia huius prærogativæ causa assignari potest, quàm ea, quæ, teste Sancto Luca, ab ipso Christo fuit insinuata, quando ei dixit: *Et ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Commendavit Christus Dominus Petro curam, & sollicitudinem cæterorum Apostolorum, ut eos instrueret in virtute, & confirmaret in fide; idemque fuit Petro hanc committere provinciam, ac eum omnibus superiorem pronuntiare, aut instituere: *Iure, igitur in meritis primus æstimatur, per quem, & in quo dona ad alios transmittuntur.* Æquum est, & rationi consentaneum, ut 11.

Matth. 10. v. 2.

Lucæ 22. v. 32.

S. Pasch. hic.

prius

priùs numerentur merita illius, qui ex officio instituit proximos suos, & confirmat in fide fratres suos; & magnam meretur attentionem, vocabulum illud, *transmittuntur*; quòd propriè significat id, quod ab uno ad alium derivatur. Hoc posito, nequit primus locus, aut primatus negari glorioso Patriarchæ nostro Dominico, quia primus fuit, qui Authoritate Ecclesiæ tanquam inquisitor Apostolicus confirmavit proximos suos in fide, castigando delinquentes contrà eam, quod munus veluti hæreditarium familiæ ejus remansit annexum, ex qua forma prædicandi ad alios emanavit, & forsitan ex adstantibus quidam id mihi attestari possent, qui ex regali Conventu sancti Pauli Hispalensis, quandoque quadraginta, imò & quinquaginta Concionatores, non solùm ad Parochiales, sed etiam ad aliorum Ordinum Ecclesias viderunt exeuntes. Et sufficeret solus sanctus Thomas ad cohonestandum, & exornandum hanc nostram Familiam, qui primus, & Theologorum Coryphæus tot, tamque insignes in omnibus Ordinibus Magistros efformat, & jam à multis sæculis efformavit. Nemo igitur, Patriarchæ nostro primo deneget, qui ad imitationem Christi Salvatoris, munus veræ lucis obivit, verè lux adinstar Christi, de quô egregiè S. Basilius dixit: *Lux est, & luces facit. Vos estis lux mundi.*

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO II.

Quò solertiori cura S. Dominicus profectui virtutum incumbebat, eo vigilantiori solicitudine easdem occultare satagebat.

11 O Quantæ nobilitatis est natura lucis! ô quam illustris ejus ortus, & nativitas, inquit aureus Chrysostomus. *Si in aliquo*, vel superbia, vel vana præsumptio locum habere posset, sanè ipsa lux excusaretur, & tamen adeò humilis est, ut radiis suis ima terræ viscera penetrare, & in iis admirabiles producere effectus non dedignetur; ipsa enim ingenitæ nobilitatis suæ oblita visitat profundissimos terræ sinus, in eorumque venis aurum, & argentum à se producta, quasi despiciens, & negligens, solùm latebras quærit, & non nisi seipsam occultare contendit; *In sole totum*, inquit S. Chrysostomus, *Deus contrarium fecit, ipsius radios ad terram convertit, & lucem fecit inferius vergere.* O quantùm differt ab hac luce, lumen candelæ, quia lumen mundanum est, despicit terrã, & toto conatu gestit sursum ascendere, in altũ flammas emittere, & ipsa occultatio luminis est mors, & extinctio candelæ: *Lucerna quidem flamma hoc ferre non potest, sidus verò tam magnũ ad inferiora vergit.* Si attentius vitam S. Patriarchæ nostri, percurrere lubuerit, manifestè comperiemus, quòd lux ipsius sit cœlestis, quæ, quò magis saluti, & beneficio animarum vacabat, per heroicos actus virtutem suam firmabat, & per crebra miracula indies, magis, magisque opinionem sanctitatis sibi conciliabat; eò magis omnibus modis, & mediis se humanis oculis subtrahere, mundanosque applausus fugere conabatur, idem namque erat ipsius humilitati laudes proprias audire, ac contumeliis affici, aut pudore suffundi.

D. Chrysost. hom. 9 ad popul. Antioch.

12 Duo adnotavi loca, & quidem pulcherrima, in Canticis Salomonis, quæ, ni fallor, mirum in modum, & egregiè discursum nostrum illustrant. Antequam tamen ea elucidanda proferam, operæ pretium duxi, referre id, quod Sancto Patri Nostro Dominico Romæ contigit, quò melius assertum nostrum stabiliatur. Resuscitaverat à mortis filium cujusdam honestæ, sed pauperis, viduæ: ubi miraculum summo Pontifici innotuit, seriò constituit, ut in urbe tota novitas miraculi pro Concione diceretur; ast ubi hoc vir Dei percepit, Pontificem Maximum adiit, ad pedes ejus se pervolvit, & supplex ei asseruit, quòd, nisi mandatum de publicando miraculo revocaret, & extemplò, & confestim Roma discessurum. Factum reverà simile illi, quod Sponsæ cum Sponso accidit. Sponsus cœpit dilectissimam suam magnis efferre encomiis, ejusque collaudare dotes, & perfectiones: *Quàm pulchra es anima mea! quàm pulchra, oculi tui columbarum*; hoc tantus est pulchritudinis tuæ decor, tamque formosa species tuæ faciei, ut etiam maximè prudentibus parere possit admirationem, & omnium in se affectus allicere, & concitare valeat. Audit Sponsa laudes, & encomia sua, & insolito stupore attonita, & quasi pudore confusa, respon-

Cant. 4. v1.

respondet ad verba illa: *Vadam ad montem myrrhæ.* Quæ voces licet juxta communem sensum etiam sint Sponsi, laudes Sponsæ prosequentis, attamen quidam relati à doctissimo nostro Almonacirio, uti testatur Ghislerius, eadem Sponsæ accommodant: *Hieronymus Almonacirius refert quorumdam sententiam, existimantium hæc verba esse Sponsæ, quæ cum audisset Sponsum tot, tantisque laudibus ipsius pulchritudinem celebrare: pia modestia, pudore quodam ingenuo suffusa, velit se à Sponsi subtrahere aspectu, & ad montem myrrhæ, collemque thuris ascendere, &c.* Ita ut Sponsa audiens virtutes, & laudes suas divulgari, dicat se velle fugere ad montem myrrhæ, per quem sacri Expositores montem Calvariæ, ubi Christus mortuus est, intelligunt. Sed re accuratiùs considerata, quid significat, Sponsam, statim ac se laudari animadvertit, velle ad montem myrrhæ confugere? Videtur reverà velle insinuare, quòd adeò sentiat se laudibus extolli, ut malit potius mori cum Sponso morte ignominiosa, & crucifigi, quàm subire tale genus martyrii, quale erat suas in præsentia perfectiones, suaque virtutum ornamenta palàm celebrari: *Vadam ad montem myrrhæ, &c.* Et si in sensu magis familiari explicentur hæc verba, significabunt, maluisse Sponsam hominum consortia deserere, solitudinem incultam eligere, & invias montium latebras inhabitare, quàm suarum virtutum laudes coràm mundo propalari. Tale equidem, & prorsùs idem fecit gloriosus noster Patriarcha Dominicus, quando Pontifex Maximus, Sponsi Vicarius mandavit, ut ex ambone virtutes, & miracula, ipso Romæ commorante, toti urbi, & orbi innotescerent.

Almonacir. apud Ghisler. hic.

3. Non absimile contigit eidem, quando Neapoleonem nobilem Romanum, nepotem cujusdam Cardinalis à morte ad vitam revocavit, qui effreni insidens equo, in terram dejectus, & in partes concisus animam efflavit. Mox ut patruus, qui eum tenerrimè diligebat, triste nuntium audivit, & fatalem casum rescivit, unà cum aliis purpuratis Patribus properavit ad S. Xisti conventum, ubi tunc S. Patriarcha commorabatur, & genibus ad pedes S. Patris advolutus, lacrymabundis oculis opem, & commiserationem ejus implorabat, & secum deferens exanime cadaver, rogavit, ut tam infælicis casus, & tam tristis spectaculi misereretur. Iubet Sanctus altare parari, Missamque fervida devotione, non sine ingenti lacrymarum imbre celebrat, cernuntque cuncti, ipsum, dum corpus Domini populo visendum elevaret, magna altitudine, & quidem diuturniori mora, à terris in aëra elevatum. Peracto Missæ sacrificio, progreditur ad exanime cadaver, & truncum corpus, manibusque quassata membra componit, & ecce, extemplò vivus, sanus, & integer resilivit. Summus Pontifex ubi ex purpuratorum Cardinalium relatu nobilissimum hocce miraculum didicit, per omnes urbis Ecclesias illud solemniter divulgari mandavit: at verò ubi Sanctus Dominicus decretum Pontificis rescivit, clanculo Roma discessit, ne laudes, & auram popularem aucupari videretur. Neque minùs apposité quadrat huic loco, sive instituto aliud testimonium ex Canticis. Miris encomiis efferebant filiæ Sion pulchritudinem Sponsæ, & egregium ejus formæ decorem, hisce verbis: *Beatissimam prædicaverunt, &c.* Et paucis interpositis repetitis vocibus conclamarunt: *Revertere, revertere Sunamitis. Revertere, revertere, ut intueamur te*, hoc est, ô pulcherrima, ne avertas faciem tuam à nobis sed præbe te, nobis videndam. Insignis noster Lusitanus Oleaster, elucidans hos duos Textus prima fronte contrarios, & oppositos, ingeniosam movet quæstionem. Si paulò antè, sacro attestante eloquio, Filiæ Sion viderunt formosissimam animam illam, qui statim subjungunt, & rogant, ut redeat, & se spectandã exhibeat? Verum non minori perspicacitate ingenii propositæ quæstionis nodum dissolvit: *Fugiunt justi terga vertentes, imò quòd plus est, si fieri posset, nollent à Deo bona sua videri.* Quasi diceret; quia sancta illa anima tam præclare edocta erat in schola Sponsi sui, ejus sequi vestigia, omnesque ejus gressus æmulari contendit, atque ideò vixdum laudes suas deprædicari audit, quin statim terga vertat, vera justi indoles, cui nullum gravius tormentum, neque crudelius martyrium, quàm laudari, neque ulla major injuria, quàm æstimari, neque tandem ulla terribilior offensa illi, quam applausus hominum. Audit sanctus Pater Dominicus encomia, quibus virtutes suas celebrat summus Christi Vicarius in terris, & timet, horret, contremiscit, & tandem Vrbem deserit, omnique conatu humilitati Salvatoris nostri conformis fieri cupit, & anhelat.

Cant. 6. v. 8.

Ibid. v. 11.

Oleaster in cap. 14. Numer.

4. Singulari acumine observavit doctus Novarrinus Christum Redemptorem, teste S. Evangelista Ioanne, bina vice graviter fuisse perturbatum,

turbatum, videlicet quando Gentiles illi veniebant eum quæsitum, quod in maximam ejus æstimationem, & gloriam redundabat: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis*, & subjunxit statim hæc verba mysterio plena: *Nunc anima mea turbata est.* Alio autem tempore turbatus fuit, resuscitaturus Lazarum à mortuis, jam quatriduanum, & sepultum, quod opus etiam maximi honoris futurum erat Redemptori: *Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum.* Ponderat hic Doctor duas illas Christi actiones, & profundum ex illis eruit mysterium, quia omnis actio Christi, est instructio nostra; & ideò in hæc verba effatur: *Humilitatis Magister docere nos voluit, ut ea, quæ ad nominis gloriam faciunt, laudemque nobis apud homines pariunt, cum quadam turbatione, quæ ex humilitatis sinu prodeat, excipiamus. Læto animo ea, quæ ad ignominiam, audienda, sine conturbatione illa, sine ulla animi molestia, ad laudis autem sonitum intremere, ac turbari verus humilis debet.* Voluit nos suo exemplo docere, qualiter nos gerere debeamus tempore prosperitatis, & adversitatis, tempore laudis, & ignominiæ, ita ut prospera ad æstimationem conducentia cum timore, & turbatione, ne præbeant occasionem vanæ præsumptionis, adversa verò ad humiliationem servientia majori æquanimitate excipiamus, quia nobis materiam meriti subministrant. Debet igitur justus esse, inquit Novarinus, adinstar tigridis; quæ ad modulamen musices fugit, & turbatur: *Non secus, ac tigris, quæ musicum concentum audiens, qui aures delinit, infremit, & turbatur.* Declinat, & fugit S. Dominicus Romanam curiam, ægro ferens animo mundi applausus, & probè sciens illos esse Syrenum cantus, qui tempore gaudii occultant, & dissimulant dolorem, & sub fucata adulationis specie, ruinam animæ inferendam prænuntiant, & designant.

Ioan. 12. v. 23.
Ibid. 27.
Ioan. 11. v. 33.
Novar. in umbra Virg. lib. 4. excurs. 151.

5. Expendi ad hoc propositum verba illa, quæ cantat S. Mater Ecclesia in Officio S. Patris nostri, eum comparans stellis, & forsitan alludens ad stellulam illam, quæ apparuit in fronte parvuli recens baptizati: *Quasi stella matutina in medio nebulæ, &c. sic ille effulsit in templo Dei.* Curiosius indagant sacrarum Litterarum scrutatores, quam ob causam justi stellis comparentur? Et varias quidem suggerunt rationes, sed omnium optimè quadrat præsenti instituto, singularis mellifluì Doctoris S. Bernardi meditatio, quam hisce verbis exponit: *Quoniam sicut illæ nocte quidem apparent, die verò latent, ita & ipsi in die prosperitatis se occultant, virtutes suas obscondunt, ne, dum eas ostentant mundo, prorsus amittant. Qua ratione David dicebat, ab altitudine diei timebo,* quia sancti, exemplo Davidis edocti, certissimè sciunt, idem esse virtutes propalari, & divulgari, ac eas perdi, & amitti, & simul probè noverunt perfectionem sanctitatis tantùm abhorrere publicum applausum, quantùm ipsa solitudo, & secretum conservat incrementa virtutum. Talis erat sanctitas, & perfectio gloriosi nostri Patriarchæ, ut plurimæ illius heroicæ actiones satis superque testatum relinquunt; hanc enim ob causam nudis pedibus per loca aspera progrediebatur, & calceos exutos, ut majori cum molestia incederet, dum ad urbem aliquam appropinquaret, denuò induebat, & calceabat. Celebraturus Missæ sacrificium, secretiora loca seligebat, ut frequentiores raptus suos, & inundantes lacrymarum rivulos ex oculis emanantes commodiùs occultaret: sociis suis severè inhibebat ne miracula sua divulgarent, sed silentio premerent, & caverent, ne præclara sua gesta per multorum ora traducerent: catenam ferream, qua lumbos suos per totum vitæ suæ decursum arctissimè constringebat, tamquam monile pretiosum ab omnium oculis abscondit; quinimò eam ob causam divulgatis seu spargis in vulgus miraculis, quæ gloriosè patraverat, Roma discessit, ut hoc pacto virtutis suæ opinionem ex animis hominum penitùs arceret, deleret, & eradicaret.

Ecclesiastici 50. v. 6. & 7.
D. Bern. Serm. 7. in Cant. apud Yanguas Serm. 3. Dom. 1. Advent.

Dubius hæreo, & nescio quodnam illustrius miraculum fuerit, an defunctum ad vitam revocare, an verò post patratum consortia hominum devitare, & in solitudinem secedere. Pavit Salvator mundi quinque millia hominum quinque panibus, & duobus pisculis, miraculum adeò celebre, & augustum, ut omnium in se admirationem rapuerit, & maximam Redemptori nostro authoritatem, & gloriam conciliaverit; & tamen S. Gaudentius autumat Salvatorem hoc inauditum convivium majori miraculo confirmasse: *Iam quinque millia hominum paverat, & satiaverat famem quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, majori miraculo convivium illud persolvens.* Ecquod illud majus miraculum? Audite S. Evangelistam id egregiè exprimentem: *Iesus ergò cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent, & face-*

D. Gaudent. in Exod.
Ioan. 6. v. 15.

& facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus; quia majoris momenti, & ponderis miraculum est, sceptrum, & diadema regium fugere, quàm quinque panibus tantam multiplicare famelicis annonam. Ad hunc sanè modum gloriosus Patriarcha noster Dominicus, magis miraculosus fuit mundanas fugiendo acclamationes, & spernendo applausus, quàm exanimatis cadaveribus novam restituendo vitam.

7. Exiguam habete fidem Sanctis, (si fas est eos hoc nomine appellare) qui omni cura, & studio anhelant, ut virtutes suæ propalentur, & omnium oculis obversentur, quia ipsa manifestatio, quam ambiunt, illos falsas, & adulterinas, & non veras esse luces testatur; quæ enim adulterinæ non sunt, quò splendidiores eò magis latebras quærunt, & quò reverà sublimiores sunt, eò humiliores in sui abjectione apparent. Pulcherrima est observatio magni Tertulliani super illud, quod contigit puero illi, qui, dum ad ripas Iordanis ligna cæderent, ferrum securis cecidit in aquam, & demersum est in profundum. Accurrit puer totus tristis ad Eliseum, & Propheta ad Deum, & incunctanter præcidit lignum, & misit in aquam, quod etiam, licèt levioris esset naturæ, descendit in profundum, & ferrum natura sua grave sursùm attraxit, & aquis supernatavit: *Præcidit ergò lignum, & misit illuc, natavitque ferrum.* Duo, inquit Abulensis, hic miracula intercurrerunt, unum, quô ferrum naturali pondere deorsùm vergens, sursùm aquis supernatavit, & alterum, quo lignum, contra innatam suam propensionem, in profundum descendit; quibus inter se collatis, proculdubio majus fuit lignum demergi, quàm ferrum ex profundo aquarum sursùm attrahi, & elevari: tametsi enim descensus ligni parùm conducere videatur ad extractionem ferri, quia poterat sine hac particulari diligentia solo jussu Prophetæ sursùm ascendere; voluit tamen Deus hoc pacto attestari, Eliseum esse verum spiritus Magistri sui Eliæ hæredem, quem ei in pallio dederat, quod bona opera occultaret: & quòd lignum vergat deorsùm ad extrahendum ferrum, præsentissimum fuit medium, quo sanctis ejus sanctitatem, & virtutem persuaderet. O quàm egregiè Tertullianus! *Atque ita Elisæus accepto ligno, & misso in eum locum, ubi submersum fuerat ferrum, statim supernatavit, & lignum mersum est, ex quo intellexerunt, quod Eliæ spiritus in eo sit repræsentatus.* Non videtur Deo sufficere ad approbandum sanctitatem Elisei, quòd solum ferrum, ex imò sursùm ascendat, nisi etiam lignum vergat deorsum, quia hoc, quod est apparere, & ascendere, juxtà mentem Tertulliani, non vult Deus esse notam, & symbolum spiritus sui, ideircò ut ferri supernatatio videretur esse miraculosa, & ex ea sanctitas, & authoritas Elisei probaretur, aliud fuit adjunctum miraculum, quale fuit demergi lignum in profundum, & ex eo spiritum Eliæ & Dei in Eliseo supervivere agnoscerent: miracula enim, quæ quis patrando abscondit, & occultat, sunt probatæ sanctitatis indicia: quod lignum mergatur deorsùm, ut miraculum fiat, nota est sanctitatis Elisei, qua miraculosus, & novorum prodigiorum operator comprobatur.

4. Reg. 6. v. 6.

Tertull. adversus Judæos.

Quæ cùm ita sint, quantò incomparabiliter major est humilitas sanctissimi Patriarchæ nostri, qui nedum in vita honores, & mundanæ gloriæ fastum fugiens, seipsum tantoperè abjecit, verùm etiam post mortem in eodem Christianæ humilitatis studio perseverare contendit, unicè præcipiens Religiosis suis, ut corpus suum ad pedes Fratrum sepelirent: *Ad pedes Fratrum meorum.* Quò responso, mea quidem sententia, eminentiorem suam humilitatem, virtutumque suarum excellentiam patefecit, quò enim major erat, eò humilior fieri desiderabat, ideoque in ultima vitæ periodo sub pedibus fratrum jacere cupiebat, ut liquidò ostenderet, quàm fuerit ad omnem humilitatem factus. De insigni illo viro, qui ab adolescentia sua portaverat jugum legis Domini, ait Ieremias in Threnis suis, quòd quando in virtutum progressu humanos excesserit limites, & seipsum exæquaverit: *Levavit super se*, ecquid inde? tunc, *ponet in pulvere os suum.* Quæ verba eleganter explicat S. Ambrosius: *Dabit in fossuram sepulchri os suum*, ac si apertiùs diceret; lingua manifestabit desideria cordis sui, quibus fossam sepulchralem ambit, ut omnium pedibus proteratur: & non reperio ullum justum ab incunabilis Sanctum, de quo hoc Ieremiæ vaticinium expressius verificari queat, quàm de humillimo Patriarcha nostro Dominico, quem Prophetico spiritu Ieremias, veluti perfectissimæ humilitatis exemplar indigitasse videtur. Ecquæ enim profundior humilitas excogitari potest, quàm (ut sacra

8.

Thren. 3. v. 28. & 29.

D. Amb. Serm. 10 in Psal. 118.

sacra ejus testatur Historia) tam avidè, tantoque abjectionis affectu, sub fratrum pedibus sepulturam eligere, ut qui esset sanctissimus, & tot filiorum pater, tamquàm abjectissimus etiam omnium pedibus conculcaretur? Relinquens nobis filiis, & alumnis suis, ut sequamur vestigia eius: *Vt filii lucis sitis*; & quemadmodùm ipse gressus Christi observavit, qui erat vera lux, & non dedignatus est descendere in mundum: *Lux venit in mundum.* Et teste Tertulliano, *Tenebras accepit, ut lucere possit*, ita etiam nos eadem cautela, & prudentia celemus virtutes nostras, certò scientes in fuga humani applausus, earumdem virtutum vitam vigere, & in tenebris solitudinis splendorem sanctitatis consistere; non enim in vanum hodierno die assimilantur discipuli fulgentissimæ luci, non cuicumque, sed cœlesti, & supremæ: *Vos estis lux mundi.*

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO III.

Non videtur humilitas posse altiùs exerescere, quàm ut justus deflens aliena, tamquàm propria crimina, se peccatorem reputet, quemadmodùm noster Patriarcha S. Dominicus egit.

1. TAm profundæ humilitatis, tantæque demissionis animi fuit Sanctus noster, ut si ad urbem aliquam accederet, in genua procumberet, & elevatis manibus, fixisque in cœlum oculis, seria, & ferventi oratione omnipotentem deprecaretur, ut iram temperaret, indignationemque & furorem suum remitteret, & moderaretur. O Domine Deus! ajebat humillimus Patriarcha, noli ob ingressum miserrimi mei peccatoris, hos insontes, & innoxios cives plectere, aut vibrato è cœlis fulmine, propter me urbem hanc funditùs evertere, seu destruere. Hic humanum rapitur ingenium in admirationem, & deficiens sub pondere tam inauditæ humilitatis eam divinæ relinquens trutinæ, attonitum stupore obstupescens subsistit. Ecquid tam fervidè, & instanter postulat S. Dominicus? quid anxius timet? Qui potest Deus punire, & destruere mundum, propter hominem, de quo constat ex testimonio Confessarii, qui ejus postremam, & generalem peccatorum confessionem excepit, vitam ab omni lethalis criminis labe immunem duxisse? An forsitan Deus propter hominem, de quô sanctus Antoninus ex plurium opinione refert fuisse sanctificatum in utero, integras depopularetur, & excideret urbes? *Legimus*, inquit, *Ieremiam sanctificatum in utero, aliqui hoc etiam credunt de beato Dominico, qui jam in cunis egrediens lectum, jacebat in terra.* Et hac fortassè ratione permota Ecclesia, considerans mirabilem ejus nativitatem, & singularem in cunabulis pœnitentiam, ipsum appellat secundum Baptistam: *Secundus præcursor*, quasi significans, eum ad summum sanctitatis gradum, cum Ioanne Baptista perventurum, siquidem aves, quæ capiuntur reti, sunt jam grandiusculæ, & difficiliùs cicurantur, & mansuefiunt; at verò, quæ in nido suo capiuntur, quia juniores sunt, facilè cicurantur. Non secùs benignissimus Deus aucupatur quosdam peccatores ex inveterata consuetudine delinquentes, veluti in retiaculo, quales fuerunt Paulus, & Matthæus, & tales difficiliùs mansuefiunt, at verò S. Dominicum, sicuti, & Ioannem Baptistam, cepit in nido, & à cunis ipsis educavit eum in Sanctum. Vel etiam secundus Præcursor nuncupatur, quia ejus pœnitentia, vitæque austeritas simillima fuit vitæ S. Ioannis Baptistæ, imò, & quodammodò austerior, quia Ioannes jam triennis, actutus pœnitentiam, desertum, & solitudinem petiit, & Dominicus vixdum natus, jam futuræ sanctitatis officina, in ipsis cunabulis tentat præludia pœnitentiæ, quam aliquando in decursu vitæ suæ facturus erat, in qua numquàm molliorem lectum, quàm cippos, aut lapides Ecclesiæ expertus est, neque aliud pulvinar, quàm altarium suppedanea, in quibus parumper fessum corpus decumberet, agnovit. Propter Dominicum, qui jugiter, vel saltem sæpissimè solo pane, & aqua victitabat, & cujus tanta erat abstinentia, ut ne æger quidem jejunium solveret, aut carnes manducaret? Propter Dominicum, qui nūmquàm lineis ad carnes usus, semper catena ferrea ad lumbos cinctus, singulis noctibus terciò corpus suum flagellis severè cædebat, sanguinemque ubertimum eliciebat; primò, ut delicta sua, quæ vel levissima, vel nulla erāt, abstergeret; secundò, ut aliorum in lethalis peccati statu perseverantium

D. Anton. 3. p. Summa tit. 18. c. 5. § 6.

flagitia, tergo suo expiaret, & tandem tertio, ut purgatrice flamma detentos, aut solatio afficeret, vel planè in libertatem assereret? Propter Dominicum, qui oculos quasi geminos reddiderat fontes lacrymarum, maximè dum sacra perageret Missæ sacrificia, cujus evidens testimonium perhibet casula, in qua Missam celebrare consueverat, quæque in hodiernum diem, inundantia lacrymarum anteriori parte penè attrita in Conventu nostro Vlyssiponensi veluti pretiosum monile asservatur: An propter Dominicum tantum mundi contemptorem, qui præter omnia, quæ sibi ex nobilissimo Guzmannorum stemmate polliceri poterat, & præter tres Archiepiscopatus non semel ultrò oblatos, constantissimè recusavit, adeòque irritamenta honoris & superbiæ execratus fuit, ut declinaret loca, ubi honore afficiebatur, & lubentius versaretur in iis, ubi ipsum omnes lacessebant injuriis, & oppugnabāt? Propter Dominicum, cujus tanta erat martyrii sitis & desiderium, ut interrogatus ab Hæreticis, in quorum manus inciderat, an oblatam mortem timeret, responderit, se adeò morte non terreri, ut potiùs eos rogaret, ne brevi illam compendio adferrent, sed paulatim singula membra ferro præcisa, oculis objicerent, ac denique luminibus evulsis mutilum corpus in suo sanguine volutari permitterent, aut prorsùs arbitrio suo omni vita spoliarent? Propter Dominicum, quem Beatissima Virgo Maria Filio suo hominum flagitiis exulcerato, etiam in mundum terna spicula stringenti, objecit tamquàm orbis restauratorem, qui justam divini numinis indignationem placaret, & conceptum furorem depelleret? An propter ipsum, ipsiusque delicta Deus erat universum deleturus mundum? Ingenuè fateor me penitùs non intelligere mysterium tam humilis orationis, quantumcumque eum profundissima excuset humilitas.

2. Nisi dixero, quod tam illustres & heroicas virtutum actiones Sanctus Dominicus peccata & crimina esse judicaverit, quia uti disertè Rupertus, humilitas naturam speculorum, imitatur, quæ naturaliter res, aliter quàm sint, repræsentant, quod enim sinistrum est, veluti dextrum, & vice versa dextrum tamquam sinistrum oculis intuentium objiciunt: *Magnū, ac præclarum speculum humilitas*, id est, ad instar speculi humilitas Sanctum facit peccatorem, & judicio humilitatis justus, ne quidem Christianus apparet. Videre hoc in sanctissimo Patriarcha nostro expressum, in quo, cùm non esset nisi dextrum gratiæ, humilitàs tamen sinistrum culpæ seu peccati in eo repræsentat. De eo videtur loqui David in Psalmo, dicens: *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*, ac si diceret: decrevi confessione peccata mea expiare, quia nullum adeò grave, quod Deus per confessionem non remittat. Et statim subjungi: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno*, ut nimirùm Deus delictis parcat, & veniam confessis donet. Difficilia profectò apparent hæc verba, primo intuitu considerata, nam si diceret, impium peccatorem delictorum, seu criminum suorum remissionem petere à Deo, dilucida foret sententia; quod verò dicat, Sanctus ab omni culpa & noxa immunes, similem rogare veniam, vix vel saltem difficulter intelligitur. Verùm, magnus Pater Sanctus Gregorius ingeniosè nodum hujus difficultatis elucidat: *Sancti*, inquit *viri licet tam magnis virtutibus polleant, habent tamen aliquid de culpa obscuritatis quod feriant*, id est, veri Sancti, etiam maximis virtutum ornamentis dotati, semper habent aliqua corrigenda, aut condonanda, pro quiqus à Deo veniam postulent. Quæ si intelligantur de Sanctis, qui aliquando in peccata prolapsi & per pœnitentiam conversi sanctitatem promeruerunt, juxta communem loquendi modum rectè affirmantur: at verò si loquamur de Sancto, qualis fuit gloriosus noster Patriarcha Dominicus, qui nullum umquàm mortiferum admisit peccatum, necessariò cogemur dicere, ipsum etiam levissimos reatus, & venialia errata, quantumvis minima, coràm Deo veluti enormia delicta aggravasse, planxisse, & remissionem eorum dolenter, & magna cordis humilitate postulasse. Et si ne quidem hæc minima commiserat (quod utique Dei auxiliante gratia est possibile) poterimus dicere, quod gravissimum reputaverit crimen, cùm tot tantisque gratiarum donis non magis profecisse, aut non majorem se fuisse consecutum sanctitatem, atque ideo pro illo tamquàm gravissimo delicto misericordiam divinam interpellasse.

Vel aliam etiam possumus inire viam eodem S. Gregorio Duce, circa expositionē illorum verborum Iobi: *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ*. Vbi S. Gregorius considerans 3.

Margin notes: Rupert. in Ioan. lib. 2. — Psal. 31. v. 5. — Ibid. v. 6. — D. Greg. in 2. Psal. Pœnitit. — Iob. 13. v. 26.

derans Iobum coràm Deo afflictum, & anxium pro peccatis adolescentiæ suæ, ita meditatur. Quid ita? An forsitan adeò gravia, & enormia fuerunt delicta juventutis illius, ut eum tam acriter torqueant, & excrurient? Qui hæc componi possunt, cum iis quæ ipsemet Deus de illo prædicat: *Quod non sit ei similis in terra.* Videntur planè hi Textus ex diametro oppositi, neque facili negotio cohærere, aut convenire possunt. Verum magnus Pontifex, tamquàm fidelissimus patientissimi Patriarchæ Interpres mentem suam hisce explicat vocibus: *Iusti viri cum in magna mentis maturitate proficiunt, nonnumquam ad memoriam actionum suarum, initium reducunt, seque tantum de suis primordiis reprehendunt, quantum ex gravitate mentis altius profecerunt.* Ac si diceret: levissimos defectus, tamquam enormia scelera reputabat Iob, cùm enim patientissimus Patriarcha ad summitatem, & fastigium virtutum conscendisset, conferens eminentiam virtutum suarum, cum primordiis earumdē, in comparatione tam gigantcæ puritatis, etiam virtutes novitias, & minores veluti crimina, & delicta dijudicat. Eadem fortassis ratione beatissimus noster Dominicus, cùm esset sanctitate præstantissimus, se peccatorem fatetur, quia quo maiores in virtute progressus faciebat, minùs se in ea progredi existimabat.

D. Greg. lib. 11. Moral. cap. 24.

4. Verumtamen, meo quidem judicio, optimus in hac re Philosophandi modus, est dicere, charitatem Dominici imitari charitatem Christi, quæ hunc, ut peccata mundi in se susciperet, & pro iis, veluti propriis satisfaceret, impulit, & adegit: *Delicta mea à te non sunt abscondita*; non secùs Patriarha noster aliorum crimina suscipiens, tamquàm à se commissa plangebat, & expiabat. Peregrinam, & novam expositionem habet S. Ambrosius super illa verba Salomonis intento nostro accommodissimam: *Iustus in principio accusator est sui*; id est, iudex propriæ iniquitatis: *Non videatur absurdum*, inquit Archi Antistes Mediolanensis, *ut etiam de alio dictum sit, quod iustus sit, qui se accusat pro illo, etiamsi in se nihil habeat, quod accuset.* Non intendit Sapiens dicere, quòd justus feriat pectus suum, & agnoscat se reum criminis, sed quòd ipse aliena delicta in se suscipiat, ut pro iis tamquàm propriis luat, & satisfaciat. Et hoc tanto affectu, & fervore præstabat sanctus Pater Dominicus, ut peccata communia, veluti personalia persentiret, & defleret.

Psal. 68. v. 9.

Prov. 18. v. 17. D. Amb. hic.

5. Hinc tot lacrymæ, dolores, & gemitus Sancto nostro propter offensas contra Dei Majestatem perpetratas. Imo & hoc asperrimum ei cilicium, & mortificatio, quæ ipsum maxime excruciabat: *Peccatis, & ærumnis humanis vehementer affligebatur*; & ea propter rectè ei quadrat dictum S. Petri in sua Canonica, enarrantis omnes afflictiones, & tribulationes Loth, postquàm enim supremam de illo prædicaverat sanctitatem: *Aspectu enim, & auditu iustus erat*: extemplo subiungit hæc sequentia verba: *Habitans apud eos, qui de die in diem, animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Hoc est, commorans inter Sodomitas, qui quotidiè nefandis peccatis animam eius affligebant, & veluti lethali vulnere cruentabant. Vbi perpulchrè notat Angelicus noster sanctus Thomas, quòd haudquaquàm dicat, eos ipsum bonorum temporalium direptione, aut alio quovis opprobrii genere, aut alia simili iniuria affecisse, aut contristasse, sed nefandissimis operibus suis, quæ contra Deū, & proximum committebant: *Scilicet iniquis operibus, quæ faciebant contra Deum & proximum quæ sicut dicit Glossa, videbat, & corrigere non poterat, cruciabant eum cruce, scilicet, spiritualis doloris, & compassionis, licèt non exterioris verberationis.* Idem prorsùs contingebat glorioso nostro Parenti, quem peccata, & innumera scelera, quæ indies in locis, ubi commorabatur, fieri cernebat, adeò excruciabant, ut animam, seu animum eius iugiter lancinarent, & perfoderent.

2. Petri 2. v. 8.

D. Thom. hic.

6. Mandavit Dominus Deus Ezechieli Prophetæ, dum prænuntiaret plagas, quas immissurus erat in populum suum, ut sumeret sartaginem ferream: *Sume tibi sartaginem ferream* cuius significationem, & mysterium expendens Magnus Pontifex S. Gregorius, asserit per illam designari zelum Dei in corde ministri Evangelici: *Quid ita, Magistri, atque Doctoris mentem, quàm zelus Domini fregit, atque excruciat?* Certè videtur præ oculis habuisse, sanctum Dominicum, dum de zelo honoris divini, & salute animarum, pretioso sanguine Christi Redemptarum, sermonem instituit. Hic namque zelus atrocissimum illi erat tormentum, quo Neroniana, aut Diocletiana immanitas, nullum aliud acerbius, ad eum martyrio afficiendum, excogitare potuisset.

Ezech. 4. v. 3.

D. Greg. lib. 26. Moral. c. 5.

7. *Oculos quasi geminos reddiderat fontes lacrymarum*, evidentissimum, iuxta mentem sancti

Rr 3 Ioannis

Ioannis Chrysostomi, ardentissimæ charitatis, virtutumque ejus excellentiæ argumentum Ponderat Sanctus Doctor verba illa sancti Pauli ad Corinthios: *Lugeam multos ex his, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.* Hæc attentius audiens S. Chrysostomus in has voces effatur: *Cogita igitur Apostoli virtutem, cùm sibi ipsi nihil conscius sit, pro alienis malis luget.* Valdè consideranda est sanctitas Doctoris Gentium Pauli, qui nullius criminis proprii conscius amarissimè luxit aliorum scelera, sed an majori perseverantia, copiosiorique lacrymarum imbre, quàm sanctus Dominicus, planè ignoramus, vel saltem plurimùm dubitamus.

1. Cor. 11. v. 21.

D. Chrysost. hom. 28. super hanc Epist.

8. Erant cruciatus illi, & dolores, effectus ferventissimæ charitatis ejus, cujus ardore anima ejus exæstuabat. Scribens idem Doctor Gentium Ephesiis monet eos, ne Spiritum Sanctum contristent, aut mœrore afficiant: *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Quæ verba secundum Litteram, ut sonant, censuris digna videntur, quia Spiritus divinus est Deus, in quem nequit cadere dolor, aut tristitia, cùm enim spiritus sit, nullius passionis capax existit. Quidam Interpretes hujus Textus, dicunt, quòd supposita hac veritate Catholica, rectè loquatur Paulus, affirmans, Deum contristari peccatis nostris, nosque cum illis affligere, quâ Deus adeò bonus est, & peccatum adeò malum, & divinæ bonitati contrarium, ut ipsum, quantum est ex natura sua, sit sufficiens Deum contristare, si alicujus mœroris capax foret. Eleganter excogitatum! sed melius ad rem nostram sanctus Augustinus: *Propterea ipse Spiritus sanctus dicitur contristari ab eis, qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti: non ob aliud, nisi quia Spiritum sanctum habent: quo dono tam boni sunt, ut eos mali mœsticent.* Ratio igitur & causa ob quam peccata impiorum contristent Spiritum Sanctum, est, quia tristitiam adferunt Sanctis, quorum animæ sunt Templa, quæ inhabitat. Et quia charitas divina eos omninò occupat, tali dono tam boni efficiuntur, ut peccatis malorum vehementer excrucientur. Erat aliquando Romæ S. Dominicus in Templo Apostolorum Principi sacro, & posteaquam ei Sancti Apostoli Petrus & Paulus apparuissent: *Statim,* inquit Leonardus de Vtino, *Spiritus sanctus in similitudine linguæ igneæ descendit super caput beati Dominici, & inde gratia & sapientia confortatus est,* si igitur Sanctus Dominicus plenus Spiritu sancto, & dono charitatis est incensus, quid mirum, quod tantòperè persentiat hominum ærumnas, & vice Spiritus sancti (qui est omnis doloris expers) pro eis agonizet?

Ephes. 4. v. 30.

D. Aug. lib. 4. de Genes. ad Litter.

Leonard. de Vtino §. 5.

Serm. Prædicati coram Pontifice apud S. Mariam de la Novella.

9. Notate quæso vocabulum agonizet, quod nobis sublimioris discursus ansam præbuit. Legimus de Christo Servatore nostro, singulare quidpiam nulli alteri concessũ, videlicet, quod ex sola peccatorum nostrorum gravitate apprehensa adeò internè commotus fuerit, ut sanguinem sudaverit in horto. Ita videtur contemplativus Pater S. Anselmus flens meditatus hisce verbis: *Angustias cordis tui dulcissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne tua in terram guttatim decurrebat.* Idem refert S. Lucas, dicens: *Factus in agonia,* notetur ly in agonia, *prolixiùs orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Post vehementissimum tristitiæ angorem, emanavit sudor sanguineus è corpore Christi, adeò copiosus, ut defluens terram guttis conspersent. S. Irenæus ait, ipsum sudasse *globos sanguinis*, Et Sanctus Iustinus, sudavit guttas, *instar concreti sanguinis.* Neque mysterio caruit, uti Venerabilis Beda meditatur, quod sanguis in terram decurrerent, significavit enim, quòd per virtutem pretiosi illius sanguinis terra per peccatum sterilis effecta, fœcundaretur, & homines terreni sordibus vitiorum immundi purificarentur, & abluerentur: *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, ut significaretur virtute eius terrenos etiam homines abluendos fore.* Rarum portentum, inauditum prodigium, & soli Sancto Dominico communicatum. Audite, quid de eo in matutino officiò cantet Ecclesia: *Agonizans pro Christi nomine,* ecce agoniam Christi, *factus in agonia,* & fœcunditatem terræ, ejusque fertilitatem: *Mundum replet divino semine* quia, ut noster doctissimus Petrus à Palude commemorat, altius considerans S. Dominicus innumera hominum peccata, sanguinem sudabat. Imò attestante celebri nostro Leonardo de Vtino, dum ad populum concionem (quæ etiam est pars orationis) haberet, fervore charitatis intùs exæstuante impulsus, quo hominum scelera detestabatur, sanguinem sudavit: *Vt absorptus charitate transformaretur facies, totusque rubicundus*

D. Ansel. in Specul. Evang.

Luca 22. v. 43 & 44.

D. Irenæus hic
D. Iustin.

Venerab. Beda hic.

Leonard de Vtino ubi supra

bicundus stillaret guttas sanguinis, quemadmodum Christus in horto. Emanante siquidem per poros corporis sanguine, voluit se totum convertere in oculos, ad deflendum sanguineis lacrymis calamitatem generis humani, non secus, ac mellifluus Doctor S. Bernardus loquitur de sudore nostri Redemptoris: *Vt membris omnibus flevisse videretur.* Non potuit lux profundiùs deorsum vergere, neque charitas altiùs sursùm ascendere, quàm prosternendo in terram, eum, qui totus erat cœlestis, & inclinando ad compassionem, & dolorem peccatorum, eum, qui numquam peccatum perpetraverat, ita ut egregiè verificetur S. Ioannis Chrysostomi dictum: *Et lucem fecit inferius vergere*, in quo verè munus lucis Evangelicæ, seu mundi consistit: *Vos estis lux mundi*

D. Bern Serm 3. Domin. Palmar.

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO IV.

Est sanctus Dominicus verus Atlas Ecclesiæ, eiusque sacer Ordo dexterum brachium eam propugnans, & defendens.

II INter cæteras proprietates naturales lucis (quas brevitatis causâ prætereo) à sacris Interpretibus enumeratas, una est, nimirùm, quòd densas noctis tenebras dissipet, venenatosque serpentes, & feras fuget, ac dispellat. Animalia enim, quæ sub obscuritate noctis audaciùs in gregem sæviebant, enascente luce Solis, ad solitas refugiunt latebras, & cavernas. Et huic accinit Regius Psaltes in Psalmo: *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, &c. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Hoc itaque indicat Christus Dominus, dicens: *Vos estis lux mundi*, quòd videlicet, ea debeat esse vita ministrorum Evangelii, & luce doctrinæ suæ etiam quævis veritati Catholicæ adversantia diffluent, ac dispellant. Talis utique fuit divinus noster Patriarcha: *Quasi Sol refulgens*, ad cuius splendorem, & radiantem lucem tenebrosæ hæreticum nebulæ disparuerunt, & prorsùs evanuerunt. Tanta enim hæresum nocturna obscuritas (dū natus fuit Sanctus Dominicus) terram, imo, & universam Ecclesiā occupaverat, ut nisi viribus, & humeris illius suffulta fuisset, prout undique affligebatur, ruinam, & interitum minari videretur. Verum Deus tanto succurrens malo, providit hoc fulcrum veritatis Catholicæ, & columnam Ecclesiæ, quæ eam validius sustentaret.

Psal. 103. v. 20. & 22.

Rectè meministis verborum, quæ ex ore Dei retulit Angelus ille, cuius mentionem facit S. Ioannes in sua Apocalypsi: *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei.* Doctissimus Hugo de S. Victore explicans attributa requisita in viro sancto, sit perfecte columna Templi Dei, non obscurè, sed explicitè testatur nobis talem supereminenter fuisse gloriosum nostrum Patriarcham: *Sublimis per contemplationem, & alios quidem sustentet verbo consolationis*, id est, excelsus per cognitionē Dei, & humilis per compassionem, elevatus per contemplationem, & demissus per commiserationem, ut indigentibus succurrat, & mœstos, tristesque consoletur. Ecquis altius ascendit per contemplationē, quā gloriosus noster Parens? Testes huius veritatis appello, frequentes illius ecstases, & crebros raptus, quos fermè continuò patiebatur, quantum verò attinet ad dandum aliis solatium, ecquis illo excellentior, qui fervore, & eruditione doctrinæ suæ populum Christianum mirificè ædificavit, & stabilivit? Fuit proculdubio columna fortis, quam Deus in Ecclesiā sua firmavit, contra hæreticorum astutias, & cavillationes, ut Ecclesiam stabiliret, & erronet hæreticos destrueret. In quo ita sublimitas scientiæ eminuit, ut coniuncta fuerit fervori charitatis. Hoc autem admirabile vinculum adeò placuit Reginæ cœlorum, (quemadmodum posteà fusius enucleabimus) ut propter illud promeruerit Sanctus Dominicus ab illa elegi, & præsentari amantissimo Filio eius, tamquàm basis, & Atlas, super quem totius Ecclesiæ fabrica securè incumberet. Totum hoc insinuant admirabiles illæ visiones canis in ore portantis faculam accensam, micantis stellæ in fronte parvuli, & Ecclesiæ collabentis, iam iamque ruinam minantis, nisi Sanctus illam humeris suis exciperet, & sustentaret.

Hugo de S. Victor. hic.

Idem prorsùs postmodum fuit præstitum auxilio, & virtute filiorum eius, putà, fratrum Prædicatorum, quoties feræ illæ crudeles, & venenati serpentes hæresi sua Ecclesiam offendere, & inficere, eorumque suorum obscuris nebulis offuscare contenderunt. Habet pastor ille divinus gregem suum, id est, 31.

Eccle-

Ecclesiam sanctam, inquit eruditissimus Cardinalis Vitriacus, estque summopere necessarium, ut etiam suos habeat canes, & molossos, qui gregem ab ingruentibus ferarum unguibus tueantur, & defendant, ne ab immanibus illis lupis dilaceretur, aut devoretur. Ponderat ad hoc intentum, quòd Christus Dominus semetipsum pastorem indigitet: *Ego sum pastor bonus.* Pastor es, ô Domine, & Deus meus! igitur haud dubiè, suppellectili, & instrumentis pastoriis indiges. Unum autem, & fortassè præ omnibus necessarium est, ut canes habeas custodes gregum, nullus enim reperitur pastor, nullum ovile, sine cane. Accipite pulcherrima eius, & disertissima verba: *Habet autem tot canes, quot habet sub se Prædicatores, linguam medicinalem, more canum habentes: & latratu lupos arcentes, sagaces odoratu discretionis vigentes, Domino suo fideles, & super gregis custodiam nocte vigilantes.* Sunt hæc verba adeò dilucida, ut nulla egeant expositione, prædicatores enim latratu suo fugant lupos rapaces, Ecclesiæ destructores, & odoratu discretionis suæ insectantur feras, easque assequuntur, & vigili cura gregem Domini custodiunt. Ecqui sunt isti canes, qui continuo latratu suo gregem Domini tuentur, & defendunt, nisi Fratres Ordinis Prædicatorum, quem sanctus Dominicus ante nativitatem suam, in cane latrante præfiguratus, instituit? qui per suos filios, & alumnos indefesso labore etiamnum super gregis custodiam vigilat, & excubias agit.

Ioan. 10. v. 14.

Vitriac. Dominic. 2. post Pasch. Serm.

4\. Obsederat Philippus Macedonum Rex, & arctissimis concluserat munitionibus urbem Atheniensem, & civibus, seu incolis ad extrema deductis, spopondit se obsidionem soluturum, neque deinceps ullum belli incommodum illis illaturum, hac lege, & conditione: *Tantùm si decē sibi dederint Oratores.* Audivit, inter cæteros, hanc Regis petitionē, Diogenes, & insignem hanc subiunxit apologum: *Convenerunt olim lupi cum pastoribus dicentes nullum sibi cum his, vel ovibus esse dissidium, tantum cum canibus, hos removerent, & pacem fore stabilem: deduntur canes, mox lupi grassātur impunè.* Erant ea rerum tempestate Oratores, quod hoc tempore sunt Prædicatores, canes, qui latratu doctrinæ suæ ita custodiebāt Civitates, easque monitis suis gubernabant, ut ne hostes quidem ad eas propiùs accedere præsumerent, iis verò sublatis, certo certiùs civitates suo imperio subiugandas, & funditùs evertendas sibi persuaderent. Pari modo ad rem nostram audebo dicere, canes Ecclesiæ esse Fratres Prædicatores, qui lupos, id est, infideles erroribus suis Ecclesiæ nocere cupientes, abigunt, & repellunt. Si illi deficerent, gravia mala timeri possent: sed cum iuxta Dei testimonium, sint permansuri usque ad consummationem sæculi; quantumcumque turbulentis falsorum dogmatum undis concutiantur, & agitetur Ecclesia, Prædicatoribus suffulta, sine excidii, aut ruinæ metu secura, & immota semper persistet.

Nuc. Nucleus Domin 8. post Trinit. 3.

5\. Absque dubio probè noverat hanc veritatem Pontifex Urbanus IV. dicens, Filios sancti Dominici comedi à zelo domus Dei. Et Papa Alexander IV. loquens de illis, appellat eos *Propugnatores Fidei, quos secundum Religionis officium zelus comedit animarū*, quasi zelo illo, tamquam lento, & protracto martyrio consumantur, & exedantur. Alludunt hæc verba ad illa Davidis in Psalmo, in persona Christi, loquentis ad Patrem æternum: *Zelus domus tua comedit me.* Quæ ponderans noster doctissimus Cardinalis Hugo, ponit insignem differentiam, & distinctionem inter zelatores, quorum aliquos comedit zelus, & amor boni communis, sicuti Christum, & hi pauciores reperiūtur, qui sunt Fratres Prædicatores, & eorum imitatores, & sequaces. Alii comedunt ex zelo, & hi sunt honoratiores Reipublicæ fures, & deprædatores, qui titulo zelatorum bona rapiunt aliena, & quia in tam diversum collimant scopum, & tam dispari vacant studio, non erit possibile eos componi cum filiis S. Dominici, aut fratribus Prædicatoribus. Neque summi Pontifices hisce solummodò titulis eos condecorarunt, sed etiā pluribus aliis jam jam enumerandis. Vicarius Christi in terris Urbanus IV. indigitavit eos *Defensores sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.* Et summus Pontifex Paulus V. Ordinem Prædicatorum, *Brachium dexterum Ecclesiæ*, nuncupavit, tam propter zelum, quo semper hæreti sese opponit, quàm etiam propter invictam animi constantiam, qua hæreticorum tela fœliciter eludit, & propulsat. Et meritò quidem, quemadmodum enim brachium pro munere, & officio habet, imminentia capiti vulnera avertere, ita & Ordo Prædicatorum iniurias capiti Ecclesiæ illatas vindicavit, & usque modo propugnat. Et in hoc sensu nisi me fallat opinio,

Psal. 68. v. 10.

nio, Spiritus sanctus apud Iobum appellavit Verbum Dei incarnatum, brachium Dei, & vocem tonitrui: *Si habes brachium sicut Deus, & simili voce tonas.* Connexio quidē apparet parū consona, quia brachium nec loquitur, nec vociferatur, illius munus arma tractare, & contra hostium impetus digladiari: atlicèt hoc verum sit in brachio corporali, attamen spirituale non alia, præter voces, novit arma, quapropter meritò componitur brachium cum voce, ut liquidò innotescat, Christi doctrinam esse brachium, quod munit, & protegit Ecclesiam, & contra quoscumque hostiles insultus tuetur, & defendit. Idem omninò est munus, quod ex vi constitutionum incumbit Fratribus Ordinis Prædicatorum, ac proinde non immeritò eorum sacra Religio dexterum Ecclesiæ brachium vocatur, quia voce prædicationis suæ eam propugnat, & defendit.

Iob. 40. v. 4.

6. Iam in promptu aderit ratio, & causa, ob quam nos Dominicani aut Fratres Prædicatores, peculiari summorum Pontificum indulto sinistra manu, in Sacrificio Missæ communicemus, aut sacrum Christi corpus sumamus: *Ut dextera expedita sanctissimum Sacramentum defendere possimus.* In Historiis Regum ait Achis ad Davidem, quòd, si vellet secum manere, eum, suosque semper ad latus suum comites assumeret, ut sub illius umbraculo caput Regis semper tutum ac securum custodiretur, adeo enim sublimem animo conceperat opinionem de Davidis, militumque eius generositate, *Mecum egredieris in castris, tu, & viri tui, & ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Cuncta peccata, & scelera sunt jacula contra Dei Majestatem, quamvis non omnia pari prorsus modo, quia, quædam (liceat ita loqui) jaculantur in pedes, quædam contra manus, sed hæresis semper impetit caput, putà, divinitatem, *Caput Christi Deus.* Sanctus igitur Dominicus, eiusque filii sunt custodes, capitis Dei, quia semper pro defensione Fidei Catholicæ, etiam impræsentiarum sese animoso pectore rebellibus opponentes, vitam periculosæ aleæ committunt, & sanguinem exponunt. Commendabat cœlestis ille Magister Discipulis suis, ut prudentiam serpentis, & simplicitatem columbæ imitarentur: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colūba.* Certe, quòd discipuli columbinam affectent simplicitatem, facilè capio; at, quòd serpentinam imitentur astutiam, non videtur ullo modo rationi consentaneum. Imo maximè consultum, inquit noster Hugo: *Quia astutia serpentis in bono commendatur, eò quòd pro capite corpus exponit.* Idipsum ergo exigit Christus à Discipulis suis Prædicatoribus, ut pro defensione capitis sui, quod est Deus, sanguinem, & vitam profundant: & ad ostendendum, quòd Fratres Prædicatores semper sint prompti, & parati ad hanc virilem, & generosam defensionem, ideo in Sacrificio Missæ sinistra manu sacram sumunt communionem, ut dexterâ expedita, liberius eam defensionem exequi valeant, & suæ satisfacere vocationi.

1. Reg. 28 v. 2.

Matth. 10. v. 16.

Hugo Card. hic

7. Hinc firmiter mihi persuadeo, mundum partim suam conservationem, & Ecclesiam majorem suæ firmitatis partem debere sancto Dominico, eiusque sacræ Familiæ, idcirco namque sacratissima Virgo Deipara obtulit amantissimo Filio suo gloriosum nostrum Patriarcham, & in illo totam eius religiosam Familiam, tamquàm restauratorem Ecclesiæ, & scutum mundi; primum liquido constat, ex illo miraculoso eventu, qui contigit Sacerdoti sacra peragenti, quemadmodum suprà retulimus; secundum patet ex admirabili illa visione sancti Patriarchæ, dum ardentius orationi vacans, vidit Redemptorem mundi tres lanceas manu vibrantem, quibus, velut bellator fortis, mundum sceleribus pressum, & vitiis immersum jam destruere, & penitùs delere decreverat. At Mater misericordiæ, solito fungens munere, & officio Advocatæ, & mediatricis, ultionis, & vindictæ iam conceptæ inducias impetravit, offerens, & præsentans illi duos Apostolicos viros, insignes Patriarchas, Dominicum, & Franciscum, duos nimirum Orbis Atlantes, qui exemplo, & verbo peccatores ad pœnitentiam converterent, & perditos ad meliorem vitæ frugem reducerent, & revocarent. Quibus sibi exhibitis, Deus furorem mitigavit, iram suam temperavit, & lanceis indignatione plenis è manu abiectis, inducias pœnæ dedit, pacemque cum hominibus firmavit. Sed quid mirandum hos duos tanta apud Deum authoritate valuisse, ubi sanctus Dominicus totum solus præstare, & obtinere potuisset. Animadvertens Moyses exulceratum Dei animum, maximamque illius contra populum indignationem, præsentiensque iustissimam in eos iam dispositam ultionem, quam hominum flagitia extorserant, magnopere affligitur, & conturbabatur, utque Deum

ad miserendum inflectat, & promoveat, omnem movet lapidem, eique in memoriam revocat, tres illos illustrissimos Patriarchas Abraham, Isaac, & Iacob: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* Vbi doctè annotat Lyra, Moysen extrema tentasse ad placandam Dei indignationem, & eapropter merita illorum Patriarcharum, veluti efficacissima in unum congessisse, Deoq; justa indignatione exulcerato exhibuisse; tamquam diceret; ô benignissime Deus! si populus iste mortem incendii, & exustionis promeruit, ecce Abraham pater eorum amore tui in ignem, & Vr Chaldæorum immissus fuit, & flammæ illæ temperent furorem ignis, quem populus mereretur: si delicta populi mei gladium, & ferrum exigant, ecce Isaac paratus fuit pro te immolari, obedientia igitur illa, qua nec districtũ ensem Isaac recusavit, brachium furoris tui inflectat, & ictum suspendat: Et si tandem exilio sunt mulctandi; ecce, & recordare Iacob, cujus vita perpetuum fuit exilium, & peregrinatio, & ne perdant hi patriam suam, ne exulare cogantur, saltem, quia Iacob, ut tibi morem gereret, suam deseruit. Et cùm hi amici tui justi existentes, hæc omnia amore tui sint perpessi, parce filiis, quos pro peccatis, iuast manet ultio, saltem propter merita talium parentum: *Recordare Abraham, Isaac, &c.* Hac peccandi formula Moyses placat Deum, & eadem utens Virgo Deipara Filium, humanis sceleribus exacerbatum, offerens illi sanctum Dominicum, sibi propitium devincit, & exorat, quasi diceret, si mundus iste propter flagitia sua incendium, & funestam exustionem, vel sanguinis effusionem, vel exilium promeruit: ecce Dominicũ, qui amore tui omnia hæc tormentorum genera libens subivit. Ipse transivit per ignem, ecquod enim maius aut vehementius incendium, quàm amor, quo intùs ardet, & exuritur, quemadmodum plures actiones eius raræ, & inauditæ testantur, & præsertim illa, quando cappa eius solo orationis ardore fuit exsiccata, sociis eius suas ad focum longiori, & diuturniori tempore exsiccantibus, imo, & libellus ille ter in flãmas ab hæretico traditus, hoc ipsum aperte comprobat, dum prædominante igne charitatis in corde Dominici, rogum a tyranno incensum superavit illæsus, & victor resilivit: *Ecce do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum ligna,* ait Deus Ieremiæ, dum eum ad prædicandum mitteret, tamquam diceret, inquit Angelicus Doctor sanctus Thomas: *Dabo verbis tuis efficaciam, ut ipsa verba tua quasi ignis comburant,* id est, ut etiam ipsum ignẽ devorent, & consumant. Videtur profectò sanctus Thomas præ oculis habuisse, & præsentem sanctum Dominicum parentem suum, qui scriptis suis incendit, & exurit: ignem igitur, & incendium, quod Dominicus in libello suo flammis tradito patitur, & ardorem charitatis in corde eius exæstuantem offert beatissima Mater Filio suo, quo incendium, & conflagrationem mundo debitam, & imminentem temperet, avertat, & extinguat: si mundus iste pro peccatis suis gladium, & sanguinis profusionem promeritus est, ecce Dominicum, cuius vita lentum quoddam fuit martyrium, non manibus tyrãnorum illatum, quia noluit Deus sanguinem venarum eius committere manibus eorum extrahendum, sed ipsius Dominici fervidæ devotioni, quem ipse ferreis flagellis jam à multis annis, terna vice per singulas noctes copiosum eliciebat, & effundebat, atque ita innoxius ille sanguis amore tui profusus obstare potest, ne noxium eorum, qui digni sunt pœna, effundas: Et tandem, si mundus iste exilium promeruit, ecce Dominicum, cuius vita perpetuum fuit exilium, & continua peregrinatio, de Provincia ad Provinciam, de Regno ad Regnum, semper prædicando, semper docendo, & patiendo: quia igitur Dominicus pœnas mundo debitas in se persolvit, & luit, propter merita ipsius mansuescat furor tuus, & indignatio, quam hominum reatus promeruerunt.

Exod. 32. v. 13.

Ieremiæ 5. v. 14.

D. Thom. hic.

Nisi etiam dicere velimus, sanctissimum Patriarcham nostrum cum Christo hoc fœdus, & pactum iniisse, hac lege, & conditione, ut Christus tres lanceas, quas iam contra peccatores vibrabat, retraheret, & colligeret, & ipse tribus aliis contra eos Ecclesiam sustentaret, & defenderet, nimirum Tribunali sanctæ Inquisitionis, solida sacræ Theologiæ doctrina, & devotione sanctissimi Rosarii: sunt hæ lanceæ contra infernum in officina huius sacræ Religionis fabricatæ, tres bases, & columnæ, quibus tota innititur Ecclesia Catholica, & quibus præmunita, immobilis, & secura consistit, & perseverat, quia ut sacer Textus loquitur: *Funiculus triplex difficile rũpitur* & maximè quando tantæ fortitudinis, ut hi sunt, nulla eos vis, aut potentia mundi poterit 8.

Ecclesiast. 4. v. 12.

terit frangere, aut dirumpere, sed potius ad conspectum tantæ lucis, ut ait Christus, densissimæ etiam tenebræ dissipantur, & evanescent. *Vos estis lux mundi.*

Vos estis lux mundi.

CONSIDERATIO V.

Pati pro Deo, argumentum est amoris erga eum, at desiderare pœnarum, seu tormentorum prolongationem, ardentioris charitatis est indicium: Et charitas S. Dominici tanta extitit, ut Christum æmulata fuerit.

6. PRima pars huius tituli adeò familiaris, & nota est in sacris Litteris, ut eam probare supervacuum, & otiosum foret, ideoque ea, veluti indubitata, & infallibili præsupposita, evidens infertur conclusio, nimirum esse signum perfectæ charitatis, optare productionē in pœnis. Si enim pati pro Deo sit argumentum amoris erga eum, rectè sequitur, qui plus patitur, plus diligit; neque potest quispiam evidentius ostendere excellentiam charitatis suæ, quàm quærendo paulam, & protractionem in doloribus, & capiendo solatium in eo, quod tyrannus ad tormentum excogitavit. Quot cruciatus, iniurias, & approbria executus est furor ille barbarus Philistinorum, in fortissimum Samsonem, neque enim radendo caput eius, neque eruendo ei oculos exsaturati sunt, sed ingeniosè duxerunt eum vinctum catenis in Gazam, & clausum in carcere, molere fecerunt, & tandem advocantes eum, præceperunt ut corricum, & motionem coram eis agere: : *Præceperunt, ut vocaretur Samson, & ante eos luderet.* Nonnè præstaret, in quit magnus Abulensis, quòd feroces illi, & truculenti unico impetu, Samsonem è medio tollerent, & simul unico ictu rabido furori suo satisfacerent? Nequaquam, ait Doctissimus Episcopus: *Quia putabant completam vindictam, si eum occiderent* Studio, & data opera procrastinant, & protrahunt illius vitam, ut pœnam accumulent, & adaugeant, cùm nampque inhumanissimā ei intentarent ignominiā, inveterata eorum perversitas modum excogitavit eum affligendi paulatim, quo in accumulatione dolorum & cruciatuum, & productione pœnarum magis insatiabilem suam ulciscendi cupiditatem foverent, & explerent. Idem omninò solent tyranni exercere in Christi Martyres, ut hoc diuturniori martyrio atrociorem de iis sumant vindictam: at illi, quibus charitas Dei plenè dominatur, & quibus se Spiritus Dei liberaliori dono communicat, tantùm absunt, ut deficiant in tormentis, quin potius eorum accendatur desiderium patiendi, & gaudeant protrahi dolores, & paulatim inferri pœnas. Et hocce modo passus est Sanctus Dominicus, affectu saltem, & desiderio insatiabili, quemadmodum apertè testatur admirabile eius responsum, quo latronibus obvius factus, suum martyrii desiderium explicuit cum enim interrogarent illi, num mortem timeret, aut quid faceret, si in odium fidei quam prædicabat, ei vitam auferrent, necemque crudelem inferrent? audaci pectore, & intrepida voce respondit, dixitque ei: Rogarem vos ne brevi compendio mortem adferretis, sed pauliatim singula membra ferro præcisa oculis objiceretis, ac denique luminibus evulsis, sineretis mutilum corpus suo in sanguine volutari, aut prorsùs arbitrio vestro omni vita spoliaretis, ut tantò major foret gloria morientis, quantò protractiores fuissent pœnæ patientis.

Indic. 16. v. 25.

Abulens. hic q. 5.

Singulari acumine ponderavit sanctus Ambrosius heroicum illud facinus sancti Patriarchæ Abrahami, evaginantis ensem ad jugulandum, & immolandum, filium suum unigenitum Isaac: *Cumque extenderet manum, ut immolaret Isaac filium suum.* Indagat siquidem Sanctus Doctor, num Abraham in hoc tragico & funesto opere hæserit, aut aliud quidpiā trepidationis signum ediderit, ex quo aliqua in manu conturbatio apparere potuisset. Et existimat sanctus Præsul, Patriarcham Abrahamum gravissimo dolore, & angore tunc fuisse perculsum, & penè exanimatum, *trepidavit.* Durum profectò verbum prima fronte consideratum, nisi alia ab eodem Sancto Doctore adiecta illud luculentiùs explicarent; quia carpere videtur, & improbare actionem adeò heroicam, & præclaram, quam ipsemet Deus, veluti peregrinam, & inauditam magnopere extulit, & laudavit. Neque opus foret eam ponderare, nisi Abraham ad eam exequendam trepidasset: præsertim cùm S. Paulus alibi mirificè celebret, & summis encomiis illustret fidem, & genero-

generositatem animi, quo Abraham filium suum obtulit, & immolavit: *Fide obtulit Abraham Isaac.* Non enim rectè conveniunt encomia S. Pauli, cum trepidatione, quam indicat S. Ambrosius; verùm Sanctus seipsum explicat, assignans rationem ingenio suo dignam, & in maximam S. Patriarchæ laudem: *Ne periret pœna, trepidavit.* Contremuit quidem, & trepidavit, non vitam auferre filio, sed pœnam, & dolorem compendio abbreviare. Animadvertens Abraham cervicem, & collum pueri tenerrimum, eique commensurans, & adæquans vires, & fortitudinem brachii sui, judicavit primum ictum caput obtruncaturum, atque ita dolorem suum pauco tempore duraturum, & citò finiendum; & hæc fuit causa trepidationis, quia videbat nimiùm accelerari occasionem passionis, qua peracta, haudquaquàm diutiùs actio sacrificandi perseveraret: *Ne periret pœna, trepidavit.* Optasset Patriarcha tunc cervicem filii adamante duriorem, quæ ferro resisteret, gladium, seu minùs acutum, & penetrantem, & vires suas imbecilliores, ut diuturniori tempore occupatus sacrificio, longiores moras in patiendo protraheret: Et quia considerabat unico ictu, & actu totum peragendum sacrificium, acerbissimo dolore conficiebatur. Nisi velimus dicere omnem illum tremorem studio, & diligentia ferventissimi desiderii illius fuisse excitatum, ut hoc pacto procrastinaretur martyrium, & produceretur occasio patiendi; vix enim fieri poterat, ut tremula manus unico vulnere caput decollaret, ideoque ut sacrificium protraheretur, tremores in manu exoptavit: *Ne pœna periret, trepidavit.* Non timet Dominicus hæreticorum tormentum, cui hoc unicum in votis erat, ut martyr fieret, sed timet, ut ne citò transeant, & cupidus martyrii, volensque excellentiam charitatis suæ ostendere, vellet ea produci in ævum; at quia impossibile reputat ea æternum durare, timet, dolet, & contristatur.

Hebr. 11. v. 17.

D. Ambr lib. de Resurrect.

3. Videtur planè Patriarcha noster æmulatus fuisse timores Christi, de quo Evangelicus Isaias prædixit: *Replebit eum spiritus timoris Domini.* Sed in ipso limine oritur difficultas operosè enucleanda, qui in Christo, in quo ne vestigium quidem culpæ aut pœnæ potuit existere, tantum locum habeat timor, ut etiam, præ cæteris donis, in illo, gaudeat titulo plenitudinis: *Replebit eum.* Fateor ingenuè difficilem esse, & implexam quæstionem; sed Angelicus Doctor angelicè nobis aditum reseravit, & solutionem suggessit, in favorem doctrinæ jam propositæ. Supponit S. Doctor Christum Servatorem à primo instanti conceptionis, habuisse in anima sua omnes dotes beatorum, ita ut anima gloriosa divinam essentiam intueretur, & fuisse necessarium, non redundare gloriam animæ in corpus passibile, ut in corpore infirmitatibus subjecto materia satisfactionis ei non deesset. Et totum hoc factum fuit divina dispensatione, quæ invigilans commodo, & utilitati nostræ, ut Christus capax dolorum remaneret, gloriam, & claritatem corporis jure Christo competentem, & debitam, subtraxit, & impedivit: *Quòd enim à principio conceptionis gloria animæ non redundaret ad corpus, ex quadam dispensatione divina factum est, ut in corpore passibili nostræ redemptionis expleret mysterium.* Quia igitur hæc dispensatio, ne gloria animæ redundaret in corpus, dependebat à libera voluntate Patris, & arbitrio suo poterat impedire miraculum, & reddere corpus Christi gloriosum, ac per consequens, impassibile, replebatur timore, & angebatur, timens ne gloria animæ redundaret in corpus, & præriperet sibi ansam, & occasionem passionis, quam unicè ambiebat. Et hæc erat plenitudo timoris, quam habebat, ne, scilicèt, miraculum deficeret, & compendiò abbreviaret tormenta, quorum adeò cupidus erat, ut timores non ex pœna dolorum, sed ex dubio eorum occasionem perdendi nascerentur; ô Dominice imitator Abrahæ, & æmulator Christi mortem pertimescentis, longiores quidem cupis moras in morte, non quia aspectus ejus te terreat, sed, quia meritum martyrii perdere reformidas, quò enim diuturnius est, eò majoris præmii lauream confert, non times amittere vitam, sed compendiosum illam perdendi modum, abhorres: quinimò ipsamet desideria pro Deo vitam, & sanguinem profundendi semel, & sæpius multiplici te replent timore, & dolore.

Isaia 11. v. 2.

D. Thom. 3. p. q. 45. art. 2. in corp.

4. Non minùs deserviunt instituto nostro verba illa, quæ Salvator in horto factus in agonia, tristi, & lamentabili voce protulit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Vivacissima cogitatione præsentiebat Salvator mundi gravissima sibi imminentia tormenta, omnesque injurias, ignominias, & opprobria, quæ erat passurus, & instantiùs deprecabatur Patrem, ut si possibile foret, calix passionis vel transi-

Matth. 26. v. 39.

transiret, vel differretur: *Orabat*, inquit sanctus Marcus, *ut transiret ab eo hora*. quamvis tamen omnia divinæ, & non suæ subjiceret voluntati. Ast, ô mi Domine, & Redemptor animæ meæ! ubi nunc ferventissima illa desideria moriendi, quæ aliquando in corde tuo cudebantur, & flagrabant? Qui modo te terret præsentia mortis, cujus hactenùs dilectio te tantoperè afflixit, & contristavit? Plurimas, easque devotissimas congerunt hic Sancti Patres meditationes, præ cæteris tamen arridet, quam Venetus, ad rem nostram, ingeniosè excogitavit: *Non dixit, amoveatur, sed differatur*, non rogavit Patrem, ut mortem averteret, sed procrastinaret, & paullatim inferendam disponeret: *Longiorem moram contentus nobiscum trahere cupiebat, ut opus redemptionis excellentiùs perficeret.* Postulebat Christus dilationem mortis, non quia eam timeret; sed ne citò perficeretur, nevè perdendo vitam, pœna cessaret; appetebat dilationem, non timore mortis, sed desiderio, & amore passionis. Et ad hunc modum intelligendus est præfatus Author, dicens, Redemptorem omnibus votis longiorem optasse vitam, nobiscum, ut opus redemptionis excellentiùs perficeret, non quia aliquid passioni jam peractæ desit ad complementum perfectionis, sed ad tentandum an diutiùs patiendo, & terminos passionis protrahendo, possibile foret, implacabilem amoris sui sitim restinguere; & hæc est emphasis illorum verborum: *Pater, si possibile est, &c.* Tot, & tanta sunt ineffabilis hujus amoris vincula, quibus dulcissimus Dominus, & amantissimus Redemptor nos sibi arctissimè innexuit, & devinxit; & & nescio quis uberiùs, aut diligentiori studio amorem illum amore compensavit, quàm Patriarcha noster Dominicus, qui & sequitur vestigia ejus, & omnibus votis cupit mortem non accelerari, ut injecta mora præproperæ morti, differatur, & prolongetur tempus, & terminus desideratæ passionis.

Marc. 14. v. 35.

Venet. Cant 3. cap. 4.

5. Et alia quadam occasione insigniter charitas sanctissimi Patris nostri æmulata est amorem Verbi divini, quando nimium afflictæ cuidam viduæ pauperi, sed devotæ, apud eum filii sui ab Saracenis detenti ærumnas plangenti sese obtulit vendendum, ut hoc pretio redimeretur captivus: *Ut servum redimeres, tradidisti Filium*, accinit Mater Ecclesia æterno Patri, in gratiarum actionem, pro beneficio Incarnationis, quia Filius nos omnes è servitute peccati liberavit. Non absimile fecit gloriosus noster Patriarcha Dominicus, offerens semetipsum servituti Saracenorũ mancipandum, eorumque vinculis & ergastulis vitam suam devovens, ne captivi fides periclitaretur aut Catholica constantia naufragium pateretur. Dum Hebræorum ministri, & satellites dœmonum furentes properarent ad comprehendendum Christum, singulariter advertit Discipulorum dilectissimus, Servatorem nostrum rogasse eos, vel ut cum sancto Chrysostomo loquamur, præcepisse eis, ut discipulos suos immunes, & liberos abire permitterent: *Si me quæritis, sinite hos abire.* ubi acutè meditatur Sanctus Leo Papa, quod Christus Dominus ipso tempore captivitatis suæ, mox curam gesserit libertatis suorum, & hoc ideò, *quasi de Christi comprehensione Discipulorum penderet libertas*, & reverà sic erat, quia ex comprehensione & morte Servatoris nostri dependebat salus & redemptio nostra à servitute peccati. Non potuit sanctus Dominicus omnium captivorum universalis Redemptor, ecquid igitur faciet, ut imitetur Filium Dei? quid. nam? seipsum spontaneè offeret vendendum, sive dabit seipsum captivum tyranno, ut hoc pacto servetur fides captivi, & redimet vitam alienam, etiamsi propriam periculo exponat.

D. Chrysost. apud Toiet. hic. Ioan. 18. v. 8.

D. Leo Papa Serm.

6. Notissimi sunt favores, & insolitæ humanitatis indicia, quibus impius ille Rex Salmanasar excepit sanctum Tobiam, tantam enim gratiam invenit in oculis ejus, ut eum manumiserit, & omni libertate donaverit ad redeundum in patriam suam, ita ut ipse solus inter cæteros Israëlitas hoc privilegio gauderet, fuit tamen tanta animi ejus generositas, ut spreta libertate jam obtenta, maluerit manere cum fratribus suis concaptivis, ut sua præsentia eorum sublevaret miserias. Verba autem Textus sunt sequentia: *Dedit illi potestatem, quocumque vellet ire, pergebat ergò per omnes, qui erant in captivitate, magis volens habitare in terra aliena ad confirmandum captivos in bono, quam redire ad propria* Commutavit inquit Glossa Ordinaria, illustris ille vir libertatem suam in captivitatem voluntariam, & maluit potiùs esse captivus quàm liber, ne sibi adimeretur occasio succurrendi suis. Non est dubium, quin tam heroicum facinus ex magna charitate prodierit, qua Tobias ergà suos ferebatur, verum amor naturalis, eum ad hoc impellebat, neque

Tob. 1. v. 14.

quempiam à quo offenderetur timebat: & hæc omnia non parum ejus alleviabant captivitatem: ast magis heroicè egit sanctus Pater Dominicus, quia sese pro extraneo obtulit, in quo nec patria, nec sanguis locum habebat, quinimò seipsum obtulit tormentis, quibus Catholici apud Saracenos divexabantur, qua propter nullatenus est ambigendum, quin major fuerit fervor charitatis, quo se obtulit, quam durissima servitus, quam ex amore erga proximum elegit.

17. Disputant, & controvertunt sacrarum Litterarum scrutatores, an excellentior fuerit charitas Moysis erga populum, an verò Pauli erga confratres suos? Haud negari potest, quin præstans fuerit charitas Moysis, quia, volenti Deo Israëlitas plectere, Apostatas fidei suæ in adoratione vituli, opposuit sese, dicens: *Aut dimitte eis noxiam hanc, aut dele me de libro tuo.* Neque minùs generosa fuit charitas Pauli in Epistola ad Romanos: *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, secundùm carnem.* Quasi diceret; se facilè valedicturum quieti, vitæ, & cæteris hujus sæculi commodis, pro bono spirituali suorum. Hæsitant, & torquentur ingenia Interpretum in danda resolutione hujus propositæ quæstionis, quia considerantes excellentiam utriusque charitatis, ne alterutri

Exod. 32. v. 31.
Rom. 9. v. 3.

injuriam inferant, comparationem indecisam relinquunt. Sanctus tamen Chrysostomus, cujus authoritas multis præpondérat, jus dicit, & sententiam pronuntiat in favorem Pauli: *Quia Moyses cum cæteris optabat perire, Paulus pro cæteris.* Ille exposuit vitam, absque intentione salvandi aliorum vitam, hic verò propriæ vitæ pretio voluit redimere aliorum salutem. Eapropter licet excellens fuerit amor Moysis, ardentior tamen fuit charitas Pauli, quia sibi reservare pericula, & incommoda, maximè commendat præstantiam amoris, & singulariter efficit similitudinem cum Christo. Charitas ergò sancti Dominici fuit ad mensuram charitatis Paulinæ, & quodammodò æmulatrix amoris Christi, qui pro servanda vita aliorum, tot perpessus est tormenta. Insuper Dominicus magnam sibi conciliavit authoritatem vera lucis mundi, quæ totam se dedicans utilitati, & beneficio terræ fœcundandæ, sui met obliviscitur: haud aliter Sanctus Dominicus, totus invigilans commodis, & saluti aliorum, suipsius omninò oblitus est, quamvis oblivio illa ex charitatis ardore, & gratiæ excellentia prodierit, quæ illum ad tantæ gloriæ sublimavit gradum, qua fruitur in cœlis. *Ad quam nos perducat, &c.*

D. Chrysost. hom. 1 de laudibus Pauli tom. 3.



TRA-

TRACTATUS XXII.

IN FESTO

Miraculosæ Imaginis

SANCTI DOMINICI

Patris nostri in Soriano.

Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, &c.

Matth. 5. cap.



Deo familiaris est Deo ars pingendi, inquit magnus Tertullianus, ut nullum fieret antiquius officium, ita ut si recurrerimus ad sacram Historiam Geneseos, in ipso creationis mundi primordio inveniamus eum penicillo delineantem & vivis coloribus imaginem perfectissimam illustrantem: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Deus itaque fuit primus Author imaginũ & homo primum illius artificiatum: *Deum primum esse Authorem imaginum, qui primam sui depinxit in homine*, ait magnus Africanus. Et quamvis in ipsa efformatione Adami se ostenderet illius creatorem, non tamen idcircò omisit indicare, se illius fuisse pictorem: quia ipsa terra intermixta fuit coloribus eminentissimo seu cinnabari inter rubeum colorem, uti perpulchrè observat noster Lusitanus Oleaster exponens significationem nominis Adæ protoparentis nostri: *Adam enim propriè rubescere significat*, addit que idem Author lutum habuisse aliquid auri admixtum, quia additio, Haphar, cui in originali respondet, *Psegma*, sive *lutum*, non solum denotat pulverem terræ, sed etiam pulverem auri: *Significat non solum pulverem terræ sed etiam auri.* Quod considerato affectu hominum erga hoc metallum, valdè probabile apparet. Et reperiuntur etiam in hac pictura umbræ, inquit Oleaster, si ad sonum Hebraici Originalis attendere velimus: *Faciamus hominem in umbram nostram.* Quod autem dicit in Canticis: *Ostende mihi faciem tuam*, teste Origene, idem sonat, ac politissima arte perficere imaginem, eamque tam vivis coloribus exornare, taliquè artificio perpolire, ut nulla imperfectio nostra appareat, ubi ipsius similitudo exprimitur: *Ut scilicet eam perficiat instar pictoris, suam perficientis picturam in eo, quod in ipsa conspexerit imperfecti.* Hæc prima fuit imago supremi & præstantissimi artificis. An fortassè aliam Deus penicillo delineavit? Ita sanè Imaginem nimirum gloriosi Patris & incly i Patriarchæ nostri Dominici, quam manibus Reginæ Angelorum misit ad miraculosum Conventum Sorianensem in Calabria, anno reparatæ salutis 1530. Miraculosum rectè appello Conventum, quia divina revelatione uti constat, & multis illustratus prodigiis fuit erectus. Rẽ ab ovo referam licet jam

Gen. 1. v. 26.

Tertull. lib. 4. contra Marcian.

Oleaster in cap. 1. Genes. ad litter.

Oleaster ubi supra. Cant. 2. v. 14.

Origen. hom. 2. ex quatuor.

jam fermè omnibus innotescat. Accidit igitur nocte, quæ natæ Virginis Deiparæ diem octavum proximè antecedit, ut is, qui sacristæ munere fungebatur, in templum iret, cereos ad matutinas preces persolvendas, pro suo more & munere incensurus, & ecce dum ab ara regreditur, tres conspicuè fœminas vultu & veste supra modum decoras videt. Attonitus & porrò veritus, ne nocte templum sua incuria patuisset, confestim fores adit, lustrat & obseratas videns magis stupet. Hærentem anxiùque ad se vocat, quæ illarum Princeps habebatur, ex eoque sciscitatur cujusnam nomini ea ædes sacra esset, quæve imago è muro penderet? Refert ille templum S. Dominico dicatum consecratumque esse, cujus unica imago rudis & indocta manu picta, pro ara spectabatur, & quæ jam coloribus humiditate emortuis, penè exesa erat. Tum illa è sinu involutam telam profert, atque tu istam accipe effigiem, & ad hujus domus Præfectum defer, illique dicito ut in hac æde honoris illi locum tribuat. Æditus, cœlitus illapsa animi lætitia perfusus, istud iconis munus venerabundo vultu accipit, continuòque ad Præfectum, seu (ut ordinis more loquamur) Vicarium properat, eum accersurus, quem ad matutinas preces venientem offendit. Illi rem ordine exponit, telamque, ut involutam acceperat, offert, accurrit alius, & simul telam explicant, iconemque contuentur, ardentes pietatis flammas in ipsorum corda ejaculantem, & occulta quadam vi ad sui venerationem permoventem. Omnes rei novitate percelluntur, & summè iconis artificium admirantur. Nocte insequente beatissima Catharina Virgo & martyr uni Sacerdotum, cujus in illam erat singularis amor & pietas, conspicua fuit, remque totam clarissimè retexit, illam nimirum Dominici effigiem non hominis cujuspiam penicillo, aut arte pictam, è cœlo ad eos delatam esse, ipsamque sanctissimam Deiparentem attulisse, seque & B. Mariam Magdalenem Virginis Matris comites fuisse, tamquàm singulares Ordinis FF. Prædicatorum patronæ. His dictis, disparuit Sancta, lætantibus Religiosis tam pretioso thesauro ditatis. Attentiori ingenio premens hanc miraculosam rei seriem, occurrit menti meæ egregia quædam comparatio inter hanc cœlestem imaginem manu Dei effigiatam & primam illam, quam præstantissimus omnium artifex efformando Adamum depinxit. Et reperio unū nisi me fallat opinio, magna ponderatione dignum, & in singularem gloriam & decorem Sancti nostri redundans: nimirum, quod Dominus Deus nullius penicillo commiserit primam imaginem delineandam, nisi proprio, dū primum parentem omnium viventium efformavit, quia similitudinem suam exprimebat, ita neque iconem aut effigiem S. Dominici Patriarchæ Prædicatorum, ullius quantumvis peritissimi artificio, aut ingenio credidit, quasi tanto in pretio haberet imaginem S. Dominici, quanto habuit speciem & effigiem primi hominis, & non minoris æstimaret picturam denotantem Sanctum nostrum, quam similitudinem ipsum Deum repræsentantem. Etsi enim è cœlis descenderit in mundum, ut propria manu reformaret primam illam imaginem, sordibus peccatorum defœdatam, inde etiam ex alto cœlorum habitaculo restauravit imaginem sancti Dominici injuria & diuturnitate temporis penè extersam & obliteratam, & tam egregiis quidem coloribus, tantoque artificio, ut attentius inspecta, manifestè demonstret imaginem illam non esse opus humanum, aut hominis penicillo delineatam, quia inter vivos colores maximè elucet præstantia pictoris, à nullo prorsùs imitanda. Aliam etiam habet prærogativam hæc sacra imago, quæ juxta relationem Historiarum Ecclesiasticarum, singulare fuit privilegium soli Salvatori concessum. Ægrotans Rex Abagarus, summis votis cupiebat imaginem aliquam Christi Redemptoris, adhuc in mundo viventis, cujus aspectu & visione pristinam recuperaret sanitatem, præsertim cùm lethali morbo præpeditus, ipsemet eū non posset accedere aut invisere. Misit in hunc finem, inquit S. Ioannes Damascenus, egregium aliquem pictorem, qui dexteriori penicillo effigiem & lineamenta ejus imitaretur, adhibuit hic manum operi, & quamvis seria attentione opus illud inchoaverit, numquam optatum potuit consequi finem, propter nimios splendores ex facie Salvatoris emanantes, qui remoram ei injiciebant, ne ad vivum effigiem ejus penicillo exprimeret: eapropter Salvator permotus pietate & desiderio illius Principis, annuit votis ejus, & accepto linteo impressit ei effigiem suam, eique in solatium, & ægritudinis pharmacum remisit: *Historia quoque proditum est cùm Abagarus Edissæ Rex pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem, ...*

D. Ioann. Damasc. lib. 4. de fide Orthod. c. 17.

consequi potuisset: Dominum ipsum divina sua, ac vivifica faciei pallium admovisse, imaginemque suam ei impressisse, atque illud ad Abagarũ ut ipsius cupiditati satisfaceret, misisse. Egregii quidam pictores Italiæ conati sunt hanc imaginem S. Dominici depingere, sed nunquàm id plenè sunt assecuti, eo quod viderent totum illud corpus miraculosa luce perfusum, quæ impediebat, quò minùs distinctè iconem contueri, ita ut ab incœpto opere destiterint, quẽadmodum pictor Abagari imperfectum reliquit opus in effigie Christi. In cujus rei testimonium usque in hodiernum diem extant in Conventu illo imperfecta quædam exemplaria, quæ idipsum apertè testantur. Noluit Deus, quod imagines Filii sui & Dominici industria humana ad vivum exprimeret; sed sola sapientia divina id sibi faciendum reservaret De hoc miraculoso opere, & de multiplici fine, quem Deus in illo efformando & depingendo habuit, decrevi nunc verba facere, sed reverà non nisi divina gratia illustratus, id assequi potero, quia ingenium etiam perspicacissimum, eruditio etiam consummata, & tandem discursus etiam profundissimus, nisi gratia duce cæcutiunt, hebetantur & aberrant. Sapientes erant & docti tres illi Principes Orientalis plagæ, qui requisiverunt in stabulo Bethlehemitico, ut Regem natum adorarent, hoc enim testantibus Sanctis Chrysostomo, Anselmo & aliis, denotat verbum: *Ecce Magi, id est, sapientes*, & nihilominus fatentur se stellam vidisse, idcòque se permotos ad quærendum Dominum, & inveniendum. Vt igitur impræsentiarum scopum intentum attingamus, rogemus supplices sanctissimam Virginem matrem gratiæ, ut eam nobis impetret, eamque nobis devinciamus solita salutatione Angelica: *Ave Maria.*

Imperfectus hic Anselm.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, &c.

CONSIDERATIO I.

Misit Deus è cœlis hanc imaginem & iconem S. Dominici Patriarchæ nostri in mundum, ut homines hoc habentes exemplar, in seipsis heroicas illius exprimant virtutes.

VEluti præambulum hujus Concionis præmittendum est, verba relata Christi per Evangelistam Matthæum, diversas admittere explicationes, genuinũ tamen sensum eorũ esse, quod juxta Concionatorum coryphæi, S. Ioannis Chrysostomi mentem, per lucernam ardentem intellexerit Christus Apostolos, quos reapse instituebat Magistros mundi, & admonebat eos, ne occultarent doctrinam, neque absconderent talentum suum, id est, donum miraculorum, quod illis tribuebat, sed ut instar lucernæ accensæ illuminarent mundum, eisque communicarent lucem suam omnibus, qui ea ad honorem & gloriam Patris sui æterni uti, & perfrui vellent. Verba autem sancti Doctoris sunt hæc sequentia: *Ego quidem lucernam accẽdi, vestri autem erit studii, eam manere ardentem, non solum propter vos, sed etiam propter alios qui illuminabuntur & propter gloriam Dei* Supponit tamquàm indubitatum id, quod olim dixit Moyses, Deum nempe esse ignem devorantem: *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Et Malachias Propheta: *Ipse enim quasi ignis conflans.* Et hic ait accendit lucernam, ac si eis diceret, omne & quodcumque bonum fuerit in eis, ignis & lux est ipsius Domini participata, & quemadmodum ipse descendens in mundum, illuminavit eum: *Ego sum lux mundi*, & incendit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Ita etiam illi deberent diffũdere lucem suam, nec eam abscondere: *Vos estis lux mundi*, & paullò infra, *Neque accendit lucernam.* Quæ omnia aureum Chrysostomi os hisce verbis cõplexus est *Quare autem Christus sanctos suos manifestet, & non sinat eos esse absconditos, per alteram comparationem ostendit, cùm subditur: Neque accendunt lucernam, &* ponunt

D. Chrys. in catena D. Thom. hic.

Deuterõ. 4. v. 24.

Malach. 3. v. 2.

Luca 12. v. 49.

D. Chrysost. loco citat.

ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sancti Apostoli imagines fuerunt Christi Salvatoris, quatenùs lux est & ignis, quia erant similitudo, quã vis imperfecta, primæ lucis, & ignis divini: & consequenter idem fuit ipsis dicere, ne lucernam absconderent, ac admonere eos, ne imago eorum occultaretur. Ex hac doctrina sic deducta manifestè colligitur, quàm adæquatè conveniat Littera Evangelii in sensu accommodato sacræ Imagini sanctissimi Patriarchæ Dominici, quam nentiquàm vult Deus occultari, sicut etiam monet lucernam accensam nullatenùs esse abscondendam: sed quia est eadem res in esse repræsentativo (ut loquuntur Logici) cum suo significato, etiam illi in omnibus assimiletur: & quemadmodum hic Illustrissimus Patriarcha fuit lucerna ardens, quæ totum mundum incendit: *Ardebat quasi facula pro zelopereuntium.* Neque conveniens fuit lucem doctrinæ, vitæ, ac miraculorum ejus ullam pati Eclipsim: *Non benè sub modio lumen ardens occulitur*: sed, ut suos diffunderet radios, & luce sua universum inflammaret orbem terræ: ita etiam convenientissimum fuit, ut sacra ejus imago, per quam Deus tot tamque portentosa erat operaturus miracula, dando lumen cœcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, & defunctis vitam, non concluderetur uno vel altero loco, sed per totum Christianum Orbem innumera ejus extarent exemplaria. Vt repræsentans suum prototypum, nos provocet ad imitationem heroicarum virtutum ejus, & hic erit scopus nostræ primæ Considerationis. Imò etiam Deus providit nobis in hac imagine singulare pharmacum & antidotum omnium infirmitatum nostrarum, & remedium contra omnia adversa. Et tandem voluit Deus nobis date in illa forte asylum, & contra omnia pericula securissimum firmamentum, qui effectus nequaquàm obtineri possent, si hæc cœlestis lux abscondita remaneret: *Nemo accendit lucernam &c.*

2. His prænotatis & præmissis, ostenditur primam Dei intentionem & scopum in mittenda hac imagine è cœlis in mundum fuisse, ut homines incitaret ad imitandum heroicas, & præclaras virtutes illius prototypi, & significati, eisque persuadere ut omni conatu, & viribus singuli in se imaginem supremæ illius sanctitatis exprimere aditerentur. Probè noverant Romani vim, & virtutem motivam picturæ, dum ad excitandos animos militum, imagines Cæsarum suorum ad castra per *Imaginiferos* huic muneri dedicatos, secum deferrent, uti curiosè describit Gulhelmus Choul. *Vt magna æmularentur.* Vt videntes depictos, qui præclarè gestis claruerant, famamque immortalem sibi comparaverant, eorum exemplo permoti, fortitudinem, & generositatem ducum suorum milites æmulari contenderent. Neque aliam ob causam Ægyptii exornabant gymnasia, in quibus tyrones & pueri elementarii instruebantur, imaginibus Canopi, & Harpocratis, ut refert Gregorius Becanus: existimantes talium virorum illustrium imagines, & memoriam virtutum eorumdem peritissimos fore magistros & litteratios, ad consequendum finem probæ institutionis a se intentum & desideratum. Ea, & tanta est vis, & potestas picturæ ad permovendos animos cæterorum.

Guil. Choul. de antiquit. Roman.

3. Fecit Rex Salomon, teste Spiritu Sancto in Canticis, lectulum gestatorium, vel currum triumphalem, vel gestamen pomparicum vel tandem vehiculum cameratum, quæ omnes significationes, juxta observationem Expositorum, hoc vocabulo, *ferculum*, exprimuntur. Imò addit doctissimus noster Sotomayor, & cum illo Ghislerius, sequens Rabbi Aben Ezra illud etiam significare: *Palatium sumptuosum, ædem magnificam, umbraculum ædificium Tabernaculum,* & ut nostro modo loquamur, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon,* idem sonat, ac si diceret, extruxit ædiculam materia insignem, artificio singularem & pretio inæstimabilem, quia fabricata erat ex auro, argento cedro & purpura. Verum non hoc, sed quod sequitur instituto nostro deservit: *Media charitate constravit propter filias Ierusalem.* Hic locus maximam patitur difficultatem, in cujus elucidatione plurimum variant sacri Interpretes. Noster egregius Commentator & doctus Ghislerius opinatur Salomonem in summitate hujus ferculi, seu ædiculæ jussisse depingi simulacrum, seu imaginem suam, ut hoc ornatu filias Ierusalem, & ad suum ferculum contemplandum, & ad sui dilectionem pelliceret, utque agnoscentes excellentiam & magnitudinem amoris ejus erga se, diligendi normam ex pictura illa addiscerent: *Semetipso media ferculi constravit, qui charitas esset, propterea quod incensus foret charitate erga filios Ierusalem.*

Soto-mayor.

Cant. 3. v. 9.

Ib v. 10.

Ghisler. hic. in Exposit. Litteral.

lem, atque adeò per sui præsentiam ad sui amorem conaretur illas allicere. Et addit eruditissimus noster Lusitanus: *Pictura enim licet tacens sit opus, tamen sic tacitè penetrat affectus, ut ipsam vivam vocem superare videatur.* Ac si apertius diceret, quamvis hoc motivum inefficax appareat ad provocandum amorem filiorum Ierusalem, certissimum tamen est picturam, tametsi mutam, suas habere voces magisque penetrantes quàm articulatas. Colligitur autem ex his Sapientissimum Salomonem ad eliciendum amorem à filiabus Ierusalem, mandasse seipsum penicillo delineari, & collocari imaginem suam in loco quodam ad instar sacelli, seu ædiculæ affatim exornatæ, eo quod arbitraretur repræsentationem illam fore sufficientem ad persuadendum eis, quod tantopere peroptabat. Ecquid aliud est imago Sancti Dominici de Soriano in ædicula, seu sacrario pulchrè adornato, quàm simulachrum charitatis in summitate ferculi, ad instantiam ipsius Sancti divina manu collocatum? ut ex illa omnes addiscamus modum & methodum amandi Deum & proximum, quibus virtutibus ipse mirum in modum eminuit, & in quibus tota perfectio Christiana consistit.

Esto Maior ibid.

4. Notate ad hoc propositum perpulchram quandam observationem Galfridi Patris ante, qui, meo quidem judicio, accommodissimâ. Narrat Evangelicus Vates se vidisse Deum sedentem super thronum excelsum & solium elevatum, & stantes super illud duos Seraphim qui divinas decantantes laudes, eum Sanctum acclamabant, imò & Sanctorum maximum prædicabant. Insuper addit Isaias singulos habuisse senas alas. *Seraphim stabant, sex alæ uni & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Non omnium Interpretum concors est declaratio, seu expositio hujus filii divinæ Majestatis, adhæreamus autem modo sententiæ eorum, qui dicunt Dominum sedentem in throno esse figuram Christi Servatoris nostri in Cruce suspensi. At illicò occurrit ratio dubitandi, quinam fuerint illi Seraphim, qui decantabant laudes, & attoniti divina magnitudine declamabant infinitam ejus sanctitatem? Mellifluus Doctor Sanctus Bernardus affirmat rectè per hos duos Seraphim posse intelligi Angelos & homines, qui incensi amore divino, eum magnificant, & summis encomiis extollunt: *In duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationalem, Angelicam scilicet & humanam.* Belle excogitatum! sed ecquod tandem mysterium côtinet, aut significat Seraphim illos velare faciem, & pedes ejus: *Duabus velabant faciem eius & duabus velabant pedes eius.* Galfridus ingeniosè solvit nodum dubii ad rem nostram: Nonne advertitis, inquit, Angelos, & homines habere ob oculos positam imaginem Christi crucifixi? Vt quid ergò attoniti obstupescitis, quod alæ sint extensæ ad formam Crucis, (hanc enim figuram exhibebant duabus alis, velantes faciem ejus, & duabus velantes pedes ejus, & duabus volantes) etiam seipsos crucifigant? *Velant Seraphim pedes Domini duabus alis, imitatione Dominicæ passionis*, inquit contemplativus Pater, adeò potentes sunt vires repræsentationis Dei in Cruce suspensi, ut vix possibile sit intueri imaginem crucifixi, quin animus exemplò incitetur ad pietatem, & cor ad quævis sufferenda animetur. Hactenus tamen semper eadem remanet difficultas, quod enim homines aspectu & contemplatione imaginis Redemptoris nostri vires, & fortitudinem concipiant ad patiendum quævis adversa, non est adeò mirandum, at quod Angeli, quorum natura est incapax doloris, neque ullas admittit peregrinas impressiones, qui possibile est, ut hi seipsos crucifigant, aut Dominicam imitentur passionem? Ignoscite, quæso, non capitis mysterium: in hoc siquidem tota emphasis hujus loci sita est, quòd nimirum tanta sit virtus & efficacia imaginis Christi crucifixi, ut etiam ipsimet Angelici spiritus, si possibile foret, & nisi eorum repugnaret naturæ) optarent ipsum imitari, & tantundem præstare, & quia nequeunt re ipsa crucem subire, id affectu æmulantur, quantum eis per actiones suas licet; lucerna enim posita supra candelabrum, necesse est, ut omnia, quæ ejus participant lumen, illius etiam colores induant. Ad hunc modum explicat Sanctus Hilarius verba Thematis nostri: *Nemo accendit lucernam, &c.* Vel lucerna Christi ponitur in candelabro, id est, in ligno per passionem suspensa, *quæ lumen æternum est in Ecclesia habitantibus præbitura, & ideò dicit, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Quasi idem foret aspicere seu intueri imaginem Salvatoris ligno crucis affixi, super solium excelsum & elevatum, ac omnes fideles ejus exemplo provocari, ac permoveri ad sufferendas

Isaiæ 6. v. 2.

D. Bern. in Alleg.

Tilman.

Galfrid. in Alleg. Tilman.

D. Hilar in caten. D. Thom.

das

das cunctas tribulationes, in quo vera eius sequela, & imitatio consistit, ad quam, secundùm doctrinam datam, non minus adhortatur apographum quàm eius prototypon, id est, non minùs movet exemplar, & signum, quàm ipsum signatum.

5. In eodem quoque sensu exponi possunt verba illa Ecclesiastici: *Cor suum dabit in similitudinem picturæ*, ubi describit justum sive hominem Christianum, qui ex industria, & seriò negotiis suæ salutis invigilat, idque sub metaphora egregii pictoris omni solertiâ, & ingenioso penicillo volentis ad vivum exemplar aliquod imitari, & exprimere. Totis viribus, omnique cura, & solicitudine contendet, inquit Spiritus sanctus per os Salomonis, vivis coloribus in se exprimere exemplar à Deo sibi compositum ad imitandum. Quæ verba, secundum interpretationem Hugonis Cardinalis, exponi possunt, vel de illis, qui sectantur vestigia Sanctorum, qui sunt exempla imaginis æterni Patris, scilicèt Filii: *Imago bonitatis illius*, vel de ipsis picturis, seu imaginibus Sanctorũ, quæ in nobis eosdẽ effectus operari debent, hæc omnia compendio complexus est eminentissimus noster Hugo, hisce verbis: *Id est, diligentiam adhibebit, ut iuxta exemplar depingat imaginem suam, vel similitudinem dicit illud, ad quod repræsentandum sit pictura, de quo pictor sedulò cogitat, ut talem imaginem pingat, quale est illud.* Vult Deus omnes fideles assimilari Filio suo, eosque in se illius opera per imitationem exprimere; quod idem est, ac velle eos esse perfectos, imitando vitam eius, ast si forsitan eò contendere, aut pertingere non potuerimus, ut saltem Christianam vitam ducamus, proponit nobis Sanctum Dominicum, verè imaginem similem (in sensu, quem Theologia admittit) imagini Patris, nimirùm Filii, & ponatur in imagine, in lineo depicta, quam hodierno die pro magno munere è cœlis nobis donavit: ut inspectis virtutibus, & perfectionibus, quas nobis exhibet tanti herois, saltem fiamus justi, si non ad summam pertigerimus perfectionem. Et reverà erit deploranda infœlicitas nostra, nisi eius virtus potens, & efficax fuerit ad nos immutandum, & transformandum. Meritò possemus in omni rigore, & absque iniuria Textus sacri interpretati verba hæc; *Cor suũ dabit, &c.* & dicere, quòd cùm non loquantur de primitivo prototypo, sed de exemplari ad similitudinem eius depicto, ea fuisse vaticinium futurorum in hoc sæculo, videlicet, quòd Fideles permoti pietate ergà hanc cœlestem iconem S. Dominici de Soriano, decenti cultu, & debita reverentia essent veneraturi illius copiam seu apographum, & omni possibili conatu, & affectu imitari signatum principale, seu prototypum, & hoc sonant verba illa: *Cor suum dabit in similitudinem picturæ.*

Eccl. 38. v. 28.

Spiaent. 7. v. 26.

Hugo Card. Ecclesiast. 38.

Refert Ricciardus Brixianus veteres fuisse solitos ponere in atriis suis imagines maiorum suorum, ut posteros ad eorum virtutes imitandas adhortarentur: *Imagines maiorum in atriis poni & servari solitum esse, significat posteros eorum virtutes, non solum debere legere, sed etiam imitari.* Profectò si ita comparatum est à natura, ut Gentiles sine fide, & vera Dei notitiâ imagines maiorum suorum arte pictoris terreni depictas tanti æstimarent, ut nomen eorum æterna celebrarent recordatione, vultusque eorum amoris penicillo suis in animis depingerent! quo tandem erit in loco apud animos nostros imago illa S. Dominici, quæ admirabiles in animabus fidelium operatur effectus? reverà maiorem debet hæc ingerere mentibus nostris fervorem imitandi eius virtutes, non solum quia purissima manu supremi artificis elaborata, & per Virginem sacratissimam è cœlis ad nos allata est, sed etiam, quia, iuxta sensum dictum, est una, eademque res cum suo archetypo, in quem tam profusa largitate tot tantasque virtutes & gratias contulit, quas referre, foret in immensum excurrere. Hæc effigies S. Dominici cominùs inspecta admirabilia operatur portenta in populis Regnorum, ac Provinciarum illarum, faxit Deus ut etiam in terris nostris eadem præstet, & præsertim in hac illustri Civitate, ubi novo quodam pietatis zelo hæc imago colitur, & celebratur. Omnes qui ad hoc sacrum Sanctuarium piæ peregrinationis causâ accedunt, iconem intuentes, permoventur ad confessionem peccatorum suorum accurritque tam innumera multitudo hominum, ut per totum anni curriculum, vixdum triginta, & quadraginta confessarii peregrinorum confessionibus excipiendis sufficiant; frequentissimæ sunt exterorũ ad hoc Dominici simulachrum religiosæ processiones, in quibus ex omni parte Italiæ, plurimi flagellantes corpus suum, alii alia pœnitentiæ 6.

Ricciard. Brixian. Verb. Imago.

tentiæ, & peccatorum suorum contritionis signa demonstrant, cædunt, inquam, flagris corpus suum ad imitationem gloriosi Thaumaturgi sui, qui per singulas noctes tertiò catena ferrea carnem suam virgineam severè cædebat, ita ut uberrimum eliceret sanguinem, & illius generis plures alias graviores pœnitentiæ pœnas à se exigebat, cum hoc tamen discrimine, quòd ille cæterorum flagitia tergo suo expiaret, non verò delicta sua, quæ nulla umquam admisit mortalia, abstergeret; ipsi verò ad imitationem eius, pro peccatis à se commissis talem pœnitentiæ rigorem subirent. Quapropter infiniti penè sunt, qui aspectu huius sacræ iconis vitam in melius commutarũt, & sedulo ad imitationẽ huius Sancti, viam virtutis sectati, ad fœlicem salutis portum appulerunt.

7. Ratum, & admirabile est id, quod in septima Synodo, Actione 4. refertur. Accipite verba eius per doctum quemdam Modernum fideliter translata *Impudicam fœminam, cum ad quemdam evocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis pudicissimi hominis & inde confusam erubuisse, & pœnitentia ductam rediisse domum suam* (Carthagen. tom. 4. lib 18. hom. 5. §. 8.) Si igitur aspectus effigiei hominis profani tantarum fuit virium, ad reformandam vitam prostitutæ mulieris, quantò maiores erunt vires imaginis Seraphim humani, & hominis divini, præsertim cùm illa sit artificio superni pictoris delineata, & manibus sacratissimæ Virg. contrectata? sufficiens sanè, ut uberiores, & admirabiliores sint eius effectus. Haud dubiè, omnes, qui eam viva fide visitaverint, & pari pietate se eidem devoverint, profusos cœli favores experientur, peccatores eius præsidio veniam delictorum, & emendationẽ vitæ, & iusti argumenta virtutum, & donorum cœlestium incrementa obtinebunt, in quibus vera illius imitatio consistit, ut sic planum, & exploratum fiat dictum Salvatoris, nos per metaphoram lucernæ ardentis, & supra candelabrum positæ seriò admonentis, cuius lucidus splendor obscuras tenebras dispellit, & simul illuminatas sibi assimilat, & hoc sonat: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio &c.*



Nemo accendit lucernam.

CONSIDERATIO II.

Non solùm prætendit, & voluit Deus in hac effigie, seu icone sancti Dominici, providere pharmacum, & consulere infirmitatibus hominum, sed etiam extollere magnitudinem Sancti, per circumstantiam, & modum, quo eis medetur.

SIngulare quidpiam annotavi in hac sacra imagine, quod nullus aliorum Concionatorum hactenus animadvertit, nimirùm, insignia, quibus egregiè adnotatur, gestat manu dextera Librum, & sinistra candens lilium. Probè quidem novi, principale huius symboli significatum esse doctrinam, & purissimum virginitatis candorem, quibus Sanctus specialiter cæteros superavit, & excelluit, & sublimius mysterium in illis investigare, & perscrutari decrevimus, nempe hæc duo præclara imaginis ornamẽta nos certiores reddere, quod in illa, eiusque prototypo, habeamus vitam certam, & sanitatem securam. Fundamentum, & occasionem huius discursus efformandi suggessit mihi magnus Origenes, affirmans, quòd Deus infinita sua scientiâ prævidens infirmitates hominibus eventuras, duo illis præparaverit myropolia, seu pharmaca, unum corporibus ex herbis, & floribus camporum, & alterum animabus curandis ex ipso sacrarum Litterarum viridario, ut in hoc omnium ægritudinum suarum medicamina reperirent: *Sicuti corpori medicamenta præparavit ex herbis, arte disciplinaque compositis: ita etiam animæ medicamenta præparavit in his sermonibus, quos per divinas Scripturas seminavit.* (Origen. super Psal. 37.) Pulchrè excogitatum! Sed bene apparet Origenem nequaquam cognovisse S. Dominicum, aut ullam habuisse notitiam miraculosæ illius imaginis, & idcircò non dixisse Deum in illo disposuisse & recondisse omnium malorum, tam corporis, quàm animæ, saluriferum remedium, si namque conspexisset eum una manu gestantem sacra Biblia, & altera flores liliorum, proculdubio dixisset, illa esse duo myropolia, quæ in medelam infirmitatum nostrarum Deus præparavit, & in quo constituit

 omnium

omnium malorum nostrorum medicamen. Concessit Deus singulare privilegium huic Patriarchæ nostro, quod solus Dei Filius obtinuit. Benevolas, quæso, præbete aures quia, nisi me fallat ingenium, solido innititur dictum meum fundamento, & rem ipsam demonstrabo.

2. Imagines, seu sacræ aliorum Sanctorum icones sua etiam patrant miracula, quædam plura, & quædam pauciora, secundum maiorem, aut minorem pietatem Fidelium: porrò quisquis ad eas recurrit, earumque opem, & favorem implorat, semper dirigit preces, & orationes suas ad prototypum earum, veluti principalem scopum, qui sunt ipsimet Sancti, in æterna beatitudine cum Deo regnantes Verùm, quoad hanc effigiem sancti Patriarchæ nostri Dominici, omnes, qui in necessitatibus suis eius implorant auxilium, videntur omnino immemores, & obliti ipsius prototypi, in cœlo gloriantis, & solummodo meminerunt imaginis Sorianensis, ad modum cuius fuit depicta; ac proinde dicunt, & obsecrant: succurrat mihi S. Dominicus de Soriano. Ita ut, (liceat ita fari) non solum operetur portenta in virtute sui prototypi, sed etiam abstrahendo ab hac consideratione, & distinguendo imaginem a suo primævo exemplari, idcirco tantùm, quia est autographum, & effigies depicta ad modum illius, quæ è cœlis est allata, habet virtutem patrandi tam stupenda, miracula, & prodigia.

3. In gravem inciderat morbum, & adversa utebatur valetudine, sanctissima illa anima, Sponsa Dei amantissima, uti manifestè attestantur querulosæ illius voces; & cupiens convalescere ex morbo, interpellavit filias Ierusalem sodales suas, easque supplex rogavit, ut flores, & fructus ad sui languentis animi refocillationem afferrent: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ecquid ita Sponsa sancta? nonnè alia salubriora tibi supersunt pharmaca, ad confortandum exanime cor tuum, & medendum malo tuo, quàm flores, & poma? Reverà non capio, ecquam virtutem sanativam reperis in hisce electuariis ad corroborandum debilitatem, & curandam infirmitatem tuam? Egregiè diluit hanc quæstionem doctus Commentator Canticorum, & appositè quidem ad rem nostram: *Hi enim,* inquit Ghislerius, *sunt illi planè similes effecti, qui de semetipso dixit: Ego flos campi, & mala pariter illi, de quo superius dictum est, sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios* Tamquam diceret Sponsa, Sponsus meus se florem campi prædicavit, seque malo comparavit: ita ut flores, & mala ipsius sint similitudo, & symbolum, veniant igitur mala, & flores, & eorum visu, & solatio pristinæ restituar sanitati. Verumtamen una sese offert instantia; nonnè consultiùs, rogasset filias Ierusalem, ut advocarent Sponsum, cuius sola præsentia, & salutifero aspectu optatam recuperaret sanitatem: Videtur planè, quòd ita, qui ergo oblita præsentissimi remedii, solum postulat minus securum, & efficax? O! inquit prudentissima ægrota, non capitis mysterium, flores, & fructus, quos ego omnibus votis concupisco, & expostulo, sunt signum, & repræsentatio eorum, in quibus Sponsus meus ad similitudinem & significatur: *Ego flos campi, sicut malus inter ligna sylvarum.* Veniant igitur flores, & mala, significativa illorum, quæ repræsentant, afferte mihi exemplum, & simulachrum aliquod effigiei ipsius, & hoc abundè sufficiet, ut deperditam recuperem sanitatem. Hoc omninò idem contingit, ò Auditores mei, omnibus illis ægrotis, & adversa valetudine laborantibus, qui omni pietatis affectu sese commendant imagini Sancti Patriarchæ nostri, vero autographo illius, quæ in Soriano colitur, & viva fide eius implorant opem in adversitatibus, & tribulationibus suis, nam in illa experiuntur (uti Sponsa in floribus, qui erant imago eorum, qui erant symbolum expressum Sponsi) levamen in doloribus, & solamen etiam in urgentissimis angustiis, & afflictionibus.

Cant. 2. v. 5.

Ghislerius hic.

Cant 5. v. 1. & 3.

Optimè recordor cuiusdam Doctrinæ, quam Angelicus Doctor in 2. 2. & 3. p. habet, nimirum, gratiam patrandi miracula Deum concessisse Sanctis sub hac lege, & conditione, ut ea non propria, sed divina virtute, tamquàm omnipotentiæ Dei instrumenta in beneficium, & favorem hominum operarentur: soli autem Christo donatum fuisse, ut per potestatem excellentiæ, non solùm miracula patrare, sed etiam aliis eamdem potestatem delegare posset. Eapropter curiosè advertit sacer Chronicus Matthæus, Christum hanc gratiam transfudisse in duodecim Apostolos eisq; communicasse virtutem sanandi omnes infirmos a languoribus suis: *Et hæc quidem gratia excellentissimè data est animæ Christi; ut scilicet,* 4.

D Thom. 2. 2. q.

III. art. 1. & 3. p. q. 12 art. 2. ad 3. *scilicèt, non solùm ipse miracula faceret, sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet: undè dicitur Matthæi 10. quòd convocatis duodecim Discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & ut curarent omnem languorem & infirmitatem.* Fateor quidem hanc veritatem esse constantem, & indubitatam in omni Theologia; verumtamen dum attentius perpendo, & considero innumera miracula, & portenta, quæ autographa imaginum S. Dominici Sorianensis efficiunt, attonitus hæreo, & videtur mihi effigies, & noster S. Dominicus esse quoddam simulachrum Christi, & si fas est dicere, quòd Deus dispensaverit cum illis in eo, quod singulare fuit privilegium Filii sui, siquidem nedum Sanctus operatur miracula, sed etiam communicat virtutem imagini suæ eadem patrandi, neque sola imago ipsius cœlo allata portentorum est operatrix, sed etiam ejus autographa seu *copia* eadem præstant mirabilia. Nonne hoc est, ô Auditores, simillimum illi, quod de Christo refert præfatus Evangelista: *Dedit eis potestatem, ut curarent omnem languorem, & infirmitatem.* Non est dubium, quin imagines de Soriano, sint sicut flores, & fructus, quos avidè desiderabat Sponsa ad convalescendum à languore suo, certò certiùs in animum suum inducens, illos propter similitudinem cum iis, quibus Sponsus seipsum assimilaverat, habituros virtutem sanandi suos dolores, & infirmitates. Sat superque sufficiunt autographa imaginis Patriarchæ Dominici, ut etiam difficillimis, & periculosissimis medeantur morbis, mortuos ad vitam revocent, & portentosa efficiant mirabilia, quæ indies experimur.

Matth. 10. v. 1.

5. Nisi malimus dicere, Deum renovasse, imò & perfecisse in Dominico miracula Principis Apostolorum sancti Petri. Iam suprà enarravimus ex dictis Thomæ Bosii, excellentiam, & admirabilem virtutem umbræ ejus, ut sola obumbratione sanaret infirmos; & cùm umbra sit imago corporis, idem erat Petrum umbra sua curare ægrotos, ac si per imaginem suam eos sanaret, quo privilegio pariter donatus fuit S. Dominicus, ut crebrò repetita miracula apertè testantur. Magnum tamen reperitur discrimen inter unam, & aliam umbram, quia umbra Petri non communicabat aliis umbris virtutem patrandi miracula, sed ipsa sola eadem efficiebat, at verò umbra Dominici, quæ est effigies ejus in Soriano, non est contenta virtute sua miraculosa, sed eamdem quoque transfundit in alias umbras ex se delineatas, easque suorum prodigiorum hæredes instituit. Et si id, quod Petrum quodammodò superiorem Christo constituit, uti alibi diximus, nimirùm, quòd umbra sua miraculosos patraret effectus; & quòd Dominicus non sola umbra sua eosdem efficiat, sed etiam umbris umbræ, & imaginibus imaginis suæ eadem exequatur mirabilia, proculdubio excedens Petrum, etiam in hac parte superat Christum non quod suæ divinæ Majestati ea aut similis d fuerit virtus, vel potestas, sed quòd ea nolens uti, aut exercere in propria persona, eam ad majorem æstimationem nostro S. Patriarchæ ex industria reservaverit.

6. Ecquis umquàm invocavit hunc Sanctum, aut veneratus fuit miraculosam ejus imaginem, quin ipsum sibi repererit propitium? aut quis supplex ejus imploravit opem, quin beneficium obtinuerit? Dicetis utique, hæc vera esse in Italia, ubi quotidiana sunt miracula, & propèmodum infinita, ita ut illis octoginta primis annis tot numero fuerint prodigia, quibus Deus hunc Sanctum condecoravit, in spirituale commodum animarum, ut toto illo tempore non curaverint Religiosi ea fastis inscribi, aut ab Ordinario approbari, quia erant innumera, nimis patientia, & omnibus manifesta. Verùm in Hispania non sunt tam uberes fructus liberalitatis ejus, neque tam beneficam experiuntur homines ejus indolem, cùm tamen maximè rationi consentaneum foret, ut Sanctus humanissimam suam munificentiam erga suos, utpotè Hispanus, ostenderet, & non omnem favorem suum exhiberet exteris nationibus, quibus haudquaquàm est obstrictus. Ad quod respondeo breviter, ex loco sacræ Scripturæ nostro discursui accommodissimo. Narratur in Historiis Regum Elcanam virum probum, & justum duas habuisse Sponsas aut uxores, quarum una Anna, & altera Phenenna: accidit autem, ut veluti Levita officio die quadam sacrificiis assisteret, & secundùm morem peracto sacrificio, accumberet mensæ, manducaturus cum uxoribus, & filiis suis ex oblationibus, quæ ei obtigerant: distribuit cuilibet partem, quæ ei forte competebat: & notanter advertit sacer Historicus partem, quam dedit Annæ magno

magno fuisse cordis mœrore intermixtam, & perfusam: *Anna autem dedit partem unam, tristis, quia Annam diligebat.* Enucleans hanc tristitiam eminentissimus noster Hugo Cardinalis, ait illam esse magna ponderatione dignam, singulari acumine premens causam illius, quam sacer Textus indicat, *quia Annam diligebat*, contrarium namque videtur fuisse faciendum, quod enim datur personæ amatæ non cum tristitia, aut mœrore, sed gaudio, & lætitia donatur. Cur igitur illam invitans tristatur, non verò dum Phenennam excipit, quam minus diligebat? Audite ingeniosum Cardinalis responsum, reverà authore suo dignum: *Compatiebatur ei tristis, propter sterilitatem suam, propter quod nonnisi unam partem habebat.* Voluisset Elcana, si ei integrum fuisset, dare non unam, sed plures partes dilectissimæ Sponsæ suæ Annæ; at cum sterilitate laboraret, (*Dominus autem concluserat vulvam ejus*) neque haberet filios, quorum singuli etiam suam participarent, necessum fuit parciori, & angustiori manu pauciora largiri illi, quam magis amabat, & cui plura optabat, & quia Phenenna erat fœcunda necessariò debebat distribuere partem filiis, quos ex ea genuerat, licet eam minùs diligeret. Hæc fuit causa doloris, & tristitiæ ejus, sterilitas, nimirum, Annæ dilectissimæ Sponsæ. Habet gloriosus noster Parens S. Dominicus duas Sponsas, Italiam, & Hispaniam, hanc magis amatam, & illam magis fœcundam: cupit inter illas suos partiri favores; partem minorem munificentiæ suæ tristis largitur Hispaniæ, quia plurimùm eam diligit, & principaliorem seu potiorem partem sibi vendicat Italia, minùs dilecta. Dicite, amabò, ecquæ causa ejusce inæqualitatis? In promptu est, fœcunditas hujus, & sterilitas illius. Motivum sanè intimi doloris ejus, nam uni solùm, vel alteri tribuit sanitatem, cupiens omnibus se beneficium exhibere, & sterilitas animarum nostrarum, penuria bonorum operum, parva nostra pietas, & devotio ergà Deum, & ejus Sanctum, sunt sola causa, quòd illa lux, per divinam providentiam misericorditer accensa, non illuminat omnes, cùm hic tamen sit omnis desideriorum ejus finis, & scopus: *Vt luceat omnibus, qui in domo sunt.*

1. Reg. 1. v. 5.

Hugo Card. hic

7. Vigeat in nobis ea fides, pietas, & devotio, quæ reperitur in incolis illorum Regnorum ergà Sanctum, ejusque sacram effigiem, & haud dubiè experiemur in domibus nostris eumdem beneficiorum cumulum, & uberrimam omnis favoris benedictionem. Ecquid ais Pater? tantanè est devotio, pietas, & fides Italorum, ut eis attribuas omnia mirabilia, & portenta, quæ in illis Sanctus operatur? Ita me herclè. Attendite, & manifestam hujus veritatis confirmationem audietis. Est adeò ingens hominum concursus ex tota Italia, & Sicilia, ad hanc imaginem, ad persolvendum vota sua, ut vix annus præterlabatur, quin piæ peregrinationis ergò centum circiter, & triginta hominum millia, peritorum judicio, & calculo, ad hanc sacram iconem venire comperiantur. Exercitus integros te cernere diceres virorum, & mulierum, per vias magno pietatis ardore Litanias cantantium, qui ubi eminus Conventum vident, genibus flexi, terram exosculantur, & propiùs accedentes, unanimi pietatis zelo inclamant: *S. Dominice, ora pro nobis.* Imò plures videre est ab ipso templi limine ad majorem usque aram repantes solum ipsum elingere, quod beatissima Virgo, & SS. Catharina, & Magdalena pedibus calcarunt; & plures durissimis flagellis se atrociter diverberare, copiosumque cruorem profundere, alios caput, humeros, pectus lumbotenùs nudatum, pungentibus, carnemque lacerantibus spinis ingeniosè opertos, in templum ingredi, sacræque imagini sistere sese, & post mixtas lacrymis preces, sylvestre illud, & aculeatum indumentum ad aram deponere. Cernere est etiam fœminas, puellasque etiam illustres, vel in templo ipso comas capillosque sibi præscindere, vel antea præcisos illuc afferre, & veluti carissima pignora anathematis loco, in gratiarum actionem, pro sanitate recuperata, B. Dominico vovere, atque offerre, ita ut aliquot annis cincini capillorum etiam numerum 2000. excesserint. Conspicere etiam est, non solos inopes rusticos, ex infima plebe plurimos, sed innumeros quoque locupletes Patricios, illustres, Principes, Duces, Marchiones, Comites, viros fœminasque, Antistites, Optimates, & tandem cujusvis status ordinisque homines, pietatis ergo, in sacram illam peregrinationem aliquot dierum spatio, etiam quosdam, nudipes venire, & multis donariis, & cujusvis generis rebus maximo pretio æstimandis sacram iconem cohonestare. Ex quibus omnibus hoc Sorianense Sanctuarium, inter cætera totius Christiani Orbis delubra, opulentissimum habetur. Nonnè hæc sunt præcipuæ devotionis argumenta? Certè nullus

nullus id inficiari potest. Ergò nequaquàm mirum est Phenennam fœcundam, quamvis minus dilectam, præferri Annæ sterili, licet magis amatæ, & illos qui ferventiori cultu venerantur Sanctum, ejusque imaginem, cumulatioribus beneficiis, & favoribus dotari, & exornari.

8. Videor, vos audire dicentes, tempora esse adeò calamitosa, ut homines vix sufficiant familiæ alendæ, & multò minùs, ut sua in obsequium Sanctorum contribuant: ad quod respondeo. hoc speciem veri habiturum, nisi vanitas mundi majorem facultatum partem sibi vendicaret. Ponderat ingeniosè insignis noster Lusitanus Oleaster liberalem, & piam munificentiam, qua populus Israel donaria sua contulit ad fabricandum Tabernaculum, quæ adeò profusa, & larga fuit, ut opus fuerit Moysen illi modum imponere, & voce præconis mandare, ne populus plura contribueret: *Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultrà in opere Sanctuarii.* Ecqui potuit tam prolixa in primis, ac benefica esse natura illius populi, cùm ex ipso sacræ Historiæ testimonio constet, eum tunc temporis fuisse depauperatum, & maximè afflictum? Dicam, quod sentio, inquit Oleaster: *Quod dederant ad idolum fabricandum, nunc dant ad opus Domini.* Formarunt Israelitæ apud se hunc prudentissimum discursum; à paucis diebus tot tantasque opes impendimus vitulo fabricando, Idolo erigendo, ut effræni appetitui nostro, & obsequio dæmonis satisfaceremus: an igitur ad fabricandum vero Deo opus pietatis, & devotionis, deerunt nobis donaria, quæ elargiamur? Nequaquam sanè, quantumcunque enim eò redacti simus miseriarum, ut iis rebus destituamur, sine quibus ægrè vivitur, largiter tamen contribuemus. Ast operæ pretium est nosse, quid singulare habuerit hoc opus Tabernaculi, quod tam potenti virtute eos, licèt egestate laborantes, excitavit ad tam munifice largiendum donaria? Dicant alii, quod volunt; ego arbitror eos impulsos fuisse ad tam prodigam liberalitatem, quia noverant Sanctuarium illud esse autographum illius primævi exemplaris, quod Deus Moysi in monte è cœlis allatum ostenderat. Testem appello ipsum S. Moysen Dei verba sibi dicta referentem: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Vel quemadmodum legit versio Chaldaica: *Iuxtà similitudinem.* Et septuaginta Interpretes; *Iuxta figuram.* Considerantes igitur hoc opus Tabernaculi esse effigiem illius proplastices, quam ex divina dispositione Dux suus viderat in monte, facilè in animum suum induxerunt, se non facere satis obligationi suæ, nisi profusa largitate ad ædificationem Tabernaculi contribuerent.

Exod. 36. v. 6.

Oleaster hic.

Ex intimo cordis affectu optarem ego, ut omnes Christiani hunc eumdem discursum cum Hebræis efformarent, utque parcerent excessibus nevè sua in vanitates profunderent (quales autem sint illi excessus in vestibus, &c. norunt illi, neque opus est eos referre) & possibili largitate offerrent sacræ imagini Patriarchæ Dominici, effigiei illius, quàm è cœlis attulit sanctissima Virgo Deipara, ea quæ juxtà facultates suas possunt; quia certissimum est, quòd, quô modo nos eam venerabundi coluerimus, eò benefica suos rependet favores: eapropter, quia in Hispaniis exiguo pietatis ardore colitur, impetum, & fluxum miraculorum suorum detinet, & suspendit, & ubi pari zelo, & devotionis affectu celebratur, & honoratur, pleno alveo ejus favores inundant. Testis est Curia, sed Aula Matritensis, ubi imago seu effigies ejus in Collegio S. Thomæ erecta innumera patrat prodigia, quia ibi Sanctus singulari reverentia colitur, & devotissimo venerationis affectu honoratur: idem protsùs eveniet Hispali, & aliis Civitatibus, si incolæ fervido zelo, & pietatis ardore se totos ejus dedicaverint cultui, & obsequio; quia non solùm bonis temporalibus, putà sanitate, vita, &c. sed etiam spiritualibus, quæ sunt majoris momenti, honorem sibi præstitum remunerabit. Est namque lucerna accensa, & ardens supra candelabrum posita, ut omnibus suum communicet lumen: quia ea est lucis natura, ut tenebras dispellat, oculos recreet, cæcos illuminet, cor exhilaret, tristitiam in gaudium commutet, & tandem, ut plurima alia præstet beneficia, quæ sacri Interpretes in expositione horum verborum Salvatoris adnotant, & elucidant: *Nemo accendit lucernam, &c.* 9.

Nemo accendit lucernam, &c.

CONSIDERATIO III.

Constituit Dominus Deus in hac miraculosa Imagine Fidelibus asylum, ad quod confugiant, & securum præsidium, sub cujus tutela à præsentissimis liberentur, & protegantur periculis.

1. ALius tandem scopus, & finis Dei in danda hac imagine, fuit, præbere, nimirum nobis, præstantissimum antidotum contra gravissima discrimina, in quibus propter peccata hominum præsens versatur ævum, statuere etiam asylum ad quod securi confugiamus, & præsidium, sub cujus protectione ab omnibus adversis eruamur. Si enim veteres olim in ipsis imaginibus securitatem sibi spondebant, & immunitatem obtinebant, maximè in imaginibus Regum, seu Cæsarum, (uti referunt Cornelius Tacitus, & Seneca) & Suetonius idipsum exemplificat in imaginibus Augusti, unde originem traxit prima Lex *cap. de iis, qui ad statuam confugiunt*, quapropter etiam illæ summo honore, & veneratione ab omnibus passim celebrantur. Quantò æquiori titulo debet pietas Catholica, & devotus animus Fidelium effervere reverenti cultu imaginum Sanctorum, quæ societate sua nos muniunt, & patrocinio suo à fortunæ injuriis nos tutos reddunt; & singulariter hoc verificatur in effigie divini Patriarchæ Dominici, qui sicuti natus est ea tempestate, quâ impia crudelitas Friderici Ænobarbi tam atrociter desæviebat, ut totam Ecclesiam suis undis involveret, atque sorberet, cùm, inquam, imperium, quod conservandæ Religioni, & Ecclesiæ tuendæ acceperat, in superbiam, dominationemque convertens, contra jus, & fas Alexandrum Pontificem Vrbe expelleret, & Cardinales in vinculis haberet; exortus est Dominicus, qui instar sideris omnem hanc caliginem dispelleret, & fessum malis orbem nova luce recrearet, tamquàm futurus protector Ecclesiæ, basis, & firmamentum ejus, futurus, inquam, invictus dux, & indefessus bellator contra protervos Albigenses Hæreticos, quos toto septennio acriter oppugnavit, & confutando eorum errores sæpius devicit, & tandem gloriosè expugnavit: ita etiam grassante denuò lue, & peste Lutherana, tamquam flagello Ecclesiæ, Regina cœlorum attulit è cœlis in mundum miraculosam ejus iconem, ut foret præsidium Ecclesiæ, & scutum, & clypeus ejusdem, & tandem hac nova tempestate, qua concutitur Monarchia Catholica, & undique ab hostibus oppugnatur, illius imagini ad primævum Surianense exemplar depictæ, erigitur ara illi sacra in hoc Templo, quia semper Ecclesia in maximis suis persecutionibus confugit ad præsidium, & tutelam hujus sacratissimi sui Cæsaris, ut illius patrocinio ab omnium adversariorum liberetur insidiis, & imminentia sibi Dei supplicia à se avertat.

Tacit. lib. 3. Seneca lib. de clem. Sueton. L. c. de iis

2. Disceptant sacri Interpretes, quis, qualisve fuerit animus Rachaelis in auferendis idolis patris sui: *Cur furatus es Deos meos?* dixit quœrulosus Laban genero suo Iacob: quia ipso nesciente rapuerat idola ejus.) Novi cuncta, quæ sacri Doctores circa rem præsentem excogitarunt; verùm præ cæteris arridet mihi sententia Iosephi, tamquam instituto nostro accommodissima: *Sigilla vero Deorum suorum ferebat Rachel*, inquit magnus Hebræorum Chronicus, *non quòd Deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat; sed ut si fortè pater fugientes insequeretur, haberet quò confugeret, veniam impetratura.* Non tulit Rachel idola patris sui adorationis ergò, jam enim à marito vera religione imbuta erat, sed detulit secum imagines Deorum illius, ut si fugientes insequeretur, & rabido furore adactus eos vellet interficere (uti facilè de rustico, & avaro præsumi poterat, cujus bona auferebant) eum placarent. Satis enim apertè colligitur ex sacra Historia, hanc fuisse depravatam ejus intentionem, nisi Deus in ipsa via ejus compescuisset furorem, monens eum, ne quid duriùs loqueretur, aut ageret contra generum suum Iacob fugientem. Quapropter rationem temporis habentes, & periculum providentes, & simul considerantes se impares viribus ad resistendum tanto furori, tulerunt secum idola, seu imagines Deorum ejus, ut impendente capitibus suis gravissimo discrimine, ei objicerent imagines illas, quarum aspectu iram indignationemque deponeret, & propitiùs veniam, & indulgentiam concederet. Quasi dicerent, ad conspectum harum imaginum hauddubiè mitigabitur ira, & exulceratus animus patris, & omnis furor ejus mansuescet. Ad hunc

Gen. 31. v. 30.

Ioseph lib. 1. Antiq.

hunc ergò modum liceat nobis similem formare discursum: O Rachel divina! Regina cœlorum è cœlo attulisti in mundum Deos, sive imagines ipsius Dei, divini, inquam, Dominici, proculdubio perspecta, & cognita est intentio tua, nimirùm, quia cupis peccatores præmunire, & tueri contra impetum divinæ ultionis, & vindictæ, quam peccatis suis promerentur; si enim tanti momenti, & virtutis erat ad placandum furorē idololatræ præsens exhibitio imaginum Idolorum ejus, ecquid igitur non efficient in homine Christiano ad mitigandam indignationem Dei, scelerum impietate exulcerati, imagines Deorum suorum, id est, effigies Sanctorum suorum? Neque quispiam peregrinum existimet meum loquendi modum, utpotè ex SS. Patribus desumptum, & in sacris Litteris fundatum, uti eleganter adnotavit S. Cyrillus, dicens hoc ipsum voluisse indicare Davidem in verbis illis Psalmi: *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt* Appellat Deos terræ, fortes, & robustos, majores Sanctos, quibus Deus largitus est speciem majestatis, & gloriæ, quemadmodùm Moysi, cui dixit: *Constitui te Deum Pharaonis*, uti egregiè hic observavit insignis Oleaster, propter potestatem absolutam, quam eis concedit patrandi miracula: *Quam largus est Deus in servos suos, ut eos Deos faciat. Nam quæ præcipua, & admiranda in eo sunt, facilè hominibus tradidit, scilicèt miracula facere.* Sunt itaque robusti, & potentes, qui sua intercessione, & meritis conservant terram, & sunt refugium in tribulationibus, & necessitatibus, & ut verbo dicam, salvos, & incolumes eruunt homines ab imminentibus periculis

D. Cyrill. lib. 1. de adorat. Psal. 46. v. 10 Exod. 7. v. 1. Oleaster hic.

3. Decreverat Rex David armis, & militibus occupare Vrbem Ierosolymitanam, & Iebusæi, illo tempore inhabitantes terram illam, rescientes decretum illius sacro attestante eloquio, hæc ei verba nuntiaverunt: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos, dicentes; non ingredietur David huc.* Est quæstio valdè controversa inter sacros Expositores, quinam, vel quales fuerint claudi illi, & cæci, qui obstaculo erant Davidi, ne ingrederetur, & occuparet Ierosolymam, ubi aulam, & Curiam figere decreverat? Omissis variis Doctorum placitis circa locum, maximè suffragatur instituto nostro sententia, quam ex Rabbi Salomon refert doctissimus Lyranus: *Hos cæcos, & claudos esse duas imagines, quarum una repræsentabat Isaac, qui paulò ante mortuum fuerat cæcus, ut habetur Genes. 27 Et alia Iacob, qui claudicabat ex lucta cum Angelo, ut legitur Genes. 32.* Et infrà subjungit præfatus Rabbinus: *Et ideò apposuerant prædictas duas imagines in parte superiori sui fortalitii.* Quia imagines illæ erant simulacra duorum sanctorum Patriarcharum, erexerunt illas in altum, tamquam propugnacula, & munimenta urbis suæ, in signum securitatis, quam sibi pollicebantur, quamdiu illæ non deficerent. Ad rem igitur; si Iebusæi barbari, & gentiles tanta veneratione colebant imagines illorum sanctorum Patriarcharum, ita ut omnem spem suam in earum præsidio collocarent, judicarentque se nullatenùs earum tutela munitos posse ab Israëlitis subjugari, aut superari: quantò majorem confidentiam debent habere Hispani in imagine miraculosa Sancti Patris nostri Dominici, quam nulla industria humana effinxit, sed divina providentia depinxit, & è cœlis in mundum destinavit, ut ubicumque extiterit, sit fortissimum præsidium, & murus inexpugnabilis, contra quem nec vires totius mundi, nec infernus, neque alia omnia, quamvis in unum conspirent prævalere queant.

2. Regum 5. v. 6.

Lyran. hic.

Quadrat huic proposito dictum Pierii Valeriani asserentis, imaginem Alexandri Magni antiquitùs tanto fuisse habitam in pretio, ut quicumque illam secum deferret, sibi cuncta prospera sponderet: *Quod verò pertinet ad Alexandri imaginem, persuasum olim fuit, pervulgata inter homines opinione, illi prospera omnia successura, omnesque ejus actiones adjuvari, qui Alexandrum vel auro, vel argento expressum gestitaret.* Id, quod in eis fuit gentilis barbaries, & manifestus error, in nobis est insignis pietas Fidei Catholicæ, & generosa confidentia devotionis Christianæ; quæ eò magis est laudanda, quò plus in actionibus virtutis, & sanctitatis fundatur. Non dubito, quin recordemini horrendorum terræmotuum, & formidabilium ruinarum, quibus Anno 1638. tota Provincia Calabriæ fuit concussa, & plures Civitates fuerunt funditùs eversæ, ita ut ne vestigium quidem earum remanserit, neque memoria, plusquàm quinquaginta millium hominum fatali casu sublatorum, ulla superfuerit, Ea tempestate, qua hoc funestum, & lamentabile exitium contigit, ad duas leucas ab oppido Sorianensi, ubi sacrum depositum miraculosæ hujus imaginis asservatur, neutiquàm accessit tam fatale Dei supplicium, neque ullos vicinos læsit, aut 4.

Pier. Valerian. lib. 32. titul. prosperitas.

ulla injuria affecit; & ratio, seu causa hujus fuit; quia animadvertentes vicinorum suorum incommoda & alieno periculo cauti, omnes unanimi devotione, & pari pietatis ardore pœnitentiam agentes de suis peccatis ad Sorianum convolarunt, & S. Dominici, ejusque imaginis sacræ opem, & auxilium implorarunt, ut sua intercessione, patrocinio, & meritis à Deo obtineret eis remissionem peccatorum, & misericordiam, qua ab instanti excidio liberarentur. Res stupenda! Mox ac agnovit Sanctus afflictionem, & angustiam cordis eorum, & lacrymas oculorum, apparuit coram omnibus candida luce perfusus, & splendentibus stellis circumdatus, vultu benigno, & propitio, certa pietatis, & favoris præmonstra, ex quibus omnibus infallibilem à malis omnibus spem liberationis conceperunt, & prosperum inter tot adversa exitum sibi persuadere, uti etiam reipsa impetrarunt; nam cæteris Civitatibus vicinis igne consumptis, & in cineres redactis, Sorianum, ejusque territorium immune remansit, & intactum, ita ut ne scintilla quidem eò attigerit, quasi ignis venerans eorumdem locorum defensionem, & tutelam, voraces suas retraxerit flammas. Effectus sanè, ut apparet, magis proprius præsentiæ Filii Dei, aut ejus imaginis, quàm S. Dominici. Nisi dicamus S. Patriarcham in hoc tragico eventu fuisse donatum prærogativa Dei, & speciali quodam privilegio exornatum. Et moveor ad hoc asseverandum testimonio quodam sacræ Historiæ, instituto nostro accommodissimo.

5\. Recordamini, (ni fallor) qualiter tres pueri Hebræi fuerunt missi à Nabuchodonosore in fornacem accensam, seu caminum ignis ardentis, quia ejus imaginem adorare noluerunt. Seriem Historiæ, velut cunctis notissimam, prætereo, & solùm ad ejus expositionem oculos, & mentem converto. Ait enim sacer Textus, eos in medio flammarum ardentium ambulasse, & jucundos Dominum laudasse; quod videns Tyrannus, totus attonitus, & admirabundus, dixit, se quatuor videre pueros in medio fornacis accensæ obambulantes, ab omni flamma solutos, & immunes, quorum quartus speciem Filii Dei referebat, & procul dubio erat imago ejus: *Et species quarti similis Filio Dei.* Curiosius scrutantur sacri Expositores, ecquod nam motivũ habuerit Nabuchodonosor ad affirmandum quartum quem videbat esse similem Filio Dei, aut ejus imaginem repræsentare? Et inter varia Doctorum placita præsertim arridet mihi excogitatum cujusdam moderni Authoris, intento nostro appositissimum, qui existimat Danielem jam anteà instruxisse Regem gentilem, eique annuntiasse Deum habere Filium, futuris temporibus humanam naturam assumpturum, ideo cò Rex videns pueros illos à se in caminum ardentem immissos, flammis undique circumcinctos, non exuri, aut quidpiam nocumenti, seu corruptionis ab illis pati, hunc prudenter in se efformavit discursum: tres jussi ignibus tradi, & nunc etiam quartum eis adjunctum conspicio, ad cujus præsentiam voracissima ignis potentia, & activitas refugit, quæ cum cuncta absumat & devoret, tantum abest ab inferendo eis nocumento, ut etiam illis respectum & honorem deferre videatur: profectò id nequit præstare nisi imago & similitudo illius Filii Dei, quem mihi Daniel prædicavit venturum in mundum, & hominem futurum: *Dixerat Daniel Nabucho Deum habere Filium qui humanam naturam erat aliquando assumpturus & cùm vidit tres pueros quos in ignem miserat, in medio ardentis camini illæsos, quarti præsentiæ beneficio id factum judicavit: propterea dixit, non alium, nisi illius Filii Dei speciem seu figurã mirandum illud, & inauditum opus fecisse.* Conflagrat, & incendio perit tota Calabria, omnesque villæ, oppida & civitates vicinæ igne absumuntur, & sola Civitas Sorianensis, sacrum depositum miraculosæ imaginis sancti Dominici, illæsa ab incendio conservatur. Sunt habitatores illius undique Æthnæo circumvallati igne, & veluti Hebræorum pueri, illæsi inter ardores & exæstuantes flammas ambulant & jucundantur. Ecquid hoc Auditores? Quid? *Species quarti similis Filio Dei.* Sunt illi admirabiles effectus illius, qui est similis Filio Dei, at quid dicitis? miracula sunt portentosæ imaginis S. Dominici, ita sanè est, & ego hoc lubens confiteor: sed nequaquam nobis negare potestis, quin in hoc tragico, & funesto excidio miraculosa imago S. Dominici verè apparuerit expressa similitudo Filii Dei, quia imago quę tam stupenda & inaudita operatur portenta, potius divinitatis, quàm humanitatis præbet speciem: *Species quarti similis Filio Dei.*

Dan. 3. v. 92.

Gabriel à Costa.

De rubo illo (populi Israëlitici symbolo) quem Deus ostendit Moysi, commemorat sa- 6.

cer

cet Textus, quò ita invaserat, & occupaverat eum voracitas ignis, ut jam videretur omninò consumendus, quem tamen nunquam exardens flamma offendere, aut lædere potuit:
Exod. 3. v. 2. *Videbat, quod rubus arderet & nō combureretur.* Interpretes sacrarum Litterarum enucleantes hocce novum prodigium, advertunt rubum esse plantam, in quam facilius absque ulla resistentia activitas ignis deseviit. Philo autem asserit, quod incognita causâ, cessit omnis admiratio:
Philo lib. 1 de vita Moysis. *Ecce flamma suapte natura urens ut lignum uritur: lignum vero cremabile urit e vi dentur igniu in modum.* Non comburunt flammæ illæ, quia potius ipsæ exuruntur. Mutavit ignis naturam suam, suamque activitatem, cessit rubo, ipse enim voracitatem ejus consumit, & devorat, ipsumque instrumentum ignem comburit. At operæ pretium est, scire quis hunc rubum defendat, eique vigorem resistendi tribuat, ne voracitati flammarum obtemperet? Ecquis? Imago quædam Dei, inquit Philo, ad cujus præsentiam planta illa generosas concipit vires, & ignis omnem suam perdit animositatem: *E medio promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibilis similis divinū simulacrum luce fulgens clarissima ut suspicari posse Dei esse imaginem.* Quid refert, quod ignis rubū ardore suo oppugnet, quandoquidem ipse secum habeat vivam Dei imaginem, cujus virtute, & potentia protegitur, & flammæ ipsæ consumuntur. Has excellentiæ prærogativas, quas hic Author agnovit in imagine Dei, communicat, & concedit Deus miraculosæ iconi Sancti Patriarchæ Dominici, ea siquidem tempestate, qua flammivomi ignes cætera depascunt loca, eaque in cineres redigunt, Sorianense territorium nulla patitur incommoda. Sed quid mirum cum sit sacrarium tam cœlestis thesauri, & imaginis, cujus patrocinio, & tutela præmunitum, ignis quodammodò suæ feritatis oblitus, non solum illud non offendit, sed etiam timet propius ad illud accedere. Non est quod Imago S. Dominici effigies Dei; nullatenus tamen dubitandum, quia et in patrandis miraculis, quam maximè assimiletur.

7. Idem prorsus præstabit Sanctus noster, cujusque sacra imagine nobis in summo discrimine constitutis, vel ob ullius dextra junctio Dei supplicio, propter scelera nostra afflictis, si imitati fuerimus devotissimos illos clientes ejus, eadem exhibentes signa pœnitentiæ, & ita vitam nostram instituentes, ut non demereamur operibus quod verbis obtinere nitimur. Et quia eum verbis invocamus, superest, ut etiam cum vita & moribus imitemur, ut tandem omnes tam admirabiles hujus lucis effectus participemus: *Ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Et unus illorū sit resuscitatio hujus Catholicæ Monarchiæ, quam nisi e calamitosis temporibus, justo Dei judicio, ita oppressam & languentem cernimus, non sine lacrymis & dolore: *Ne læteris inimica mea super me quia cecidi,* inquit Michæas, *resurgam cum sedero in tenebris, quia Dominus lux mea est.* Michaa 7. v. 8. Pro intelligentia hujus loci serio & studiose adnotandum est, quod Propheta Michæas considerans Rempublicam Hierosolymitanam captivam vinculis alligatam, & tenebrosis consessum ergastulis, præ lætitia, & jubilo cordis exclamet, ejus partes agens, & in persona captivæ opprobriis, & irrisionibus Babyloniorum respondens. Et S. Hieronymus hæc verba enucleans, ita fatur: *Loquitur in persona populi mei, Propheta, id est, in persona Jerusalem quæ Babylonem inimicam suam, à qua vastata est, exultare prohibet, eo quod sit iterum post captivitatem ædificanda & habitanda.* D. Hieron. apud Riberā hic. Noli quæso, non tantopere superbire o inimica Babylonia, quia me vides modo ad pedes tuos prostratam, & tenebricosis captivitatis tuæ carceribus mancipatam, quia duplicem ob causam immeritò gloriaris, aut triumphum ante victoriam canis. Prima est, quia *consurgam*, & quantocius me liberatam, & in possessione Civitatis, & Regni mei triumphantem læta conspiciam. Secunda autem quia etiam in hisce ærumnis & tenebris, nemo cogitet, aut reputet me in obscuris versari, aut omni solatio destitutam, quia ipsemet Deus ibidem me recreat & illuminat: *Dominus lux mea est.* Ne glorietur superbus Hispaniæ hostis, videns eā undique quassatam, & hanc vel illa Provincia expoliatam, & viribus exhaustam: ne lætetur illam molestiis agitatam, & aliquot ab hinc annis depressam contemplans, quia hic descensus parat viam ad ascensum, & vincitur ut vincat, nam in ipsis infortuniis, quæ illam obtenebrare seu offuscare videantur, est Deus illius lux, quia nulla in toto Orbe Christiano, est ipsâ ferventior fide Catholica: *Dominus lux mea est.* Deus in sævissimis tempestatibus est cynosura ejus, & in ignes, eam dirigens, & consolans, ne vacillans deficiat, præsertim in hoc turbulento sæculo, quo ei novam lucem mittat è cœlis, nimirum, imaginem miraculo-

tam S. Dominici, certum prognosticon recuperandæ pristinæ prosperitatis *In lucem me educet, lætitiam mihi dabit & prosperitatem*, ait Commentator minorum Prophetarum, ad hæc verba. Et propterea in præsenti rerum statu possumus dicere, non solum quod Dominus est lux nostra, sed etiam: *Dominicus lux mea est.* Quia Dominicus ejusque miraculosa imago, est lux nova, quam hodie nobis destinavit cœlum in gaudium & lætitiam cordium nostrorum, refrigerium pœnarum, in solatium afflictionum nostrarum, & in præsentissimum præsidium contra omnia pericula, tam spiritualia, quàm corporalia. Hæc sanè lux docet nos modum evitandi infortunia, quia hic unus finis fuit, propter quem Deus illam accendit, & posuit suprà candelabrum Ecclesiæ: *Vt luceat omnibus, &c.* Venerabundi igitur crebrius visitemus ejus sacrarium, & supplicemus ei, ut potenti sua intercessione impetret nobis a Deo restaurationem omnium damnorum, tutelam & defensionem hujus Regni, & Coronæ, pacem universalem Ecclesiæ & veram unionem Catholicorum Principum, & tandem in hac mortali vita gratiam, quæ est pignus futuræ gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.*

TRACTATUS XXIII.

IN FESTO
Invicti Martyris
SANCTI LAURENTII.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c.

Ioann. 12. cap.



Magnus Ecclesiæ Doctor Sanctus Ambrosius, in quodam Sermone hujus Festi, in hæc verba effatur: *Laurentius eo lumine, quo ipse succensus est, & flammis, quas ipse pertulit omnium Christianorum corda calefecit.* Tota hodie exardet Ecclesia amore Dei, & cuncta fidelium corda Æthnæum spirant ignem. Ecquis tantum excitavit ardorem, ita Christianorum corda inflammantem? Quis alius nisi S. Laurentius? Videtur S. Doctor alludere ad verba illa notissima Exodi, ubi Deus apparuit Moysi in rubo non exusto, & Moyses in has prorupit voces: *Vadam & videbo visionem hanc magnam.* Quis enim non admiretur videre rubum inter medias flammas ignis non exuri, nec consumi? Scio quidem aliquos dixisse, arborem illam talis fuisse indolis & naturæ, ut occulta quadam vi & virtute naturali resisteret combustioni ignis ita ut consumi non posset. Sit, quidquid voluerint alii, hoc unum adverto, quod jam alibi expendi, videlicet quod asserit Author Historiæ Scholasticæ, dum rubus arderet: *Omnes vicinæ plantæ parili virore vernabant.* Cæteræ siquidem herbæ & plantæ vicinæ ex propinquitate loci coccineo colore vestiebantur & igneo splẽdore quasi ad æmulationem succensæ videbantur, ita ut omnes radios suos emitterent, & splendorem diffunderent. Vndè perpulchrè Theodoretus: *Vniversus iste locus ostendit Deum esse, qui in rubo apparuit*, id est, manifestè videtur Deum ipsum in rubo apparuisse, quia etiam ipsas creaturas insensibiles, seu rationis & sensus

D. Amb. serm. 5. de S. Laur.

Exod. 3. v. 3.

Petr. mestor.

sus in expertes ipsa Dei vicinitas inflammat, gratiam, & splendorem tribuit, & sui decoris, & pulchritudinis participes efficit. Idem pariformiter, teste Archiantistete Mediolanensi præstat hic generosus, & veluti divinus Hispanus noster, & operatur in cordibus hominum: non est, qui se abscondat à calore, & ardore eius, etiam ex ipso rogo, quo ardet, & exuritur inflammat, & ardentissimos divini amoris radios emittit: *Quis enim*, concludit tandem, *hoc exemplo nolit pro Christo ardere cum Laurentio.* Nequit reperiri cor adeo obduratum, aut congelatum, quòd in mediis hisce flammis non emolliatur. Vt igitur Ecclesia hocce igneo ardore inflammetur, celebrat quotannis, & festivè recolit martyrium huius invicti, & inclyti Martyris, eumque nobis ob oculos ponit, ut teporem, & socordiam nostram excitet, & gelu nostrum incendat. Hoc auxiliante gratia obtinetur, eam Virgo sacratissima impetrabit, si eam consueta prece salutaverimus: *Ave Maria &c.*

Nisi granum frumenti.

CONSIDERATIO I.

Christiana, & generosa S. Laurentii animositas non elanguit in tormentis, sed potiùs suum in illis robur, & constantiam monstravit.

1. NIsi granum frumenti decidens in terram, inquit Salvator noster, mortuum, & occultatum fuerit, ipsum solum manet, si vero rectè seminatum, & emortuum fuerit, formosum exurget, & multiplicem granorum fructum in spicis proferet; edocens nos hac familiari metaphora exuberantem fructum ex passione, & morte sua nobis promanaturum. O quantùm distant media, & studia Dei ab hominum industria! Moliebatur populus Hebræorum mortem Servatoris nostri, ut hoc pacto nomen eius exterminaret: *Eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* Deus autem eam intendebat ad sui nominis gloriam, & exaltationem. Et tametsi non fuerit medium necessarium, aut omninò requisitum, uti docet Glossa Theologica, nullum tamen fuit congruentius ad præcipuũ, & principalem effectum per se intentum, videlicet, ad amorem suum contestandum, &

Ierem. 11. v. 19.

nostræ necessitati succurrendum. Vtrumque insigniter præstitit hoc divinum granum frumenti cadens in terram, & emoriens. Ad hunc sensum interpretatur doctissimus Abulensis, validum illum clamorem, & cygneam vocem, quam Salvator in Cruce jàm expiraturus emisit: *Clamans voce magna expiravit. Ideo non erat debilitata eius natura, ut in cæteris morientibus fieri cernitur: quin potiùs ita forsasè valebat sicut antea valebat. Ob hoc cùm esset in limine mortis clamavit.* Tunc, inquit hic Episcopus, cùm juxta ordinem naturæ debuisset vox eius flaccescere, uti palàm fit in cæteris morientibus, maximam ostendit Redemptor fortitudinem, & robur suum plusquam humanum, quod etiam vi, & acerbitate tormentorum augebatur, & incrementa capiebat, dum vitam suam morti traderet, ut nos ab eius vinculis immunes, & expediti, veriorem, securioremque vitam haberemus.

Abulens. paradoxo 3. cap. 15.

2. Eapropter, ergò, Ecclesia sancta accommodat Euangelium, quod principaliter agit de Christo Redemptore, huic invictissimo Martyri S. Laurentio, qui simillima sufferens tormenta iis, quæ Christus, granum frumenti in terram cadens, pertulit, haud quaquàm animo decidit, aut elanguit, quemadmodũ eleganter prædicavit S. Ambrosius: *Animi virtus vincebat ignis naturam.* Non enim tormenta exanimarunt, sed potius prioribus corroboratus, maiores constantiæ exeruit vires, & animos, nedum expectans, sed etiam urgens, & provocans impiam tyranni crudelitatem, ut acerbiores excogitaret, & inferret cruciatus. Excellentia rara, & admirabile encomium, ut eloquentissimus Sanctus Cyprianus, recensens tormenta militum Christianorũ, quæ generosè tolerarunt, egregiè disseruit: *Etenim quantum hoc sit, quis ignorat? Stare hominem, nec moveri; sed pœna ipsa potiùs, qua cruciatur, armari.* Cernere hominem ex carne, & terra compositum, veluti rupea duritie insensibilem, puta S. Laurentium, impetus validiores immobili animositate excipere, & elidere, & tam insuperabilem pœnis, quin potiùs cruciatus, quo ferociores, eò magis illum animent, & arment. Hoc sonant postrema illa verba: *Pœna ipsa, qua cruciatur, armari.* Flagella, ferrei harpagones acuminatæ cuspides, & craticulæ incensæ animant, & ad cætera tormentorum genera subeunda, non parum ipsum confortant, & quasi armis impenetrabilibus præmuniunt.

D. Amb. lib. 1. de officiis. cap. 21.

D. Cypri. de laudib. Martyr.

apparuit

Apparuit Deus Prophetæ Amos super murum, & enarrans hanc mysticam visionem, ita refert: *Et ecce Dominus super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarii.* Septuaginta Interpretes ita transtulerunt: *Et ecce vir stabat supra murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Hæc visio Prophetica, teste sancto Hieronymo, symbolum fuit Christi Salvatoris nostri, & servorum eius, qui propter Christi continuam assistentiam, & protectionem muro adamantino assimilantur: *Adamas*, inquit S. Hieronymus, *nulli cedit materiæ, nec ferro quidem: &c. Cùm ignis omnia devoret, & omnia metalla consumat, reddit adamantem duriorem.* In manu Christi positus est sanctus Laurentius, dum in mediis flammis à tyranno accensis se adeò generosum exhibet, ut etiam moras eius arguat, & ipsum tarditatis insimulet. Non cedit adamas flammis, sed potius magis magisque indurescit.

4. Obstupescunt, & veluti suspensi hærent spiritus beati ad intrepidam, & generosam S. Laurentii constantiam in perferendis tyranni flammis, cui potius, quàm cuivis alteri competunt verba illa Canticorum: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi.* Attonita mente celebrant ascendentem, ignari mysteriorũ, quæ vident, & admirantur. Ecquæ anima est, quæ tot deliciis affluens, evolat ex deserto huius mundi ad altitudinẽ cœlorum, sicuti virgula fumi gratissimo odore perfusa? Septuaginta Interpretes ita legerunt: *Sicut truncus fumi.* Vatablus autem transtulit: *Sicut columna fumi.* Quæ versiones prima fronte oppositæ, & contrariæ videntur. Studiosè quæsivi reperire gravem aliquem Doctorem sive Interpretem, qui eas ad concordiam revocaret, & in solo Ghislero adnotavi verba quædam, quæ videntur eas aliquantulum componere: quia arbitratur verba illa continere evidens argumentum, & manifestam probationem, Deum existere in anima illa: *Tum & ex fumo ad cuius similitudinem ascendit infirma, & potentissima in se continens ignem latentem divinum.* Ascendit igitur, sicut virgula, seu truncus fumi hæc dilecta Dei sponsa, in signum infirmitatis, & debilitatis corporis, quam consumens ignis in se convertit; verùm etiam simul ascendit sicut columna in signum stabilitatis, & firmitatis suæ. Tamquam diceret; quamvis corpus instar trunci, veluti terra ardeat in igne anima tamen instar columnæ immobilis, & insuperabilis ascendit ad cœlum, & ad modum, quo illud patitur, & suffert, hæc animosior suas ostentat vires. Nonnè videtis, Auditores in Laurentio, qualiter ipse videat tyrannos, eorumque explodat cruciatus, Tribunalia, Reges majestate superbos, despiciat, & mortem ipsam flocci pendat? Contemnit mundum, totumque nihili æstimat, tanto fortior, & animosior, quantò maiori tormentorum vi deprimitur, & lacessitur. Adamas est in manu Dei, quem suo præsidio corroborat, & consolidat, ut verberum multitudine, & flammarum voragine, seu incendio probatus, omninò inexpugnabilis, & securus persistat.

Cant. 3. v. 6.

Septuag. hic. Vatablus hic.

Ghisler. hic.

5. Acceptissimæ sunt Deo humilium preces, easque attentissimè audit, nec ò summopere se laudantium vocibus oblectat. Hoc sonant verba illa Regiæ Psalmistæ: *Respexit in orationem humilium.* Doctus quidam Commentator Psalmorũ pœnitentialium, adducit versionem quamdam Incogniti, ex Hebræo desumptam, quæ ita legit: *Respexit in orationem cicadæ.* Hæ autem duæ Versiones Vulgatæ, nimirum & Hebraicæ simul compositæ, hunc reddunt sensum. Attentis auribus intendit orationibus justi, quas illi ad instar cicadæ decantant, eumque ad modum cicadæ collaudat. Historici naturales referunt, cicadam, dum cæteræ aves verno tempore propter vehementissimos Solis ardores, sub meridiem canoras suspendunt voces, & silent; ipsam solam importunius garrula voce aërem pulsare, cœlos penetrare, & in altissimo cæterarum silentio laudes creatori suo decantare. Considerat doctissimus Cluniacensis, & contemplatur gloriosum Martyrem sanctum Laurentium, flammis exustum, divinas intonantem laudes, Deoque summas in tormentis agentem gratias. *Et gratias agebat Domino de assatione, ista gratia multùm placebant Deo.* Delectabatur Deus dulcisonis Laurentii clamoribus, qui eò vivaciores erant (instar cicadæ) quò magis flammarum ardore incendebantur: *Respexit in orationem cicadæ.*

Psal. 101. v. 17.

Virga sup. per Psal. 5. pœnit. v. 17. discurs.

Raul. Serm. de S. Laur.

6. Describens dulcissimus animarum amasius concinnam vestimentorum Sponsæ suæ venustatem, in has prorumpit voces: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Variæ sunt expositiones Interpretum circa hæc verba, ut indagent similitudinem inter bona opera fidelium, & virtutes justorum, & odorem thuris. Et omissis, in præsenti, plurimorum placitis,

Cant. 4. v. 11.

citis, unam reperio expositionem in doctrina sancti Cyrilli Alexandrini fundatam, instituto nostro apprimè conformem: *Quemadmodum probatissima thymiamata igni admota, odoris, quo prædita sunt, specimen edunt: ita etiam anima sancta, igne quodammodo probata per tentationes, & labores, luculentius multo existentis in ipsa multimodæ virtutis argumentum edit.* Testem habemus experientiam, thus, cæteraque aromata nullam emittere fragrantiam, nisi igne comprobentur, non secus anima justa, comprobatur in conflatorio tribulationum, & tunc eminentia charitatis in Laurentio eluxit, & resplenduit, quando igne, & flammis tyranni fuit expurgata.

7. Haud dubiè, versati in Historiis naturalibus legerunt aliquando, id, quod Plinius refert de arbore quadam, nomine Laiz, quæ admirabili narratur prædita indole, nimirum, quòd projecta in ignem non amburatur, nec consumatur, quin potius ignis absque ullo nocumento illam claritate, & splendore exornet, & venustet. Experientia hoc compertum fuit, ait Celius Rodiginus, in Civitate Larignensi, ubi exstructa fuit turris altissima ex hujusmodi lignis, & jussa incendi, & exuri à Cæsare, prorsùs illæsa, & intacta remansit. O quàm speciosa arbor Laurentius! Quam excellens, & divina Laiz! planta sanè, quæ superposita craticulæ, igne circumdata, neque læditur, neque consumitur, imò verò despicit flammas debacchantis tyranni, ipsiusq; fastum superbiæ irridet, & tortores ignem subministrantes, triumphans provocat, & exacerbat. Verè quidem servientes flammæ triumphant de corpore Laurentii, at spiritus ejus, veluti granum frumenti in terram dejectum, vivacitatem, & vigorem suum commonstrans, de prostratis flammis trophæum erigit, & victoriæ palmam reportat.

Celius Rodigin. lib. 16. natural. Histor.

8. Tales, utique, desiderat cœlestis Sponsus animas sibi devinctas, quæ incendio tribulationum excoctæ, & exustæ majus animi robur ostentent, & increbrescente persecutione alacriores resumant vires. Appositus est huic discursus, locus ille Apocalypseos, ubi S. Joannes se Filium Dei vidisse commemorat: *Pedes ejus similes aurichalco in camino ardenti.* In qua visione, juxta interpretationem Ambrosii Ansberti, nihil aliud fuit per pedes illos significatũ, nisi quòd sectantes ejus vestigia, invicta animi fortitudine, & presso pede præeuntem insequerentur. *Quid autem hoc loco sunt pedes Angeli, nisi indicia passionis ejus, signa itineris, imitationis exempla, juxta illud 1. Petri 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Voluit itaque persuadere amicis, & sequacibus suis, ne segniùs, sed viriliter, etiam interposito igne, vestigia ejus premerent, & sequerentur. Mandatum profectò arduum, maximè si carnem, & sanguinem consulamus. Et meritò tunc ex ore Filii hominis, loco linguæ, gladius utraque parte acutus prodire describitur, quia verba, quæ flammas, & calcare suadent, gladius sunt ad interficiendum, & sufficientia ad terrendum, & ad timorem incutiendum animo minùs forti, & generoso: Verùm cùm tanta fuerit S. Laurentii fortitudo, & constantia, non solùm fuit ignis imbellis, & impotens ad labefactandam ejus firmitatem, sed etiam in eo novos animos, majoresque vires ipse, qui urebatur, accepit, & projectum granum frumenti in terram, etiam uberiores protulit fructus, ad verificandum illud Euangelii: *Nisi granum frumenti &c.*

Apoc. 1. v. 15.

Ansbert. hic.

Si autem mortuum fuerit, nullum fructum adfert.

Consideratio II.

Incendium exteriùs quo Laurentius urebatur in corpore, signum fuit interioris, quo ardebat in anima; & quamvis ex parte Tyranni fuerit sæva, & impia crudelitas; Sancto tamen Martyri fœlicissimum extitit conflatorium.

Potuisset meritò, inquit eruditus Gluniacensis, S. Laurentius Deo replicare, se satis, superque flammis probatum, amoris sui cõstantiam in sufferendis Tyranni tormentis manifestasse: *Poterant autem tunc dicere Domino, igne me examinasti; habuit enim ignem divini amoris in corde, & ignem materialem in carne.* Vnum igitur munus exterioris ignis, quo dilaniabantur membra Laurentii, fuit indicare, seu denotare spirituale incendium, quo intùs ardentis fidei calore mens ignita exæstuabat, & fervebat: neque hoc in mediocrem Dei no[illegible]i redundavit gloriam, & honorem, quem tanti 1.

Raudin. Serm. 1. de S. Laurent.

æstimant homines, ut ad perfruendum dulcissima eius præsentia, & aspectu, etiam flammas, & carbones succensos, veluti vernantes rosas calcent, & proterant: Et hoc, teste præfato Authore, argumentum est amoris ardentioris quàm sit incendium, quo exterius in corpore interimuntur. Et talis fuit ignis amoris invicti nostri athletæ S. Laurentii: *Sed ignem carnis superavit igne cordis.*

2. Mittit Deus Prophetam Ezechielem contra Israelitas, duræ cervicis homines, audaces, perfrictæ frontis, & petulantes: *Attrita fronte est, & duro corde.* Et quia Deus suos tenerrimè diligit, cavet illos inermes exponere periculis, nisi etiam simul præsidio præmuniat.

Ezechiel 3 v. 7.

Ideò Vatem Ezechielem armis undique præmunitum solatur hisce verbis: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam.* Eia, macte animo Propheta, pergito audacter, quia valentioribus armis munitus es, quàm illi galea adamantina, & cristâ siliceâ decoratus nihil pertimescas. Dubitari potest, quam proprietatem, seu indolem habeat silex, symbolum invicti roboris Prophetæ? Dicat opinionem suam sanctus Gregorius Nissenus, cuius hæc sequentia sunt verba: *Silices in tenebris obscuri iacent, licet vim lucidam, atque illustrantem naturaliter in se contineant, quippe qui pariant ignem, si inter se collidantur,* id est, occulta vis in silice, quæ ei virtualiter inest, ex percussione, & mutua collisione demonstratur. Vade, igitur, ait Deus, Prophetæ, occultam animi tui constantiam, & tuum ergà me amorem cordi tuo inclusum, vi tormentorum, & acerbitate cruciatuum pressus ostendes, & manifestabis. Idem omninò contigit Martyri nostro, cui persecutoris non aliud præstitit, quàm ardens divini amoris incendium pectori eius inclusum patefacere, & cunctis propalare.

Ibid v. 8. & 9.

D. Greg. Nissen. hom. in Hexameron.

3. Totus incensus, & quasi flammis exustus erat Elias, dum igneo zelo inardescens, honorem Dei æmulatus, huc, illucque vitia, & scelera hominum reprehensurus, & sontes peccatores puncturus discurrebat. Hoc fœlicissimo incendio flagrabat cor eius, & ut excessus tā eminentis zeli eius cunctis innotescerent, disposuit Deus ut curru igneo ex hac miseriarum valle ad Paradisū terrestrem raperetur. Hocce mysterium observavit Abbas Rupertus in hoc admirando rei eventu: *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque.* Argutè premit hæc verba Rupertus, dicens: *Ad significandum boni zeli dignitatem, currus igneus, cum equis igneis, quibus tolleretur, missus est.* Quasi diceret, currus ut equi ignei, quibus Propheta sublatus est nihil aliud fuerunt, quam vivum hieroglyphicum, & signum evidens, designans Eliam, quem rapiebant, esse quasi vivum & Æthnæum ignem, tam divino amore, quàm zelo honoris Dei concrematum & exustum, ita ut signum illud exterius, & visibile significaret spiritualem illam & incorpoream flammam, quæ sphæram visus nostri sensibus illigati altius transcendebat. Conscendit Laurentius per ignem ad cœlos, ut ipsius morte conflagrationem divini amoris in pectore ejus exæstuantem liquido testatam & confirmatam relinqueret.

4. Reg. 2. v. 11.

Rupert. lib. 2 in Ioann.

Enarrans sacer Evangelista Lucas adventum Spiritus Sancti super Apostolos, in hæc verba effatur: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Varias assignant causas sacrarum Litterarum Expositores, cur Spiritus sanctus potius in hac, quàm alia specie descenderit, omnes illas in occasionem remittimus. Sola Sancti Gregorii Pontificis apprimè intento nostro subservit, quia existimat Sanctus Doctor igneas linguas quæ foris apparuerunt, fuisse manifesta indicia illius, quod intus in cordibus eorum agebatur, quæ divino amore accensa, veluti flammulæ voraces alacriter sursùm adspirabant ad cœlum: *Foris apparentibus linguis igneis facta sunt intus corda flammantia.* O sanctissime Laurenti, qui in igne vivit, in igne moritur! Flammæ illæ quibus virgineum tuum corpusculum ardet & consumitur, indices sunt earum, quibus spiritus tuus conflagrat, & idcircò eas non persentis, quemadmodum eleganter dixit S. Maximus: *Vbi enim cor ardet, membra flammam non sentiunt.* quinimò intrepidus eas provocas, certò certius sciens combustionem illam non incinerationem, sed fusionem & conflationem tibi parituram Non mea sed doctissimi Tertulliani est hæc phrasis: *Per quæ ustio fidei, & conflatio administratur,* volens dicere, nisi fallar, corpus corrumpentibus flammis pro Deo exustum, damnata mortis incineratione, corruptibile pro æterno commutans, excellentiori quodam modo trāsire ad incorruptionem. 4.

Actor. 2. v. 3.

D. Greg. hom. 30. in Evang.

S. Maxi. de sancto Laurent.

Tertull. de fuga in persec.

Duo egregia loca adnotavi in eodem Tertulliano

tulliano, quæ mirum in modum eius conceptum elucidant. Primus est, expositio eius ad verba illa Regii Vatis: *Iustus ut palma florebit.* Vbi ingeniosè transfert hic antiquus Doctor: *Iustus ut phœnix florebit.* Vt autem acumen huius novæ expositionis mente percipiatur, meminisse oportet illius, quod idē Tertullianus de eadē commemorat avicula: *Libenter semetipsum funerans, renovat, natali fine decedens, atque succedens iterum phœnix.* Pulcherrima hæc avis se totam injicit in flammas, ex quis immoritura suis, sciens plumarum suarū emicantem ornatum brevi cineribus involvendum, & tamen adeò expers est timoris, ut etiam alis suis rogum concutiat, & flammas excitet, naturæ instinctu præsagiens sibi in morte vitam, & in sepulchro fœliciorem nativitatem præparari. Quodammodo igitur, non vultis, ut hic animosius phœnix Laurentius super ardentem craticulam, sese non dejiciat, cùm perspectum sibi habeat, flammas futuras novæ suæ nativitatis cunas, & quòd vitam in iis amittendo, meliorem, & vegetiorem acquiret, & obtinebit.

Psal. 91. v. 13.

Tertull. de Resur. resl. carn c. 13.

6\. Sapiens describens fortunatam justorum sortem, in hæc differit verba: *Tamquam aurū in fornace probavit illos.* Meritò comparantur auro justi, persecutiones, & tormenta tolerantes præsertim tamen illi, quos ignis velut aurum examinat. Sed restat sciendum, quæ qualisve sit substantia auri secundùm naturam, aut quæ eius indoles, certum enim est, inquit Tertullianus, illud esse paris conditionis cum cæteris metallis, quæ terram veluti matrem agnoscunt, & ex ea originem trahunt, neque nobilioribus, quàm alia metalla, fasciis involvitur: qui igitur adeò sibi ipsi dissimile est, ut etiam ne nomen quidem immutatum retineat? acutissimè respondet Tertullianus: *Nomen terra in igne reliquit*, dum igne excoquitur, & examinatur, ad tantam transit nobilitatem, ut cæteris metallis præemineat; *De ignomiis in honores metalli refuga mutatur.* Ingenuè quidem fateor, corpus sancti Laurentii terrenum fuisse ejusdem massæ cum aliis corporibus; at verò ubi Deus illud posuit in conflatorio Tyranni, in tam splendidum aurum evasit, ut deinceps non terreni, sed cœlestis, & divini titulo, & nomine gaudere debeat: *Nomen terra in igne reliquit.*

Sapient. 3. v. 6.

Tertull. lib. de habitu muller. c. 3.

7\. Recensens Apostolus Paulus labores, ærumnas, & tribulationes, quas ipse, & cæteri coapostoli, & collegæ eius propter Evangelii prædicationem perpeti debebant, in hæc verba effatur: *Habemus thesaurū istū in vasis fictilibus,* id est, gratiam & virtutum dona à Deo accepta ferimus, & portamus in vasis fragilibus. Et paucis interiectis subiungit: *Deiicimur, sed non perimus.* Variè exponuntur hæc verba, à sacris Interpretibus: porrò præ cæteris placet Theodoreti Metaphora, qua eadem ad rem nostram appositè elucidat: *Deiicimur, sed non perimus, id est, videmur similes esse arboribus, quæ in igne germinant, per hoc, quod patientes illæsi servamur.* Ac si diceret, non lædimur persecutionibus, sed veluti arbores sumus, quarum rami in mediis ignibus pullulant, & & virescunt, & quorum voraci activitate consumi deberent, fertiliores efficiuntur. Fallor ego, si Theodoretus ad rubum Moysis, cuius jam paullò ante meminimus, non alluserit: *Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur*: imò non solùm non nocuit illi ignis, sed potiùs, iuxta doctrinam Philonis Alexandrini, & sancti Gregorii Nysseni, ignis illum veluti unda rigavit, qua revirescens florebat *Quasi flam ma perinde, ac fonte desuper manante, rigaretur, viridior visus.* Non absimili modo loquitur Doctor Gentium sanctus Paulus de se, suisque commilitonibus, dum in mediis angustiis, & persecutionibus versarentur. Verùm quod metaphora fuit in Paulo, tamquàm veritas prædicatur de Laurentio, cui incendium Tyranni novos adddit animos, talesque ei ingessit vires, ut generosè ipsam provocans mortem, incommoda corporis despiceret, dummodò solius animæ emolumenta, & lucra promereretur: imitans in hoc divinum illud granum frumenti, Christum Servatorem nostrum, seminatum in terra ut copiosiores afferret fructus, in signum multiplicium tormentorum, quæ servi eius perpessuri erant, ad gloriam, & æternam famam in cœlis promerendam, ad hunc namque sensū interpretatur Hugo Cardinalis illud Evangelii: *Si autem mortuum fuerit: Granum autem multiplicatur per putrefactionem, sic sanctorum gloria, & fama crescit per eorum tribulationes, & mores.*

2. Cor. 4. v. 7.

Ibid. v. 9.

Theodoret. hic.

Exod. 3. v. 2.

D. Greg. Nyssen. de vita Moysi.

Philo lib. 1. de vita Moysi.

Hugo Card hic

Nisi granum frmenti, &c.

CONSIDERATIO III.

Christus fuit passus in S. Laurentio, quod in propria persona quodammodo perpeti debuisset; fuitque martyrium ejus sacrificium o orum, seu redolens: quod suavissimam exhalavit fragrantiam, Deo acceptissimam, cujus visio, & fruitio solius ignis pretio comparatur, & obtinetur.

1. PEr hoc granum frumenti mortuum, & visceribus terræ mandatum, communiter intelligunt SS. Patres Christum Salvatorem nostrum. Verùm curiosius observari, in sacris Litteris, & Oraculis prædictum fuisse, quòd Redemptor mundi foret igne exurendus; hoc namque victimæ, & sacrificia veteris Legis signabant, quæ penitùs igne consumebantur. Quæ cùm ita sint, & omnes figuræ in ignem, & cineres fuerint redactæ, quomodò ipsum præfiguratum non fuit igne absorptum, & consumptũ? Et confirmatur hæc objectio, seu difficultas validissimo sacræ Scripturæ testimonio: Volens siquidem Deus liberare Israëlitas è manibus inimicorum eos affligentium, misit Angelum quẽdam ad parentes Samsonis, qui eis pollicitus est filium, qui maximo vigens robore, & fortitudine, terror foret Philistinorum, quique vitam, & mortem suam consecrans bono communi, omnes illos extingueret, & deleret. Præscribit illis nuntius cœlestis normam educationis filii nasciturі, annuntiatque eis pusionis professionem, & vitæ institutum. Illi tanto favori dignam gratitudinem rependere volentes, sacrificium ei offerre decreverunt, agnoscentes dignitatem nuntii esse plusquàm humanam. Applicant manum operi, tollunt de grege victimam, erigunt, & extruunt aram, eique superponentes holocaustum, incendunt. Et singulariter notat sacer Chronicus, quòd videns Angelus incendi holocaustum, sese injecerit in ignem, & ex flammis sibi currum, seu vehiculum faciens, ad cœlum, unde descenderat, rediverit: *Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Magnus Ecclesiæ Pater S. Augustinus enucleans seriem hujus admirabilis eventus, arbitratur Angelum istum præfigurasse Verbum divinum, quod involvens sese flammis illis, expressit desiderium suum, quo anhelabat pro salute generis humani, igne consumi, & exuri: *Quòd ergò stetit Angelus in altaris flamma, magis intelligendus est significasse illum magni consilii Angelum, in forma servi, hoc est in homine, quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum.* Ratio autem dubitandi exoritur, quomodò ardentissima illa Verbi Incarnati desideria sint opere adimpleta? Nonnè enim mortuus est Deus in cruce crucifixus? Ita me herclè, nullus est, qui neget, aut contradicat; sed mysterium est, quòd S. Laurentius loco ejus, flammas subiverit: dolores, & passiones suas partitus est Dominus cum Laurentio, sibi crucem retinuit, Laurentio autem ignem, & flammas reservavit; ex quibus verificantur sacræ Historiæ vaticinia, quæ ipsum igne concremandum, & absumendum figurabant.

Judic. 13. v. 20.

D. August. lib. 7. quæst. in Judic. c. 54.

2. Eapropter martyrium S. Laurentii fuit odorum, & fragrans sacrificium, & divinis oculis summè gratum, & insuper fœtorem criminum, quæ infideles ipsum torquendo excitabant, penitùs abstersit, & dissipavit. Est quæstio satis controversa inter sacros Expositores: cur Deus tantoperè oblectatus fuerit odore sacrificii, quod Noë post diluvii inundationem, reductis jam aquis ad pristinos terræ sinus, è quibus effluxerant, & pacata jam Dei indignatione gratitudinis ergo obtulit; addit enim sacer Textus: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*, at ingeniosa est, & discursui nostro accommoda responsio insignis nostri Oleastri, affirmat enim fragrantiam illam sacrificii non fuisse causatam, aut procreatam ex odore suffimentorum, seu thymiamatum, quæ Noë nec potuit prævenire, neque erat materia, illo tempore, ex qua illa conficeret, sed, *peccata nostra, & immunditia nostra malè Deo olent, ideò aliquando iratus nobis occurrit, ut puniat. Cujus furori, fumo illo, seu suavi odore occurrebatur, scilicèt, ut à furore quiesceret.* Cum igitur gravеolentia peccati inundatione aquarum diluvii esset penitùs suffocata, & extincta, & jam aëre mundato, & expurgata terra, omnis fœtor seu putor evanuisset; & præterea præsens sacrificium non in expiationem scelerum, seu peccatorum, sed in gratiarum actionem pro liberatione è generalis diluvii tempestate offerretur; non est admirandum, quòd Deus in sacrificio Noëmi nullo jam peccatorum fœtore contaminato, odoratus fuerit odorem suavitatis, & quietis, quia jam nulla supererant peccata, quibus

Gen. 8. v. 21.

Oleaster hic.

quibus ad iracundiam, & furorem provocatur. Quæ si ita sint, ecquod sacrificium fragrantius, aut quæ oblatio suavior illa, quam S. Laurentius immolavit Deo, cujus castum, & virgineum corpus fuit materia, in quam sacrificantes flammæ deſævierunt? Haud dubiè, fragrantia illius tunc impetum divini furoris temperavit, & retardavit, ne impios ipsius tortores interimeret, qui postmodum infortunata morte miseri perierunt, ut ex sacra ejus Historia liquidò innotescit.

3. Pulchrè ponderat S. Cyrillus Alexandrinus verba illa, quæ Regius Vates nomine Martyrum Ecclesiæ protulit: *Transivimus per ignem, & aquam*, id est flammas amore tui subivimus. Et exponit ea Sanctus aliis verbis, quæ mirum in modum S. nostro Laurentio quadrare possunt: *Vt enim optimum quodque thus, cùm inhæserit, tunc odoris sui suavitatem emittit; sic anima sancta cùm laboribus, periculis, quæ veluti igne examinatur, tunc clariorem, perfectioremque suam virtutem certissimè reddit.* Hoc est, sicut activitas ignis revelat, & pandit latentem thuris fragrantiam, ita etiam anima justa, persecutionibus attrita, suam exhalat suavitatem, & manifestat virtutem Deo acceptissimam. Et quamquam hæc similitudo singulis justis accommodari queat, qui pro Dei honore, & gloria patiuntur, singulariter tamen invictissimo Martyri nostro aptata videtur, qui veluti sacra victima, & redolens thymiama ex diversarum virtutum odore conflatum, igne passionis exustum, gratissimum Deo odorem spiravit, quô iratum Deum, ejusque justissimam indignationem, quam scelera nostra promerentur, placavit, & impedivit.

Psal. 65. v. 12.

D. Cyrill. Alexan. l. lib. 10. in Genes.

4. Pariformiter exponi possunt verba illa Ecclesiastici: *Quasi ignis effulgens & thus ardens in igne.* Non me quidem latet sacrum Historicum loqui de summo illo Sacerdote Simone filio Oniæ, eumque egregiis extollens encomiis cōparare igni effulgenti, & thuri in igne ardenti: noster tamen eminentissimus Cardinalis Hugo ea verba instituto nostro adaptat dicens: *Thus ardens in igne Christus, vel quilibet iustus flagrans in tribulatione*, id est verum thus Christus vel sanctus in tribulatione, qui suavissimum emittit odorem bonorum operum. Bellè dictum! sed meliùs dixisset, si verba illa Christo accommodans, hanc addidisset disjunctivam: *Thus ardens in igne Christus, vel Laurentius.* Tolerans enim flammarum ardores, verè alter Christus fuit, & uti diximus, locum tenens, & vicarius ejus, in quo tormentum ignis pateretur, ideò etiam omnium gratiarum & virtutum thesauros hactenùs invisos & in illo absconditos manifestavit & reseravit.

Eccl. 50. v. 9.

Hugo hic

5. Et quemadmodum suffimen seu thymiama projectum in ignem seu carbones accensos, fumigantem spirat fragrantiam, quæ etiam cœlos ipsos conscendere videtur, ita etiam Laurentius simulatque à Tyranno super prunas ustulandus torquetur, cœlos reseratos, & gloriam sibi paratam meruit comminus intueri, quam toto animi desiderio semper assequi, & uti prænio potiri anhelaverat: eapropter rogum incensum, & craticulas ardentes sanctus Martyr Ianuas cœli nuncupabat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*, in hoc sensu namque interpretor ego verba illa, quibus edocemur, & instruimur, solo flammarum pretio emi possessionem gloriæ, & introitum per portas cœlorum igne comparari. Acutissimè adnotavit S. Ambrosius, quòd postquàm Deus Adamum ablegavit in exilium collocaverit ante januas paradisi Cherubim flammeo, atque versatili gladio armatum, quo transitum impediret, nullique ingressum concederet, aut permitteret: *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Indagant sacrarum litterarum scrutatores, ecquid moverit Deum, ad collocandum hanc igneam custodiam ad portam paradisi? Communis omnium fermè responsio est, Deum ita statuisse, ne vel Adam primus homo, aut ejus posteri ad paradisum reverterentur, aut etiam fructum ligni vitæ gustarent. Verùm Ambrosiam ingenii acumen, aliud nobis enucleavit mysterium, videlicèt, quòd Deus voluerit duo homini intimare, & nota facere, primum quòd ei nequaquàm misericordiæ januam occluderet, qui paradisi aditum patentem reservabat: secundum, quòd si ingredi vellet, sciret se per flammeam romphæam debere transire: *Sicut enim rhomphæa ignea est in ingressu paradisi, ut qui exit, per ignem revertatur, &c.* ut igitur quis ad paradisum revertatur, opus est ut rhomphæ, seu gladii versatilis sentiat ictus. Et quæ luculentior hujus veritatis confirmatio desiderari potest quam ipsum Laurentii martyrium, cujus vita tametsi adeò miraculosa esset, statuit tamen Deus, ut nonnisi per gladium igneum, & per flammas craticulæ paradisi januas intra-

Gen. 3. v. 24.

D. Ambr Genes. 3. & in Psal. 118. Serm. 10.

set; ut cunctis exploratum sit, quòd nullus nostrum, quantumcunque fuerit, paradisum ingredietur nisi per flammeum gladium, & tribulationes; necesse est enim virtutes nostras igne probari, & nos per tribulationum flammas transire, si beati esse, aut gloriam consequi velimus.

6. Dum Israëlitæ opulenta spolia à Madianitis reportarent, victoresque redirent, præcepit Eleazarus, sacro attestante eloquio, ut cuncta spolia per ignem transirent: *Aurum, & argentum, æs, & ferrum, & omne quod transire potest per flammas, igne purgabitur.* Dubitari potest, quis fuerit hujus mandati finis, & scopus, maximè, cùm jam omnia metalla sordes suas igne expurgassent? Et omissis rationibus litteralibus, mysticam proposito nostro congruam assignat Origenes: *Quia purgatione indiget omnis, qui de hujus vitæ prælio victor evadit.* Voluit Spiritus sanctus in hoc facto salutare nobis præscribere documentum, scilicèt, nullum reperiri in mundo Christianum, qui non egeat expurgatione ut dignè divino præsentetur aspectui, quamvis etiam in hujus vitæ, aut spiritualis militiæ stadio sæpiùs victor evaserit.

Numer. 31. v. 22. & 23.

Origenes hic, hom. 25.

7. His positis, Auditores, nullus recuset pati cum Laurentio, qui illi conregnare cupit & exoptat. De industria reservavi hunc insignem locum Cardinalis Vitriaci, pro coronide hujus discursus, in quo singulari acumine premit dictum sacri Evangelistæ, ubi commemorat Christum cum discipulis suis manducasse, totumque convivium duobus fuisse conclusum ferculis: *Partem piscis assi, & favum mellis.* Magnum reperio mysterium, inquit Vitriacus, in hoc convivio, & fercula absconditum continent Sacramentum, quòd videlicèt: *Qui hic pro Christo patiendo assantur, illic melle veræ dulcedinis satiabuntur.* Voluit cœlestis Magister nos hoc exemplo docere, illos qui amore ejus in hac vita ignes, & tormenta patiuntur, in æterna gloria interminabilis dulcedinis portione fore satiandos: ad imitationem divinissimi grani frumenti, quod pretio mortis, ac passionis suæ, quam hic pertulit, resurrectionis gloriam sibi comparavit. *Si autem mortuum fuerit multum fructum affert.*

Lucæ 24. v. 42.

Vitriacus Serm. Feria 3. Paschat. Resurrect.

* * *

Si autem mortuum fuerit, &c.

CONSIDERATIO IV.

Non minùs exaltavit Sanctum nostrum charitas, & benignitas ergà pauperes Christi, quàm ejus constantia, & robur, quo tormenta Tyranni pertulit, & generosè superavit.

TAm tener erat annis S. Laurentius, tam juvenis ætate, ut hactenùs non nisi Diaconatus gauderet gradu, & honore; tam præstans tamen & excellens virtute, ut inter Diaconos primus, & antesignanus haberetur, utpotè qui sancto Pontifici Xysto in sacris ministrabat. Magna profectò dignitatis prærogativa! quam nos Archidiaconatum nominamus. Cum igitur videret sanctum Pontificem ad martyrium duci; obortis lacrymis eum comitans, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis eum compellat: Noli me derelinquere, Pater sancte; tu numquam sacrificium sine ministro offerre cõsuevisti, numquam sine me sacra peregisti. & ecce modò sanguinem tuum in ara martyrii litare, Deoque consecrare statuisti. indulge ergò mihi, ut tecum pergam, meumque eodem sacrificii genere consecrem Deo, & profundam. Cui Xystus Antistes, præscientia sancti Spiritus futura dignoscens, ait: *Depone omnem fili, de mea morte tristitiam: nec enim diu mea te constristabit absentia, post triduum me sequeris.* Ac si diceret, juxta Officium Ecclesiæ: Non ego te desero fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro Christi fide certamina, nos enim quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem, quasi juvenem, gloriosior manet de tyranno triumphus, post triduum me sequeris Sacerdotem Levita. His dictis, unà commendavit illi pauperes Christi, & thesauros Ecclesiæ, quos sciret esse reconditos, ut hos egenis erogaret, & inopibus largiretur. Ast ubi lictores tyrannique satellites thesauros nuncupari audiverunt, celeri & præcipiti morte Pontificem interemerunt, & peracto ejus martyrii sacrificio, mox gentilis furor Laurentium apprehendit, & ab ipso repetitis vicibus opes Ecclesiæ sibi manifestari expostulavit; cumque triduanæ illi forent induciæ datæ

1.

D. Maximin Hom. 2. de S. Laurent.

datæ, ut eas conquireret, illo triduo omnem Ecclesiæ censum, convocatis inopum turbis, pia erogatione distribuit, & accitis pauperibus coràm tyranno dixit: Ecce thesauros (designans pauperes) quos à me exigis, & certus sum, quòd tam diligentes fuerint in eis asservandis, ut ad liberandum immunes ab omni periculo, eos in cœlestes thesauros reposuerunt. Hoc responso vehementer exagitatus tyrannus, & simul insatiabili Ecclesiasticarum opum desiderio exæstuans, & odio in Christianos exardescens, ferale excogitavit tormentum, inquit S. Leo Papa, quo barbaro furori suo satisfaceret: *Armatur gemina face homo pecuniæ cupidus & veritatis inimicus, avaritia, ut rapiat aurum, impietate ut auferat Christum.* Hoc tormentorum genere invincibilem Laurentii fortitudinem labefactare moliebatur, at videns tyrannus irrita & inania omnia sua tormenta, advertensque quod craticula igne succensa, quæ triumphalis martyris animum fatigaret & corpus exureret, novos ei quoque, generosioresque adderet animos, impatiens effectus tyrannus, & omni spe frustratus, ubi vindictam se reperturum existimaverat, novi furoris materiem adinvenit.

D. Leo Papa Serm. de natal. S. Laurentii.

2. Porsena Rex Hetruscorum cinxerat urbem Romanam tam arcta obsidione ut quodammodò omnes fame enecaret, & matres proprios filios comederent. Mutius Scævola magni animi adolescens Senatum adiit, & veniam transfugiendi petiit, necem Regis ei promittens. Accepta itaque potestate in castra Porsenæ venit, quoquo modo patriam ab obsidione liberaturus, ibique satellitem purpura indutum, ipsum Regem arbitratus, pro Rege occidit, propter quod apprehensus & ad Regem perductus, ubi animadvertit errorem, quem cæca manus, insontem enecans, commiserat, dexteram aris imposuit, hoc supplicii ab ea exigens, quod in cæde peccasset. Sed Regis misericordia inde abstractus, ad Vrbem jussus est redire, & Porsena simul territus obsidionem solvit, & Romam deseruit, quia Mutius Scævola ei indicaverat adhuc trecentos, & plures esse suæ ætatis multò animosiores, qui pro defensione patriæ, etiam cum evidentissimo vitæ periculo, adversùm vitam ejus conjuraverant. Et hoc generosum facinus & animosum pectus, inexplicabilẽ Mutii patientiam, qua manum exurendam dedit, ut errorem facti in illa expiaret, summis encomiis celebravit antiquitas, adeò ut etiam quidam fortunatam dixerit dexteram, quæ fœliciter errans, majorem sibi errore, quam ipso facinore perpetrato gloriam comparavit:

Maior decepta fama est & gloria dextræ,
Si non errasset, fecerat illa minus.

Martial. lib. 1. Epigram. 22.

Neque minùs celebravit prisca ætas factum cujusdam adolescentis Græci, qui dum ephebũ ageret Alexandri Imperatoris, eique thuribulum, quo Diis suis incensum aboleret, subministraret, cadente super brachium suum carbone ignito, quinimò carnem ejus exurente, immotus absque ullius doloris aut sensus signo substitit, quousque Magnus Alexander totum sacrificium peregisset.

3. Omnia hactenùs dicta nihili æstimanda sunt si cum Laurentii fortitudine & patientia conferantur, qui non una manu, seu brachio, sed toto corpore exustus, nedum non edidit signa doloris, sed etiam in ipsis cruciatibus Tyrannum derisit, & explosit. Imò verba increpationis, quæ Sancti Martyres solent proferre in suis tormentis, noluit ea Laurentius effari, ne præsumeretur tormentorum acerbitatem ea ex labris ipsius elicere aut provocare. Sancta Agatha crudelitatis & impietatis redarguit Tyrannum: *Impie crudelis & dire Tyranne non es confusus amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti?* sic eadem fermè verba Sancti Martyres Machabæi Antiocho objecerunt: ea verò quæ ex ore Laurentii audiuntur, hæc sunt: *Versa & manduca.* Dum vehementia doloris acerbissima vindictæ verba elicere posset, hæc animositatis plena eloquitur: & dum Ecclesiæ thesauros dando, liber à tormentis evadere posset, audacter respondet, earum custodes & depositarios esse pauperes & horum manus eos in cœlestes thesauros jam intulisse, & abscondisse.

4. Ex his igitur colligitur, Sanctum Laurentiũ duplex obtulisse sacrificium, unum vitæ, & alterum bonorum Ecclesiæ, cùm enim partem opum Ecclesiasticarum sibi reservare, & alteram partem inhianti, & cupido Tyranno consignare potuisset, omnes dispersit, deditque pauperibus. Et quod hic dubitationem ingerit, est, quonam sacrificio Sanctus Laurentius maximè sibi Deum devinxerit? Aut quodnam è duobus, oculis Dei fuerit gratius & acceptius an martyrii, quod pertulit, an verò Eleëmosynæ, quam in egenos erogavit? Magna laude dignum est proculdubio, quod invictus martyr de Dæmone triumphaverit, Tyrannum devicerit

cerit

cerit, ignemque subjugaverit; attamen, mea sententia digniori elogio celebrãdum est, quod illustres triumphos suos sacrificio eleemosynæ coronaverit. Est hæc Sancti Leonis Papæ meditatio: *Laurentius non solùm ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ eminebat.* Vbi attentiùs premendum est illud, *eminebat*, tamquàm diceret, cæteros eleëmosynarios illius ævi ipse excedebat, utpote qui illi pietatis & misericordiæ exercitio seipsum diligentius impendebat: ex quo infero plus placuisse Deo misericordiam Laurentii erga pauperes per elargitionem Eleëmosynæ, quam invictum animi robur quo vitam pro Deo donavit. Non reputo quidem novum id quod jam dicturus sum, ex S. Petro Chrysologo, sed elegantia orationis & styli excusat antiquitatem. Ponderat S. Archiepiscopus Ravennas, quod in postremo finalis judicii die, ubi singulorum virtutes & actiones heroicæ sunt propalandæ, Christus Dominus æquissimus judex solius Eleëmosynæ mentionem faciat: *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere, nudus eram & cooperuistis me.* Clementissime Domine, inquit Chrysologus, ubi sudores & labores, quos justi amore tui tolerarunt? Nonne tribulationes eorum dignæ sunt præmio? Nonne rationi consentaneum erit, ut præclariora illorum gesta toti mundo innotescant, & insignes eorum victoriæ publicis decorentur encomiis? Quorsum igitur omnia illa alto involvuntur silentio & sola eleëmosyna tantis præconiis celebratur. Eja rectè hæc dicuntur, inquit Sanctus: *Quod Abel passus sit, quod servavit mundum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solùm quod comedit pauper. In cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis prima divinus scribitur in diurnis. Beatus cuius nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo.* Adeò eminet eleëmosyna in æstimatione & opinione Dei, ut cæteræ perfectiones, seu virtutes cum illa collatæ, aut non appareant, aut saltem unanimes latere cupientes, eleëmosynæ locum cedant. Innocentia Abelis, fides Abrahæ, mansuetudo Moysis, crux Petri, gladius Pauli, lapides Stephani, & craticulæ Laurentii, opera sunt secundum se heroica, æquiparata tamen eleëmosynæ, non apparent, idcirco in Republica beatorum maximo in pretio habetur, & cæteris omnibus eminet eleëmosyna, quapropter non est valdè mirandum, quod in præmio primum locum sortiatur, quæ maximi æstimatur, & quod cæterarum virtutum nulla fiat mẽtio, quæ in comparatione ejus, vix audent comparere aut videri.

D. Leo ubi supra.

Matth. 25. v. 35.

D. Petrus Chrysol. Serm. 14.

5. Gravissimum (fateor) videtur hoc Chrysologi dictum, sed eamdem doctrinam non minus, sed luculentius extulit ipsemet Salvator mundi, quando pientissimum illud opus Magdalenæ effundentis pretiosum unguentum super caput Christi recumbentis, tot tantisque encomiis celebravit, dixit enim, quod ubicũque Evangelium prædicaretur, illius facti memoria haberetur. Quamvis plurima eaque præclarissima miraculorum gesta patraverit Christus, noluit tamen ea Litteris mandari, aut eorum memoriam posteris commendari, quemadmodum luculenter S. Ioannes in calce Evangelii sui attestatur, dicens: *Multa quidem & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in Libro hoc.* Nihilominùs insigne illud pietatis opus sibi à Magdalena præstitum, sibi gratissimum fuisse asserat per S. Matthæum: *Vbicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Si accuratiùs pervolvatur tota Evangeliorum series & Historia, liquidò comperietur, duo solùm Salvatorem perenni & immortali hominum memoriæ, & Ecclesiæ monumentis consecrasse, sive commendasse, mortem nimirum suam in cruento Missæ sacrificio & hoc opus Magdalenæ in pulpitis Prædicatorum perpetuò celebrandum. De morte sua ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba enucleans Doctor Gentium in Epistola ad Corinthios ita fatur. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* De hoc autem opere Magdalenæ: *Dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Et statim dubitatio animum pulsat, cur Christus Dominus unctionem Magdalenæ morti suæ conjunxerit, æqualemque utrique facto memoriam dedicaverit? An fortassè æqualis fuit valoris Christum sanguinem suum profundere, & Magdalenam prodiga liberalitate unguentum super caput recumbentis effundere? Minimè gentium, licet Iudas iniquus æstimator unguentum illud trecentis, & sanguinem Christi tantummodò triginta denariis taxaverit. Insuper, nonne eminentiori chari-

Ioan. 20. v. 30.

Matth. 26. v. 13.

Lucæ 22. v. 19.

1. Cor. 11. v. 26.

charitatis fervore obtulit Christus pretiosissimum cruorem suum, quàm Maria Magdalena unguentum suum effudit? Ita sane, sed idem amor, qui Christum compulit ad profundendum tanta prodigalitate sanguinem suum, pro humani generis salute, ut quasi flocci, & nihili eum faceret, cujus tamen quælibet gutta erat infiniti valoris, etiam effecit, ut unguentum à Magdalena effusum, quamvis humile solummodò esset obsequium, veluti venarum suarum sanguinem æstimaret. Hunc sensum videntur habere verba Christi, juxtà interpretationem Claudii: *Sanctè vobis affirmo & iuro, quod ubi mors mea per Evangelium toti orbi celebrata fuerit, simul & huius mulieris memoria pietasque celebrabitur.*

Claudius in cap. 26. Matth.

6. Si ergo Christus Dominus morti suæ æquiparaverit pietatem, & opus misericordiæ sibi à Magdalena exhibitum, ne quis peregrinum, aut paradoxum reputet dictum meum, quod comparativè loquendo majoris valoris sint eleëmosynæ, quas Laurentius dispersit, & distribuit pauperibus, quàm omnes cruciatus, quos ab impio & barbaro tyranno patientissimè sustinuit. Fuitque hæc virtus adeò agnata martyri nostro, ut etiam post mortem non fuerit dedignatus eam exercere, & deficiente illi vita, in qua novas subiret persecutiones, eam tamen reservavit, ut necessitatibus indigentium succurreret. Testetur hoc memorabile illud factum, quod contigit Romæ in trãslatione corporis Sancti Protomartyris Stephani, ad tumulum & sepulchrum nostri Sancti Laurentii, quod cum præ augustia non caperet ambo corpora, declinavit ad latus corpus sancti Laurentii & cessit locum corpori sancti Stephani secum sepeliendo. Ad hoc propositum occurrit memoriæ id quod sanctus Augustinus animadvertit circà singularem observationem S Evangelistæ Matthæi, quod nimirum argenteis seu denariis illis, quos Iudas pœnitens facti retulit & projecit in Templum, quibus & Christus fuerat venditus, emerint agrum in sepulturam: *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Ne existimetis, inquit sanctus Doctor, fortuitam aut casualem fuisse hanc emptionem, quod enim Iudæi, inito consilio illam faciendam decreverint, non humano arbitrio, sed divino instinctu factum est, id Dei disponente providentia, & sanguis in ara crucis fuerat pretium peccatorum, is etiam ejusque pretium ad emendam peregrinorum sepulturam deserviret, & palàm fieret toti mundo, Christum etiam post mortem se totum in beneficium pauperum & egenorum impendisse: *Providentia Dei factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumptum prabeat, sed peregrinis requiem subministret, non sacrilegiis sit ad luxum, sed defunctis sit ad sepulturam.* Hanc Salvatoris pietatem æmulatur charitas Laurentii nostri, qui etiam vita defunctus non cessat inopibus opitulari, dum opus misericordiæ exercet in egenum, ei sepulturam subministrans.

Matth. 27. v. 7.

D. Aug. Ser. 129. de tempore.

7. Quinimò in ipso altissimo cœlorum habitaculo, ubi perenni fruitur Dei visione, in præmium flammarum, quas amore ipsius pertulit, conceditur illi, teste S. Gregorio Turonẽsi, singulis Feriis sextis ad purgatorii flammas descendere, & ex iis plurimas animas sibi devotas liberare. Illi ergò nos totos devoveamus & nedum auxiliatricem ejus opem experiemur in Purgatorii carcere (si ad illum per Dei misericordiam adire contigerit) verùm etiam in hac ærumnosa vita, & lacrymarum valle, flammæ ipsius quibus gloriosè cœlum conscendit, nobis erunt murus & scutum contra omnes adversarios. Quadrat perpulchrè huic proposito celebre illud factum Magistri & discipuli, Eliæ dico, & Elisei, qui cum, sacro attestante Textu: *Pergerent, & incedentes sermocinarentur: ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum. Elisæus autem videbat & clamabat.* Eliseus tam suavi amabilique conversatione orbatus, gravissimam sibi talis præsentiæ jacturam augebat. Agedum subsistite parumper, & plicato folio, notate mecum, quod alibi eidem Eliseo, non parum turbato, & justo timore correpto evenit, quia nimirum Regi Israëlitarum ingratos prædixerat eventus, ne pœnas lueret, & à timore liberaretur, quemadmodum sacra commemorat Historia, ignei currus, similes illi, quo Magister ejus cœlum conscenderat ei destinantur è cœlis, & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum, in circuitu Elisei. Magnus Ecclesiæ Doctor Sanctus Ambrosius elucidans hunc locum, insigne reperit in eo mysterium, quod videlicet præsidium ad Elisei custodiam à Deo destinatum, sit simillimum beneficio, quod anteà Magistro ejus Eliæ fuerat præstitum. Nonne potuisset suprema Dei potestas clientem & Prophetam suum minoribus impensis defendere & tueri? Quorsum tot

D. Greg. Turon. citat. à La Nuza tom 4. hom. 45.

4. Reg. 2. v. 11.

tot curruum & ignium apparatus? Ecquid? tantus equorum strepitus? Agedum inquit Sanctus Ambrosius, non intelligitis, neque capitis mysterium: *Ergò Eliam Angeli in cœlum pertulit. Elisæum Angeli, qui Magistrum portaverunt, Discipulum tuebantur, & notitia quadam obsequia, quæ Patri exhibuerant, etiam filio deferebant.* Ecce voluit Deus flammas, quæ Eliam feliciter evexerant ad cœlos, rursum descendere ad defendendum & protegendum Eliseum, & commisit curæ, & obsequio ignis, tutelam discipuli, qui tam promptus fuerat ad promovendum ascensum Magistri, volensque (ut plura compendio complectar) quod currus & ignes, qui Magistro fuerant honori, etiam Discipulo forent defensioni & præsidio. Facilis est applicatio ad rem nostram, Auditores, conemur totis viribus esse Elisei magni illius Eliæ, Discipuli tam generosi Præceptoris & Magistri, virtutumque ejus in nobis exemplar exprimamus, & præsertim ardentissimam ejus charitatem imitemur, qua summopere excelluit. Quod si fecerimus, rectè poterimus sperare ejus auxilium in periculis, opem in angustiis, & contra omnium hostium impetus certam victoriam; certiores effecti, quod flammæ, quæ illum ad cœlum rectà conduxerunt, nobis erunt in tutelam, defensionem & præsidium, dante nobis Deo, per ipsius suffragium & intercessionem in hac mortali vita gratiam, pignus futuræ gloriæ. *Ad quam nos perducat Pater, Filius &c.*


TRACTATUS XXIV.

IN FESTO GLORIOSI S. HYACINTHI,

Poloni, sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquat Regnum cælorum.

Matth. 10. cap.



MAgno Poloniæ Apostolo, dilecto Benjamino novi Jacob, exemplari vero S. Dominici, Sancto præ cæteris miraculoso, splendido sacræ Religionis nostræ decori, & ut verbo dicam, glorioso Patri Sancto Hyacintho dedicat consecratque sanct. Mater Ecclesia hos Festivos applausus, & singulariter Ordo Fratrum Prædicatorum ei devota defert obsequia, cujus gloria & honore plurimum condecoratur. Et si effari liceat, quod sentio, dicam S. Hyacinthum sicut omnes sanctos supergressus est adhuc mortalis, & excessit gratia, ita etiam omnium fuisse fœlicissimum & fortunatissimum. Scitote, Auditores, nō omnes quamvis sanctos patis esse fortunæ & fœlicitatis. Dantur sancti quidam fœlici sidere nati, alii autem suis subjiciuntur infortuniis, vel ut apertius dicam, *quisque suos patitur manes*, at in Hyacintho fœlici fœdere gratia & fortuna copulantur. Liceat mihi hodierno die cōsecrare chiromantiam, ut quæ toties obsecura est superstitioni, hodie serviat veritati. Familiare est inter homines augurari alicui bonum omen aut

aut fortunam ex manibus, nimirum; ex labyrintho illo linearum, quas natura cujuslibet impressit manibus, conjectant & divinant uni Episcopatum, alteri summam belli præfecturam, huic affluentiam divitiarum, & illi largiorem vitam. Non approbo quidem has conjecturas, si tamen in aliquo suspicari liceret, hæ divinationes in Hyacintho nostro locum haberent. Vultis videre, quàm fortunatus sit Hyacinthus, respicite manus ejus. Quia solùm manus Dei fuit cum Ioanne, *etenim manus Domini erat cum illo*, idcircò omnium hominum maximus evasit; & ex illa manus significatione omnes Sancti faustum omen & fœlicitatem summam Sancto Ioanni Baptistæ prædixerunt, maxima autem fœlicitas ad quam aspirant justi, est ut Deus eos accipiat in manus suas: *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Verùm omnis hæc fortuna & fœlicitatis sors exigua est in comparatione cum fœlicitate Hyacinthi, quia si una manus Dei efficit Ioannem Baptistam cæterosque Sanctos felices, ecquas felicitates poterit sibi promittere Hyacinthus, quando secum habet non solam manum Dei, sed etiam ipsum Deum, ejusque sanctissimam Matrem manibus gestat? Et quàvis manus nostræ inæqualis sint fortunæ, ita ut ex dextera prospiciatur fœlicitas, & ex sinistra timeatur malum omen & infortunium, nullum potuit timere Hyacinthus, quia utraq; manu fuit fortunatus, dextera namque gestavit Principem gloriæ, putà Eucharistiam, & sinistra Matrem gratiæ. Hac summopere indigeo, ò S. Hyacinthe, ut tuas valeam contexere laudes, quia igitur ad manum habes Christum & Mariam, roga illum ut communicet gratiam, & ab hac pete, ut impetret illam, quam nos omnes devotè salutamus. *Ave Maria.*

Lucæ 1. v. 66.

Sapient. 3. v. 1.

Euntes prædicate, &c.

CONSIDERATIO I.

Charitas Christiana quandoque urget hominem ad deserendum propriam commoditatem spiritualem, ut consulat & invigilet proximorum saluti & necessitati.

1. EST veritas Fidei Catholicæ indubitata apud sacros Evangelistas Christũ Dominum suos vocasse Apostolos, eosque ad sui sequelam, & contubernium fuisse adhortatum: Et illos præcepto vocantis obtemperantes, effecisse Discipulos scholæ & auditores doctrinæ suæ. Non est dubium, quin omnes tam jucundo eius contubernio ita recrearentur, ut numquàm eis veniret in mentem aliud delectabilius appetere aut concupiscere, uti aliquando nomine omnium professus est sanctus Petrus: *Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes*, ac si diceret: ecquis ò Domine, semel dulcissimis verbis tuis insceatus, poterit umquam à te avelli, cùm in illis audiendis vita æterna consistat? Nihilominus hodierno in Evangelio præcipit eis supernus Magister, ut à se recedant, & euntes prædicent Regnum cœlorum, & tam indefessè & festinanter, ut irrequieto motu nunquàm quiescant, quemadmodùm sonat verbum illud *Euntes*, quo continua peregrinatio significatur. Ardua profectò obedientia, & dura executio præcepti! Quonam ibunt ò Domine discipuli tui, aut ubi fœliciorem invenient viã, quàm tecum? Quomodo tanta asperitate eos tractas, ut simul uno eodemque tempore prives eos aspectu tuo & orbes dulcedine doctrinæ tuę? Quorsum eos à suavi tua conversatione repellis, ubi omne eorum gaudium, & oblectamentum, & dimittis eos, ut tamquàm peregrini tot periculis expositi per hunc lubricum vagentur mundum? Varii variè huic satisfaciunt quæstioni, meo tamen judicio, voluit Dominus hocce pacto docere discipulos suos perfectam vivendi normam, & in illis salutare nobis præbere documentum apprimè scitu necessarium, videlicet acceptissimum esse obsequium, & gratissimum sibi sacrificium, deserere Deum, propter Deum, id est, Deum in se, propter Deum in suis; quasi illis diceret: exploratum atque omninò certum mihi est, vos unicè meam ambire societatem, eamque omnis desiderii vestri esse scopum; attamen summè necessarium est, ut meam deseratis conversationem, & vos totos impendatis charitati, seu operibus misericordiæ: *Euntes prædicate*; recedite à me, pergite, & docete omnes gentes viam Regni cœlestis, perfecta namque charitas proprium negligit emolumentum, & communem salutem ac honestatem particulari, ac privato anteponit commodo.

Ioann. 6. v. 69.

2. Valdè mystica, ac mysteriis plena fuit benedictio, quam Moyses Tribui Benjamin impertivit (quam alibi ad aliud propositum expendimus)

Deuteron 33. v. 12. mus:) *Beniamin*, inquit, *amantissimus Domini, habitabit in eo confidenter, quasi in thalamo tota die morabitur*. Adeò dilexit Deus Tribum Beniamin, ut fixerit in ea habitaculum suum, & lectulum quietis suæ, quia, in terra, quæ ei sorte obtigerat, erat mons Maria, in quo ædificatum fuit celebre illud Templum divinæ requiei consecratum. Dubitant sacri Interpretes, cur Moyses tam uberem, & gloriosam huic Tribui impertiverit benedictionem? Si enim attenderit ad merita primatum familiæ, nobilior fuit Tribus Ioseph, & dignior tam ingenti beneficio, tamque magnificæ benedictioni Tribus Iuda. Diversimodè solvunt nodum huius quæstionis, mea autem sententia, cui plures suffragantur sancti Patres, est, Tribui Benjamin tantam, tamque cumulatam se conciliasse dignitatem id, quod notanter advertit sacer Textus, nimirum, quod quando fratres eius descenderunt in Ægyptum ut frumenta emerent, ipse solus remanserit apud patrem, ei obsequens, & ministrans. Cumque Ægyptus, iuxta opinionem S. Petri Damiani, sit symbolum huius mundi: *Per Ægyptū figuraliter exprimi mundum istum, divinorum eloquiorum scrutatores affirmant*; rectè concluditur, solitudinem Benjamin, qua mundo renūtiavit, ipsum reddidisse capacem tam generosæ benedictionis, ut in ipsius terra ædificaretur Templum, orationibus, & sacrificiis peragendis dedicatum: ast unam patitur hæc doctrina instantiam, nimirum, quod ex eodem sacro Textu luculenter constet, in secundo regressu ad Ægyptum, Benjamin fuisse comitatū fratres suos, ac proinde remansionem eius apud patrem, nullatenus fuisse causam tantæ fœlicitatis. Egregiè ad rem nostram respondet huic dubitationi Lipomanus ex Glossa Græca, dicens; quòd quamvis Benjamin descenderit cum fratribus suis in Ægyptum, longè tamen diversa intentione eò perrexit, illi enim charitate annonæ pressi solum frumentum requirebant, ipse vero discrimen, & periculum fratris sui apud præfectum Ægypti in vinculis detenti considerans, eius solummodo liberationem solicitabat. Et qui vadunt in Ægyptum, seu redeunt ad mundum, solo fine ut necessitatibus proximi sui succurrant, tantum absunt, ut noceat eis hic regressus, quin potius cumulatiora eius beneficia promereantur: *Notandū verò, quod Beniamin, neque Ioseph, quē admodum reliqui fratres, adoravit: ideo in partes Beniamin cessit Templum*. Vt liquidò patescat veritas propositæ Considerationis nostræ nimirùm quandoque operæ pretium esse, ad auxiliandum necessitati proximorum, propriam intermittere quietem, hocce enim modo non amittimus Deum, sed fœlicissimè illum cum Benjamino domi nostræ reperimus.

D. Petr. Dam ser. 61. in vigil natal Domini.

Gen. 42.

Ecquis considerans Moysen tam familiariter cum Deo colloquentem in monte, potuisset suspicari Deum ablegaturum illum à se, & orbaturum dulcissima sui fruitione? Et nihilominus, uti sacer attestatur Historicus, postquam populus Hebræorum, illo absente, in peccatum Idololatriæ, & adorationis vituli prolapsus est, præcepit illi sua divina Maiestas descensum è monte, hisce verbis: *Descende, peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti*. Id est, satis, superque indultum est conversationi, vade, & descende, quia populus tuus nefandum commisit crimen. Ecquid, Domine, tanta austeritate rejicis Moysen à facie tua, eumque dulcissima tua privas societate, & urges ut novas ineat lites cum populo tam contumaci, & duræ cervicis? Sed quid remedii, inquit Oleaster, si intercedat necessitas boni communis? *Nihil iucundius divino colloquio, hoc tamen privatur Dux ob populi peccatum*. Reverà nihil gratius, aut delectabilius in mundo excogitari potest, quam humanissimæ simul ac arctissimæ familiaritatis usu Deo esse coniunctum, & tamen indigentia populi peccantis Ducem suum tam jucunda defraudavit consuetudine. Totius vitæ curriculum reputaret Moyses breve temporis spatium, tali divinæ præsentiæ perfrui gaudio; sed hoc ipso, quo perennem tantæ iucunditatis durationem stabile satagebat, mandat illi Deus, ut abeat: *Vade, descende, peccavit populus tuus*. Ac si diceret: ô Moyses, vidi, & animadverti propensionem, & desiderium animi tui ad figendum in hoc monte domicilium, in eoque commorandum, quo liberius mea possis potiri præsentia, & securiùs meam contemplari maiestatem, sed consilio meo, desere me, propter me, & quamvis hactenùs in deserto meis fueris recreatus favoribus, quære inter mundi tumultus; quia ibi securius me possidebis, ubi mihi gratius præstiteris obsequium, & ecce nunc decrevi, & statui, ut invigiles remedio filiorum Israel, & me tantisper deseras, ut eorum necessitati subvenias.

5.

Exod. 32. v. 7.

Oleaster hic.

plu-

4. Plurimum indoluit Eliseus videns lacrymas pientissimæ illius mulieris, apud quam sæpius fuerat hospitio exceptus, quæ vehementer afflicta morte unigeniti filii sui, ardentibus votis, & summis precibus à Propheta resuscitationem eius efflagitabat: Debuit Propheta importunæ eius petitioni annuere, &, sacro attestante eloquio, eapropter venit domum eius, & intravit solitum suum receptaculum, &, clauso ostio, post ferventiores preces, & mysticas cæremonias, eum ad vitam revocavit: *Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum, &c.* Curiosiùs indagant hic sacri Doctores, cur Eliseus non suscitaverit mortuum ex ipso monte, aut deserto ubi morabatur, aut cur hanc ob causam descenderit, & ingressus fuerit Civitatem? Si namque cupiebat miraculum occultari, ut sacer insinuat Textus, consultiùs id in deserto, & solitudine patrasset. Sanctus Petrus Damianus appositè moralizat hoc factum ad rem nostram: *Liceat sanè monacho ad sæculũ ex voluntate recurrere, quoties mortuum hominem potuerit suscitare.* Non casu fortuito, sed de dita opera Eliseus deseruit solitudinem suam, descenditque ad tumultuantes mundi turbas, ad hoc sanctum, & pium opus præstandum, ad docendum nos, qui vitam solitariam profitemur, & ab hominum consortiis remoti, solis contemplationibus immersi vivimus, ut quoties in mundo mortuus peccato, doctrina, instructione, & exemplo nostro ad vitam gratiæ resuscitandus fuerit, toties renuntiemus solitudini nostræ, quam unicum quietis nostræ asylum reputabamus.

4 Reg. 4. v. 33.

D. Petr. Damian Epist. 28.

5. Rectè quadrat huic instituto locus ille, quem in Tractatu de S. Laurentio, ad aliud propositum expendimus, ubi Sponsus cœlestis vestimenta Sponsæ suæ pulchrè comparavit fragrantiæ thuris: *Odor vestimentorũ tuorum sicut odor thuris.* Circa quam comparationem varia proferunt Expositores, animi cogitata; verùm præ cæteris arridet elucidario Richardi à sancto Victore, ipse enim per vestimenta illa intelligit virtutes, & opera misericordiæ, quibus anima justi mirificè exornatur: *Vestimenta animæ sunt opera, quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, non nudi inveniuntur ante Dominum electi.* Ast unũ singulariter premo in hisce verbis magna ponderatione dignum, quòd nimirùm odor, quẽ emittunt, & spirant vestimenta sponsæ, sit potius thuris, quàm aliorum aromatum, quæ sunt incomparabiliter magis fragrantia, & redolentia. Sed idem Author occurrit huic dubitationi hisce verbis: *Vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut devota oratio; sic enim propter occupationem utilem, orationem aliquis intermittat: ipsa occupatio vice orationis reputabitur, ut iuxta Apostolum, sine intermissione oret, qui semper bene operatur.* Exploratum est in sacris Litteris, thus esse symbolum orationis, ideoque Sponsus animarum dicens, olidas vestes Sponsæ suæ, hoc est, pias operationes eius, redolere thus, idem fuit, ac si diceret, quòd orationem olerent. Itaque aliquando intermittere illam propter opera charitatis, est summa perfectio contemplationis, & idcirco illa quandoque suadet Deus, & consulit per Apostolum suum, ubi dicit, sine intermissione orate, quatenus quærimus Deum in necessitatibus proximi, & quamvis videamur intermittere orationem, neutiquam tamen deficimus, quia vices eius supplet exercitium charitatis.

Cant. 4. v. 11.

Richard. in Cant. c. 28.

Hoc ipsum docet Christus Dominus discipulos suos in hodierno Euangelio, ablegans eos à societate, mittensque illos ad diversas mundi plagas, ad prædicandum, & annuntiandum Regni cœlorum vicinitatem, hoc pacto significans ministerium eorum esse salutem proximorum, & non propriam, neque gratum esse divinæ suæ Majestati, quòd ministri Euangelici propriis studeant commodis, aut vitam agant solitariam, sed ut eam beneficio, & utilitati aliorum consecrent, & dedicent. Hoc sonat: *Euntes prædicate.* Hæc occupatio Discipulorum Christi, & hoc etiam fuit exercitium sancti Hyacinthi; vixdum enim Romæ susceperat habitum Ordinis è manibus S. Patriarchæ nostri Dominici, & statim fuit dimissus in Poloniam, ut tamquàm Apostolus Septentrionalium Provinciarum, Russiæ Moscoviæ, Bohemiæ, & Tartariæ, ubique verbum Dei disseminaret, Fidem propagaret, & alibi collapsam restauraret, corruptos mores reformaret, pluribus in locis Monasteria sacræ nostræ Familiæ specialiter ad salutem animarum institutæ, fundaret & erigeret, & tandem innumeros ad jugum Evangelij reduceret. Neque dubium, quin ministerium sibi commissum egregiè executus fuerit, qui continuò discurrens de Provincia ad Provinciam, & varias peragrans regiones nullis pe- 6.

percit laboribus, ut spirituali aliorum prodesset saluti, & necessitati. Tribus annis continuis adhæserunt Christo Apostoli, semper ab ore eius pendentes, antequàm eos per universum orbem dispergeret: at gloriosum Sanctum nostrum vix admittit Sanctus Dominicus ad societatem suã, & statim eum à se ablegat, & mittit ad prædicandum Evangelium. Gloriose Patriarcha, nonne vides, quòd vixdum, & ægrè Hyacinthus sæculo valedixerit, renuntians omnibus, quæ habere poterat ex avita nobilitate, & stirpe Regum Poloniæ, solummodo ut tua posset perfrui societate, & necessitudine? Quare tanta festinatione opus ad ipsum dimittendum? Sine, ut prius aliquo tempore sedulam navet operam virtutibus, & in se, per imitationem exprimat exemplar sanctitatis tuæ, & addiscat ex vita tua modum reformandi mores aliorum. Nequaquam, ait Dominicus, quia non sufficit ardere, sed etiam oportet lucere, non tantummodo vacandum est contemplationi, & solitudini, quærendo proprium commodũ, sed orandum est, ut Deũ deseramus propter Deum, eoq; in suis perfruamur; atque ideo necesse est, ut Hyacint. segregetur à Patre suo, & privetur dulcissimo eius alloquio, & suavitate dulcedinis, quam ex verbis eius hauriebat, & totũ se consecret beneficio & obsequio proximorum, satisfaciens obligationi, quam hodie cœlestis Magister imposuit Discipulis suis: & hanc ob causam S. Mater Ecclesia accommodat ei Evangelium, tam proprium, & agnatum illi, ut nulli alteri Sanctorum applicetur: *Euntes prædicate, &c.*

Euntes prædicate, &c.

CONSIDERATIO II.

Sanctus Hyacinthus ambulando super aquas propter insuetudinem, & inusitatũ modum actionis, ostendit quoddam Deitatis specimen.

1. EST Doctrina omnibus penè perspecta Angelici nostri Doctoris sancti Thomæ ad conciliandam authoritatem prædicationi Evangelicæ, & veritatibus supernaturalibus, summè necessariam fuisse confirmationem, & testimonium divinum ad eas stabiliendas, & ea propter Salvatorem mundi dedisse Discipulis suis virtutem, & potestatem patrandi miracula, quæ & veritatem Euangelii, & excellentiã sanctitatis & virtutis eorum approbarent. Hunc agendi stylum semper observavit Deus cum amicis suis, attamen si consideremus singularem virtutem miraculorum patrativam, quam Deus concessit S. Hyacintho, possumus asseverare, & nõ absq; solido fundamento, cæteros SS. patrasse miracula, solummodò uti homines, sine eo, quòd, operatio miraculosa eos ad sphærã divinitatis transferret, S. Hyacinthus autẽ operatur ea veluti Deus. Perpendite mecum ad hocce propositũ, miraculosos illius incessus super aquas, quãdo veluti novus viator molle iter duris gressibus calcat, quasi super terram ambularet, & procul dubio judicabitis actionem illam esse actum positivum cuiusdã divinitatis.

2. Reddidit facile S. Hyacinthus, omnem que solvit difficultatem illius, quod olim antiquitas æstimavit impossibile, nimirùm quòd quispiam super aquas gradiatur. Reputabant hoc adeò alienũ ab humanis viribus, ut Sacerdotes Ægypti ad denotandum rem omninò difficilem, & impossibilem, depingerent pedes hominis super undas maris ambulantis: *Et quod fieri nequit*, ait Orus Apollo, *pedes hominis in aqua ambulantes pingũt*, cæterum hoc impossibile Dei omnipotentia possibile efficit, inquit S. Iob *Qui extẽdit cœlos solus & graditur super fluctus maris*, estq; adeo proprium Deo, ut Polydorus Virgilius narret de Canuto Rege Angliæ, quòd subditi quidam volentes assentationis artificio gratiam illius aucupari, ipsum terræ marisque Dominum nuncupaverint. Indignatus autem prudentissimus Rex, quòd sibi titulus aut dignitas soli Deo propria, attribueretur, quodã die obambulans cum proceribus suis iuxta ripas, & littora maris, & ex vestibus suis blandũ sibi parans stratum, duxit in imagine lineam, præcepitq; fluctibus maris, ne illam transgrederentur, & vix mandatum pronuntiaverat, & statim turgida quædã unda limitem præfixum transilivit, & Regem assidentem madefecit. Quibus peractis, conversus ad suos, dixit: En, sycophantæ, vestra adulatio, modò cernitis, quale sit mihi imperium super terram, & fluctus maris, quos iam mandatis meis inobedientes conspexistis. Et pergens ad Ecclesiã, ubi devotissima quædã imago Christi Domini colebatur, deposuit diadema capitis sui, illudq; vertici imaginis Christi imposuit, in has cum regio Vate prorũpens voces: *Tu dominaris potestati maris, motũ autẽ fluctuũ eius tu mitigas.* Ac si apertius diceret: Tibi soli cõpetit hoc honoris encomium, cuius imperio,

Orus Apollo.

Iob. 9. v. 8.

Polydor. Virgil.

Psal. 88. v. 10.

perio, & arenæ, & procellosæ maris undæ ad nutum obediunt, & obtemperant.

3. His ita constitutis; ad præsentiam Hyacinthi aquæ subsistunt, & ut gressibus pedum illius solidum præbeant obsequium, liquidæ undæ & fluctus consolidantur. Nescio quid dicam: Hyacinthus non est Deus, ad imperium tamen ejus obedit mare, uti aliquando obtemperavit jussis Dei: liceat, igitur nobis affirmare, quòd quamvis non sit, apparet tamen Deus. *Qui graditur fluctus maris.* Sunt illi gressus penè divini, vel saltem illis simillimi, estq; necessarium lumen fidei ad discernendum hos ab illis, ne omninò divini reputentur. Prudentissimè ponderavit Theodoret. circa mortem Dathan, & Abiron, quòd fluctus terræ eos absorbuerint: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis.* Vbi Theodoretus addit: *Dathan verò & Abiron terra fluctibus obruit.* Ecquis non admiretur tam peregrinum, & exoticum loquendi stylum? Facilè hoc intelligi posset, si sacer Textus solummodò diceret, quòd terra aperiens os suum, illos in visceribus suis sepeliverit. Sed quorsùm usurpat terra officium maris, & fluctibus obruit? Accipite acutissimam illius responsionem: *Est enim facilè Creatori viam siccam in mari conficere, & terra pro mari uti.* Eccè, Deus hoc supplicium inflixit, & quia ipse est Dominus absolutus omnium, potest absque ulla injuria terræ, aut maris, commutare eorum vices & officia. Qui fugatis fluctibus maris profunda nudavit, ita ut Israëlitæ inter stupentes undas sicco vestigio velut inter montium concava transirent; quidni & in terris poterit procellosas excitare undas? Divinæ potentiæ perindè est terra, ac mare, & quemadmodùm sicco pede calcat mare, quasi solida foret terra, ita etiam submergit in terra, quasi liquidum esset mare. Cuncta creata suum naturalem servant ordinem, ignis naturaliter fertur sursùm, & lapis vergit deorsùm; quia ignis est de genere levium, & terra habet naturam gravium: verùm hæc eadem natura rerum, habet innatam quandam subordinationem ad divinam voluntatem, cujus imperio tanta promptitudine, & reverētia obediunt, ut quodammodò sui obliviscantur juris, dum ab Authore naturæ in alium præternaturalem finem ordinantur. Habet gravitas centrum suum in terra, & leviter decurrit aqua; ast interveniente Dei præcepto cuncta suæ naturalis propensionis jurisdictionem transgrediuntur.

Numeror. 16. v. 31. & 33.

Theodoretus in cap. 16. Num.

4. Innatum, & naturale est aquæ dividi, & separari, ubi gravius aliquod pondus senserit sibi imponi, sed ubi Hyacinthus illam pedibus suis calcat, non dividitur, sed induratur, & consolidatur, sentiens nescio quam divinitatis speciem in plantis ejus, quæ tam mirabiliter naturam ejus immutat. Non quòd Hyacinthus sit Deus, sed quia tanto cumulat eum honore, ut velit creaturas eundem illi, ac sibi, deferre respectum; & si aliquando aquæ marmoris induerunt naturam, ut pondus divinitatis Christi sustentarent, etiam consolidentur marini vortices, ut iter liquidum Hyacinthi gressibus solidum præstet obsequium. Hoc ipsum egregiè confirmat alia quædam insignis observatio ejusdem Theodoreti. Luctabantur Apostoli cum valida tempestate, laborantes in remigando contra adversantes maris procellas, & periclitantibus illis, apparuit Salvator ambulans super aquas, & cujus præsentiam determuit mare, & facta est tranquillitas; Discipuli autem deposito metu in gratitudinem miraculi, & beneficii sibi præstiti, illum Dei Filium proclamarunt: *Venerunt & adoraverunt illum, dicentes, Verè Filius Dei es.* Ast interrogo, quidnam excellentius habuit hoc miraculum præ cæteris, quòd eò viso Discipuli flexo poplite eum adoraverint, & novis lætitiæ signis ipsum Dei Filium proclamaverint? Pulchrè Theodoretus ad rem præsentem: *Neque enim hominis est ambulare suprà mare, sed Dei, sicut & David dixit, in mari via tua, & semita tua in aquis multis,* id est, solius Dei est imperare ventis & mari, & tumescentes ejus compescere fluctus. Et quia viderunt Dominum operantem tam novum, & inauditum portentum, ab humanis viribus adeò alienum, firmiter in animum suum induxerunt, ipsum esse Deum, qui solus talium tantorumque mirabilium poterat esse patrator & artifex.

Matth. 14. v. 33.

Theodoretus in Matth.

5. Sanctus Hyacinthus non est Deus, neque Filius ejus, attamen in quibusdam actionibus vicarias ejus egit vices, & singulariter in eo, quòd tam confidenter, & intrepidè calcaverit mare, relinquens usque in hodiernum diem vestigia sua illi impressa, non est dubium, quin cujusdam divinitatis præbuerit speciman. Historia est notissima: Irruebant Turcæ conjurati Catholicæ fidei hostes in Vrbem Cracoviensem, & ne deprædarentur pretiosiores thesauros Monasterii, in quô degebat, arripuit manu sanctissimum Sacramentum, ut illud è barbarorum furiis

tiis liberaret, & jam festino gradu excurrens è Templo, audivit lamentabilem vocem sibi acclamantem; Hyacinthe, quid me deseris? prodibat autem vox illa, ex imagine quadam alabastrina sacratissimæ Deiparæ, quæ unà cum dilectissimo Filio suo sub Eucharistiæ accidentibus velato, cupiebat ab infidelium furore per Hyacinthum eripi & liberari. Pœnitens Hyacinthus inconsideratæ suæ negligentiæ, altera manu arripuit Imaginem beatissimæ Virginis, quæ licèt gravissimi esset ponderis, ita alleviata est, ut commodè eam deferre potuerit; & associatus fratribus suis, pervenit ad Vandalum flumen, in quod, onustus tam opimis spoliis, pondere, inquam, maximo, siccis vestigiis se immisit. Quod autem maximè admirandum judico, est, quòd sociis illum præeuntem sequi metuentibus, & ad littora præ timore hærentibus, dixerit, eorum redarguens pusillanimitatem; Eià, Filii, sequimini vestigia mea in nomine Christi, & expanso pallio aquam tegens, adjunxerit hos sermones; agite charissimi, sit iste nobis pons Iesu Christi. Sicque flumen illud altissimum ac rapidissimum una cum sociis incolumis trajecit. Hic parumper subsistendum, & altiùs considerandum, quòd Hyacinthus socios suos adhortetur, ut audacter præeuntem sequatur, in quo maxima divinitatis ostēdit indicia, quòd enim pedibus calcaverit aquas, quamquàm permagnum fuerit, non tamen ideò sphæram hominis excessit, quia hoc superiori impulsu adactus, aut divinis obtemperans jussis, potuit præstare, sed quòd ad imperium ejus socii audaces, absque timore submersionis sese fallacibus committant undis, adeò proprium est Dei, ut ambigi possit an Hyacinthus divinitate sit donatus. O quàm ingeniosè id adnotavit omnium sacrorum Interpretum Phœnix S. Hieronymus, considerans, quod ab ambulationem Christi super aquas, Petrus nondum agnoscens ipsum esse Deum, sed existimans phantasma: *Quia phantasma est*, ut certior fieret num Christus esset, vel non, hisce eum verbis interpellaverit: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Quid ita, Petre? nonnè ut discernas ipsum esse Deum, sufficit, quòd ipse ambulet super aquas, absque eo, quòd tu super easdem gradiaris? Ecquam connexionem habet ejus divinitas cum mandato, quod requiris, ut de divinitate ejus certior efficiaris? Magnam sanè habet, inquit S. Hieronymus, non tam manifestè ostendebatur Christum esse Deum, quia ambularet super aquas, nisi etiam ad ejus imperium Petrus super eas graderetur: *Credidit posse facere per voluntatem Magistri, quod ille poterat per naturam.* Solus ille qui natura est Dominus aquarum, potest facere, ut alii ad imperium suum super eas ambulent; quocircà tunc omninò agnitus est Christus divinus, seu Deus, quando Petrus juxta mandatum ejus super aquas ambulavit. Quòd Hiacynthus intrepidè & siccis vestigiis calcaverit aquas, haud dubiè rarum, & inauditum fuit, neutiquam tamen opinionem divinitatis illius asserit, aut confirmavit, quia id jussu alterius efficere potuit: sed mandare aliis, ut gradiantur super aquas, est actio tam heroica, & gloriosa, ut in illo potuerit æquivocari divinitas; non quòd re ipsa illam habuerit, sed quia voluit Deus tanto honore Hyacinthum afficere, ut in quibusdam functionibus suas ageret vices, & more divino portenta & miracula patraret. Et hoc solum sufficiebat ad canonizationem sanctitatis ejus, & præferendum ipsum cæteris Sanctis, etiam prætermissis aliis miraculis, quæ in vita operatus est, sanans omnia languorum genera, & plusquàm quadraginta resuscitans mortuos; ut adimpleretur, quod ei Dominus mandaverat, in nomine Apostolorum suorum in hodierno Evangelio: *Euntes prædicate, infirmos curate, &c.*

Matth. 14. v. 26.

D. Hieronim. hic.

Euntes prædicate, &c.

CONSIDERATIO III.

Puritas Angelica Hyacinthi amplissimam ei conciliavit dignitatem, ita ut promeruerit fieri depositarius tam inæstimabilium thesaurorum, quales sunt sacratissima Virgo Deipara, & Filius ejus sub Sacramento velatus, quibus cimeliis manus ejus fuerunt magis ditata, quàm manus Sponsi cum omnibus monilibus suis.

EXordiamur hanc Considerationem ab insigni quodam Isaiæ vaticinio, quod licèt prima fronte videatur minus accommodum, rectè tamen perpensum, apprimè potest discursui nostro servire, & adaptari: *Dabo*, inquit, *in solitudinem Cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum olivæ: ponam in deserto abietem, & ulmum;* V

Isaia 41. v. 19.

mum; id est, ponam in Ecclesia mea cedrum, spinam, &c. & plantabo in deserto abietem, & ulmum. Ecquid Domine, hisce verbis denotare cupis? *Quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israel creavit illud.* Volo ut sciant, & recogitent omnes, me omnes arbores illas plantasse, & esse gustui meo placentes. Plura in hoc loco ponderanda occurrerent, si temporis ratio permitteret, quæ in aliam remittimus occasionem; in præsenti autem, solùm premo, quòd Deus affirmet ulmum sibi placere, & esse plantam sibi gratissimam, quapropter etiam posuit eam veluti coronidem cæterarum *Et ulmum*. Fateor ingenuè, mihi verbum hoc non parvam ingessisse difficultatem, quia, ut rectè memini, in paradiso terrestri, juxta graviorum Authorum sententiam, nulla fuit planta, quin aliquem fructum proferret, aut quæ frustrà occuparet locum, idque colligitur ex iis, quæ Deus primo homini commendavit: *Ex omni ligno paradisi comede*, prohibens tantummodò esum unius, ac proindè, procul dubio cæteræ arbores omnes fructificabant. Ecce nunc mea instat observatio; quia ulmus est arbor natura sua sterilis, & infructifera, & cùm Deus indignetur, & singulariter abominetur arbores infœcundas, & steriles, nescio, quam ob causam tantopere afficiatur ulmo. Scitis quare? inquit sanctus Gregorius Magnus, quia *ulmus vitem cum fructu suo sustentare solet.* Numquid enim videtis vitam racemos suos intertexere foliis ulmi, & ideò, quamvis non fructificet, est tamen fulcrum, sustentaculum, cujus brachiis innititur vitis, quæ copiosos germinat fructus? Quid igitur admiramini, ulmum esse Deo acceptam, & placentem, propter humanissimam ejus hospitalitatem, qua vitem ejusque germina benigno suscipit sinu, sterilitatem suam compensans humanitate, qua alienos sustentat fructus: *Vitem cum fructu suo, &c.*

Ibid. v. 10.

Gen. 2. v. 17.

D. Greg. hom. 19. in Evang.

2\. Quod cùm ita sit, quantò magis rapiet, & devinciet sibi animum, & affectum Dei arbor, seu planta, quæ præter fructus proprios, quos fertilitate sua profert, etiam sustentat alienos? Non est dubium, quin studium, & industria illius, summæ ipsi erit recreationi; at quis est arbor adeò beata, & fœlix? Ecquis ignoret talem esse S. Hyacinthum? nullus enim est, qui nesciat, ipsum esse arborem fructiferam, gratia, & virtutum, seu omnium spiritualium charismatum abundantia refertam, & onustam: ipse siquidem tam per angelicam puritatem, quàm per continua pœnitentiæ exercitia, sese vivam, & expressam S. Dominici imaginem exhibuit. Quod sustentet brachiis suis vitem, ejusque fructum, satis superque notum, & testes assumite solos oculos vestros, eosque conjicite in Sanctum nostrum, & videbitis eum gestantem manibus suis sacratissimam Virginem, ejusque dilectissimum Filium, in vite, & ejus fructu adumbratos; loquens Ecclesia in nomine beatæ Virginis, ita cantat: *Ego quasi vitis fructifi. avi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis.* Quæ verba communiter de Christo, ejusque sanctissima Matre exponuntur. Ex quibus liquidò infertur, quanti Deus æstimaverit Hyacinthum, quàmque gratus, & acceptus illi fuerit, non solùm enim ipse uberes profert fructus, sed etiam vitem, ejusque fructus à brachiis suis pendentes conspicit. Fortunatissime Sancte! manu dextera gestas Deum, & sinistra Matrem ejus sanctissimam, ecquod evidentius argumentum authoritatis tuæ apud illos, quos ita faventes ad manum habes?

Ecclesiastici 24. v. 23.

Hoc unum rectè distinguere, aut discernere nescio, quis sustentet, aut quis hic sustentetur, an Hyacinthus Matrem, & Filium, an verò hi ambo Hyacinthum? Recordor me alibi ad aliud intentum explicuisse mysticam illam visionem Iacob, quæ appositè congruit instituto nostro. Historiam omnibus notam prætereo, sæpius namque audivistis Iacob super lapide requievisse, scalam è cœlis dimissam, Angelos quoque per eam ascendentes, & descendentes, & tantummodo accuratiùs enucleandum judico id, quod facer advertit Textus *Et Dominum innixum scalæ* Acutissimè adnotavit S. Episcopus Achitemundus, Deum non solùm fuisse innixum scalæ, *sed etiam servo suo Iacob* Cùm enim scala illa posita esset, & fixa super Iacob, & Deus illi incumberet, haud dubiè illa ambos sustentabat. Tota difficultas consistit in examinando, qui possibile fuerit, quòd Iacob imbellis homo tanto oneri ferendo sufficeret? quomodò enim non vacillavit scala tam fragili fundamento, quale est homo suffulta? Nonnè Deus tribus digitis sustentat machinam mundi? *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Qui igitur tantum onus tam debili innititur fulcro? Egregiè respondet S. Antistes Africanus, ponens hoc familiare exemplum: ut quis pertranseat torrentem, sumit baculum, figitque eum

3\.

Gen. 28. v. 13. Architemund. hic.

Isaia 40. v. 12.

eum in medio torrentis, & illi incumbens pertransit: *Innititur Deus virtuti, & virtus innixa est Deo;* id est, virtus sustentat Deum, & Deus suffulcit virtutem. Nonnè hoc omninò est id, quod S. Hyacintho contigit, dum una manu gestans Deum in Sacramento Eucharistiæ, & altera beatissimam Virginem, quam Ecclesia scalam Iacob indigitat, rapidissimum pertransit flumen? Hyacinthus corroboratus fulcimine Christi, & Deiparæ Virginis, facilè, & absque periculo transvadavit: sed quid mirum, cùm David prædicet Deum esse baculum consolationis suæ: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* & unà Christus, & Maria in manibus Hyacinthi eripiuntur à periculo, & vicissim se mutuò sustentant, quod non est mediocre encomium S. Hyacinthi, nempè ipsummet Deum, qui illum sustentat, voluisse ab illo sustentari; nisi dicere velimus, Hyacinthum, ferendo Deum, satisfecisse obligationi, qua ei obstringebatur, quia Deus ipsum in humeris suis portaverat. Notissimum est, Deum humeris suis imposuisse ovem errantem, & tanto oneri corpus suum supposuisse, ut eam ad caulam suam reduceret: & cùm hoc adeò præstans esset beneficium, numquàm potuit mundus par pari referre, donec Hyacinthus, imponens Deum brachiis suis, illum ab exitio, & furore Turcarum tutatus est, & liberavit: quo pacto aliqua saltem ex parte beneficium illud adeò immensum, hoc officio compensatum fuit, exhibente Hyacintho personam generis humani, quod ut se modo possibili gratum probaret, suscepit Deum ferendum in brachiis suis, ut quantum posset debito suo satisfaceret.

Psal. 22. v. 4.

4. Ingentes erant opes, & divitiæ, quibus manus Sponsi affatim erant exornatæ, juxtà Sponsæ præconia, dicentis: *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis,* ita ut propter ornamenta auri, & hyacinthi manus illius inæstimabilis essent valoris. Audeo tamen dicere manus S. Hyacinthi incomparabiliter esse majoris pretii, & valoris, quia plenæ sunt Deo, & ejus Matre, qui procul dubio magis replent manus Dei. Et quamquàm hoc manifestum sit, operæ pretium tamen erit adnotare modum, & formam loquendi S. Scripturæ, quam faciens mentionem Christi observat. Sanctus Lucas commemorans ejus nativitatem, ita effatur: *Impleti sunt dies, ut pareret, & peperit Filium.* De circumcisione autem ejus ita loquitur: *Consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer.* Et sanctus Ioannes: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Et S. Paulus describens ejus adventum in mundum, hisce utitur verbis: *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum;* ita ut unum, & idem sit agere de Christo, ac de plenitudine, & abundantia. De Maria autem sanctissima ejus Matre primum verbum Angeli fuit: *Ave gratia plena.* Vnde si tanta sit plenitudo in Christo, & Maria, & ambos gestat manibus suis Hyacinthus, magis plenæ erunt divitiis manus Hyacinthi, quàm Sponsi, quia aurum, & hyacinthi, in comparatione Christi, & Mariæ, amittunt nomen valoris, & pretii, quapropter non incongruè diximus manus nostri Sancti esse ditiores manibus Sponsi.

Cant. 5. v. 14.

Luca 2. v. 6. Ibid. v. 21.

Ioan. 1. v. 16. Galat. 4. v. 4.

Luca 1. v. 26.

Quinimò audeo dicere, eas non solùm esse opulentiores manibus Sponsi, id est, Dei incarnati, sed etiam ipsiusmet Dei, ut Deus est. In Proverbiis eas delineans Spiritus sanctus, in hunc loquitur modum: *Longitudo dierum in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ.* in quorum explicatione hæc subjungit doctissimus noster Cardinalis Hugo: *Longitudo dierum,* idem est, quod, *vita æterna in spiritualibus bonis, & in sinistra ejus divitiæ, id est, in temporalibus donis ejus divitiæ gloriosæ.* Quæ compendio significant Deum habere in manu dexterâ bona æterna, & in sinistra temporalia, quare si Spiritus sanctus attribuat nomen dexteræ, vel sinistræ ipsi manui, juxtà conditionem, & nobilitatem bonorum in illis contentorum, ambæ manus Hyacinthi sunt dexteræ, quia in ambabus tenet bona æterna, & consequenter quodammodò fortunatiores manibus ipsius Dei. Ignoscite, quæso, si devotio mea erga Sanctum, paradoxa loqui videatur, quia fundamentum habent in singularibus prærogativis, quibus Deus S. Hyacinthum exornat, præ cæteris Apostolis, quibus in hodierno Evangelio ait: *Euntes prædicate, infirmos curate, &c.* 5.

Proverb. 3. v. 16.

Hugo Card. hic

Gratis

Gratis accepistis, &c.

CONSIDERATIO IV.

Speciale fuit privilegium S. Hyacinthi, quòd beatissima Virgo eum appellaverit filium suum, quòdque Angeli è cœlu descenderint ad exhilarandum, & consolandum eum concentu musico, dum langueret, & infirmaretur

1. CRebrò visitabat Virgo Deipara S. Hyacinthum, suavissimis eum dignata colloquiis suis, quorum uno voluit illi hoc esse exploratum, scilicet quodcumque per se à Filio petendum duceret, sine dubio impetraret. Premo autem, quòd illi hanc promissionem patefaciens, eum filium suum indigitaverit: *Gaude Fili Hyacinthe.* Et solum Christum, & Hyacinthum sacratissima Virgo hoc nomine appellavit: *Fili, quid fecisti.* ait Christo, & *Gaude Fili,* ait S. Hyacintho. (Luca 2. v. 48) Evidens profectò tenerioris affectus argumentum, quo eum prosequebatur: *Hoc præceptum commendo tibi fili,* scribebat (1. Tim. 1. v. 18.) Doctor Gentium discipulo suo Timotheo Ubi argutè Theodoretus perscrutans seu examinans causam cur Apostolus eum hoc nomine appellaverit, non aliam reperit, quàm quòd Apostolus hocce vocabulo suam ei manifestare voluerit benevolentiam, & amorem: *Appellatione filii suam in eum benevolentiam aperit.* (D. Anselmus hic.) Patefecit ei cordis sui affectum, & putavit Apostolus nullum se posse illi offerre certiorem suæ voluntatis testem, quàm nomen filii, quo eum condecorabat: neque potuit apertiùs Regina cœlorum exprimere benevolentiam suam ergà Hyacinthum, quàm indigitando eum filium suum: *Gaude Fili Hyacinthe.*

2. Verùm mox instat ratio dubitandi, qui potuerit Virgo Deipara Hyacinthum habere filium, cùm solus Christus Dei Filius, ejus sit, & dicatur filius? Ad respondendum huic quæstioni, recurrendum est ad insignem quamdam S. Anselmi doctrinam. Curiosiùs advertit S. Doctor Apostolum Paulum in Epistolis conscribendis observasse stylum, etiamnum familiarem, quo in fine salutationes, & commendationes amicis, & notis faciendæ adjunguntur. In una igitur, quam scribit ad Romanos, commendat se Rufo, hisce verbis: *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam.* (Ad Rom. 16. v. 13.) Torquentur hic ingenia Interpretum, ut verba Pauli cum veritate componant: cùm enim ipse fuerit Hebræus, juxtà proprium testimonium, uti scribit ad Corinthios: *Et Rufus genere Romanus,* (2. Cor. 11.) impossibile fuit ambos existere filios ejusdem matris, & si non fuerit matris Rufi filius, quomodò salutat illam uti suam? Nodum dubii dissolvit S. Anselmus solito ingenii sui acumine: *Eadem fœmina,* inquit, *& mater Rufi eras secundum carnem, & Pauli secundum charitatem, & beneficentiam.* (D. Anselmus hic.) Non erat Paulus secundùm carnem frater Rufi, neque mater hujus, mater illius, secundùm benevolentiam tamen, & affectum, quô ferebatur ergà eum, se veram ejus matrem ostendebat, quapropter illam agnoscens, aut appellans matrem, non naturam, aut sanguinis originem, sed voluntatis, & amoris beneficentiam designat: *Matrem ejus, & meam.* Ad rem igitur nostram: non est Maria sanctissima mater Hyacinthi quoad naturam, est tamen quoad amorem, quô eum tenerrimè diligit, & innumeris cumulat favoribus, & eapropter non est mirum, quòd tali gaudeat titulo, alloquens eum, eisdem verbis, quibus Christum, & ambos vocans filios suos: *Fili, quid fecisti? Gaude Fili Hyacinthe.*

3. Et quamvis eum non appellaret Filium, solummodò vocans eum Deipara nomine proprio promittebat ei securitatem auxilii, & protectionis suæ, qua præmunitus Sanctus, in omnibus poterat fœlicissimum sibi eventum, seu rei exitum sperare. Apposita sunt huic instituto verba illa, quæ Deus per Isaiam annuntiavit populo suo, exhortans eum ne caderet animo, aut ullum pertimesceret, sive in mari, sive in terra, periculum, aut infortunium; quia semper eum secum haberet propitium, & ad liberandum proclivem, & dispositum, eò quòd ad hoc obstrinxerat operam suam in die, quo eum nomine suo Iacob, & Israël vocaverat: *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israël, noli timere, quia ego redemi te, & vocavi te nomine tuo: cùm transieris per aquas tecum ero; cum ambulaveris in igne non comburreris, & flamma non ardebit in te.* (Isaia 43. v. 1. & 2.) Quæ meditans eminentissimus noster Hugo, hæc disertissima adjungit Commentaria: *Vocavi te nomine tuo, id est, ero custos tuus quocumq; perrexeris.* (Hugo Card. hic) Vocat sacratissima Virgo Hyacinthum nomine proprio, quô ei tutissimum in omnibus


periculis præsidium asseruit, ad hoc namque se adstringit, dum eum tanta familiaritate dignatur, ut illum proprio nomine appellet, & ut ei majorem præstet fiduciam: ipsi revelat hoc singulari privilegio illi concesso, etiam potituros omnes devotos illius clientes, quando in necessitatibus & angustiis suis tota mentis devotione ad eum recurrerint, subsignans illi quodammodò scedulam vacuam (*in blanco* ut dicitur) ut omnium expediat negotia, omniumque annuat petitionibus.

4. Descendebant Angeli è cœlis, missi forsitan à Deiparâ Virgine, ad recreandum Hyacinthum dulcisonis vocibus & concentu suo musico, dum ægrotaret aut infirmaretur. Latitabat in deserto Elias, & absconditus in spelunca, & quasi in vita sepultus, & vidit egredientem ventum validum & vehementem, qui etiam petras ipsas, & rupes disrumperet, & contereret. Et statim subjungit Deum non venisse in vento: *Et non in Spiritu Dominus.* Ventum autem subsecuta est grandis & horribilis quædam concussio: *Et non in commotione Dominus.* Et tandem post ignem & cætera, *sibilus auræ tenuis*, & ibi Deus. (3. Regum 19. v. 11.) Probè quidem novi sacros Expositores passim dicere causam hujus mysticæ visionis, fuisse severitatem Eliæ, qui nullatenus peccatoribus parcendum, aut indulgendum fore existimabat, sed omni rigore & justo supplicio eos esse puniendos, & idcircò Deum voluisse hac visione eum corrigere, ejusque regendi morem temperare, ac proinde non apparuisse in igne, aëre aut commotione seu sibilo auræ tenuis ac blandæ, quæ est symbolum benignæ affabilitatis, innuens illi peccatores potius mansuetudine, quàm morum austeritate esse corrigendos. Bellè quidem excogitatum, verùm hoc nequaquam instituto nostro deservit, sed Paraphrasis Chaldaica, quæ ubi vulgata nostra legit: *Sibilus auræ tenuis*, transfert: *Vox canentium in silentio.* (Paraph. Chald.) Id est suavissima quædam vocum harmonia seu musica, ubi vixdum voces percipiebantur, quemadmodum fieri solet in musica ad alleviandum morbum Principis aut ejus tristitiam depellendum composita. Ast quorsùm jubet Deus hanc musicam Eliæ decantari? Scitis quare? Versabatur in maxima calamitate Elias, & persecutionibus obrutus, ne quidem in latibulo speluncæ ullam sibi securitatem spondebat ab impia crudelitate Iezabelis. Instantiùs efflagitabat mortem sibi à Deo immitti, quapropter animadvertens Deus mœrorem, & afflictionem ejus, descendit ad consolandum eum, & adductis secum musicis suis, voluit dulcisono concentu lenire dolorem ejus. Existimo autem has esse metaphoras, quibus sacer Textus vult nobis insinuare media, quibus Deus solatio Eliæ studebat, veritas enim horum beneficiorum soli Hyacintho fuit reservata. Non etenim promeruerunt Sancti antiquæ Legis tantum favorem, sed is ex industria reservatus fuit Sanctis legis gratiæ, in qua unus Hyacinthus, titulo filii sanctissimæ Virginis, & singulariter Deo acceptus, erat Angelorum concentu recreandus.

Admiranda mysteria, & magna ponderatione digna continet visio illa dilectissimi Benjamin Christi, dum raptus ad arcana cœli, vidit omnes supremæ illius curiæ incolas altissimo silentio sepultos: *Factum est silentium in cœlo*, quod vix credi potest, quia nihil familiarius est in sacris Litteris, quàm Sanctos æterna beatitudine perfruentes jugiter divinas laudes decantare. 5. (Apoc. 8. v. 1.) Imò David hac permotus consideratione, beatos prædicavit omnes cœlestis illius patriæ incolas, quia continua oblectantur modulatione, in qua nihil absonum aut inconcinnum auditur: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* (Psal. 83. v. 5.) Hoc posito ecquæ causa potuit intervenisse tanti silentii, ita ut ne vox quidem una resonaret in cœlo? Non me latent variæ Expositorum interpretationes, in quibus quisque suum sequitur ingenium: attamen liceat devotioni meæ suam apponere meditationem, nimirùm, quod cùm hæ revelationes fuerint Prophetiæ, & vaticinia futurorum legis gratiæ, silentium illud cœlestium musicorum ad breve temporis intervallum, fuisse à Deo ordinatum, quia tempus aliquando futurum erat, quo ex divina dispositione musici cœlestes catervatim descensuri erant ad decantandam musicam Sancto Hyacintho, quando fractus labore, adversa uteretur valetudine. Rem exemplo familiari elucidabo. Amat Rex Magnatem quempiam, quem maximi æstimat, incidit hic in morbum difficilem, ita ut lecto detineatur, cupit Regia majestas ipsum musica sibi [illegible], in eumque finem mittit ad illum cantores suos, malens pro tempore aliquantuli [illegible] dari oblectamento, dummodò sibi [illegible] crescat.

cretur. Ecquid putatis Deo similem defuisse compassionem ergà Sanctum nostrum, quem tenerrimè diligebat? Apagè, nullatenùs tale quid de Deo suspicandum est. Ideòque liceat mihi dicere, quod ægrotante Sancto Hyacintho in Conventu suo Cracoviensi, misesit Deus è cœlis musicos suos, malens ad medium horulam fieri silentium in cœlo, quam quod Angeli non cantarent musicam ad alleviandum Hyacinthum.

6 O gloriose Sancte! qui tot eminet favoribus, proculdubio etiam excellit meritis, & ideò non admiror authoritatem, qua polles apud Matrem & Filium, ita ut ambo quasi ad æmulationem tibi favere studeant, & præsertim sacratissima Virgo quæ repetitis vicibus suum præsidium tuis obligavit, & addixit precibus, fortasse ut nobis tuam commendaret devotionem, & doceret tuam intercessionem, unicum esse medium ad evadendum quævis, etiam gravissima pericula, dum calamitatibus conflictamur, & necessitatibus oppressi laboramus. Latrunculi quidam egressi de Syria, captivam duxerant puellam parvulam Israëlitidem, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. Erat hic vir fortis & magnus apud Regem, sed leprosus. & puella beneficii memor, quia pane ejus alebatur, & compatiens infirmitatis Domini sui, ait ad Dominam suam: *Vtinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profectò eum curasset à lepra, quam habet.* (4 Reg. 5. v. 3.) Acquievit Naaman consilio humilis puellæ, accinxit se itineri, pervenit ad Prophetam, & diu desideratam recuperavit sanitatem. Vbi disertâ Sanctus Ambrosius ad rem præsentem: *Sacrata consilio puellæ à Propheta salutem sperare commonitus, non terreni Regis imperio, sed divina misericordia liberalitate sanatur.* (D. Amb. lib. 3. offic. c. 14.) Fidem adhibuit Naaman verbis prudentissimæ illius adolescentulæ & ipsius suasu & intercessione integram accepit corporis sanitatem, non quia commendatus fuit à Rege suo, sed ad petitionem Prophetæ, & quia puella suam interposuerat promissionem & certitudinem. Symbolum & figura fuit hæc puella sacratissimæ Virginis, juxta gravissimorum Authorum sententiam: & si beata Virgo suum oppignoravit verbum petitionibus Sancti Hyacinthi fœliciter adimplendis, prudentissimum erit consilium ad tanti Prophetæ cõfugere præsidium: & quia tanta valet apud Deum authoritate, humiles et præsentemus obsequia nostra, eique omnes nostras commendemus necessitates, non solùm temporales, quæ sunt minoris momenti, sed etiam spirituales, quæ sunt majoris ponderis, interveniente siquidem promissione Deiparæ Mariæ infallibile erit auxilium, & securum præsidium in hac vita per gratiam, quæ est pignus futuræ gloriæ. *Ad quam nos perducat &c.*



TRA-


TRACTATUS XXV.

IN FESTO

Decollationis sacri Præcursoris, S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Misso spiculatore præcepit afferri caput eius &c.

Marci 6. capite.



INjustæ persecutiones, & inhumana tormenta Tyrannorum semper majorem conciliant authoritatem virtuti & constantię justorũ, & consequenter nunquam excellentiori honore affectus Baptista, nunquam ejus sãctitas celebrior, quàm hodierno die, quando Herodiana tyrannis ejus exitio studuit, & in odium ejus sanctitatis illi & caput amputavit & vitam ademit. Glorioso ejus martyrio dedicat consecratque Ecclesia hosce festivos applausus, & omnibus patefacit fortitudinem animi ejus, solemni præconio victorias ejus decantat, & celebres illius coronas extollit. Coronas dixi, quia juxta doctam Maironis observationem, quatuor sunt quibus caput seu gloriosa ejus tẽpora exornantur, singulis conspicuæ lapidibus pretiosis. Eminet in prima unio seu margarita purissimæ integritatis, adeò enim præcox, & præmatura fuit in illo gratia, ut etiam antè nativitatem suam, illam copiosissimam haberet. In secunda elucet smaragdus spei ipsius, qua semper ad Regnum cœlorum aspirabat, & illustrissimæ confessionis ejus, qua cunctis viam cœlorum persuadebat. In tertia splendet adamas patientiæ illius, quam nec tyrannicus furor nec plurimæ afflictiones aut labores labefactare potuerunt. Deerat illi ad exornandum quartam ignivomus, & rutilans carbunculus sanguinis sui, quem hodiè Herodes gladio elicit & effundit, esse carnificis gloriosos ei præparans triumphos. De illo nobis hodierna die dicendũ erit, si nobis gratiæ auxilium faverit, Ioannes eam in nomine suo offert, & Maria suam intercesionem, si eam solita prece Angelica salutaverimus. *Ave Maria.*

Misso spiculatore, &c.

CONSIDERATIO I.

Voluit Deus Ioannem Baptistam manibus tyranni vitam finire, ut cùm iam certò constaret de eius virtute, nullatenùs de eius amore dubitaretur.

QVisquis attentiori mente consideraverit innumera benevolentiæ beneficia, & singulares favores, quibus Deus Baptistam in vita largitate quadam inexplicabili cumulavit, eaque omnia cum crudelissimis tormentis, & ignominiosa ejus morte contulerit, sufficientem reperiet occasionem admirandi dispositionem divinæ providentiæ & inquirendi causam, ob quam erat gladio occidendus, quem in vita tot tantisq; virtutum ornamentis illustraverat. Cùm enim Baptista sit quem Deus adeò extulit & magnificavit, ut ad annuntiandum ejus nativitatem miserit eundem Angelum, qui suam mundo manifestaverat Sanctus què Deus vixdum incarnatus adhuc in materno utero existentem

stentem, & necdum natum visitat. Sanctus, qui ante vixit gratiæ, quàm naturæ, in cuius nativitate totus mundus exultavit, cuius virtutem adeo Christus laudavit, ut eum inter Prophetas appellaverit maximum, & inter Seraphim veluti unum illorum. Et tandem Sanctus, de quo affirmat S. Petrus Damianus in favoribus cœlestibus, in opinione mundi, in gratia divina, in sanctitate personali fuisse magnũ sine mensura, maximum sine æquali, primum sine secundo, quem S. Augustinus nuncupat ultimum limitem, & terminum humanæ perfectionis, in quo, veluti in sublimiori gradu, & centro, recondita fuit tota perfectio universi. Quem, teste S. Ambrosio, excepto Christo, & Deipara Virgine, alicui sanctorum comparare, nefas est, & temerarium. De quo tiam differens Parisiensis, tamquàm indubitatum reputat, quòd in extremo judicii die faciet chorum, & Hierarchiam cum Christo, sola Virgine in medio constituta. Sanctus denique omnium encomiorum epilogus & compendium, cui etiam maxima applicata, imparia, & dignitati eius iniuriosa reputantur. Ecquis non admiretur talem mori in carcere, innocentiam ad pedes Tyranni prostratam, vitam manibus spiculatoris commissam, & caput tanti viri violento ictu detruncatum.

2\. Et si fines, teste Philosophorum Principe, consonare debent principiis, quemadmodum etiam ingressus, & egressus solent paris esse conditionis, cui non moveat admirationẽ videre exeuntem miserè ex hac vita, & decollatum. Eum, qui sicut Ioannes, tam ovanter, tantoque cum applausu, & majestate mundum intravit: animo liberali, & munifico, ut egregiè dixit gentilis Seneca, ad perficiendum beneficium, sufficit illud inchoasse: *Non mentiar si dixerim neminem non amare beneficia sua, qui non causa sit iterùm dandi beneficii, semel dedisse. Cui initio non fuisset ratio præstandi aliquid, præstamus, quia præstitimus*, id est, quisquis nostrum, si æstimet bonum, quod alteri præstat, sufficienter movetur ad prosequendum illud, eò quòd incœperit, ita ut etiam, quando aliqui demerentur beneficia per ingratitudinem, si statuerimus ea dare, ipsum beneficium inchoatum, sit causa illud perficiendi, & prosequendi. Qui, igitur, ò Domine Deus, ille, quem tot prærogativis, & favoribus condecorasti, quique tibi tot beneficiorũ debitor extitit, tam infortunatum videtur sortitus fuisse finem, ut des incompositæ saltatrici sacrum eius caput in mercedem, & præmium profani tripudii, ad celebrandum natale Herodis instituti.

Seneca lib. 4. de beneficiis.

Optimè quidem recordor Davidem in Psalmo illo toties repetito, nomine tuo promisisse justo sex genera bonorum, qui in te confideret: *Qui habitat in adiutorio altissimi*, in protectione Dei cœli commorabitur, hoc est, quicũque se divinæ providentiæ commiserit, & sub umbra eius vixerit, meritò potest, explodere, & flocci pendere occultos insidiantium hostium laqueos, & aspera malevolorũ improperia: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Opponet se Deus hostibus suorum veluti scutum, & refellet omnes eorum impetus, imò alis suis extruet munimentũ: *Scapulis suis obũbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis.* Nullus adversarius poterit eum lædere, sed omnes victi ad pedes eius cadent, & prosternentur: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem nõ appropinquabit* Curam eius suscipiet Deus, & ad asseverandum ei suã protectionem, mittet Angelos suos, qui ei sint præsidio, & in manibus suis portent eum, ne offendet ad lapidem pedes suos: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Iustus hac confidẽtia præmunitus conteret dracones, & intrepido pede venenatos calcabit serpentes, qui naturæ feritatis obliti, omnem crudelitatem deponent, & in mansuetudinem commutabunt: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem* Nihil tandem pertimescet, neque timores nocturni magis in apprehensione, quàm rei veritate consistentes ullum in eo locum habebunt: *Non timebis à timore nocturno* Non nocebit sagitta palàm in eum ejaculata: *A sagitta volante in die*; neque offendent eum, qui clanculò moliuntur eius mortem, & exitum, ita ut jaculum emittant, & statim manum abscondant: *A negotio perambulante in tenebris.* Hæc omnia promittit Deus per Davidem justo, qui confidens suæ Majestati, omnem suam spem in eo collocaverit: *Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eũ.* 3.

Psalm. 90. v. 1.
ibid. v. 3.
ibid. v. 4.
ibid. v. 7
ibid. v. 12
ibid. v. 14
ibid. v. 5.
ibid. v. 6.
ibid. v. 2.

4\. Et quia hic status justi est divinæ providentiæ, tamquàm singularis eius effectus, & beneficiũ cœleste, nescio quid possit esse gratius aut acceptius Deo, quàm animus tranquillus nullis vexatus curis, quin imò in difficillimis periculis imperterritus, qualis fuit S. Ioannis Baptistæ, qui

qui in extremo vitæ discrimine constitutus, & in carcere jam ad portas mortis deductus, tam æquanimus, tamque constans pestitit, quasi mors nullam in eum haberet potestatem. Cùm itaque sanctus Ioannes talis, & tantus fuerit, tamque intrepidus, ut etiam periclitante vita sua haud quidquam extimuerit, cur Deus non liberat eum ab insidiis, & occulta proditione Herodiadis, quæ in eius mortem molitur? & ab impiis eius, seu asperis verbis, quibus sacrum eius caput sibi donari postulavit: *Des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* (*Marci 6. v 25.*) Vbi nunc adimpletio illius promissi: *Liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero?* Quomodò Deus non eripit eum è manibus carnificum qui caput eius amputare præsumunt, & verificetur illud: *Cadent è latere tuo mille.* Quare Angeli non vindicant Ioannem ab ergastulo carceris, & servant incolumem à martyrio, uti promissum fuerat: *Angelis suis mandavit de te,* Cur in virtute tantæ fiduciæ non subjecit pedibus suis Herodem, veluti leonem, & Herodiadem, tamquàm serpentem? hoc enim pacto adimpleretur verbum: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, &c.* & tandem, quomodò divina providentia non eximit eum a publicè lata mortis sententia: *A sagitta volante in die,* aut à clancularii conciliis, quæ in eius perniciem conspirarunt: *A negotio perambulante in tenebris?* In te solum, ô Domine, iactavit Ioannes omnem spem suam, teque sólum habuit securitatis sæ asylum, ubi ergo infallibilis promissio tua: *Cum ipso sum in tribulatione?* (*Psal 90. v. 15.*) Siccine permittis, ut in carcere detineatur ligatis manibus, & capite condemnetur? *Et eripiam eum.* Si namque vita eius tot tantarumque virtutum exemplar extiterit, ipsumque Herodem prædicatione sua ad meliorem vitæ frugem revocaverit: *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat,* (*Marci 6. v. 20.*) ecquare eum non conservas incolumem, qui tot doctrinâ suâ parit fructus, emendando mores, & corrigendo mundi iniquitates?

5. Dubium non est malè fundatum, & valdè opportunum huic diei, sed facilem habet solutionem in doctrina sanctorum Patrum, & sacrarum Litterarum, quæ passim docent, eam esse consuetudinem Dei maximè familiarem, & antiquam, nimirùm maiores servos suos, & singulariores amicos gravioribus, & crudelioribus exponere tormentis, ut in improba Tyranni sævitia comprobetur, & elu-ceat excellentia amoris divini, quem cor eorum veluti incognitum, & latentem occultabat. Moriatur Ioannes, inquit Deus, jussu, & imperio tyranni Herodis, quia miseram hanc vitam egregio mortis genere concludere, est opus præclarissimum, quod homo in obsequium Dei præstare potest, ut cùm eius sanctitas toti mundo innotescat, nequaquam de eius amore, & charitate dubitetur. Ad hunc sensum interpretor ego verba illa Chrysologi, ita de prærogativis S. Ioan. Baptistæ disserentis: (*D. Petr. Chrysol. Serm. 93. de S. Ioan.*) *Non potuit morte communi mori, qui natus est privilegio singulari,* id est, non decuit eximiā eius sanctitatem convenire in mundo moriendi cum cæteris hominibus, qui in vita tam egregiè aliis antecelluerat præstantioribus donis & virtutibus, sed vi tormentorum debuit tam constanter finire vitam, ut hoc modo vita, & mors in illo adæquatam similitudinem, & consonantiam haberent. Doctus Cluniacensis apertius idipsum explicuit his verbis: (*Raulin. Serm. 1. huius Festi.*) *Vt ostendatur amor, quem habuit ad Dominum: non enim potuit plus facere Deo quàm fecit, nec Deus ab eo plus exquirere, quàm mortem eius: iuxta illud Ioannis: maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* (*Ioan. 15. v. 13.*) Prædicaverat Ioannes se esse amicum, & familiarem Christi: *Amicus sponsi, &c.* (*Ioan. 3. v 29.*) Hæc igitur fuit occasio, in qua veritatem amoris sui erga Deum, tam generosè mortem appetendo, & pro eo sanguinem, & vitam profundendo, comprobavit.

6. Quanto amore prosequitur te dilectus tuus, ut tanto studio ambias eius familiaritatem? (dicebant quondam filiæ Ierusalem Sponsæ, animadvertentes solicitudinem, qua eum quærebat, & amorem, quo eum redamabat.) *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* (*Cant 5. v. 9.*) at illa prudentissimè respondit: *Dilectus meus cādidus, & rubicundus* (*Ibid. v. 10*) Singulari acumine ingenii premunt sacri Expositores, quòd Sponsa volens significare præclaras dotes Sponsi amorem conciliantes, prædicet eum candidum & rubicundum. Videtur namque responsio non esse formalis, quia licet explicet pulchritudinem eius, attamen non exprimit magnitudinem amoris illius ergà se, ac proinde consultius diceret: formosissimus est Sponsus meus & maxima me benevolentia complectitur. Qui igitur solummodò mentionem facit colorum eius, atq; candorem, & ruborem faciem eius exornare, & silentio præterit præcipuum, scilicet amorē quo ab eo diligitur? Ad hoc dubium respondetur quia Interpretes Sponsam non

non potuisse magis apposité respondere, quia his duobus verbis quidquid dici poterat, compendio insinuavit: *Nimirum candidus sanctitate, rubicundus passione;* inquit Rupertus Abbas, quem sequuntur SS. Patres, Hieronymus, Cassiodorus, Beda, Philo Carphatius, Anselmus, & alii, ac si apertius diceret Sponsa, candorem habet Sponsus à sanctitate, & rubedinem à sanguine, quem pro me effudit, ideoque amore meo dignissimus est, neque ullatenus fallor, quod reciprocas ei pendam vices, quia eximiam suam erga me benevolentiam sufficienter patefecit passione, & tormẽtis suis, quæ pro me toleravit. Vt ergo Sponsa manifestavit sodalibus suis sanctitatem dilecti sui in candore obumbratã, addidit etiam rubedinem passionis illius, ne in dubium revocaretur amor illius erga se, utpote, qui eũ compulerat ad perdendum vitam pro dilecta sua, & idcirco recté ad interrogationem, responsio datur: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto* dicendo, *Candidus, & rubicundus.*

Rupert. Abb. Tres Patres. Cassiodo. Hieron. Beda. Philo Carphat. Anselm.

7. Postquam Salvator mundi profundissima cum humilitate, & animi demissione lavit pedes discipulorum suorum, peracto jam sanctissimo corporis & sanguinis sui convivio, seu cœna ultima, longiorem coram eis instituit sermonẽ, in quo plurima, eaque maximi ponderis proposuit mysteria, & tandem pro coronide concionis, dixit eis: *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Ita legunt hæc verba SS. Augustinus, & Hilarius, quamvis alii Authores existiment ea nullam facere connexionem, sed diversas esse clausulas: *Sic facio*, & illud, *surgite, eamus hinc.* Doctus Cardinalis Toletus sequitur SS. Hilarium & Augustinum, verumtamen advertit, & observat Christum Dominum, ut toti mundo notum faciat se diligere Patrem, statim subjungere, abeundum esse ex illo loco, & pergendum alium: *Surgite, eamus hinc.* Certissimum est apud Theologos, sufficientissima fuisse miracula, quæ Christus operabatur ad probandam, & stabiliendam eius divinitatem. Vita eius erat adeo pura, & immaculata, & opera eius tam sancta, ut potius divina, quàm humana apparerent: quibus addi potest, quod idem Dominus de se ipso pronuntiavit. *Pater diligit Filium*, & manifesté hoc declaratum fuit voce, quæ insonuit è cœlis in Iordane, & monte Thabor, qua Pater eum, Filium suum dilectum esse protestatus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, at verò quam dependentiam habet notitia, & agnitio, quam homines habituri erant illius, & amoris eius ergà Patrem, ab executione tam promptæ, & acceleratæ obedientiæ? *Vt cognoscat mundus, &c. Surgite eamus hinc.* Maximam, inquit præfatus Cardinalis, quia hoc unicum ipsi in votis est, ut mundus eum singularẽ Patris amatorem agnoscat, & præstantissimum mediũ quo hanc veritatem hominibus persuadere potuit, fuit prompta & spontanea voluntate mortem subire, & solo amore perurgente, quærere occasionem patiendi, & tradere seipsum manibus eorum, qui iam in caput, & vitam eius conspiraverant: *Surgite, eamus hinc, id est, in eum locum, in quem venturi sunt hostes, ut me comprehendant, ut occidant, quasi diceret, mortem subeo quia volo, & quia mandatum hoc accepi à Patre, propter cuius dilectionem paratus sum etiam, gravissima perpeti. Argumentum huius sit, quod me sponte offeram, & eo vadam, quò comprehendendus sum, seu quo inimicos me quærentes scio venturos.* Ex his tandem evidenter colliget mundus, quòd etsi Pater me diligat, quia me Filium suum esse declaravit, hunc ego voluntatis affectum rependo, tanto eam amore redamans, ut spontanea voluntate mortem amplectar, ad obtemperandum jussis eius, neque valeo luculentius amoris mei argumentum præbere, quàm spontaneè mortem oppetere, & occasiones patiendi solicitare. Eapropter Author vitæ, quamvis sciret sanctitatem suam satis superque toti mundo esse probatam, nihilominus existimavit dubitari posse de amore suo erga Patrem, donec viderent eum patientem, & statim ac ex obedientia & amore morientem cernerent, omnis suspicionis ansam deponerent, idcirco celer ad mortem properavit, quo pacto candorem sanctitatis suæ rubedine sanguinis sui conspersum illustraret, & exornaret.

Ioan. 14. v. 31. *Ioan. 3. v. 35.* *Matth. 4.* *v. 17.* *Toletus hic.*

8. Enarrat Sanctus Ioannes in sua Apocalypsi, & accuratius describit calamitosa tempora Anti-Christi, & gravissimas persecutiones, quibus veros Christi fideles affliget, & inaudita tyrannidis, seu tormentorum genera, quibus illos obruet, & excruciabit. Et ad animandum eos ad patientiam, & tolerantiam tot tantorumque cruciatuum, hortatur, & monet, ne cadant animo, sed ut spiritum, & vires resumant, quia, qui illos divexaverit, vel carceribus includendo, vel bonis temporalibus exuendo,

& tandem vita spoliando, intra breve temporis spatium easdem luet pœnas, & tandem justo Dei judicio æternas subibit: *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet, & qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Et statim subiungit dilectissimus Christi Benjamin: *Hic est patientia, & fides Sanctorum*, id est, in tormentis illis tota nititur patientia Sanctorum. Difficultas horum verborum consistit in explicando, in quo sita sit excellentia sanctitatis, & patientiæ justorum. Quomodo enim possibile est fideles servos, & amicos Dei non posse per alia diversa media monstrare constantiam fidei suæ, & invictam animi sui fortitudinem? An necessariò debent incidere in manus filii perditionis, & læta fronte sufferre eius persecutiones, & magna æquanimitate tolerare eius crudelitatem: ut ardor fidei eorum eluceat, & invictum eorum patientiæ robur toti mundo innotescat? Ita sanè, inquit Doctus Commentator Apocalypseos, quia carceres, & gladii tyrannorum sunt coticula, qua perfectio iustorum comprobatur: *Maxime observare volumus persecutiones esse veluti lapidem quemdam lydium, ad quem fides, & patientia probatur, id enim disertè significavit, Ioannnes hoc loco, cùm dixit: hic est patientia, & fides Sanctorum.* Quantumcumque aliquis sanctitate emineat, donec carceres, & vincula non experitur, & caput præbet ferro præcidendum, nondum cognoscitur excellentia fidei eius, aut ardor charitatis illius; quia patientia est virtutis probatio, & quemadmodum sapiens quidam dixit, verberibus, & Sancti, & metalla probantur. Posita igitur hac doctrina; non est mirum, quòd Herodes Ioannem Sanctorum maximum carceri mancipaverit, & catenis ferreis incluserit, & tandem ei caput, & vitam abstulerit, sic enim divina disposuit providentia, ut cuius sanctitas ore Christi jam erat mundo commendata, martyrio confirmaretur.

Apoc. 13. v 9. & 10.

Viegas Comment. 1. sect 3. num. 1. cap. 13. Apoc.

9. Quidam ex Hebræis recenter ad fidem conversi sentiebant quamdam difficultatem in primis diebus novitiatus sui, & rigor vitæ Christianæ, tunc maximè vigens, eos nonnihil affligebat. Quapropter Doctor Gentium S Paulus volens eos animare, ne à cœpto resilirēt proposito, scripsit eis Epistolam, hæc, inter alia continentem verba: *nondum usque ad sanguinē restitistis*, id est, non reperio causam, ob quam turbari debeatis, quia nondum certamen martyrii experti estis, quod tanta animi constantia plurimi Sancti subierunt, ne in minimo quidem deessent amori, quo Deum suum ardentissimè amabant. Quæ verba, juxta Angelicum nostrum Doctorem S. Thomam, hunc reddunt sensum: *Non debetis deficere in tribulationibus vestris pro vobis quia nondum tantum sustinuistis, sicut Christus, ipse enim sanguinem suum fudit pro nobis.* Immeritò reverà tam citò deficitis, quia exigua sunt, quæ hactenus tolerastis respectu eorum, quæ pro vobis pertulit Christus, ipse namque per sanguinem suum notum fecit mundo amorem suum erga vos, animati igitur eius exemplo, patienter ferte tribulationes, quæ vobis obvenerint, & generoso pectore resistite persecutionibus, quæ contra vos insurrexerint, ex tolerantia namque earum perfectio vitæ vestræ Christianæ liquidò colligetur. Id, quod sanctus Paulus persuasit Hebræi, ego omnibus fidelibus persuasum cupio & præsertim devotis S. Ioannis Baptistæ clientibus, ut si dignè Festum decollationis eius celebrare desiderent, eius imitentur exemplum, & patientiam in omnibus adversitatibus, quas Deus eis immiserit, quia in hoc ostendent parvam, vel magnam gratitudinem suam pro beneficio redemptionis, & passionis Christi, in qua tot, & tam indigna pro nobis libens toleravit. S. Ioannes habuit exemplar patientiæ suæ ipsum Redemptorem passurum, nos vero habemus eumdem jam passum, & ipsum S. Ioannem, qui licet prior fuerit, fixit tamen vestigia sua, ut inexpugnabilis fortitudo animi eius esset nostra instructio, & excellentia charitatis eius foret nobis exemplum.

Hebr. 12. v. 4.

D. Thom. hic Lect. 1.

10. Quomodo nobis constaret firmitas patientiæ eius, & fortitudo immobilis illius constantiæ, quæ nec blanditiis Iudæorum, nec crudelitate tyranni potuit labefactari; nisi videremus Ioannem catenis, manicis ferreis, & compedibus vinctum? Qui volaret per mundum & ascenderet ad cœlum tam sanctum & firmū animi decretum reprehendendi vitia, & corruptos mores Herodis, nisi cognosceremus, quòd vitam pro veritate exposuisset? Sunt hæc stratagemata Dei supremi artificis, estq; hæc sententia æternæ providētiæ, quæ exponēs cor humanum periculis dolorum, & afflictionum, elicit ex illo divitias, & perfectiones hactenus incognitas. Et ut hos industriæ modos mādes executioni

cutioni, non solum moritur Baptista, sed, uti Euangelium loquitur, & captivus in vinculis detinetur, excruciatur, & capite plectitur: *Et decollavit eum in carcere.*

Misso spiculatore, &c.

CONSIDERATIO II.

Quamvis per mortem Ioannis tyrannus sibi sollicitaverit ruinam, ipse tamen Sanctus maiorem sibi conciliavit æstimationem, & authoritatem.

1. TAmetsi Dominus Deus propter altissimos fines suæ providentiæ permiserit Ioannem decollari, non tamen ideò excusavit Herodem ab impia crudelitate, quia adeò efferata, & barbara fuit hæc actio, ut nulla truculentior excogitari potuerit, & omnes circumstantiæ, quæ tunc ad illam concurrerunt, non mediocriter eius sævitiam, & impietatem aggravant & redarguunt, temporis enim, & diei natalis inopportunitas mirum in modum scelus Herodis amplificat, natale quippè Principis non delinquentium morte, sed reorum libertate celebrari, & multò minùs interfectione justorum fœdari solet. Talia convivia, moris est deliciis, & variis ciborū ferculis, non humanis capitibus instituere, & adornare. Imò Herodes non unius, sed multiplicis vitæ reatum incurrit, quemadmodum doctus Lyranus super illa verba Dei ad Cainum argutè observavit: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, id est, petit vindictam. Vbi Paraphrasis Hebraica: *Vox sanguinum*, in numero plurali, asseritque Hebræos opinari, non solum sanguinem Abelis effusum, sed etiam omnium, qui ex eo per naturalem propagationem processuri erant, clamasse. Et concleatiùs hoc Paraphrastes Chaldæus expressit hisce verbis: *Vox sanguinis generationum, quæ futuræ erant succedere de fratre tuo.* Ac si diceret; Putasne Cain te unam tantummodò abstulisse vitam, aut unicum solummodò hominem occidisse? Esto certus, quòd omnes futuri posteri fratris tui clamant ad me de terra, ultricem postulantes vindictam mortis suæ, tot namque vitas abstulisti, quot eum interficiēdo impedivisti, ne ab eo per generationem procederent. Non secus perfidus ille tyrannus Herodes decollando gloriosum Baptistam, non unam vitam, sed plures spirituales ademit iis, qui nisi Ioannes moreretur per eius prædicationem, novam gratiæ vitam acquirerent. Accipite aureum Chrysostomi os, ita disserens: *Hunc vere dum occidit, non unam occidendo cædem perpetravit, sed plures: siquidem totidem occidit, quotquot ille vivus vivificare poterat sermone.* ¡Belle excogitatum!

(Gen. 4. v. 10. — Paraph. Hebr. hic — Paraph. Chald. hic. — D. Chrys. hom. de decoll. S. Ioann.)

Quapropter stomachantur, & excandescunt omnes Sancti Patres in Herodem, eiusque barbarum, & crudele edictum, & præsertim S. Petrus Chrysologus ad illum convertens sermonem suum: *Herodes tu adulterium facis, & in carcerem vadit Ioannes?* Qua lege sancitum est, ut reus liber evadat, & corrigens cū pœnas luat? Revera non agnoscis in te culpam ut emenderis, & eam conicis in Ioannem, ut de correctione tua vindictam sumas. Et sicuti infirmus, quem amaricavit pharmacum, abjicit vasculum, ne nausea transeat ab oculis ad stomachum, ita tu, qui tantoperè sensisti reprehensionem Baptistæ, contendis eum decollare, ne ob oculos tuos versetur, qui te admoneat, & scelera tua reprehendat. David fugiens Absalonem, dixit ad Sadoc: *Reporta Arcam Dei in urbem*, quia nolo eam esse in societate mea. Non parùm torquet ingenia Expositorum, quòd David undique oppressus afflictionibus, & tam crudelem patiens à filio suo persecutionem, dum ex Arcæ consortio omnem solatii spem concipere posset, eam à se dimoveri jusserit, neque voluerit illius habere præsidium, in tot periculis cōstitutus; hoc peregrinum factum, plures excitavit ingeniis Interpretum difficultates, dum vix causam mysterii assequi possunt. Ast quam egregiè superat difficultatem perspicacitas Theodoreti nostro subserviens instituto: *Sanctam Dei legem conculcavi, nolo accusatorem meum deferre.* Noluit David Arcam Dei secum duci, ne continuum scelerum suorum accusatorē præ oculis haberet, erant enim in illa tabulæ legis scriptæ digito Dei, qui vetabat homicidium, & concupiscentiam uxoris proximi: & quia ipse fuerat transgressor istorum mandatorum, turpitudine peccatorum suorum confusus, noluit secum pergere Arcam, ne semper ad latus suum haberet divinæ justitiæ exactorem, qui jugiter, & peccata sua redargueret, & Dei supplicia provocaret. Decolletur Ioannes Baptista, inquit Herodes, quia abominatur cor meum

(D. Petrus Chrysol. Ser. 174. — 2. Reg. 15. v. 25. — Theodor. in quæst.)

meum tam acris scelerum meorum censoris præsentiam. Moriatur Ioannes, quia perversi mei mores non patiuntur hominem, qui doctrina sua actiones meas redarguat, & ad cujus sanctitatem iniquitas mea magis elucescit.

3. Sed hæc eadem media, quæ elegit humana perversitas ad obscurandum, & penitus extinguendum Ioannem, abolendo virtutes ejus è memoria hominum, assumpsit divina bonitas ad conciliandum illi majores honores, insignia sanguinis ipsius erigendo trophæa, ita ut de illo verificetur id quod de alio heroë protulit Philosophus Cordubensis: *Catoni gladium assertorem libertatis extorque, magnam partem detraxeris gloriæ.* Gladius, qui abstulit vitam Catoni, accersivit illi famam, & conciliavit authoritatem, & magnus ei fuisset detractus honos, nisi illi caput obtruncassent. Nequaquàm Herodes optato potitus est fine, sed potiùs crudelis ejus sævitia magis fovit, & perfecit excellentiam Ioannis, divina sic disponente sapientia, ut catenæ vincula, & gladius, quæ uno eodemque tempore intentarunt illi auferre vitam, & honorem, commutarentur in instrumenta ejus fœlicitatis, & gloriæ, idcircò notat Glossa Interlinealis discum illum, in quo fuit allatum caput S. Ioannis ad mensam, in Aram seu Altare fuisse consecratum: *Des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ*, dixit incomposita illa puella, & notanter legit Glossa: *Da mihi in Altari.* Verbum sanè mysterio plenum, quasi vas profanum attactu sacri capitis dedignatum fuerit esse discus, & conversum fuerit in Aram; ita ut sanctæ illæ reliquiæ capitis commutaverint in instrumentum honoris, discum, qui anteà profanis inservi verat epulis.

Seneca Epist. 3.

Glossa Interl.

4. Accommodissimum est huic discursui nostro dictum quoddam ingeniosi Tertulliani, de patientissimo Iobo sermonem instituentis, & præsertim de ærumnis, & tribulationibus, quas divina providentia illi immisit, ut in illius potentia nobis statueret tolerantiæ Christianæ exemplum: *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit?* Pro explicatione horum verborum, quæ prima fronte videntur obscura, operæ pretium est indagare genuinam significationem illius verbi, *Feretrum*, Commentator autem Tertulliani Pamelius in Notis ad hunc loquitur modum: *Inter instrumenta triumphi, feretrum est, in quo pompa fertur, intellige: in quo diabolus triumpharetur, Deo trophæum statuente.* Ita ut juxtà præfatum Authorem feretrum significet currus triumphales, quibus duces spoliis hostium onusti victores gloriosè triumphum celebrant: aliam autem significationem habet apud Nomenclatores Latinos, ita ut ferettum, quo defuncti ad sepulchrum deferuntur, designet: *Feretrum*, inquit Calepinus, *lectus, vel aliquid aliud, quo mortuus efferri solet.* Et si has duas significationes ad invicem contulerimus, quis non admiretur in uno vocabulo res adeò contrarias, quales sint feretrum mortuorum, & currus triumphantium, conjungi? Ecquæ conventio mortis cum vita, & esse devictum cum victoria? Verùm in hoc ipso elucet acumen Tertulliani; voluit namque magnus Doctor significare, quòd quando dæmon putabat se Iobum deferre ad sepulchrum, jam terræ mandandum, ipsa existimata feretra fuerunt currus honoris, in quibus suos ostentavit triumphos. Triumphavit Deus, & insignem de te, ô dæmon, reportavit victoriam, & in illo, quod mortem reputabas, erexit columnas vitæ, extollens æternas Iobi victorias, quando tu illi vitam adimere moliebaris. Poteritne magis vivum desiderare exemplar Ioannis Baptistæ, quàm sanctissimum Iobum? quemadmodum enim hic, ita & ille dum mortuus putatur, vivit victor gloriosus, quem Herodes jam superatum, & extinctum arbitrabatur: & dum tyrannus eum æterna oblivione sepelire contendit, Deus perpetuam ei consecrat memoriam, & erigit Aram: *Da mihi in disco, da mihi in Altari, &c.*

Tertull. lib. de patientia circa fin.

Pamel. Rhenanus hic.

Ambrof. Calepin. verb. Feretrum.

5. Operosius enucleanda sunt hæc verba. Pete (inquit Herodias immorigeratæ, & incompositæ puellæ) caput Ioannis in præmium, & mercedem tripudii, & artificiosæ saltationis tuæ: ast adjungo, ut tibi illud in disco afferant: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Siste parumper, & audi vile scortum, & vide quid petas. An fortassè caput abscissum unius defuncti, est ferculum voluptatis tuæ? Qui afflixit vivus matrem tuam verbo suo, nonne mortuus aspectu suo terrebit? Ad quid igitur petis illud, quod visum tanti erit causa timoris? Et dato, quòd velis illud tibi afferri, asportetur in summitate lanceæ, uti solent duces victores, aut saltem comis apprehensum, quemadmodùm egit generosa Iudith cum Holoferne, hæc enim forma serviret vindictæ tuæ, & pareret tibi voluptatem Baptistam videre decollatum. Ast neque illa cupit hoc modo sibi

sibi illud tradi, neque cœlum permittit, sed ut afferatur in disco: scitis quare, inquit S. Petrus Chrysologus: *Ioannes venit in sublimi positus, ut lucerna super candelabrum, ut judex in tribunali resplendens.* Moriebatur Ioannes, inquit S. Ravennas, veluti Dux martyrum, & voluit Deus cunctis notum esse, mortem ipsius non esse spolium, sed triumphum: & quia pondus capitis non inclinat lanceam, seu manum gestantis, porrigat Herodes ex supellectili sua discum argenteum, in quo deferatur, in signum, quòd Ioannes moriens sit Princeps major omnibus, qui illi convivantur, cooperante ipso Herode etiam nolente ad cultum, & venerationem nostri Sancti. Veniat in sublimi positus, quem supra se visurus est post mortem, tamquam judicem, & vindicem tam sceleratæ executionis, ubi mutis vocibus omnes creaturæ armabuntur in ultionem tam iniquæ sententiæ, & rigidam divinæ justitiæ exigent vindictam, uti quondam dixit Martialis contra Marcum Antonium.

D. Chrysolog. Serm. 174.

——— *Vox tacet una tibi:*
Quid prosunt sacra pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Martial. in Epigram.

Tametsi lingua Ciceronis tyrannicè occisi taceret, totus tamen mundus publicæ vocis præconio innocentiam ejus erat propalaturus, & postulaturus justam vindictam tam scelesti facinoris. Ad hoc videtur allusisse S. Basilius Seleucus in elegantissima illa oratione, quam contra Herodiadem adulteram declamavit, explodens ejus odia, quia per mortem Ioannis conabatur suam obtegere infamiam, & turpitudinem, eò, quòd nullus contra suam deinceps vociferaretur tyrannidem: *Verùm enim verò abscissum quidem est caput; nec tamen Ioannis vox tacet, æternum loquetur post funera, accusatorem in te, mulier, armasti, neque enim cum capite, vocem quoque præcidisti.* Et paulò inferius disertissimè subjungit: *Linguam unam sustulisti, sed vice linguæ Ioannis totus est mundus, ad te accusandum omnis creatura plena vocis est.* Ac si diceret; etsi detruncaveris caput Baptistæ, eique vitam abstuleris, nondum tamen linguam ejus præcidisti, quò minus tuam prædicet sævitiam, ex ipso sepulchro ultrices emittit voces. Tuis te oppugnat armis, quia unico impetu caput ei, sed loquelam eripere nequivisti. Et quamquàm tibi persuadeas, te unicam sustulisse linguam, scias, quod ad defendendam ejus innocentiam tot habeas tibi contrarias linguas, quot existunt creaturæ, quæ continuis vocibus contra tantam tamque truculentam tyrannidem tuam divinum perurgent supplicium.

D. Basil. Seleuc. in Herodiad

6. Aliquando prædicans, de hoc martyrio, dixi inter illud, & passionem Christi magnam, & admirabilem reperiri similitudinem, & ad probandum intentum, assumpsi locum illum Isaiæ congruentissimum: *Radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Loquitur Propheta ad litteram de morte Christi, ita enim exponunt Septuaginta Interpretes verba illa, & loco, *radix*, legunt, *Mors gloriosa*, asseritque Vates Evangelicus illam futuram radicem, & vexillum, sub cujus præsidium populi, & gentes confugient. Ast illicò rapuit attentionem meam mystica illa connexio qua Propheta simul composuit radicem, & vexillum, quæ res videntur maximè diversæ, & oppositæ, quia radix latet abscondita, & vivit sub terra, quasi sepulchro suo; vexillum autem erectum agitatur, & tremit ad flatum venti. Illa omninò latebras quærit, hoc verò aërem, & lucem ambit: Qui igitur extrema tam distantia, & opposita copulantur? Mea quidem opinio est, (nisi alius quispiam me prævenerit) Christum in sepulchro utrumque simul exercuisse munus, & officium, radicis, nimirùm, absconditæ in terra, & vexilli totum convocantis mundum. Et quando adversarii ejus moliti sunt ejus magnitudinem, & claritatem sepelire, viva fuit radix, in qua denuò gloriæ, & splendores ejus refloruerunt, innumeri enim hominum exercitus eum sunt secuti, convolantibus undique tot hominibus ad ejus vexillum, quot usque in hodiernum diem se dominio ejus, & jugo legis Evangelicæ subjectæ conspiciuntur. Nonnè hoc prorsùs idem est cum eo, quod contigit tyranno Herodi in morte Ioannis? cum etenim cuperet exterminare, & delere memoriam ejus de terra viventium, & unico ictu, & tempore illum privare vita, & honore, adeò contra mentem, & votum ejus evenit, ut sanguis, quem terra imbibit, & corpus, quod Discipuli sepelierunt, & tumularunt, fuerit vexillum, sub cujus patrocinium tot accurrerent fideles, maximè æstimantes cultum, & venerationem præcursoris, & magnam reputantes fœlicitatem esse de numero clientum Baptistæ. Nonnè hæc mors quodammodò æmulatur gloriam mortis Christi? Igitur rectè dixi industrias, & stratagemata Herodis resiliisse in caput ejus,

Isaia 11. v. 10.

Septuaginta hic.

eisdem enim mediis, quibus exitium, & ruinam ejus solicitavit, majorem ei amplitudinem conciliavit, & tunc perpetuam ei accersivit vitam, quando eum decollari præcepit. *Misso spiculatore, &c.*

Misso spiculatore, &c.

CONSIDERATIO III.

Etsi singularis fuerit prærogativa Ioannis, ejus martyrium fuisse prænuntium passionis Christi, non est tamen minor ejus excellentia, quòd ei caput amputetur, ut Christus magis agnoscatur, & honoretur in mundo.

1. SAnctus Petrus Damianus commemorans elogia sancti Ioannis, & singulariter enucleans gloriosum ejus martyrium, tandem concludit hoc fuisse unum ex præcipuis encomiis ejus, propter singularem circumstantiam, qua fuit illustratum, & adornatum *Inter purpuratos etiam Martyrum choros, beatus Ioannes in magisterii cathedra præsidet, quia pro testimonio veritatis, strenuus bellator occubuit: omniumque pro Christo certantium dux factus vexillum triumphale martyrii cœlo prius invexit.* Cathedraticum primarium martyrii vocat S. Cardinalis magnum Christi Præcursorem, asseritque eum in choro Martyrum obtinere primatum, quia primus pro veritatis testimonio sanguinem, & vitam profudit, erexitque veluti omnium antesignanus vexillum martyrii, illudque cœlo invexit, ut cæteri, suo exemplo corroborati, æquiori animo cunctas persecutiones, & adversa perferrent, & ad Dei honorem defendendum, & veritatem Ecclesiæ ejus propugnandam, intrepido pectore vitam periculosæ exponerent aleæ. Magna profectò est hæc prærogativa: sed quia in laudem aliorum Sanctorum jam illam expendimus, alia nobis in præsenti ineunda est via, in aliumque collimandum est finem, & scopum.

D. Petr. Damian. Serm. 3. de S. Ioann.

2. Quapropter dico non communem, sed singularem præstitisse Deum Ioanni Baptistæ favorem, dum voluit eum manibus, & gladio Herodis occidi, priusquàm Filius suus Iudæorum perfida immanitate crucifigeretur. Mandavit Dominus Patriarchæ Abrahamo, ut amantissimum filium suum Isaac immolaret: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac; & vade in terram visionis, & ibi offeres eum in holocaustum.* Statim promptus ac celer morem gessit imperanti, & continuò jussis ejus obtemperavit, cùmque jam stricto ense foret paratus exequi decollationem filii, præcepit ei ut executionem suspenderet, neque permisit, quod collum Isaac feriretur: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Siste Abraham, ne cœptum perficias opus quod ponderans sanctus Clemens Alexandrinus, ait, idem fuisse ac si ei dixisset; sufficit Abraham, cætera mihi reserventur, quando in monte Calvariæ unigenitum Filium meum tradam occidendum, & pro hominibus crucifigendum. Nolo Isaac mori, aut eum in holocaustum offerri, ne effundatur ejus sanguis, quia hoc Filio meo reservatur, quando indutus trabea carnis humanæ crucem conscendet; *In re Isaac non est passus, qui primas passionis partes Verbo cessit;* non debuit Isaac pati, ut primas deferret Messiæ, qui tali potiretur honore, tanti namque æstimavit Christus mori pro nobis, ut quodammodò sibi duxerit dedecori, quod priùs homo moreretur pro Deo, antequam Deus pro salute hominum pateretur.

Gen. 22. v. 2.

Ibid. v. 12.

D. Clem. Alexand. lib. 1. pædagog. c. 5.

3. In novo etiam Testamento insignem hujus doctrinæ reperimus confirmationem; quia mittens Christus Dominus discipulos suos ante passionem suam ad prædicandum in solam Palestinam, advertit sacer Chronicus, & Evangelista Matthæus, Salvatorem ipsis dixisse: *Cùm persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam.* Vehementer torsit ingenia Interpretum hoc cœlestis Magistri mandatum, fugiendo de civitate in civitatem, ad evadendas persecutiones, cùm tamen alibi sæpius ad eas viriliter tolerandas fuisset adhortatus. Varia excogitarunt Expositores super hæc verba, ita ut in diversas abiverint sententias. Insignis Abulensium Antistes egregiè ad rem nostram ea elucidat: *Hoc fuit, quia non fuit decens, quòd aliquis pro confessione nominis Christi occideretur, antequàm Christus, ne in hoc specialis honor ei deberetur: sed Christus debuit esse principium, ut omnes ab eo veluti à capite dependerent, & ipsum tamquàm Dominum sequerentur.* Ideò mandavit Christus Dominus discipulis suis ne transirent ad terras gentilium, neque exirent è confiniis Iudeæ, quia decens non erat, quòd aliquis accepta occasione patiendi, moreretur pro Christo, antequàm ipse Dominus in

Matth. 10. v. 23.

Abulens. hic quæst. 109.

in Cruce suspenderetur, ne hunc dignitatis primatum sibi arrogaret, quapropter necessum fuit Christum prius mori: ut homines tanti Domini, tamquam antesignani sui, vestigia sequerentur.

4. Narrat sanctus Evangelista Lucas, usurariū quemdam, & publicanum nomine Zachæum fuisse cupidum videndi Christum. Erat autem staturâ pusillus, atque idcircò præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum prætereuntem. Suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: *Zachae festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ingeniosè premit sanctus Petrus Chrysologus hoc Christi Servatoris præceptum, quod mandet Zachæo descendere ex arbore, quam devota quadam cupiditate permotus lætanter conscenderat, & sanè videtur rem non carere singulari mysterio, unde existimat sanctus Ravennas, Christo videnti Zachæum in summitate arboris, fuisse repræsentatum, quasi foret cruci affixus, ita ut teste Sancto Petro Chrysologo, arbor illa fuerit symbolum & figura Crucis, & eapropter Salvatorem tantâ festinatione mandâsse Zachæo descensum, quia neque in ipsa figura amantissimus ejus zelus potuit sufferre alium prius illam conscendere, antequàm ipse foret in illa suspensus. Disertissima sunt verba illius, & reverà Authore suo digna: *Ante Zachaeus ascendit arborem, quam Crucem dominator ascenderet, hinc est quod dicitur ei, festinās descende. Si sapis, festinans descende, descende, ante Dominum de Adamatica arbore, ut post crucem dominica passionis ascendas* Ex his & similibus sacræ Scripturæ testimoniis, & SS. Patrum doctrina luculenter constat nunquam permisisse Salvatorem, ut quispiam prior illo moreretur aut in patiendo primas ferret. His ita constitutis, quod cæteris tanta diligentia & solicitudine negavit uni Ioanni concessit, inquit Magnus Origenes, divina sic disponente providentia, ut simul esset præcursor mortis Dominicæ, qui fuerat prænuntius nativitatis ejusdem: *Ubique testis & cursor Iesu est Ioannes, participans illius ortum, & paulò ante mortem Filii Dei moriens ut non solùm ad vivos verum ad spectātes libertatem à morte per Christum futuram ante Christum adveniens ubique Domino pararet populum instructum.* Cum igitur Christi passio & mors jam appropinquaret, veluti præcursor deberet illius esse prænūtius per Herodem decollatus, singularis sanè

Luca 19. v. 5.

D. Petr. Chrysol. Serm. 54.

Origen. tom. 5. in Ioannem.

prærogativa soli Ioanni Baptistæ, & nulli alteri concessa, & argumentum evidens maximi amoris, quo eum Christus tenerrimè diligebat.

5. Et si libuerit aliam prosequi discursus nostri viam, poterimus dicere, quod alii non infimæ classis Authores pensiculatius excogitarunt, nimirùm fuisse expressam divinæ providentiæ dispositionem, ut Ioannes Baptista moreretur decollatus, quia nisi fuisset illi caput amputatum, potuisset præsumi illum esse caput totius legis gratiæ, quare opus fuit Ioannem fieri minorem, ut Christus cresceret & exaltaretur, quemadmodum ipse confessus fuerat: *Illum oportet crescere; me autem minui* Perplacet mihi quædam curiosa meditatio quorumdam dicentium, maximè fuisse necessarium amputari caput Baptistæ, ut Christus appareret, cum enim veniret post Ioannem: *Qui post me venit.* Erat Ioannes adeò excelsus & eminens, ut nisi Herodes illum imminueret, & præscinderet, nullatenus Christus videri posset, & quēadmodum intentio eorum qui verticem montis alicujus solo adæquant, aut alicujus præcelsæ arboris ramos præscindunt, eò collimat, ut patentem faciant fontem aliquem altitudine arborum occultatum, & invisum, ita etiam permisit Deus, ut decollarent Ioannem, ne authoritas Messiæ diutius incognita lateret, tantæ enim erat opinionis Baptista apud homines, tamque eminens erat ejus sanctitas, ut necessum fuerit Herodem illum decapitare, aut caput amputare, ne unitas Ecclesiæ periclitaretur: *Propterea*, inquit S. Chrysostomus, *Deo permittente id factum est, quo facilius uniruntur ad Christum, ne Ecclesia in duas partes scinderetur.* Per mortem autem Ioannis sublata est omnis occasio schismatis Ecclesiæ, & cōsultum fuit eum capite privare, ne in dubium revocaretur, an ipse foret unicum & primum totius Ecclesiæ caput.

6. Nescio an aliquis observaverit id, quod notanter advertit sanctus Evangelista Marcus, nimirum, quod postquam sidus hoc occubuit, postquam Ioannes mortuus est, audiens Herodes mirabilia & portenta, quę communi rumore & fama de Christo, ejusque cœlesti doctrina spargebantur, constanter dixerit, haud dubiè illum esse Ioannem, quem occiderat, qui jam redivivus tot, tamque stupenda miracula patrabat: *Ioannes quem ego decollavi in carcere, ipse resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in eo.* Nullus præter Baptistam inquit

Ioann. 3. v. 30.

D. Chrys. sost.

Marci 6. v. 14. & 16.

inquit Herodes potest operari similia. Curiosius adnotant sacri Expositores circa hoc factum, quod jam decollato Præcursore, & non antea, audiverit Herodes miracula Christi, res sanè omni consideratione digna; quia communiter Regibus & Principibus nihil occultatur, vel ratione officii, quia omnium debent habere notitiam, vel propter adulationem subditorum, qui similibus putant se illis complacere. Et his ita constitutis, dubium est cur nova adeò inaudita & peregrina, tam serò pervenerint ad aulam, & aures Herodis? *Audivi famam Iesu.* Variè solvitur nodus hujus dubii à sacris Interpretibus, communis tamen responsio Chrysostomi est, omnem deponendam esse admirationem: cùm enim prodigia illa concernerent Christum, & Christus esset Deus, & de Deo Magnates parvam habeant notitiam, quid mirum quod Herodes illa ignoraverit? *Non enim ab ipsis statim miraculorum exordiis famam Iesu, sed post multum tempus percepit, hujusmodi certè sunt qui in principatibus vivũt* Bellè quidem excogitatum, sed non minùs ingeniosè observavit quidam Modernus in laudem magni Baptistæ, quod quia tam eminens fuit ejus sanctitas, ut humanæ naturæ limites excedere videretur, deceptus fuit mundus in vivente Baptista, simillimo Salvatori nostro, deferens ei supremam Messiæ dignitatem, etiam ipso mortuo idem perseveravit error, ita ut videntes CHRISTUM tot tantisque miraculis clarum, judicaverint ipsum esse Ioannem redivivum, existimantes à solis illius virtutibus tot tamque præclara & stupenda portenta procedere posse: *Quantus fuerit Ioannes Baptista, illud ostenditur, quod vivus creditus fuerit Christus, ubi verò mortuus est, ipse Dominus Iesus creditus fuit Baptista à mortuis suscitatus.* Perpulchrè ponderatum: sed salva venia aliorum opinor ego causam ob quam adeò tardè Herodes perceperit admiranda opera Christi, fuisse, quia viventi Ioanni totus mundus applaudebat, ejusque prædicatio, doctrina & miraculosa vita non dabant locum loquendi de alia re, quapropter admiratio occupata & tota intenta celebrandis encomiis Baptistæ, non poterat reminisci admirabilium operum Christi, sed ea silentio præteribat, ut itaque fama eius in lucem prodiret, & ne diutius lumen Ioannis splendorem Christi offuscaret, necessarium fuit Ioannem e medio tolli, & gladio occidi.

17

D. Chrysost. Hom. 49. in Matth.

Salmeron tom. 4. p. 2 tract. 8.

Extremum clausit diem amicus Dei Moyses & quamquàm mors ejus acciderit in abscondito & latibulo montis, non tamen potuit occultari populo, qui vixdum resciens ejus obitum, statim magnis lacrymis & ingenti luctu tanti Ducis jacturam solemni planctu deploravit. Mandavit Dominus illum sepulturæ, & quasi ignoranti casum, apparuit Deus Iosue, dixitque illi: *Moyses servus meus mortuus est.* Supervacanea videtur renovatio memoriæ, seu admonitio illa, inquit doctus Carthusianus nisi unà cum memoria voluerit renovare planctum, nulla enim alia apparet causa, cum autem Iosue maxima ediderit signa, & indicia doloris super mortem illius, argumentum clarum est ipsum non ignorâsse illam, quocirca non videtur fuisse necessaria secunda illa refricatio memoriæ: verùm mysterio plena fuit illa insinuatio, inquit præfatus Author. *Ad destruendum errorem dicentibus: Moysen non esse defunctum, quoniam nullum mortis signum relictum est in terra.* Vidit Deus depravatam inclinationem populi sui, ejusque pronam propensionem ad vanam idololatriam plurium Deorum, & conatus est præscindere eis viam, ne in Moyse peccatum idololatriæ committerent, in quo tot & tam præclara Deitatis indicia conspexerant; & tantas cum Deo familiaritates: quapropter interponens suam authoritatem, testificatus est Moysen esse defunctum, ut agnoscentes mortuum, non venerarentur eum tanquam divinum. Moriatur Baptista decollatus, sitque ejus mors non abscondita, sed publica & cunctis cognita, ne hallucinetur devotio circa ejus sanctitatem, attribuens ei aliquid supra humanum sitque gladius quo occiditur palus numellarius; attestans, & fidem faciens, ipsum esse hominem mortalem. 7.

Iosue 1. v. 2.

Dionys. Carth. hic.

Coronidem, & finem imponat huic Considerationi & tractatui singularis quædam consideratio mea, nisi quia mea est, demereatur. Egit Deus cum Ioanne, ceu Moyses olim cum oblationibus & opibus, quas populus permotus devotione conferebat ad extructionem & fabricam Sanctuarii, fuerunt hæ tam copiosæ & abundantes, ut hoc sequens promulgaverit dictum: *Iussit Moyses præconis voce cantari: nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii.* Conspiravit cœlum & terra in adornationem Baptistæ, obtulit cœlum in ornamentum hujus sanctuarii pretiosissima quæque thesaurorum suorum: ô quàm ardentem chari- 8.

Exod. 36. v. 6.

charitatem! quàm profundam humilitatem! quàm novam paupertatem! ò quàm raram abstinentiam! quàm eminentem gratiam! quàm splendidam lucem! Contribuit mundus suam venerationem, & fideles suam devotionem. Et timens Deus ne illi plus offerrent, quã par aut æquum esset, quia attribuebant ei titulum & dignitatem, & confundebant personam ejus cum persona Christi, extinxit hanc lucernam ardentem, & per mortem ejus publicum promulgavit edictum, Ioannem esse hominem permittens eum decollari, ut toti mundo patefaceret solum Christum esse caput Ecclesiæ, & ad hoc exequendum usus est impia tyrannide Herodis, de quo hodierno in Evangelio cantatur: *Misso spiculatore decollavit eum in carcere.*

9. Gloriose Sancte, quia tu es primas cœli, qui ut stabilires Regnum Christi, collum tuum ferro præcidendum obtulisti, vitam tuam amittens, ut famam Christi perennem faceres, cùm jam beatus meritorum tuorum præmio perfruaris, & primas gloriæ occupes sedes, impetret nobis potentissima tua intercessio tolerantiam in tribulationibus, ut etiam ad imitationem tuæ insuperabilis constantiæ fortiter quibusvis resistamus periculis, conservemus gratiam, pignus gloriæ *Ad quam nos perducat &c.*

TRACTATUS XXVI.


IN PROMVLGATIONE GENERALIS JUBILÆI,

Quod concessit Vrbanus VIII. *Anno* 1641.

Et erat expositum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Nota *hanc Concionem posse deservire tam in Iubilæis, quàm etiam in publicis precibus, quæ pro necessitate Regni, aut Patriæ instituuntur.*

Hic est panis, qui de cœlo descendit.
Ioann. *6.* cap.



Rimis verbis propositis, (ô R̃ex gloriæ, Domine & Deus animarum nostrarũ, cujus realem præsentiam sub velo accidentium panis occultatam fideles Ecclesiæ Filii, obstrepente hæresi credimus, confitemur & adoramus) correspondet Evangelicus Propheta in suo vaticinio: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem, captivis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem, &c.* Et quamvis nonnulli Doctores antiqui verba Isaiæ, in sensu litterali Historico exponere voluerint de ipsomet Propheta, quem elegit Dominus Deus, prædicatorem redemptionis populi Israelitici, in dura captivitate Babylonica detenti, ut annuntiaret eis liberationem à malis, & reductionem ad pristinam libertatem: Gravissimi tamen Interpretes reprobant hanc expositionem, veluti

Isaiæ 61. v. 1. 2. 3.

luti frivolam & fabulosam, & unanimi consensu affirmant de solo Christo ea posse intelligi, quatenus ipsemet, uti constat ex quarto capitulo Lucæ, confessus est Prophetam hic de se fuisse locutum. Redigendo igitur omnia in breve compendium, quæ in suis Commentariis dicunt Expositores, dicit Sapientia æterna, Verbum Dei Incarnatum, Christus Iesus, Magister, Dominus & Redemptor noster se missum à Patre, Regem & Sacerdotem unctum non oleo sacro legis, sicuti Sacerdotes & Reges veteris Testamenti, sed unctione spiritali, & gratia Spiritus sancti. Finis autem propter quem fuit annuntiandum mansuetis corde Verbum Dei, & contritis corde medelam, *captivis indulgentiam &c.* Et subjungit divinus Magister se itidem venisse ad prædicandum annum placabilem Domino, id est tempus legis gratiæ, tempus misericordiæ & benignitatis, in quo maximè divina triumphos agit pietas; & simul etiam ad annuntiandum diem ultionis divinæ, sive hæc fuerit temporalis, quam Hebræi propter incredulitatem suam erant passuri, sive dies extremi judicii & mortis ut quidam bonæ notæ Authores interpretantur. Quinimò addit sibi demandatum fuisse munus consolationis tristium, & lugentium Sion, id est propter patriam cœlestem, vel propria crimina, & ut simul daret eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris. Tandem regnabit justitia & fortitudo, & in omnibus honor, & obsequium Dei requiretur. Commodissimum judicavi hoc Thema præsenti Solemnitati. Considerans sua Sanctitas VRBANUS VIII. calamitates præsentes, & sanguinolenta bella, quæ ab aliquot annis Rempublicam Christianam lacessiunt, non sine ingenti damno Principum Christianorum, & quod maximè dolendum est, imò & sanguineis lacrymis deplorandum, cum ineffabili detrimento spirituali animarum, & cupidus (veluti verus Pater) concordiæ & pacis generalis, qua tantopere defraudatur Christianus Orbis: Et probè sciens defectum & carentiam ejus ex enormitate criminum & scelerum, quæ indies contra divinam Majestatem committuntur, statuit & decrevit, ut fideles Ecclesiæ Catholicæ filii toto cordis affectu clament ad cœlum, & ferventissimis suspiriis, precibus, omnique conatu pro viribus divinum implorent numen, & continuis orationibus divinam solicitent misericordiam & benignitatem. Et ut faciliori negotio suis potiantur votis, paterno affectu, & amore permotus, seu ut verbo dicam, tamquam verus unctus Domini, universalis Ecclesiæ militantis Pastor, Vicarius Christi Salvatoris ad imitationem ejus, cum speciali plenitudine potestatis sibi ab illo tradita: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlo*, aperuit thesauros Ecclesiæ, in meritis Christi & Sanctorum fundatos, & concessit plenissimum & universalissimum cunctis Christi fidelibus Iubilæum cum indulgentia plenaria & remissione omnium peccatorum, idque per tres menses continuos, nimirum si conditiones appositas, minimè graves, & per confessarios explicandas, exactè observaverint & adimpleverint, ut absoluti à vinculis tyrannicæ captivitatis culpæ, vera libertate gratiæ perfrui valeant, quæ est necessaria dispositio ad dignam receptionem, & reverentem cultum sanctissimi Sacramenti Altaris, quod est panis, qui, teste eodem Domino, apud Ioannem descendit de cœlo, cujus memoriam etiam hodie celebramus, & eapropter hoc erit unicum totius Concionis Argumentum, ut rectè scopũ attingere valeamus, speciali indigemus auxilio gratiæ, &c. *Ave Maria.*

Matth. 16. v. 19. D. Thom. 3. p. q. 15. art. 1.

Hic est panis, qui de cœlo descendit.

CONSIDERATIO I.

Quod Deus gravissima ab hominibus iniuria lacessitus, eos quærat, & offensus eorum ambiat amicitiam & pacem, certa sunt indicia immensi amoris illius quo eos tenerrimè diligit & amplectitur.

Injuriis provocatus est aggressor pacis, & offensus solicitat offensoris sui amicitiam & familiaritatem? proculdubio est actio maximè heroica, præsertim quando læsus & invasus nullam habet dependentiam ab offendente, quia tunc nullatenus præsumi potest ipsum humano respectu fuisse permotum, sed solo amore proximi instigatum. Et si hoc fit inter homines qui cujuscumq; sint status aut conditionis, vel parum, vel multùm à se mutuò dependent, quemadmodum dixit S. Paulus, quantò majori

majori admiratione dignum erit considerare Dominum Deum sceleribus nostris exulceratum, & peccatis nostris gravissimè offensum ad portas animarum nostrarum pulsantem, nosque invitantem & adhortantem, ut mundo terga vertamus, & ad antiquam suam redeamus amicitiam? Ecquid hoc, ô Domine Deus, quid tibi negotii nobiscum? quidnam te movet ad amandum tanto affectu eos, qui demerentur tuam benignitatem? An fortassè indiges opera filiorum Adæ? Ad quid serviunt Deo homines, nisi ad offendendum continuò suam divinam Majestatem, rependendo peccata, & scelera pro beneficiis & favoribus, quos quotidiè profusa largitate a divinis manibus recipiunt? Quorsùm igitur ô Domine Deus! tam solicito studio perquiris ingratos, eisque spontaneè tuam offers amicitiam, destinans eis schedulam libertatis, & rogans ut gratis sibi exhibitam admittant, hoc namque Iubilæum significat? Non capio neque penetro mysterium. Sed jam videor assequi causam tam admirabilium effectuum. Sagacitates sunt & excellentiæ immensi amoris tui, & indicia manifesta maximæ dilectionis tuæ, nam viscera misericordiæ tuæ non expectant, ut te quærant, neque suffert pientissimum cor tuum, ut homo, cujus plurimùm interest, tuam ambiat amicitiam, sed tu independens & nullius indigens eam offers, & rogando gratis eam donare cupis, qui probè nosti vilitatem conditionis humanæ, & perspectum habes, eos & tales esse homines, ut nisi Deus eos invitet, roget & dulci quadam violentia ad eos ingrediatur, ad ineundam pacem & concordiam cum eis, ut conservando gratiam illius ipsum ament & venerentur, quod est unicum remedium salutis, non alliciantur, neque pedem moveant ad consequendum effectũ adeò sibi necessarium.

2. Egregia est ad rem præsentem allegoria quędam S. Basilii Magni, duo loca sacræ Paginæ componentis. Provocabat iram Dei iniquitas habitatorum duarum Civitatum illarum infamium, cuius pessimus fœtor nec ipsi cœlo pepercit, & eo tempore, quó abominationes peccatorum eorum gravissimè illum commovebāt decrevit descendere ad videndum peccatores: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis, descendam igitur & videbo.* Gen. 18. v. 20. & 21. Reverà Domine, non est hæc opportuna occasio descendendi in mundum, sed potiùs, si possibile foret, elongandi te ab illo, quorsùm ergo descendit ad invisendum eos, qui etiamnum tuam offendunt bonitatem? Recordor temporis, quando tu contentus eras solùm eminùs, & à longè respicere filios hominum. Hoc sonant verba illa Regii vestri Prophetæ Davidis: *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Psal. 32. v. 13. Ecquæ commutatio tam nova & admirabilis? qui poterimus hos duos Textus adeò primâ fronte contrarios componere & accommodare? ly *descendam, & videbo*, quod refertur in Genesi, versiculo Psalmistæ, *de cœlo respexit & vidit.* Ingeniosè enodavit dubium S. Basilius: *Eos qui manent in propria dignitate, & humana natura convenientia faciunt, ex superis inspicit Dominus, eos verò, qui ad extremam malitiam delati sunt, aliter visitat per hoc quod ipse descendit.* D. Basil. concius. 8. super Psalm. Filios hominum respexit Dominus de cœlo, in quibus natura humana adhuc incorrupta & integrã nondum degeneraverat, at verò postquàm homines per peccatum degeneres transformati sunt in bruta animãtia contra fas & nefas, contra omne rectum dictamen rationis, jam non respicit illos ampliùs è cœlo, sed ad videndum eos descendit in terram: *Descendam igitur & videbo.* Ter quaterque benedicta sit tua infinita bonitas, ô benignissime Deus! quia, quod vires naturæ nostræ adhuc in integritate & perfectione sua persistentis assequi nequiverunt ut quæreres homines, & descenderes in mundum; hoc peccata & scelera mea obtinere & efficere potuerunt; hæc enim te adduxerunt, ut visitares ægrotos, & sanares, quia, nisi tu descendisses ad porrigendum mihi manum & erigendum ex lecto peccati, adhuc humi, imò & in ipso vitiorum cœno prostratus remanerem.

3. Sæpius consideravi mysticam illam actionẽ Christi Salvatoris, qua discipulos suos instituit confessarios, deditque potestatem remittendi & absolvendi vincula peccatorum: *Insufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Ioan. 20. v. 22. & 23. id est, spiraculo oris sui communicavit eis Spiritum sanctum, & donavit eis jurisdictionem super peccata, ut possent & delinquentes corrigere, absolvere, & pristinæ libertati restituere. Interrogo autem cur non infuderit eis Christus Spiritum Sanctum, in specie seu forma lucis, aut splendoris, præsertim cùm Ecclesia sancta hunc titulum, & nomen tertiæ personæ sanctissimæ Trinitatis attribuat: *Accende lumen sensibus,*

 infunde

infunde amorem cordibus, sed in forma aeris? Non reperio sacros Interpretes hanc movisse difficultatem: dicant alii, quod sentiunt, ego (salva venia melius intelligentium) arbitror Salvatorem id egisse propter singularem quamdam proprietatem innatam aeri, qua lumen caret. Accipite curiosam Philosophiam, quærit Princeps Philosophorum Aristoteles in suis problematibus: *Cur aer, qui luce crassior est, solida valeat penetrare, lux ipsa non possit?* id est, quare communiter aeri concedatur transitus per partes solidas, qui luci denegatur? Haud dubiè, inquit Aristoteles, id contingit, quia lux semper recta ascendit: *An quia lux per directum tantùm fertur*, & idcircò per plures nequit transire partes, aut penetrare loca, quæ tamen omnia aeri sunt pervia, & patentia: *At aer impedimento nullo arcetur, quoniam qua transit, tendere è directo non soleat.* Hoc est, facili negotio aer penetrat partes solidiores, & loca occlusa, quia in ascensu suo, quo pergit, seipsum torquet, inflectit, & accommodat. Cùm igitur omnia desideria Dei nostri sint ordinata ad bonum, & utilitatem hominis (hinc enim fuit finis incarnationis divinæ) pervestigat, & scrutatur omnia media possibilia ad hunc effectum consequendum: quapropter dum se communicat fidelibus suis, per discipulos denotatis, eisque tribuit, seu confert plenariam potestatem remittendi peccata & reos absolvendi à vinculis culpæ, non absque grandi mysterio, infusit eis in forma aeris Spiritum S. quasi hac actione nos edocens, quòd quemadmodum aer ad perveniendum ubi nos existimus, etiam dum illum fugimus, & abhorremus, seipsum inflectit, torquet, & accommodat, & hoc pacto etiam abditas quasque latebras rimatur, penetrat, & pertransit, ita etiam ipse ad lucrandas animas hominum novit magnitudinem suam deponere, cedere juri suo, & sublimem exuere majestatem: *Descendam, & videbo.* Et eamdem adhibebit diligentiam, quamdiu mundus erit, & in illo homines reperientur, quamvis peccatores, in cujus rei testimonium omnibus offerebat remissionem delictorum suorum: *Quorũ remiseritis peccata.* Et hanc tribuit vitali spiraculo oris sui, & in specie aeris: *Insufflavit*, significans, quod illud, quod agit aer ut se hominibus communicet, id semper esset acturus Deus ad redimendum, & salvandum illos. Manifestè apparet veritas hujus propositionis in hac præsenti solemnitate: quando enim nos minus promeriti sumus apud Deum, quando, inquam, divina ejus patientia peccatis nostris est maximè lacessita, & exacerbata, & plurimi nostrum elongati, & exules à gratia ejus, tunc venit, & descendit ad nos visitandum, & quasi aer clanculum per portas nostras salus ingreditur: quæ est unicus finis, & scopus, uti diximus, desideriorum ejus: nisi enim Deus seipsum inclinaret, & inflecteret, & nos quæreret, difficili negotio suum consequeretur intentum, aut finem obtineret præconceptum.

Aristot. in probl. sect. 15. quæst. 5.

4. Salvator mundi instruens discipulos, seu Apostolos suos, eosque edocens normam precandi, & quid petere deberent, præscripsit eis Orationem Dominicam, *Pater noster* quæ, si rectè adnotetur, complectitur, & continet clausulam quam jam, in qua petimus: *Adveniat regnum tuum.* Quibus verbis sacri Doctores varias adhibent expositiones, Doctissimi tamẽ Abulensis interpretatio apprimè intento nostro deservit: *Adveniat regnum tuum*, id est, *veniat beatitudo tua in nos*, sive quod in idem recidit, fac nos beatos: *Et nõ dicit, eamus nos in beatitudinem tuã, sed illa veniat ad nos potiùs, quã nos veniamus ad ipsam.* Eò quòd certum sit illam potiùs ad nos descendere, quàm nos ad eam ascẽdere: avidiori studio illa nos solicitat, & perquirit, quã nos eam ambiamus, ac proinde meritò rogamus Deum, & petimus, ut cœlum ad nos veniat, nosque diligenti studio invitet, & exquirat, quia immemores obligationis nostræ, cœlum negligimus, & flocci pendimus. Hoc sonat: *Adveniat Regnum tuum.*

Matth. 6. v. 10.

5. Regnum cœlorum, ò Fideles Christiani, venit hodiè, ut vos quærat, unctus Spiritu sancto, Dominus ac Redemptor animarum nostrarum vos vocat, & invitat, qui cùm sit offensus, & injuriam passus, ultrò vobis amicitiã suam offert, & ut ea liberiùs potiri valeatis, gratis thesauros inæstimabiles gratiæ suæ affatim opulentos, vobis præsentat, universim in Sacramento corporis, & sanguinis sui conclusos, nimirùm sapientiam divinam incarnatam, & sub speciebus Sacramentis velatam, & panem, qui de cœlo descendit in spiritualem animarum nostrarum alimentum: *Hic est panis, qui de cœlo descendit.* Audite Salomonem in hæc verba effantem: *Infinitus thesaurus est hominibus quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Thesaurus infinitus est Sacramentum Eucharistiæ, quo opulenter ditatur anima, & facit eam parti-

Sapient. 7. v. 14.

participem divinæ amicitiæ: thesaurus inexhaustus, qui quantumcumque fidelibus distribuatur, numquàm deficit, quemadmodum etiam eleganter advertit S. Ambrosius: *Non vereamur, quòd Pater in Filium thesauros condidit: fidei enim census, numquā exinanitur, licet totū dederis totum habet quia quod donavit, non amisit.* Hoc unicum superest, ut nequaquam obsurdescamus, sed magna animi alacritate, & promptitudine divinis vocationibus acquiescamus, quia nescimus an hæc postrema sit futura. Vtamur ergò occasione præsenti, quia aliquando elabitur è manibus non reditura. Ne in vanum solicitudo Vicarii Christi evanescat, neque pia eius desideria suo frustrentur effectu, quibus idem intendit, quod Salvator, qui eum constituit successorem suum in terris, descendens è cœlis ad utilitatem, & commodum nostrum, rara sanè excellentia, divini amoris, ecquis enim vidit umquam, panem quærentem sui devoratorem? qui est (ut concludamus) spiritualis animarum vestrarum alimonia; & hoc denotant relata verba Isaiæ: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, &c.* Et quantum ad substantiam, idē est, quod Dominus per sanctum Ioannem dicit: *Hic est panis qui de cœlo descendit.*

D. Amb. lib. 7 in Lucam.

Vt mederer contritis corde, &c.

CONSIDERATIO II.

Quia peccata nostra captivos nos detinent, & sumus vinculis delictorum irretiti, idem est Deum per Vicarium suum nos donare hoc generali Iubilæo, ac gratis offerre nobis libertatem.

1. INter cætera affirmat Christus Dominus se venire ad annuntiandum, *Indulgentiam captivis, & clausis apertionem*, id est, libertatem Ecce quales nos efficit peccatum, & quam miseros nos reddat iniquitas peccati? contritos, vulneratos, saucios, captivos, & servos vinculis mancipatos Brevitas temporis non patitur plura, quā postrema verba elucidare: *Captivis indulgentiam, & clausis apertionem*, quorū sensus, secundùm expositionem eminentissimi nostri Cardin. Hugonis, jam relatæ explicationi suffragatur: *Captivi sunt, qui voluntatem suam imperio Diaboli subiecerunt, clausi, qui iam demersi sunt in foveam inferni per desperationem.* Considerate, quæso, & altiori attentione perpendite stipendia, quæ nobis peccatum accersit, ex ingenuis, & liberis facit nos vilia mancipia, & servos carceribus inclusos.

Hugo Card. hic

Gen. 34. v. 7.

Curiosius observarunt sancti Patres, Ambrosius, & Chrysostomus stylum, quò sacra Historia loquitur de Principe illa, & Domina sancti Ioseph, & uxore Potipharis, præsertim enarrans libidinosas eius cogitationes, lascivos oculos, quibus eum intuebatur, & insuper obscœna verba, quibus importuna eius constantiam labefactare, & in adulterium pertrahere moliebatur: *Iniecit uxor Domini oculos suos in Ioseph*, inquit sacer Textus, iuxta versionem Septuaginta Interpretum, quam præfati Doctores sectantur, hoc est, uxor Potipharis temporè importuno conjecit oculos in adolescentem Ioseph. Neque hic subsistit, sed eum falsi criminis apud maritum suum accusavit, dixitque ei, illum insolenti impudentia tentasse violationem maritalis thori, quapropter innocens in carcerem detrusus est ubi cunctis notas, æquo animo pertulit ærumnas. Ad rem igitur, unde digressi sumus, redeuntes, ingeniosè premunt relati Doctores sacrum Historicum appellare eam uxorem Domini: nonne consultius nuncupasset eam Dominam eius, aut dixisset Princeps, aut Domina id egit? Minimè, inquit S. Ambrosius, quia mulier nesciens illicitos refrænare appetitus, aut inordinatam suam compescere voluntatem, nequaquàm Reginæ, aut Dominæ nomen meretur: *Nam quomodo Domina, quæ dominandi non habebat affectum; quæ servilis libidinis incentiva præstabat.* Et subscribens S. Chrysostomus, asserit meritò, & non sine mysterio, Spiritum sanctum eam privasse titulo Dominæ, quia degeneraverat in servam: *Vxor Potipharis*, inquit magnus Doctor, *nunquid erat Regina? numquid maximam habebat potestatem?* Minimè gētium, *quia alii rursùs animi morbo mācipata est, nempe ira, quæ ratione non regitur, & cedit.* Nonnè animadvertitis iuxta sacrum Textum illam prænedirā passione, & motu iræ adolescentulū iussisse asservari in carcere, quia noluit condescendere iniustæ suæ petitioni; Hæc igitur passio, cui se submisit, illam, cum esset Domina, servam reddidit, & captivam effecit. Vnde ego componens sententias utriusque Doctoris, adiun-

Gen. 39. v. 7.

D. Amb. lib. de Ioseph.

D. Chrysost. in Psal. 48.

adiungo tot Dominorum illam fuisse servam, quot fuerunt vitia, & peccata, quibus servivit: libido eam sibi subiugavit, falsum testimonium illi ademit libertatem, & vindicta eam vinxit, & comprehendit, ideoque illam illustri titulo Dominæ exuerunt, & meritò privarunt.

5. Rectè quadrat huic instituto insignis quædam, & allegorica consideratio sancti Athanasij Episcopi. Advertit S. Antistes Christum mandare duobus discipulis suis, ut vadant ad Castellum quoddam vicinum Vrbi Ierosolymitanæ, & adducant asellum, cuius opera, & usu indigebat ad celebrandam solemnitatem, & pompam introitus sui in eamdem civitatem. Et notat singulari quodam acumine, Euangelistam addere, quod hoc brutum animal esset alligatum, quodque Dominus iusserit illud solvi: *Ite in castellum quod contra vos est: invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, solvite, & adducite mihi.* Et notanter addidit iater Chronicus Lucas, sinam hanc non unius, sed plurium fuisse Dominorum, quia plures fuerunt conquesti de discipulis, quia absq; prævia corū licentia illum solvere præsumsissent: *Solventibus illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos, quid solvitis pullum?* Constans est doctrina sanctorum Patrum, plurimis sacræ Scripturæ testimoniis confirmata, bestias, animalia bruta esse symbola peccatorum: *Homo cū in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Circa hunc locum restat indagandum, quinam sint Domini horum jumentorum? Vnanimis omnium Interpretum sententia est, Dœmones esse, cui etiam suffragatur sanctus Athanasius, hisce disertissimis verbis: *Omnes pariter non in aliud occupati sunt, quam ut asellum in bivio alligent: asinus interim diversorium non habet, non est, qui in forū descendat, id tantummodo agitur, ut pullus vinciatur, & omnes Domini, eius servandi causa, in proximo assident.* Non potuit maius infortunium excogitari huius miserrimi jumenti, id est, infœlicissimi peccatoris, quàm quòd tam tristem nactus esset sortē, ut non uni, sed pluribus, iisque impiis, & inhumanis Dominis servire cogeretur, quorum unicum erat studium, illud carceribus frænare, & solerti diligentia advigilare, ne è manibus suis elabatur; hæc erat omnis eorum cura, & solicitudo, & nulli alteri negotio incumbebant. Relinquebant miserum animal non in stabulo, sed sub dio, inclementiæ temporis expositum, nullusque illius compatiabatur, aut ad præsepe introducebat ad dandum illi pabulum ad comedendum. Imò autumat sanctus Doctor, quòd ad maiorem custodiæ securitatem, ei compedes iniecerint, & manibus pedibusq; ipsum ligaverint, & comprehēderint: *Vnusquisq; enim eorum, vincula vinculis congeminavit, & omnibus modis, ut ipsis in tuto esset, omnem curam adhibuerunt, & ut ego existimo, pedes eius concatenaverunt.* Ecce, Auditores, habetis hic vivis coloribus depictam fortunatam sortem, & supremam miseriam hominis sub peccati mortalis jugo altiùs ingemiscentis, non enim solummodò subditur Dominio Diaboli, ut servus, sed etiam veluti remigē ergastulariu in catenis vincit, & compedibus illigat, & meritò, quia tales, licet captivi, dent tamen in transtris, & continuò remigant, in triremibus peccati, donec ad portum, scilicet infernum, appellant.

Matth. 21. v. 2.

Luca 19. v. 33.

Psal. 48. v. 21.

D. Athanas. super hæc verba.

Quàm triste, & lamentabile spectaculum est videre numerosam talium catervam ad remos damnatorum, matres deflent filios, uxores lamentantur exilium maritorum, omnes gemunt, & suspirant, neque dolor eorum ullum admittit solatium, spectantes, & lacrymabundis oculis videntes chara pignora amoris sui in captivitatem abduci, & veluti servos fugitivos concatenari, (hi soli enim tam crudelem merentur pœnam: quemadmodum per os, & calamum Salomonis Spiritus sanctus pronuntiavit: *Servo malevolo tortura, & compedes*) excusatur tamen pietas, & dolor eorum, quia hoc modo pensum naturæ persolvunt. Verùm quantò incomparabiliter magis lugendi sunt filii quorumdam, & mariti aliarū, (perpaucis exclusis) quos bestia illa tartarea stigmate, & charactere suo notavit, id est, diabolus; qui eis litteram sanctam & clavum suæ servitutis inussit, vel, ut apertius loquar, quos dæmon sui imperii, & tyrannidis nota insignitos, duris catenis vitiorum, & vinculis peccatorum suorum irretitos, captivos detinet, & custodit. Hic, Auditores, revera locum habent lacrymæ, & omnis se debet impendere sensus, & dolor Christianus; & tunc potiori ratione, quando (quod Deus avertat) quidam reperti fuerint, ita sibi complacentes in malo, & amantes suæ captivitatis, ut respuant, & contemnant libertatem, sive Iubilæum, quod idem est, 6.

Ecclesiast. 33 v. 28.

Apoc. 16.

sibi gratis oblatum. O quàm deploranda erit infœlicitas, reperiri inter fideles, peccatores adeò vitiis, & sceleribus immersos, & jam à Deo desertos, qui voluntariè cupiant manere in vinculis, dum alii suam recuperant libertatem! Ecquis, quæso, servus Catholicus hodie captivus detinetur in Africà maritima, aut Marrocia, qui omnibus votis, & desideriis non exoptaret suam redemptionem, & promptissima voluntate daret, quidquid habet ad evadendum tam inhumanam, & duram servitutem? Ast, ecquæ similitudo, aut comparatio inter crudelitates, quas Saraceni in Christianos exequuntur, & eas, quas Diabolus in peccatores exercet? Sia igitur redemptio appropinquavit: *Solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Effringantur hodiè carceres, rumpantur vincula peccatorum, & solvantur catenæ vitiorum, ut animæ immunes, & solutæ ex ergastulis Ægypti, & Babylonis, quibus detinebantur, transeant ad terram promissionis, & veræ libertatis.

Isaia 52. v. 2.

5. Nullus hodie reperiatur inter nos similis diviti avaro, seu epuloni, pro delictis suis in gehenna debitas luenti pœnas; cujus maximum tormentum erat exæstuans sitis, quam in lingua persentiebat, ita ut Abrahamum supplex deprecaretur, & in has lugubres erumperet voces: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Præclaras Considerationes movent SS. Patres super hanc rem, favet tamen, præ cæteris, instituto nostro ingeniosa sancti Petri Chrysologi meditatio. Notetur, inquit aurea lingua, quòd misertimus ille peccator non rogaverit Patriarcham, ut mitteret aquam per Lazarum, in refrigerium linguæ suæ, sed tantummodò: *Mitte Lazarum.* Et ex hoc antecedenti infert consequentiam, meo judicio, formalissimam: *Ergo juxta te est aqua.* Ita sanè: *Iuxta te est, quare de proximo non sumis?* cur tanta siti exustus non bibis aquam, quam habes ad manum? Iam rectè capio mysterium, non bibis, quia ad aquam accedere non vales: *Quare? quia vinctæ sunt manus tuæ*, quia nequis movere manus diris manicis inclusas, necessè est, ut alius tibi solvat vincula, & usum manuum recipias, & ad hoc jam serius est, quia ibi jam nullum conceditur Iubilæum, neque ullus confessarius potest damnatorum solvere catenas aut vincula. Christianus, qui tam probè, & juxta se habet aquas gratiæ,

Luca 16. v. 24.

ita enim illas indigitat Redemptor, & non bibit ex illis, est Tantalus inferni, & personam agit divitis epulonis, & veluti ille, potest cætui damnatorum annumerari. Absit, Fideles, nequaquam ita fiat, quia adhuc viatores sumus, & vivimus in statu, in quo (si solummodò voluerimus) perfecta libertate donari valemus, quamvis in præsentiarum aliqui nostrum ergastulis, & carceribus peccatorum conclusi detineantur. Ad hunc finem venit Christus Dominu, per Vicarium, & ministros suos ad visitandum vos, & offerendum vobis redemptionem, & perfectam libertatem, mediante absolutione Sacramentali, in qua non solum conceditur vobis generalis remissio omnium peccatorum quoad culpam, sed etiam remittitur omnis pœna, quam pro illis in Purgatorio subire deberetis, etiamsi milleni forent anni. Et hoc modo etiam securi ad sacrosanctam mensam altaris accedere, & dignè sanctissimum corporis, & sanguinis Christi Sacramentum recipere poteritis.

Ioan. 4.

6. Notissimum est id, quod contigit filio adolescentiori, quem vulgò prodigum nuncupant, quomodò nimirum instigatus amore libertatis, licèt profanæ, statuerit à paterna domo exulare, & desideriis, & concupiscentiis suis fræna laxare, ut actionum suarum plenè Dominus fieret. Petiit à patre portionem substantiæ sibi contingentem, & congregatis omnibus, peregrè proficiscens in regionem longinquam, dissipavit eam luxuriosè vivendo cum mulieribus, & meretricibus: & tandem ad eam redactus est miseriam, ut & porcos pasceret, & siliquis, communi gregis sui alimonia, vesceretur. Demum in se reversus, agnovit errorem suum, & decrevit redire domum patris sui, cujus pietatem perspectam habebat, noveratque benignitatem cordis ejus, & quanti preces, & lacrymas æstimaret. Vicit clementia patris inobedientiam filii, cumque benignitatis sinu recepit, qui jam erratorum suorum culpam confessus fuerat, & statim mandavit servis suis: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus.* Pretiosis induit eum vestimentis, annulum inserit digitis, & epulum instruit: *Occidite vitulum saginatum*, choros, & tibicines ad celebranda solemnia advocat, & adducit. Considerat hic magnus Tertullianus benignissima patris viscera, & statim singulari acumine ingenii ponderat, patrē prius mandare ut illi annulum donent, antequàm illum

Luca 15. v. 22.

l... ad mensam seu convivium invitaret. Factum reverà mysterio plenum! Quod jubeat eum vestiri, & nuditatem miseri indumento tegi, æquum est, quia hoc vel decentia, vel necessitas requirebat, ut eum contra temporis inclementiam defenderet, qui totus laceratus redibat; at verò quorsum ei annulum curat dari, aut quid significat annulum porrigi, ut ipsum commensalem suum faciat? *Annulum quoque accipit, atque exindè opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.* Prius recipit annulum, & *exinde*, seu tunc, & non antea, facit eum mensæ corporis, & sanguinis Christi Redemptoris participem, qui in ipso vitulo saginato seu agno adumbratur. Hactenùs tamen semper urget difficultas; ad quid opus erat hac cæremonia ad accedendum dignè ad mensam sanctissimi Sacramenti? Quorsum dicit Tertullianus, *exinde*, quasi illud ipsum ad hoc disposuisset? Alludit Doctissimus Pater ad morem, & consuetudinem veterum, qui ut aliquem manumitterent, aut libertate donarent, manui illius annulum imponebant (uti ex variis sacræ Paginæ testimoniis constat) & perpulchre adnotavit Abbas Rupertus in annulo illo, quem Rex Pharao dedit sancto Ioseph quando eum è carcere eductum singulari honore afficere voluit: *Tulitque annulum è manu sua, & dedit eum in manu ejus, pro servili nomine regium gestat annulum.* Insigne libertatis erat annulus, inquit Tuitiensis. Ad rem igitur nostram; quia hic perditus adolescens se mancipaverat servituti Dæmonis, & hic erat Dominus cui serviebat, durante servitute, non erat capax assidendi mensæ sanctissimi Sacramenti, ac proindè prius debebat restitui pristinæ libertati, in annulo præsignatæ, & illo accepto, redditus fuit idoneus ad frequentandum mensam Dominicam, quapropter disertissimè dixit Tertullianus: *Annulum quoque accipit, & exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.* Pulchrè conveniunt libertas, & Iubilæum, quod nobis divinus animarum nostrarum Magister annuntiat: *Vt prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem*, cum sacra mensa, ad quam nos invitat: *Hic est panis, qui de cœlo descendit.*

Tertull. lib. de pudicis. c. 9.

Gen. 41. v. 42.

Rupert. lib. 9. in Gen. c. 40.

Vt annuntiarem Domino annum placabilem.

CONSIDERATIO III.

Fortissimi adversarii, & hostes nostri sunt peccata nostra, quæ nobis quàm maximè cruentum, & exitiale inferunt bellum, ideoque abstinendum est ab illis, ut divina cessent supplicia.

VEni, inquit divinum Verbum incarnatum, in Orbem terrarum, ad prædicandum annum placabilem Domino. Vbi eruditè noster Doctissimus Hugo: *Vt ostenderem tempus plenitudinis gratiæ advenisse, in quo Deus placabilis redderetur hominibus pœnitentibus*; id est, misit me Pater æternus in mundum, ut suaderem hominibus tempus cumulatissimæ gratiæ, in quô Deus omnibus pœnitentiam agentibus indulgebit: tamquam diceret; hactenus exhibuit se Deus severum vindicem, & vocatus fuit: *Deus ultionum Dominus*, quia scelera, & iniquitates hominum benignitatem, & clementiam ejus exulceraverant, at verò nunc, quando homines agent pœnitentiam illorum, & desistent eorum peccata, etiam Deus sua suspendet supplicia, & ita convertetur in clementiam, rigor in pietatem, & multiplicabit favores, qui antea repetebat supplicia. Ex quibus infero maximos hostes, & inimicos nostros esse peccata, & illa truculentum nobis inferre bellum. Non conqueramur de Principibus adversariis, qui nos inquietant, & perturbant, sed de iniquitatibus, & sceleribus nostris, quæ sunt omnium damnorum, & ærumnarum nostrarum præcipua causa, fons, & origo. 1.

Hugo Card. hic

Liceat mihi apponere singularem quamdam expositionem ad verba illa Isaiæ, instituto huic deservientem, nisi demereatur, quia ex cerebro meo nata est: *Peccata nostra responderunt nobis*, inquit Evangelicus Vates. Probè quidem novi, Expositores in explicatione hujus loci in varias abire sententias; at verò, quæ mihi arridet, nisi me fallat opinio, hæc est, nimirum Prophetam hic non loqui de responso vocali, quo homines sibi mutuò respondere solent, dum unus ab alio interrogatur; exploratum est enim peccata neque os, neque linguam habere ad loquen- 2.

Isaiæ 59. v. 12.

quendum (quamvis metaphoricè aliquando in sacris Litteris, & SS. Patribus, lingua eis attribuatur) sed de alio genere responsionis, quæ impropriè talis nuncupatur. Explodit hæc Civitas, v. gr. Trajectensis sua tormenta bellica, dicite, amabo, ubinam ictus, seu sonitus respondet? an forsitan in hac ipsa Civitate? Minimè gentium, sed valde procul, Lovanii, vel Thenis, vel alibi (juxtà flatum venti) in partibus maximè dissitis. Ex his facilè intelligetur allusio Isaiæ in hisce verbis: *Peccata nostra responderunt nobis.* Ecquæ responsio? qualis solet esse bombardarum, aut tormentorum missilium, quæ dum in uno loco exploduntur, in alio maximè remoto respondent. Ejaculamur peccatores hujus Regni Hispaniæ catapultas igniarias scelerum nostrorum, & tela peccatorum nostrorum contra cœlum, & in offensam suæ divinæ Majestatis, & eapropter necessum est ea respondere. Ubi, quæso? Non hic, ubi ea committimus, sed in regionibus procul distantibus; uno die respondent in Flandria, alio in Navarra & alio Barcinone, & alio in Lusitania, licèt reverà strepitus bellicus armorum ad illos, & nos penetret, & pertingat, hoc sonat; *Peccata nostra responderunt nobis.* Tali causæ necessariò similes debent effectus correspondere. Imponatur finis peccatis, si nolitis audire eorum responsa, convertimini ad meliorem vitæ frugem, si desideretis ut Deus modum imponat suppliciis, & gladium furoris recolligat, & in vaginam reducat.

3. Lamentatur divinus ille Heraclitus, Propheta Ieremias in Threnis suis, & deplorat mala Reipublicæ suæ, & excidium Regni sui hisce lacrymabundis vocibus: *Servi dominati sunt nostri*, id est, juxtà expositionem litteralem eminentissimi nostri Cardinalis Hugonis: ad illum devenimus miseriæ statum, ut illi, qui aliquando erant servi nostri, jam velut Magistri, & potentes dominentur nobis: *Servi nostri priùs postea dominati sunt nobis.* Et nationes illæ, quæ vicinitate, & necessitudine nobis conjunctæ erant, modò nos bellis infestant, & viribus opprimunt: *Quòd gentes finitimæ, quæ priùs erant subjugatæ, & quasi videbantur esse amicæ eorum, per dominium opprimebant eos.* Possemus sistere in sola expositione litterali horum verborum, propter doctrinam, quam nobis suggerunt hisce calamitosis temporibus opportunam; malo tamen referre aliam magis spiritualem, & mysticam magni Ecclesiæ Doctoris sancti Hieronymi, ut ex collatione, & comparatione utriusque eliciam præconcepti mei discursus confirmationem. Non hæsit Propheta, inquit sacrorum Interpretum Phœnix, in sola destructione temporali Ierusalem, neque in ipsa temporali captivitate habitatorum ejus, sed altiùs rem ipsam meditatus est, & vaticinante spiritu luxit Ieremias spiritualem ruinam animæ, sub jugo, & servitute peccati constitutæ: *Hic spiritualis animæ ruina, vastatioque describitur*, quasi diceret, *Caro, quæ servire debebat, dominata est animæ.* Æquum erat, & rectæ rationi consonum, quòd spiritus regeret, & caro obediret, anima imperaret, & corpus serviret, at verò miserrima ad tantam redacta est calamitatem, ut peccando fiat serva, cujus est Regina, & captiva, cujus est Domina; hæ enim sunt deordinationes Reipublicæ peccati. Duplicem igitur complectitur hæc Prophetia servitutem, unam spiritualem animarum, & alteram temporalem corporum, & priùs ipsi objecta fuit seu repræsentata servitus animæ seu spiritus, quàm carnis, seu corporis, quia hæc est pœnæ, & altera culpæ, & quia culpa est mater pœnæ, priùs consideravit illos peccatores, & posteà suppliciis affectos, quia numquàm ad servitutem hominum fuissent redacti, nisi priùs tyrannicæ servituti peccatorum se mancipassent. Vos ipsi applicate hanc doctrinam, ut volueritis, ego meum prosequor discursum.

Thren. 5. v. 8.

Hugo Card. hic

D. Hieron. hic.

4. Tempore, quo sanctus Rex David molestissimas patiebatur persecutiones ab inimicis suis, prudentissimos efformabat discursus, quia tribulatio solet sæpiùs oculos rationis anteà obnubilatos illuminare. Audite illum in Psalmis egregiè disserentem: *Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum*, gratis, hoc est, *sine causa*, inquit S. Hieronymus, quia nullius criminis me accusat conscientia, neque me illos offendisse reor, ad hunc modum exponit hæc verba noster Hugo Cardinalis: *Principes terreni sine culpa mea, & sine ratione sua.* Loquebatur de Saule, & Absalone, qui rebelles in eum insurrexerant, & quisque pro viribus suis ei exitium moliebatur, & vitam adimere, unàque, & Regnum ei auferre contendebat; verùm ego, inquit sanctus Rex, dum me video undique injuriis lacessitum, & persecutionibus concussum, ineo mecum rationem, & patienter cuncta perferens, firmiter mihi persuadeo, illa esse monita tua, quibus me ad saniorem mentem revocare studes, & ut ego mea corri-

Psal. 118. v. 161.

D. Hieron. cita à Lorin hic.

Hugo Card.

gam errata; & in primis, ut compertum habeo, te illos assumere veluti instrumenta justæ ultionis tuæ, quibus gravissima peccata mea punias, & vindictæ tuæ satisfacias: *Et licet multi, & magni me persequantur, libenter sustineo, & formido à verbis tuis, non à flagellis hominum*, ait Doctissimus Hugo Cardinalis. Non itaque conquestus fuit S. Rex de protervia perduellium, neque eos condemnavit, quia ei insidias molirentur, sed omnia infortunia, & adversa, quæ accidebant, in perversos, & depravatos vitæ suæ mores, veluti causam referebat, perspectum habens, quòd licèt hostes eum affligerent, & injuriis afficerent sine ratione, ipse tamen sine illa eas tolerabat; quod eleganti sententia expressit Tertullianus: *Omnis iniquè agit, nullus injustè patitur.* Quocircà non mediocris est prudentia Christiana, non respicere, aut attendere ad eos, qui nos injuriis lacessunt, sed ad peccata, quæ commisimus, in quorum punitionem Deus permittit, ut illi nos offendãt, & persequantur. Canis lapide impetitus, cæca mordacitate, & rabido impetu invadit eum (est comparatio S. Basilii) & tamquàm hostem unguibus, & dentibus eum conterere, & in partes frangere contendit. Actio reverà bruti animalis, si enim canis foret prædítus ratione, non lapidem indignaretur sed manui illũ jacienti stomacharetur. David quia Rex prudentissimus, probè novit unde sibi lapides venirent: & confessus est Principes terræ solummodò esse lapides, brachium verò Dei illos jactare, ejusque justitiam illis uti tamquàm instrumẽtis supplicii, quibus pro demeritis suis puniretur. Quapropter omni studio conatus est emendare vitam suam in melius, pravosque reformare mores, ut hac via inimicorum suorum persecutionibus remoram injiceret, & furorem indignationis divinæ tẽperaret, & moderaretur.

Tertull. lib. de patient.

D. Basilius Magnus

§ Firmiter credo, Auditores, unam ex causis, & forsitan præcipuam, cur Deus tot suppliciis (quamvis citrà condignum) mulctet, & puniat hæc Regna nostra, esse indignas communiones quorumdam Christianorum, qui absque debita dispositione, requisita animi munditia, audaci temeritate ad hoc purissimum accedunt Sacramentum. Valdè ponderandus est dolor, & tristitia, quam David in lamentabili morte Saulis ostendit: *Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos, nec sint agri primitiarum, quia ibi abjectus est clypeus fortium*, id est, quia ibi ceciderunt fortes Israël. Indagat Iosephus, ecquis Sauli, ejusque commilitonibus, tam infaustæ mortis fuerit author, & origo? Et respondet causam in promptu esse, nimirùm, parvam reverentiam ergà Altare Dei, quia enim tempore ipsius sacra negligebantur, id eò miserè cecidit, & periit: *Si enim sub Saule sacra non fuissent neglecta, numquàm talem cladem populus excepisset.* Nolo dicere, defectu venerationis materialis, seu externæ Altarium, Deum punire hanc Monarchiam nostram, quia certissimum est, in illa potiùs, quàm alibi in toto orbe Christiano vigere cultũ sacrorum, & præsertim singularẽ exhiberi venerationẽ sanctissimo Sacramento (uti oculis, ac sensu ipso percipitur, in hac inclyta Civitate *San Lu. ar.*, & gratiæ agãtur Excellẽtissimis Principibus, & ducibus *de Medina Sidonia*, quorum illustre nomen erit immortale in sæcula sæculorum, quia adeò exaltarunt cultum, & venerationem ejus, ut hæc Ecclesia nulli Metropoli primas deferre debeat) verùm affirmo in veneratione, & cultu spirituali maximos committi errores, neque Deo satisfieri externa devotione, cùm de Saule sæpius commemoret sacra Historia, ipsum Deo erexisse Altaria: *Ædificavit altare Domino*, quæ haud dubiè fuit actio protestativa fidei, & devotionis; verùm, quia non ex intimo cordis enata fuit, tamquàm ingrata Deo displicuit; si igitur nos consecremus Deo exteriorem cultum, & defuerit interior medulla cordis, quæ est gratissimum Deo sacrificium, & perseverantes in peccatis nostris concesserimus hosti possessionem cordis, & animarum nostrarum, necesse est Deum iniquitatibus nostris exacerbatum, etiam renitente divina clementia, duriora nobis immittere supplicia. Suppositâ ergò hac veritate, hoc unum superest ut vitam nostram in melius emendemus, ad exemplum sancti Regis Davidis, dum undique hostium bellicis persecutionibus opprimeretur: & ut divino adjuti auxilio, munda conscientia, & in statu gratiæ hoc cœlesti pascamur Sacramento, est enim panis vitæ, qui de cœlo descendit; hoc, inquam, præstemus, si furorem Dei placatum experiri cupiamus. Hic scopus est supremi capitis Ecclesiæ in terris, & ad hunc finem ordinatur Iubilæum, quod mediante condigna communione fideles lucrari & consequi possunt, & ideò rectè conveniunt verba Isaiæ: *Ut prædicarem Domino annum placabilem*, cum verbis sancti Ioannis: *Hic est panis, qui de cœlo descendit.*

2. Reg. 1. v. 21.

Iosephus apud Baeza lib. 10. c. 10. § 17.

1. Reg. 14. v. 35.

Bb

Et diem ultionis Deo nostro.

CONSIDERATIO IV.

Frustranei sunt apparatus bellici, nisi Deus partes nostras tueatur, & nisi ad meliorem vitæ frugem convertamur, proculdubio indies hostium, & adversariorum arma, & potentiora, & vires valentiores experiemur.

1. EO tempore quo cœlestis Magister annuntiat tempus gratiæ, terrorem incutit memoria diei ultionis suæ. Fateor operosiorem mihi apparuisse hanc comparationem, neque me prima fronte assecutum fuisse modum componendi duo extrema tam opposita: at hæsitanti succurrit eminentissimus Cardinalis noster, dicens rectè cohærere hæc duo, quamvis primo intuitu repugnantia videantur; quia æquum est, & rectæ rationi consentaneum, ut beneficio neglecto, & contemptui habito, condignum succedat supplicium. Et quamquam Redemptor mundi hisce verbis præcipuè fuerit minitatus protervis, & rebellibus Hebræis, super quos armata manu irruerunt Romani, quia noluerunt converti ad Messiam, neque frui Iubilæo gratiæ ipsis oblato, ut disertè asserit præfatus Doctor: *Tempus damnationis à Deo venturum super Iudaeos rebelles, per Romanos*; nihilominus tamen etiam loquebatur omnibus fidelibus, qui non acquiescunt vocationibus divinis, neque post gravissima scelera in Deum commissa, nullam in emendanda vita diligentiam adhibent, neque temporis opportunitate uti contendunt, quæ eis ad salutis negotium fœliciter peragendum gratuitò conceditur.

Hugo Card. hic

2. Nihil igitur, vel parùm proderunt machinæ bellicæ, aut apparatus militares, equi, qui emuntur, milites, qui conscribuntur, triremes, quæ instruuntur, & arma, quæ præparantur, nisi Deus partes nostras tueatur: Oleum, & operam perdimus, & in vanùm laborámus, si pertinaciùs, & præfractè peccatorum nostrorum sordibus inhærentes, cum eo in gratiam redire neglexerimus, & necessarium erit divinæ justitiæ rigorem sentire, & arma adversariorum quotidiè magis ingravescentia experiri. Res cunctis notissima est, muros, seu mœnia, & portas Civitatis, esse maximo præsidio, & defensioni illius, ac proindè deficientibus illis, haud dubiè actum est de Civitate. Auscultate, & aurem præbete Regio Prophetæ in hæc verba effanti: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino*; id est, pandite mihi, & reserate portas virtutis, ut ingrediens per eas, Deo serviam, ejusque laudes gratus decantem. Audit loquentem magnus Ecclesiæ Doctor S. Ambrosius, & prosequens suam meditationem, in has voces prorumpit: *Cernimus armari Civitatis portas*. Experientia quotidiana docet, quòd statim ac timetur hostis venturus, ad arma convolemus, vigiles solertiori diligentia excubias agant, mœnia visitentur, propugnacula reparentur (quemadmodùm hisce bellicosis temporibus propter peccata nostra, in hoc Regno fieri cernimus.) Dicent aliqui, hanc prudentissimam esse cautelam, & securissimam præventionem; & reverà sic est, juxta humanum judicium: sed risum movent Sancto similes apparatus, aitque homines illos toto cœlo errare, quia præcipuam, & maximè necessariam negligunt curam, & solicitudinem; & quæ est illa? quam David adhibebat: *Aperite mihi portas justitiæ*, id est, puram, & immaculatam ducere vitam, & invocare nomen Domini, eumque sacrificiis placare, & tandem precibus, orationibusque jugiter implorare divinam ejus opem, eique in omnibus grato animo servire, & placere; quia parùm conducunt, aut prosunt arma, & machinæ bellicæ ad portas Civitatis, nisi nos ingrediamur per portas justitiæ; præclarissima sunt verba S. Archiantistitis Mediolanensis: *Debemus etiam prius in nobis portas armare justitia*, & tunc erunt tutò in loco portæ Civitatis, quando priùs in nobis septæ fuerint præsidio virtutis portæ justitiæ. Princeps, & Rex, qui cupiunt tranquillam ducere vitam, neque ullas vitæ humanæ formidare procellas, ante omnia debent Deo servisse, eique gratum præstitisse obsequium, quia nisi habuerint Deum propitium, sibique faventem, nulla est pax expectanda, neque ulla victoria speranda, quia evidens est, & meridiana luce clarius, omnes humanos frustrari conatus, absque Dei auxilio, & opitulatione, quemadmodùm dilucidè concludit S. Ambrosius: *Nihil prodest muros munire propugnaculis, & Deum provocare peccatis.*

Psal. 117. v. 19.

D. Ambr Serm. 24. de Sanct. tom. 1.

3. Non parvum addit robur discursui nostro, insignis quædam expositio magni Origenis. Elegit Moyses Dux populi Dei duodecim millia virorum ad pugnandum contrà Madianitas qui tantâ animi generositate prælium seu certamen adorti sunt, ut adversarios expugnaverint, & quinque Principes seu Archistrategos, & præfectos militiæ interfecerint: *Cumque pugnassent contra Madianitas,* inquit sacer Textus, *omnes mares occiderunt & Reges eorum.* Sistite hic parumper, si recurrerimus ad sacrum Capitulum Libri Iudicum, comperiemus eos, juxtà computum sacræ Historiæ, fuisse sexcenta millia hominum, absque pueris seu parvulis, uti constat ex Exodi 12. capite, & tamen omnes illos fuisse à Madianitis devictos, & superatos. Ponderat hic doctissimus Origenes, & componens hos duos Textus tam oppositos, notat differentiam eventuum adeò admirabilium. Qui, inquit Origenes, hodie sexcenta millia Israëlitarum debellantur, & heri duodecim solummodò millia victoriam obtinuerunt? (Ecce difficultatem rei, quam statim novimus) accipite responsum ejus instituto nostro accommodissimum: *Vt sciat, quia non in multitudine, nec in numero militum vincit, sed justitia, & pietas Israel, est in eis, quæ vincit.* Divina profectò verba quæ ego non soli memoriæ impressa, sed etiam omnium cordibus insculpta optarem. Res ita contigit, ibi plures numero fuerunt devicti & profligati, hic verò pauciores evaserunt victores, quia ibi existebant in statu peccati & extra gratiam Dei & hic pœnitentes & confessi, non quod eorum confessio foret Sacramentalis, uti alibi diximus, sed cæræmonialis, juxta Theologorum doctrinam, in qua confitebantur peccata sua in specie, cum dolore præteritorum, & firmo proposito melioris vitæ, quemadmodum peracutè Genebrardus adnotavit. In hoc igitur statu pœnitentium, & Deo reconciliatorum, sola duodecim millia victoriam à Madianitis reportarunt, & sexcenta millia, cùm haberent exercitum multis partibus superiorem, campum deserere, & palmam Madianitis cedere debuerunt. Non numerus militum concludit Origenes, vincebat, sed virtus & pietas triumphabat. Vt luculenter comprobetur hæc veritas, & hæc doctrina Catholicorum cordibus infixa remaneat, nimirum, efficax medium, & potens remedium ad debellandos hostes nostros, esse, Deum habere propitium, & faventem, tunc autem maximè aderit præsidio, quando in sanctissimo Sacramento fuerit dignè à nobis receptus, sin minus, subtrahet nobis suum patrocinium, & quantumvis diligentissimè invigilaverit humana industria, semper irrito conatu perdet victoriam, & arma Hispanorum indies infœliciori omine victas dabunt manus, & hostium vexilla cum dedecore nostro gloriosè triumphabunt.

Numer. 31. v. 7. Iudic. 6. Exod. 12.

Origenes hic

4. *Reporta Arcam Dei in Vrbem, si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me & ostendet mihi eum & tabernaculum suum.* Verba sunt sancti Regis David, quæ profugus à facie Absalon, & fugiens Ierosolymis in desertum, dixit Sacerdotibus & Levitis, qui plorantem comitantes, Arcam fœderis secum portabant usque ad torrentem Cedron, quem David noluit Arcam Domini pertransire, sed præcepit eam reportari Ierosolymam per Sadoc Sacerdotem, dixitque ei. *Reporta Arcam Dei in Vrbem &c.* id est, redeat ad locum pristinum Arca fœderis, quam licet ego deseram, spero tamen aliquando me rediturum ad illam, eique solita præstiturum obsequia. Ecquid hoc, sancte Rex, inquit Theodoretus, Arcam Dei remittis Ierosolymam, ubi capitalis & conjuratus hostis tuus Absalon commoratur? Nonne vides te hoc pacto auxiliares ei præbere copias, & arma suppeditare, quibus crudelius tibi bellum moveat, nonne præsidio & patrocinio Arcæ exercitus hostilis novos concipiet animos, novasque resumet vires, quibus te debellet & expugnet? Cuncta hæc flocci pendet David, nihilique æstimat, ait Theodoretus, quinimò ea de causa certam sibi spondet victoriam contra Absalonem ejusque sequaces, quia cùm probè noscat & exploratum habeat exiguum ejus & alliciatum devotionis spiritum ergà cultum Dei ac rerum divinarum, sed effræni ambitione; omnique astu & studio incumbere sectandis rebus terrenis, & transitoriis, & contra fas solummodò quærere regium diadema, certò sibi persuadet, quod tametsi Arca sacra commoretur in Tabernaculo Domini, redeatque Ierosolymam ad requirendum eum, non tamen ideò illam debita recipiet reverentia & decore, quia non emendabit vitam in melius, neque depravatos suos mores reformabit: ac proinde nullatenus est timendum, quod Arca eum defendet, aut proteget, sed indubitanter eum puniet, eritque omnimodæ ejus ruinæ occasio, quemadmodum postea

2. Reg. 15. v. 25.

postea exitus ipse rerum probavit. Non refero hic verba Theodoreti, quãvis ea legerim, quia non habeo ad manum impressionem antiquam quæ continet quæstionarium super libros Regum, sunt tamen æquivalentia, quæ ad simile propositum alibi dixit idem Doctor: *Non enim decebat legem propugnatorem fieri eis, qui legem palàm transgressi fuerant.*

Theodor. Serm. 10. de provident.

5. Fateor Auditores, non reprobo humanam industriam & solicitudinem, semper bona sunt apparatus bellici & maximè quando undique adversarius imminet & infestat. Verum hoc unum adiicio, omnes has præmunitiones solùm esse inanes Absalonis cautelas, quæ non prosunt sed obsunt, quando uti diximus, præcipuum intermittitur. Hodie nos visitat Arca Testamenti, quia sicut hæc teste Sancto Paulo, tria continebat, nimirum manna, figuram sanctissimi Sacramenti, & tabulas legis quam Dominus dedit populo suo, & virgam Aaronis summi Sacerdotis, quæ significans rigorem, & severitatem, protulit flores, symbolum fuit (uti adnotarunt Doctores) clementiæ & pietatis: ita etiam hæc tria si rectè perpenderimus, nos hodie adhortantur, & acclamant cordibus nostris. Figuratum in manna, videlicet sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sua reali & regia assistentia nos comiter invitat, ut dignè ad tam divinum epulum accedamus. Tabulæ legis divinæ etiam nobis prædicant, ut in hoc Iubilæo eam observemus, quia exigitur à nobis integra confessio peccatorum, & constans seu firmum propositum observandi in posterum omnia divinæ legis mandata. Virga Aaronis florens & repræsentativa regiminis ejus, jam favens, jam castigans, etiam hic adest, quia potestas & jurisdictio summi Pontificis, & Vicarii Christi, Petro, ejusque Successoribus in Aarone præfiguratis, concessa est Virga miraculosa, cœlestis ejus regiminis significativa, vel favens dando indulgentias (quemadmodum hac rerum tempestate experimur) vel puniens contra protervos fulminando censuras. Hoc unum restat, ne simus similes Absaloni, neve in peccatis nostris, ejus obduratam pervicaciam imitemur, nisi rigorem divinæ ultionis magno nostro incommodo experiri malimus, quia solet Deus in similibus rerum eventibus, tanquàm suæ justitiæ instrumento, ut opera & furore inimicorum nostrorum: *Et diem ultionis Deo nostro*, neque ullum reperiemus patronum, qui causam, & partes nostras tueatur, neque ipse Dominus in Sacramento panis verè cœlestis nobis succurret: *Hic est panis qui de cœlo descendit.*

Ad Hebraos 9.

Vt consolater omnes lugentes, &c.

CONSIDERATIO V.

Maximum prabet solatium peccatoribus (quales sumus omnes) certitudo, qua sciunt quod si seriò doluerint & pœnituerint, peccatorum suorum, Deum tristitiam & mœrorem commutaturum in lætitiã & gaudiũ, cinerem in coronam, & saccum mortificationis seu pœnitentia in vestem & stolam gloria & honoris.

Concludit Christus hunc sermonem suum, dicens mortificationem & pœnitentiam fidelium certa fore prænuntia stolæ seu gloriosæ vestis, qua illos in cœlis vestiet & exornabit: ita exponit hæc verba Cardinalis Hugo, cujus Glossam in toto discursu hujus Considerationis sequemur: *Saccum etiam pœnitentia convertet Dominus in stolam gloria.* Nõ exiguam reverà parit consolationem peccatoribus contritis & de delictis suis veram agentibus pœnitentiam, certò certiùs scire austerum mortificationis suæ saccum in candidam vestẽ & gloriæ stolam convertendum. *Hugo Card. hic.*

2. Postquàm Dominus Deus peccatum primorum parentum severissima perstrinxit sententia, eosque acriter reprehendit & redarguit ait sacer Textus: *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas & induit eos.* Accepit pelles quasdam animalium, easque corporibus eorum adaptavit, quibus eos & contra Solis ardorem protegeret, & temporis inclementiam defenderet. Millenos hic proferunt sacri Doctores ingeniorum suorum partus & acumina: verùm singulariter servit ad corroborandum institutum nostrum, translatio Paraphrasis Chaldaicæ, quæ ita legit: *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas honoris*, id est, amixit illos indumento honoris & gloriæ, Ecquis non videat difficultatem, quam ingerit mentibus hæc singularis translatio? nam juxtà communem & familiarem Sanctorum Patrum doctrinam, hoc vestimenti genus, nota potius & signum fuit peccati transgressionis, & cili-

Gen. 3. 21.

Paraph. Chald. hic.

cilicium pœnitentiæ eorum, quàm ornatus & decoris. Is solebat esse habitus veterum Anachoretarum Eliæ, Baptistæ & aliorum, quo omnes humili confessiones se peccatores profitebantur. Qui igitur salvare poterimus veritatem præfatæ Lectionis, quæ magnam obtinet in Ecclesia authoritatem? Causam jam antea insinuavimus, saccum humilem mortificationis, quo induit primos progenitores nostros, appellavit Spiritus sanctus tunicas honoris & gloriæ, ad denotandam gloriam & honorem, quem illi per pœnitentiam erant adepturi, & ad significandum tempus aliquando futurum, in quo saccus & cilicium in splendidam gloriæ stolam foret commutandum, sic namque solet Deus remunerare humilibus, & verè pœnitentibus præmia: *Saccum etiam pœnitentiæ convertet Dominus in stolam gloriæ.*

3. Egregium splendorem, & claritatem contulit huic conceptui antiquus Tertullianus, qui expendens verba illa Domini Dei Adamo dicta, postquam peccaverat: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, id est, quasi una ex tribus Trinitatis sanctissimæ personis, asserit Deum absque dubio verbis illis promisisse protoparenti nostro, se illum per pœnitentiam reducturum ad statum adeò perfectum, ut appareret homo divinus & Deo simillimus: *Nam etsi Adam propter statum legis deditus morti est, sed spes ei salva est, dicente Domino: Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis, de futura scilicet adlectione hominis in divinitatem.* Ast illicò ratio dubitandi animum pulsat, si Deus jam Adamum pellibus brutorum animalium, quasi in pœnam peccati vestiverat, & Dominus ipse, teste Regio Propheta, ad ostentandam magnitudinem gloriæ suæ, sit luce & splendore circumdatus: *Amictus lumine sicut vestimento*, qui possunt ambo, Adam & Deus esse similes habitu & vestitu, & homo præbere specimen divinitatis: *Quasi unus ex nobis?* Tam admirabiles sunt vires & facultates pœnitentiæ, ut rude cilicium convertat in stolam jucunditatis, seu vestem gloriæ & divinitatis.

Gen. 3. v. 22.

Tertull. lib. 2. ad Marcionem c. 20 prope finem.

Psal. 103. v. 2.

4. Christianus itaque, qui desiderat & cupit in cœlis supervestiri indumento honoris & gloriæ, priùs hic sacco mortificationis induatur. Describens sapientissimus Salomon, animam justam & sanctam sub metaphora mulieris, animo virili præditæ, in has effatur voces. *Mulierem fortem quis inveniet, &c.* & posteà subjungit: *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Nonne unicum sufficeret indumentum? Videtur sanè, quia alibi Magister cœlestis prohibuit discipulis suis, ne plures tunicas haberent: *Neque duas tunicas habeatis*, spondens eis in paupertate & indigentia bonorum terrenorum divitias & thesauros cœlestes. Attamen ad hoc respondet insignis noster Hugo Cardinalis, per mulierem illam intelligi Ecclesiam, & per domesticos ejus, filios ejus per aquam Baptismi regeneratos: *Mulierem vocat Salamon Ecclesiam, propter fœcunditatem spiritualis sobolis quam in aqua & spiritu Deo gignit.* Et paucis interjectis subjungit, vestimenta illa duplicia, quibus Spiritus sanctus mulierem, omnesque ejus domesticos affirmat extitisse vestitos, fuisse spiritualia indumenta, de quibus hic mentionem fecimus: *Vel duplex vestis est pietas, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ*, ac proinde non sufficit una vestis, sed duæ sunt necessariæ, secundum duplicem statum, quem habet anima, viatoris, & comprehensoris, unam debet induere homo spiritualis toto tempore, quo peregrinatur in terris, & alteram reservatam in cœlis, ubi ad Deo perfruendum pervenerit. Exemplo familiari rem elucidabo. Longum instituis iter, non assumis vestem pretiosiorem, qua in urbe vel aula obambulas, sed aliam viatoriam licet minus pretiosam & magis rudem, decoram verò & splendidiorem pro Civitate reservas. Hoc sonant verba Spiritus Sancti, per os Sapientis: *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Cuncti fideles & filii Ecclesiæ Catholicæ mutatorias debent habere vestes, unam pœnitentiæ, & alteram gloriæ, hanc pro aula cœlestis curiæ, illam vero pro peregrinatione; seu viatoriam, quemadmodum inquit Hugo Cardinalis, mulier non induit vestem diebus solemnioribus, qua utitur communibus & profestis diebus, sed pretiosiorem in illum diem asservatam assumit. Ne commutetis vestes, dilectissimi Auditores, induite hic saccum pœnitentiæ, si desideretis in cœlis reperire stolam gloriæ, hic patienter adversa tolerate, ut ibi regnetis: nequaquam enim deficere potest Verbum Dei, quo vobis promittit pro luctu gaudium, pro tristitia consolationem, pro cinere coronam, & tandem pro cilicio gloriam.

Proverb. 31. v. 10.
Ibi. v. 21.

Lucæ 9. v. 13.

Hugo Card. ubi sup.

1. ad Tim. 4. v. 8.

Hugo Card. ubi supra.

Et peculiariter loquitur illis, qui pretio lacrymarum, & vera cordis compunctione se ad divinissimum Sacramentum dignè præparant, & dis- 5.

D. Arnobius. Hugo Card. Incognit. citati à Lorino Psal. 103. Psal. 79. v. 6. Psal. 103. v. 15.

& disponunt. Liceat mihi componere duo loca regii Psalmistæ, quæ juxta sententiam sancti Arnobii, Hugonis & Incogniti in sensu Prophetico de hoc augustissimo convivio loquuntur, & uti apparet, manifestam involvunt contradictionem. Vocat illud Regius Vates in Psalmo 79. panem lacrymarum, & pœnitentiæ: *Cibabis nos pane lacrymarum*, & Psalmo 103. panem, & vinum lætificans, quod reddit, & recreat cor humanum. Et conformiter ad hunc exponunt præfati Doctores verba illa Davidica; *Et educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.* Ecquis jam non videat effectus tam disformes, & oppositos, quos David huic pani cœlesti attribuit? & repugnat communi doctrinæ Philosophorum dicentium: *Duo contraria non possunt simul esse in eodem subiecto.* Verum huic dubio obviari potest dicto Philosophorum, qui solent docere, Aristotelem, dum ait duo contraria non se compati in eodem subiecto, sed se mutuò expellere, debere intelligi simultaneè, & eodem tempore, nullum quippe inconveniens, aut absurdum est diversis temporibus successivè duo opposita in eodem subiectari, & hoc unanimiter omnes admittunt. Dum igitur Regius Vates dixit, hunc cœlestem panem tam dispares causare effectus, nimirum, lacrymas, & lætitiam, dolorem, & gaudium, voluit insinuare, illum Christianum, qui pœnitens, contritus, & dolens de peccatis suis hic recipit Eucharistiæ Sacramentum, in cœlis summa perfruiturum jucunditate, & æternùm duratura potiturum gloria. Vt divina veritas reddatur infallibilis, & adimpleatur promissio Christi Domini. Ex quibus rectè colligitur connexio utriusque Thematis ex veteri, & novo Testamento: *Vt darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Et huius: *Hic est panis, qui de cœlo descendit.*

6. Et ne existimetis, Auditores, totale præmium, quod vobis repromittitur, reservari in patria æternæ beatitudinis dandum, declarat Christus Dominus, quod etiam in hac præsenti vita fructus veræ pœnitentiæ percipietis. Hoc sonant postrema verba illa: *Et vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum*, id est, Reges, Principes, Magnates, Rectores populi, & ministri iustitiæ erunt præditi fortitudine ad exequendam illam, tam in se, quàm in aliis, juxta Glossam Hugonis Cardinalis: *Fortes ad iustitiam exequendam in se, & in aliis. Quia, qui priùs erant fortes ad malum, modo autem fortes ad bonum.* Quod autem sequitur: *Et plantatio Domini ad glorificandum*, hunc reddit sensum: *Et hoc ad glorificandum Deum*, id est, manifestè videbitur, & comperietur illos esse plantas divinas à Domino in paradiso militantis Ecclesiæ plantatas, ex hoc, quod nullus proprio studebit commodo aut utilitati, sed omnes invigilabunt bono publico, & communi: omnes actiones suas dirigent in obsequium Dei, eiusque gloriam, & honorem. Itaque in illa totum erit pax, quies, tranquillitas, gaudium & voluptas: faxit Deus, ut ea oculis nostris intueamur, & in hac mortali vita auream vivamus ætatem, uti aliquando fuerunt aurea illa sæcula symbola, quamvis imperfecta, æternorum, & indeficientium bonorum, quæ nos maneat in perenni illa æternitate gloriæ: *Ad quam nos perducat, &c.*

Hugo Card. hic.



TRA-

TRACTAT. XXVII.

IN ANNIVERSARIIS EXEQVIIS

Gloriosæ Memoriæ


S. REGIS FERDINANDI.

Quas quotannis Cathedralis Ecclesia Hispalensis celebrat.

NOTA *hanc Concionem funebrem singularem esse, quia tamen in exequiis communibus, maxime dum prædicandum est in funere alicuius viri pietate, ac charitate erga proximos eminentis, deservire potest, nolui eam intermittere, ne fidelitati translatoris deessem, extraxi tamen illam ex ordine Authoris Hispani, & ad calcem seu finem libri reposui. Plura habet de fœlici morte obtinenda. Vide, consule, lege, & consilium monentis ratum habebis.*

Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore.

Iob. 5. cap.



Oncutiebatur undique fluctibus, invictus Rex ac egregius ille Dei servus sanctus Iob, & pro cellosa tempestate tribulationum, quibus homo in hac ærumnosa vita affligi potest, premebatur. Immersus igitur erat profundo mari, & immenso pelago omnium calamitatum simul coacervatarum, quando Eliphaz Themanites, fortasse Prophetico permotus spiritu, eum, ne naufragus periret, sed animos resumeret, tamquam amicus animavit; monuitque ut memoriam refricaret, & summam recogitaret fœlicitatem, quæ bona vita, & probitate virtutis, in inevitabili hora mortis obtinetur; & quemadmodum inter furentes, & crispatas navigans undas, certum sibi spondet exitum, dum optatum eminus conspicit portum, ita etiã ad solatium suum, oculis suis objiceret fœlicem rei eventum, & hanc sibi præfigeret cogitationem. Hac namque cogitatione virtus, & sanctitas vitæ præmunita in tẽpestate nullum timet infortunium, sed in adversis reperit tranquillitatem, in malis desperatis prosperum sortitur effectum. Ideoque revocavit ei in memoriam, fœlicitatem mortis, in qua tota eius salus, & beatitudo consisteret. Hoc denotat illud: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, &c.* *Iob. 5. v. 26.* ac si dixisset; consummato periculoso cursu huius vitæ, reperiens in sepultura, & morte tua tranquillam requiem, & cumulatam bonorum abundantiam: sicuti tempore messis copiosæ acervus tritici infertur in horrea, ubi custoditur, & asservatur. Hisce verbis ita enucleatis, spero me satisfacturum hodiernæ obligationi meæ, dum illustris Civitas Hispalensis celebrat memoriam invicti Regis sui (vulgari nomine Sancti) & melius dicam,

Patris,

Patris sui D. Ferdinandi tertii Monarchæ Hispaniarum, qui verè fuit adamas fidei, murus inexpugnabilis Christianæ Religionis, zelator maximus divini honoris, indefessus Maurorum domitor, Regni Christi & Ecclesiæ Dei augustissimus propagator, bellatorum pugnacissimus heros, maximis divinæ gratiæ favoribus dotatus. Rogemus Matrem gratiæ, cui sanctus Rex fuit devotissimus, ut eam nobis impetret, & haud dubiè obtinebit, si eam solita oratione salutaverimus. *Ave Maria.*

Ingredetis in abundantia sepulchrum, &c.

Consideratio I.

In morte, ubi peccator sentit pœnas affligentes, reperit iustus quietem securam: Et bona vita est schola, in qua addiscitur ars bene moriendi.

1. Prima pars Considerationis. *Proverb. 14. v. 32.* INsignis est sententia Spiritus sancti per os & calamum sapientissimi Salomonis prolata. *Sperat autem iustus in morte sua.* Quæ verba primo intuitu non parvam ingerunt intellectui difficultatem; quia conditione, & natura mortis rectè perpensâ, nescio quid boni ab ea possit esse sperandum, quinimo litteræ humaniores abundant epithetis, quibus veteres eam indigitarunt, quæ omnia horrorem incutiunt audientibus, & monent ad fugiendum ab ea, modò enim appellant crudelem, & inexorabilem: *Crudeli morte sodalis*, modò indomitam feram: *Indomita, quam morte*, modo asperam & severam magnatibus: *Aspera mors claris*, & alia sexcenta reperiuntur nomina, quæ non solùm horribilem reddunt eius vicinitatem, & præsentiam, sed etiam amaram eius memoriam. Cùm igitur ea sit mortis conditio, & tam suspecta sit hominibus, ecquis præsumet eam suæ spei constituere scopum? Ecquis? nisi iustus: *Sperat autem iustus in morte sua.* Et ut fidem detis dicenti, quòd alat spem, & fiduciam iustorum, audite mysticum loquendi modum Sapientiæ: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Notavit insignis quidam Concionator moderni temporis, non affirmare sacrum Textum, non attinget illos mors, sed tormentum illius nequaquam illos lædet, & ad declarandum arcanum, quod continet insitatus ille loquendi modus, adducit observationem quamdam S. Chrysostomi egregiè enucleatam, ita ut omnem mereatur attentionem.

Virgil. *Horat.* *Manilii.* *Sapient. 3. v. 2.* *Augustin. Nuc. in Psal. 17. v. 5. dis.*

2\. Egreditur Iacob è domo soceri sui Laban tacitus, & insalutato hospite, cum uxoribus suis, ita ut fuga eius nulli innotesceret. Mox ut Laban advertit Iacob abiisse, insecutus est fugientem animo vindicandi injuriam sibi illatam. Loquitur ei Deus in via & monet: *Cave, ne quidquam asperè loquaris contra Iacob.* Prosequitur Laban iter suum, & quo pede cœpit pergit, donec fugientes assequitur, & hisce querulosis vocibus eum aggreditur: *Valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus Patris tui dixit mihi heri: Cave ne loquaris contra Iacob quidquam duriùs*: id est, vides modo in manu & potestate mea situm esse, iniuriam ulcisci, quam intulisti domui meæ fugiens, & clanculò recedens cum filiabus meis: age gratias Deo patris tui, qui mihi apparuit in via, & prohibuit, ne te duriùs exciperem. *Considera*, inquit S. Chrysostomus, *Dei providentiam, non imperavit Laban, ut ad propria reverteretur, sed solùm prohibuit, ne quid durius, vel molestum iusto loqueretur.* O Deus animæ meæ! nonnè facilius foret tollere omnem ansam & occasionem, præcipiendo Laban ut rediret domum suam, & non prosequeretur iter inceptum? Minimè gentium. Accipite auream Chrysostomi rationem, authore suo dignam: *Si reversus fuisset Laban, unde scivisset Iacob, & uxores?* Ac si diceret: non revelatur potentia Dei impediendo persecutionem Laban, quia poterant eam alii rerum eventus impedire. Potentia mea, inquit Deus, manifestatur in eo, quod vadens quasi inimicus, fungatur munere legati mei, & annuntiet Iacob, nomine meo, curam, & solicitudinem, quam gero personæ, & rerum eius, dicatque illi: *Deus patris tui dixit mihi heri, Cave, ne loquaris contra Iacob.* Si namque Laban reversus fuisset ad domum suam ecquis annuntiasset Iacob, eiusque uxoribus providentiam, & curam Dei, circa eorum defensionem, & tutelam? Manifestetur ergò potentia Dei, & insequatur tamquàm infensissimus hostis severam minitans vindictam, & accedens appropinquet veluti legatus, prospera, & fœlicia annuntians.

Gen. 31. v. 24. *Ibid. v. 29.* *D. Chrysost. hom. 57. in Genes.*

3\. Redeundo igitur ad propositum, à quo digressi sumus, ex dictis facile declaratur locus Sapientiæ, quẽ exponimus. Nonnè iusti, ô Domine,

mne, sunt amici tui? Nonnè mors impia, crudelis & acerba? Quorsum ergo permittis eam impetere, & aggredi iustum? Siccine amicos tuos tam crudelibus exponis manibus? Quidni? inquit Deus, quia non manifestatur Dei potestas in sola mortis aggressione impedienda, quia hoc luculenter testatur fructus ligni vetiti in paradiso, cuius esum potentia Dei non impedivit; in eo igitur maximè elucet potentia Dei, quòd mors hostiliter observet, & circumeat portam justi, & antequam ingrediatur, loquatur ei Deus, & prohibeat: *Cave, ne quidquam asperè loquaris contra Iacob*, id est, vide ne indignè excipias amicum meum. Appropinquat quidē mors, sed ut annuntiatrix misericordiæ meæ, admonens eum futuræ gloriæ, quæ eum manet, & non ut executrix justitiæ meæ, privans eum vita, qua fruitur. O nnem hanc emphasim complectitur Sapientia in suis verbis: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Non negat mortem appropinquaturam, sed tormentum illius ait non nociturum justo. Accedet mors non affligens, sed consolans: quapropter justus meritò sperat in ea: *Sperat autem iustus in morte sua.* Quia cùm in manu Dei posita sit vita, non accedit mors. Moritur ergò justus in pace; ita namque egregio acumine transfert Doctissimus Lyranus verba Thematis nostri: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, id est, ingredieris in pace.*

Lyran. hic.

4. Rex Israel periculosum initurus certamen, & cupiens scire dubium belli exitum, consulit Deum, qui respondet ei: *Colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* Autumabit quispiam Deum non stetisse verbo suo, quia mortuus est, ne mala populi sui videret, & revera promissis suis satisfecit Deus: quia licet justus moriatur in bello, moritur tamen in pace, quemadmodum etiam peccator, quantumvis in lectulo suo, seu pace moriatur, perit tamen in bello, nam inter mortem justi, & peccatoris, magnum reperitur discrimen: *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ait Regius Vates explicans autem hunc versum sanct. Athanasius, notat ignem ex nativa sua conditione duo habere, nimirùm: splendorem & calorem, splendore autem illuminat, & calore torquet, & affligit: *Iussu Christi dirimendū supplicium ignis, ut hic luceat iustis, & illic peccatores cremet.* Duo operatur Deus per ignem, calore cremat & torquet hostem suum, nempè peccatorē, & splendore illustrat, coronatq; sanctum, & amicum suum. Mira sanè vis potentiæ Dei, qua ex uno eodemque panno scindit vestem attalicam justo, & rudem supparum, seu hirsutum indumētum impio peccatori; idem ignis, est instrumentum Dei ad puniēdum malos supplicio, & ad condecorandū justos præmio. Legant curiosi Commentatores Psalmorum, & invenient translationem Hebraicam, ubi nostra vulgata habet: *Intercidentis flammā ignis*, illam legere, *intercidentis mortem.* O summa vis, & omnipotentia Dei! quæ teste Davide, dividit mortem in partes, eamque vestit diversis conditionibus, ita ut iusto pax, splendor & gloria, impio autem ignis, tormentum & bellum. Mors omnes æquat quoad oblationem vitæ, verùm quibusdam est pax & gloria, & aliis infernus, & bellum, & moriente peccatore in bello, occidit iustus in abundantia, seu senectute, uti legit Pagninus, & tandem in pace, ut loquitur Thema nostrum: *Ingredieris in pace.*

4. Reg. 22. v. 20.

Psal. 28. v. 7.

D. Athanas. citat. à Lorino hic.

Lectio Hebrea.

Pagnin. hic.

5. Hoc modo justus moritur, quia moritur ad vivendum, ac proinde mors eius potius est solemniter celebranda, quàm lugenda, aut deploranda. Confirmat S. Chrysostomus hanc doctrinam apposita, & familiari metaphora. Si Rex terrenus, inquit S. Doctor, accerseret quempiam ex amicis tuis, ad exaltandum illum, & honore afficiendū in aula sua, an fortasse eius deplorares recessum, & absentiam? Minimè gentium: quinimò millies eius fortunæ aggratulareris, quia tanto honore foret condecorandus: *Angeli è cœlo veniunt missi ab ipso Rege, ut conservum tuum vocent, & tu ploras;* Nequaquam in simili eventu plorandum, sed gaudendum: igitur si cœlesti concentu celebraverit cœlum fœlicissimum transitum Regis nostri Ferdinandi, uti Authores non infimæ notæ, etiam extranei, attestantur auditas fuisse Angelicas voces, quæ applaudebant glorioso eius ingressui in cœlum, non erit rationi consonum terram lugere, sed æquum, ut homines se adiungant Angelicis choris, & una voce lætisona Regis sui beatissimum celebrent transitum, quia pacificè finiit vitam, adimplens in sua persona, quod propheticè de Iobo cecinit amicus eius Eliphaz: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, &c.*

D. Chrysost. hom. 2. super acta Apost.

Adeamus nunc secundam partem Considerationis nostræ. In fortunata, & fausta morte (omnibus ex æquo perpensis) consistit omne bonum nostrum, sicuti è contra infœlix mors est omnium

2. *Secunda pars Considerationis.*

omnium malorum pessimum: & quia hic est cardo, in quo vertitur, & nititur salus, aut damnatio nostra, operosius explicanda restant media, maximè convenientia, ad assequendum finem concupitum, in quem omnes, licèt perditissimi, collimant: quia nullus est, quin gloriæ possessionem ambiat, & omnibus desideriorum votis exoptet. Ad hoc stabiliendum voco in testem irrefragabilem magnum illum Magistrum Spiritum sanctum, qui per os Sapientis nos edocet securissimam viam salutis, & modum, quo desideriorum nostrorum compotes fieri valeamus: *Timenti Dominũ bene erit in extremis, & in die defunctionis sua benedicetur*: id est, in postrema vitæ periodo constitutus fœlicem, & jucundum habebit transitum, ex hac miseriarum valle ad mortem æternæ beatitudinis. Timeat igitur homo Deum in vita sua, & vivat ad rectæ rationis normam, amore filiali ipsum venerando, & procul dubio optatum consequetur finem, & fœlicem obtinebit mortem. Asserit ergò Spiritus Sanctus timorem Dei esse præceptorem nostrum, qui præscribit regulas rectè moriendi, & consequenter probam vitam esse seminarium, seu scholam, ubi addiscitur ars benè moriendi. Eamdem doctrinam nos docet disertissimis verbis magnus Ecclesiæ Pater sanctus Augustinus, qui volens cuilibet Christiano persuadere necessitatem bonæ vitæ, ad impetrandam fœlicem mortem, & postea securam æternæ beatitudinis gloriam, ita effatur: *Quotidie rogas, ut quoniam mors ventura est, bonam mortẽ tibi det Deus: & dicis: Deus avertat à me malam mortem.* Familiare est homini, inquit sanctus Augustinus, indies ferventissimis precibus à Deo postulare mortem fortunatam, cùm enim inevitabilem sciat, avide bonam desiderat, & rogat, ut Deus malam avertat. Non displicet, ait sanctus Doctor, tua petitio, sed risũ mihi movet, quòd *mori malè times, & malè vivere non times.* Inanis est hic timor, abjice timorem mortis, & malè vivere reformida, pharmacum timoris tibi præbeo, corrige depravatam vitam, & nullatenus malam timebis mortẽ: *Corrige malè vivere, time male mori, sed noli timere; quoniam, non potest malè mori, qui benè vixerit* Mutuò sibi correspondent vita, & mors, & auguria, seu prognostica infaustæ mortis, sunt perditi, & corrupti mores vitæ; ideoque concludit Sanctus: *Disces ergo bene mori, si didiceris bene vivere.* Si namque mors est

Ecclesiastici 1. v. 13.

D. Aug. lib. de doctrina Christia. cap. 28.

consequentia vitæ, ut quis discat securè mori, necesse est, ut diligenter studeat, methodo benè vivendi, quia ex compositione, & probitate vitæ addiscitur fœlicitas mortis, & hanc obtinebit bonam, si illa fuerit rectè instituta, & & a vitiis aliena.

7. Quapropter Philosophia omni Christiano in primis necessaria, quam etiam Gẽntes, Fidei lumine destituti, cognoverunt (uti alibi expendimus:) *Ut verè tota vita discendum est vivere, & quod magis fortassè miraberis, tota vita discẽdum est mori*, hoc est, tota vita impendenda est studio bene vivendi, imò & arti recte moriendi. Ex quo homo nascitur semper usque ad extremam vitæ periodum, nihil ita debet habere cordi, quàm frequentare has duas scholas, & solerter studere his duabus scientiis bene vivendi, & moriendi, quamvis non sit nisi una sola eademque res qui enim novit bene vivere, iam artem bene moriendi addidicit. Ecquid igitur mirum, quòd noster sanctus Rex Ferdinandus tam gloriosam adeptus sit mortem, si eam in schola inculpatæ suæ vitæ didicerit? fuit hæc adeò sancta & conformis regulæ madatorum Dei, ut quamvis ea tempestate plures extiterint Reges sancti, ipse solus sortitus fuerit titulum, & cognomen Sancti. In diebus eius floruerunt Sanctus Ludovicus Rex Franciæ, Seraphicus Pater Sanctus Franciscus, quo familiariter usus est, sanctissimus Patriarcha noster Dominicus, singularis eius amicus S. Petrus Gonzalez Telmus & S. Fr. Dominicus socius S. P. N. et à confessionibus sanctus Petrus Nolascus, Fundator sacri Ordinis de Redemptione captivorum, qui venit à Iacobo Aragonum Rege, ut eius fieret Confessarius, quamquam nonnulli asserant ipsum, utpote viribus destitutum, & annis gravem, non venisse, sed Provinciam illam demandasse Fratri Petro Hemetrio, viro sanctitate conspicuo, per quem scripsit epistolam Sancto Regi Ferdinando spiritualibus plenam consolationibus, humiliter petens ab eo benedictionem ante mortem suam, res sane omni admiratione digna. Princeps erat Iosue, & Rector populi Hebræorum, cui iure debita erat omnis reverentia, & respectus, & nihilominus constat ex sacris Litteris Deum illi jussisse, ut erectus staret coram summo Sacerdote: *Stabit coram Eleazaro sacerdote*, id est, in forma servi, prompti, & parati ad obediendum, ubi Domino imperare placuerit.

Seneca de brevitate vita ad Paulin. cap. 7.

Numer. 27. v. 19

Quid ita? Siccine mandat Deus, ut erectus stet Dux, & Rector populi sui? Dura sanè res videtur, & ab omni ratione aliena, quia superioribus, & vices Dei gerentibus in terra, omnes subjici fas est, sive sæculares sint, sive Ecclesiastico fungantur munere? ac proindè illis jure competit sedere, in signum imperii, & jussionis; & subditorum munus est stare, in signum obsequii, & obedientiæ quam majoribus præstant. Ecquod igitur mysterium denotat hoc Dei præceptum? aut quis scopus ejus fuit? Celebris noster Lusitanus Oleaster, paucis hisce verbis totum perstrinxit: *Vt discant Reges, & Principes, superiores se habere Sacerdotes, & standum sibi fore coram Sacerdotibus Domini.* Voluit Deus hoc præcepto insinuare, quòd etiamsi Reges, & Principes sint superiores subditis suis, esse tamen illos inferiores sacerdotibus, qui propter eminentiam suæ dignitatis, expressius divinam Majestatem repræsentant. His addi potest, quòd unum impertiri benedictionem alteri, teste S. Paulo, denotet primatum, & excellentiam: *Quod minus est à meliore benedicitur.* Qui igitur S. Petrus Nolascus se S. Regi Ferdinando submittit, ejusque efflagitat benedictionem? Videtur enim hic major subjici minori. Dicam, quod sentio, tametsi Sanctus se superiorem sciret officio, agnovit tamen Ferdinandum eminentiorem sanctitate, & eapropter tamquàm dignioris Sancti imploravit opem, & favorem.

Oleaster hic.

Hebr 7. v. 7.

2\. Ferdinandus noster communi elogio, & vulgari nomine, etiam adhuc vivens, Sanctus appellabatur, ea tempestate, qua plurimi Heroës sanctitate excellebant; præter enumeratos enim, illo sæculo celebres erant Paduæ S. Antonius, Assisii S. Clara, Veronæ S. Petrus Martyr, in Hungaria S. Elisabeth Regis filia, Cracoviæ S. Heduviga, Ducissa Poloniæ, in Britannia S. Ivo Presbyter; in Habania S. Lutgardis, Messinæ S. Albertus Carmelita, SS. Cadmundus, Stanislaus, & alii, & tamen præ omnibus sortitus est nomen Sancti, quô nihil excellentius, aut gloriosius de illo prædicari potest. Delineans sacra Historia seriem generationis Noëmicæ, ita fatur: *Noë vir justus in generationibus suis.* Vbi sacri Expositores communiter docent circumstantiam temporis, quam adnotat sacer Historicus, circà sanctitatem Noëmi, non parum commendare excellentiam virtutum ejus, utpotè, qui maligno illo tempore inter perversos probus extiterit. Ita insignis noster Oleaster: *Noë vir justus, atque perfectus in generationibus suis, id est, inter homines illius temporis.* Verùm Doctissimus Lyranus aliam init viam, & sententiam, quam hisce verbis exprimit: *Ad diminutionem laudis suæ ac si diceretur: licèt Noë fuerit justus, & perfectus comparatione ad homines illius temporis, qui mali erant; tamen si fuisset tempore Abrahæ, peior fuisset respectu ejus.* Ac si apertiùs diceret: quantumvis Noë dicatur fuisse Sanctus illius ætatis, hoc tamen non extollit, sed extenuat, ac diminuit ejus excellentiam, quia denotatur, quòd si vixisset sæculo illo, quô majores sancti Patriarchæ virtutibus eminebant, comparatione eorum neutiquàm ejus justitia talis, ac tanta apparuisset; quia excellentia virtutis, & magnitudo sanctitatis non consistit in eo, quòd quis inter peccatores; sed inter justos, Sanctus habeatur, & inter eos omnium maximus reputetur. Hæc tam illustris prærogativa aureo sæculo legis gratiæ erat reservata, in quo futurus erat Rex adeò justus, ut inter tot sanctos heroës, ita foret omnibus præiturus, ut etiam antonomasticè adhuc mortalem agens vitam, à cunctis communi elogio Sanctus esset appellandus. Illi namque, qui tam sedulam operam navaverat virtuti, tantoque affectu incubuerat studio bene vivendi, jure debita censebatur mors bona, & placida, & finis adeò fœlix, qualem habuit hic beatissimus Princeps, ut perfectiùs adimpleretur in illo, quàm in Iobo vaticinium illud Eliphaz Themanitis: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, &c.*

Gen. 6. v. 9.

Oleaster hic.

Ingredieris.

CONSIDERATIO II.

Iustus, qualis fuit S. Rex Ferdinandus, expectat mortem absque timore, quærit cum desiderio, & appropinquantem ingenti cordis lætitia amplectitur, & benignè excipit imminentem.

1\. ADmirabili simul ac ineffabili cum gaudio, & summo cordis jubilo percepit S. Rex ex Confessario jam appropinquantem sibi ultimam vitæ periodum, jamque instantem postremam mortis suæ horam; ut toti mundo

mundo innotescat hæc indubitata veritas, nimirum, quod ubi desinunt voluptas, honor, & gloria malorum, ibi incipiant opprobria, pœnæ, dolores, & tormenta eorum, & è contra, ubi finiunt miseriæ, & afflictiones bonorum, ibi etiam inchoent quies, majestas, voluptas, gaudium, & gloria eorumdem. Singulare quoddam patientissimi Iobi testimonium, egregiè hunc conceptum elucidat: *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* (Iob 17. v. 14.) Corruptionem sepulchri, & famosos vermes illius nominibus patris, matris, & sororis compellavi. Nulla profectò reperiuntur in mundo blandiora nomina, aut majoris amicitiæ, & necessitudinis significativa, quàm patris, & matris, inquit Doctus Commentator Iobi, sequens expositionem Origenis. Neque etiam suavius, aut amicabilius verbum excogitari potest, quàm æstimabile nomen sororis. Nequis enim unquàm vermes, horrorem, & deformitatem sepulchri tali nomine compellavit? Et quis non admiretur sanctum Iobum his ce nominibus illud indigitare? Variis modis solent sacri Doctores nodum hujus quæstionis solvere; ast ego, salva eorum venia, proferam, quod sentio. Quando alicui in exteris regionibus omnia fœliciter, & ad votum successerunt, ut is breviter, & compendiosè enarret amicis suis, benevolentiam, quam apud exteros expertus est, ita fatur: persuaserant mihi terram illam, esse pessimam, verum sanctè vobis affirmo, me in illa, & patrem, & matrem, & fratres, omnemque quietem reperisse. Mali & peccatores timentes mortem, detrahunt sepulchro, illudque proclamant horribile, deforme, & vermium habitationem: at justi summis laudibus illud cum Iobo extollunt, quia in illo inveniunt patrem, matrem, fratres, quietem, patrocinium, favorem, gloriam, & honorem, quapropter etiam prono quodam voluntatis affectu feruntur in sepulchrum, & mortem, ut liquidò testatur summa animi lætitia, qua S. noster Ferdinandus instantis suæ mortis nuntium est amplexus.

2. Non caret mysterio, quod sacer Historicus nobis referat Patriarcham Iacob, ut se ad mortem disponeret, pedes suos composuisse: *Collegit pedes suos super lectulum.* (Gen. 39. v. 32.) Et quamquam celebris noster Lusitanus Oleaster, reputet hanc attentam curam S. Patriarchæ Iacob, fuisse præmeditatæ honestatis, qui noluit sanctus senex deprehendi à morte minus decenter compositum: *Certum est hominem moriturum omnia sua membra colligere, ut moriatur honeste;* (Oleaster hic.) nihilominus sanctus Ioannes Chrysostomus existimat Patriarcham erexisse pedes ad modum volentis proficisci. Fundatur autem in lectione sancti Hieronymi, qui ex Hebræo ita transfert: *Levans pedes suos super lectum defecit*, id est, sustollans, seu gestus faciens jam accincti ad proficiscendum: (D. Hieron. in cap. 1. Sophonia. D. Chrysost. hic.) *Vide mentem justi*, inquit os aureum, *etiam magno miraculo plenam: nam postquàm imperavit pueris, sublevavit pedes in lectum suum; quasi cum voluptate egrederetur.* Considera attentè mortem justi, & plurima observabis in ea admiratione digna: tantum enim abfuit, quòd mortem timeret, ut potiùs modo sibi possibili lætus illi occurrerit; & licèt peccatoribus, & impiis mors sit violenta, & moriantur, (uti dici solet) quia aliter nequeunt; servi tamen, & amici Dei, qualis erat Iob, nullam fœliciorem reputant horam, quàm agonem mortis appropinquantem: dum nequeunt re ipsa & effectu, saltem desiderio illam ambiunt, & solicitant, imò gestibus ostendunt se eam lætanter quærere, certò sibi persuadentes eam gloriæ, & fœlicitatis suæ principium futuram.

3. Prospera valetudine, & integris adhuc viribus pollenti præcepit Deus Moysi, ut montem Nebo conscenderet, ibique mandavit illi, ut moreretur, & obtemperavit servus Dei mandato jubentis, sacro attestante eloquio: *Mortuus est Moyses jubente Domino.* (Deuter. 34. v. 5.) Doctus Lusitanus, Commentator Apocalypseos, inhærens vestigiis aliorum Interpretum, legit ex Hebræo: *Mortuus est Moyses super os Iehova, vel ex osculo Iehova*, id est, obiit Moyses inter amplexus Dei, exosculante eum Domino. (Viegas in c. 4. Apocal. sect. 3.) Scio quidem, nonnullos Authores hoc in loco mentionem facere antiquæ cujusdam consuetudinis apud Gentiles usitatæ, ut, nimirùm, dum aliquis appropinquaret ad mortem, accederet intimus, & familiarissimus amicus moribundi, & in signum amoris, & necessitudinis suæ osculum morientis ori infigeret, hac actione significans, inquit Hirchmannus, se velle excipere, & imbibere animam, autumans eam per os egressuram, ac se posse illam in pectus suum reciperet: *Animam exeuntem hoc modo excipere, & in se transferri voluerunt.* (Ioan. Hirchman. de funeribus Rom. lib. 1. cap. 5.) Non secus creator mundi accommodans se stylo, & consuetudini hominum, exhibuit Moysi hæc indicia singularis amoris, quo erga eum afficiebatur: Doctus tamen Commentator jam à nobis citatus, exponens

ponens verba, quæ ex Hebræo retulimus: *Super os Iehova. vel osculò Iehova*, effatur in hæc frequentia: *Vt sit sensus, sicut mater dormientem in sinu suo infantem, solet, ore ori applicato in lectulum reponere: ita Deum Moysen servum suum, ceu dormientem infantulum per osculum, & amplexum in sinu Abrahæ collocare.* Valdè apposita est intento nostro metaphora desumpta à matre, in cujus brachiis obdormivit infans, quem exosculans, & tenerè amplexans, cunis imponit, ut dormiat, & quiescat; non aliter egit Deus cum Moyse, cui mors dulcis fuit somnus, inter amplexus enim, & suavissima basia ipsum in sinu Abrahæ loco cœli collocavit, ut ibi requiesceret, ad significandum tranquillitatem animæ ejus, & pacem, seu quietudinem, qua ex hac mortali vita migraverat.

4. Nunc facilè intelligetur causa illius acerrimæ altercationis inter S. Michaëlem, & Diabolum super corpore Moysis, ut loquitur S. Iudas Apostolus, & non super anima ejus: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore.* (*In Epist. Iudæ v. 9.*) Nescio reverà, cur Diabolus hanc luctam non instituerit contra præcipuam partem Moysis, scilicet animam, sed omnes vires suas intenderit contra mortuum cadaver, aut locum sepulchri ejus. Dato igitur, quòd diabolus omnem moveat lapidem in ruinam, & exitium nostrum, quam ob causam molitus est bellum solummodò contra corpus, & nequaquam contra animam? Auscultate, inquit S. Cyrillus, & dicam, quod sentio, non fuit defectus desiderii in dæmone, sed Dei providentia, ad majorem authoritatem conciliandam amico suo, ut cum pace, & tranquillitate moreretur. Ideo tempore fœlicissimi transitus illius Deus alligavit dæmonem ad radicem montis, ne quietem amici sui interturbaret: (*D. Cyrillus.*) *Quia quamdiu anima egrediebatur de corpore, detentus est Satanas ad radicem montis, ne obstreperet justo morienti.* Adeò propria est justo mors tranquilla, & sine strepitu, ut Deus captivum detineat dæmonem, ne hora illa, qua Sancti migrant ex hac ærumnosa vita, ullam inferat molestiam: altercetur igitur de corpore, quando jam anima Moysis appulit ad portum æternæ quietis; sed dum agonizans luctatur cum morte, præparet Deus vincula, & carcerem diabolo, & quantumcunq; conatus fuerit interturbare ejus quietem, nunquam desideria ejus sortiantur effectum, ne dicantur Sancti cum strepitu, & inquiet[illegible]

5. Fatetur Sponsa in Canticis se ex immoderato, sed dulci amoris languore in morbum incidisse, (& reverà nequeunt non esse dulces amoris languores) & sentiens se vi, & potentia oppressam (neque mirum est amantem deliquia pati) in sublevamen sui rogavit sodales, & amicas suas, ut flores carperent, quibus animam languentis exhilararent; virtutem enim habent flores, spiritus vitales corroborandi. *Fulcite*, ait, *me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* (*Cant. 2. v. 5.*) Innumeræ sunt expositiones horum verborum, easque ex Authoribus referre magis molestum, quam acceptum foret. Plurimi ea interpretati sunt de anima sancta, ac Sponsa Dei, quæ jam ingressa penuarium Sponsi sui ubi præstantissima vina asservabantur: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, (*Ibid v. 4.*) per quam cumulus omnium bonorum intelligitur, mox conqueritur de dulci quodam animi deliquio, ex nimia amoris intemperie, & abundantia vini hausti proveniente, subsidium, & sublevamen postulat, quo fulta, tantam amoris vim perferre valeat. Hoc sonat; *Fulcite me floribus.* Neque hoc tantoperè admirandum est, quia tam exigua est capacitas oris nostri, tamque angustus stomachus noster, ut cibos Dei digerere nequeat, neque valet ruminari magnitudinem buccellæ sibi donatæ, sed opus est expandere, & ampliare sinum pectoris sui. Alii ea explicant de Sponsa adhuc peregrinante quidem in via, sed jam ad extremum vitæ terminum appropinquante, asseruntque illam, vi amoris angustiatam, rogare, ut floribus odoriferis, & malis suavissimis recreent, & reficiant jam deficientem: *Fulcite me floribus.* Philo Carpathius adducit Glossam quamdam hujus Textus, ex qua depromitur dilucida hujus assumpti nostri confirmatio: *Sepelite me*, inquit Doctus Episcopus, *in numero justorum, quia vulnerata sum charitate*, (*Philo Carpathio.*) id est, rogo vos, ut sepulchrum meum inter justos collocetis, quia amore Sponsi saucia emorior. Si hanc lectionem cum vulgata conferamus, non videntur cohærere, ecquæ enim conventio florum cum morte? aut quid rosis cum sepulchro? Verùm si attentiùs libuerit rem ipsam perpendere, comperiemus illa duo egregiè convenire, quia mori, uti moriuntur justi, & eisdem passibus progredi ad mortem, nihil aliud est, quàm ingredi viridarium floribus odoriferis consitum, & jam prælibare suavissimas delicias, quas amantissimus Sponsus

Sponsus animarum Sponsis suis præparavit. Non est illis mors crudelis, aut sepulchrum horribile, sed potius ver jucundissimum, & sepulchrum omnigenæ voluptatis habitaculum, quemadmodum dulcissimè cecinit Regius auPsal. 126. v. 4. lœdus: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*, id est, dum Deus immittit amicis suis blandissimum mortis somnũ, in quo absque strepitu migrant ex hac vita, continuò illis exhibetur & ostenditur: Ecce hæreditas Domini, cujus jucunditate & oblectamento placidissimè moriuntur, utpotè, quia hac via æternam adeunt hæreditatem.

6\. Notat fieri Evangelista Matthæus post mortem & sepulturam Authoris vitæ, scilicet Christi, statim Iudæorum primores destinasse Matth. 27. v. 66. cohortem militum, qui ad sepulchrum excubarent: *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrũ, signantes lapidem cum custodibus.* Philo Carphatius ponderans hoc factum, existimat illos tantum abfuisse ab explendo odio, indignatione sua, ut potius hac eadem cura & diligentia sua partes Christi egerint, hoc enim modo declararunt somnum & quietem Christi esse magni Principis, utpote cui custodes ponebantur in atrio, qui impedirent omnem strepitum, ne dormiens excitaretur, nam dormire cum custodibus ante januam cubilis, proprium est Magnatibus & Regibus. Salomon namque symbolum Christi, habebat Septuaginta custodes, qui lectulum dormientis observarent, ne quispiam dormientis quietem interturbaCant. 3. v. 7. ret: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, quapropter æquum fuit, ut idem Christo apparatus militum præpararetur, ad testificandam ejus dignitatem & excellentiam, nisi enim regia fuisset donatus authoritate, non dormivisset inter tot custodes, qui omnem tumultum impedirent, ne placidè dormiens excitaretur. O quam bellè hoc expressit doctus Pa-Philo Carphat. ad c. 3. Cant. ter! *Lectulus Salomonis est sepulchrum Christi; sexaginta fortes, custodes, quos ad eius dem custodiam positos legimus in Evangelio* Quid igitur mirandum, quod Christus tanta animi alacritate & voluptate petierit ad mortem, & tanta desiderii aviditate anhelaverit ad sepulchrum, cùm in illo maximum gloriæ suæ decus & insigne speraret: *Erit sepulchrum eius gloriosum*, & securissimum quietis suæ asylum? Idem prorsus contigit justis (quod nostro Regi & patientissimo Iobo, Regi Orientalis plagæ, ita namque declarat ejus Commentator, hoc verbum: *ingredieris, id est, tuis ipse pedibus descendes.* Gradieris pedibus tuis, & non alienis ad sepulchrũ tuis ipse gressibus curres, non aliorum humeris subiatus, non sic peccatores, qui non vadunt, sed violenter ad infernum rapiuntur, tãquàm præsagientes se non quietem habituros, sed tormenta passuros. Fœlix, ter quaterque beatus Ferdinandus, ò quàm serena fronte mortem lætus aspexit, quanto cum cordis jubilo vitam hanc deseruit, & quanto amore sibi comparavit sepulchrum, in quo non requiescit mortuus, sed æternum vivens in memoria suorum clientum & subditorũ, tam alienus ab oblivione, ut nunquàm è memoria nostra excidere valeat, ita ut potiori jure de illo, quàm Poëta de Cæsare dicere possimus: Virgilius.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbra
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet,
Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt.

Prius flumina obliviscentur naturalis cursus sui, quo rapido fluxu gestiunt aquas suas immiscere æquori, & intermittet Sol lumine suo illustrare cœlum, quam in nobis deficiet memoria unius Regis tam Sancti, à quingentis namq; fermè annis excessit & abiit à nobis ad patriam, & Regnum longè nobilius, æternũ tamen vivent in memoria ejus laudes, præconia & elogia heroicis ejus virtutibus debita, quibus tam gloriosum sibi promeruit transitum, & tam placidum sepulchrum: *Ingredieris.*

Ingredieris.

CONSIDERATIO III.

Propter excellentiam scopi seu finis, quem sibi S. Rex in bellis præscripsit, tam insignes & gloriosas adeptus est victorias.

ALio elogio fuit noster Rex indigitatus, bellator, quia illius sæculo & tem- 1. pestate Hispania ab infidelibus Regibus, & præsertim Bætica nostra occupabatur, & crudele bellum illi inferebatur ab hæreticis Albigensibus: ita ut tota Regio infidelium injuriis lacessita divinam imploraret opem, & tot malis afflicta jugiter clamaret ad Deum, suam postulans libertatem, & redemptionem. Qua-

Quapropter prospexit sua divina Majestas afflictis, & dedit nobis tanquam Pater misericordiarum hunc gloriosum Principem, tam ardentem fidei, tamque jurarum hostem adversariorum fidei, tam zelatorem divini honoris, tam generosum Ecclesiæ filium, ut ejus invictæ fortitudini debeat Hispania illibatam fidei integritatem & securam Catholicæ religionis firmitatem. Liceat mihi paululum hic subsistere, & attentius ponderare infensissimum odium quo Rex noster prosequebatur quidquid hæresim saperet, aut superstitionem redoleret, ita ut tanto odio prosequeretur infideles, quanto amore fideles diligebat. Primum liquidò constat ex eo, quod narratur de illo, nimirum quod loco ministrorum fasces ligni imposuerit humeris suis, eosque portaverit ad componendam struem, sub qua exurendus erat hæreticus. Testem appello imaginem quamdam, quæ dicitur asservari in Conventibus nostris S. Thomæ Abulensis, & B. Mariæ de Atocha in Curia Matritensi, in qua depingitur S. Rex portans fasces lignorum, in signum & memoriam primi Actus judicialis, quem sanctissimus Patriarcha noster Dominicus celebravit, mandans impium quemdam hæreticum flammis exuri, ubi S. Rex ligna, quæ attulerat primus incendit. Dum Seraphim purificaturus labia Isaiæ descendit, sacro attestante eloquio, sumpsit carbonem seu calculum: *Quem forcipe tulerat de altari.* Verùm ubi voluit castigare abominationes, & jussit incendi rogum, ait Ezechiel, ipsum Cherubim propriis manibus accepisse ignem: *Et extendit Cherub manum suam ad ignem.* Meritò dubitari potest, cur Angelus qui linguam Isaiæ cauterio inussit, non apprehendat ignem manu, sed forcipe utatur, ille vero qui vindicat & ulciscitur abominationes Civitatis illius, propriis manibus arripiat ignem? Alii suam proferent sententiam, mea autem est videlicet ad puniendum alia crimina, quæ non sunt contra religionem, sufficere, quod Princeps ea per ministros castiget; illa verò quæ immediatè contra Deum, ejusque sanctam fidem committuntur, debere ipsummet Principem vindicare, vel Angelum ejus vices repræsentantem. Alia delicta, quæ in Regno ejus perpetrabantur, severis suppliciis per ministros justitiæ ipse S. Rex mulctabat: at peccatores, qui directè delinquunt contra Deum & fidem Catholicam non aliorum ministerio, sed propriis manibus supplicio afficit, & ideò primus struem incendit, qua hæreticus exuratur, idem facturus cum omnibus aliis, si potuisset.

Isaiæ 6. v. 6.

Ezechiel. 10. v. 7.

Et quamvis fuerit adeò infensus hostis inimicorum Dei, ergà fideles tamen, & subditos suos fuit adeò benignus & familiaris, ut ex Historiis referatur, illum fuisse adeò affabilem omnibus, ut quemlibet sui parem, & veluti sodalem reputaret. In quo maximè assimilatus fuit Regi Regum Domino ac Redemptori nostro, de quo S. Paulus commemorat, non fuisse dedignatum omnes homines appellare fratres suos, cùm tamen ipse Deus ac Dominus eorum existeret. Imò tanti facit hanc parentelam, ut etiam in ipso throno gloriæ suæ titulo illo cupiat condecorari: *Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, id est, quod illis præstitistis mihi factum reputo. At bone Deus, si tanta inter te & illos versatur distantia, quomodo illos fratres tuos indigitas. *Imo verò* ait S. Chrysostomus, *ideò fratres, quia humiles, quia abiecti.* Habemus Deum, Dominum ac Regem adeò benevolum, mansuetum ac humanum, ut etiam inter ipsos gloriæ suæ splendores, videatur omnium oblivisci, & solius cognationis, quam cum hominibus contraxit, recordari, & eapropter non se Regem aut dominum eorum nuncupat, sed cognatum ac fratrem eorum: *Quod uni ex fratribus meis fecistis.* Obliviscitur sanctus Rex majestatis sceptri sui, regiumque diadema suũ non attendit, sed solam fraternitatem & propinquitatem naturæ considerat, ut subditos suos veluti paris conditionis & nobilitatis socios æstimet & honoret. Et hoc benignitatis genere ita sibi omnium corda & affectus conciliavit, ut dum ingrederetur possessionem alicujus Provinciæ accepturus, omnes populi magna cum lætitia portas aperirent, & festivis vocibus ingressum ejus celebrarent, ac unanimi applausu, non secus ac pueri Hebræorum Redemptori Ierosolymam intranti acclamarent: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Veniat & ingrediatur ad nos Rex mansuetus, pacificus & benignus, Deo sic cuncta disponente, ut qui suam imitabatur mansuetudinem, etiam in applausu & honore sibi assimilaretur. 2.

Matth. 25. v. 40.

D. Chrysost. hom. 100. in Matth.

Matth. 21. v. 9.

Feci hanc digressionem, ne multiplicarem Considerationes, & in illa demonstravi affectum, quo sanctus Rex ergà fideles ferebatur, & simul odium immortale, quo hostes fidei aver- 3.

aversabatur, quibus, quoad vixit, semper exitiale intulit bellum. Non jace: Ieremias, sed Deus homo, Princeps Ecclesiæ suæ (uti censet Rabanus) imposuit manui ejus gladium magis flammeum atque peracutum, quam fuerit ensis Machabæi, extendens dexteram suam, cumque hisce animosis corroborans vocibus: Eja accipe & apprehende arma, & gladium, quo hostes meos dissipes, evellas & destruas. Ita sanè contigit, incussit namque cœlum tam feralem omnibus Mauris timorem, uti solet Deus facere, quando sua res agitur, aut ipse Ducem antesignanum instituit, ut nihil formidabilius illis esset, quàm solum nomen Ferdinandi pronuntiatum, unde etiam Litania Machii eum invocat *Sancte Ferdinande, terror infidelium*, terrebat siquidem solum nomen ejus ore prolatum, quosvis etiam bellicosissimos adversarios. Occurrit hic memoriæ meæ id, quod in Libro Iudicum refertur de fortissimo Duce Gedeone, nimirum, quod aggressurus Madianitas, dixerit militibus suis: *Cùm insonuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate Deo & Gedeoni.* Videntur hæc verba, inquit Abulensis sonare quamdam superbiam & elationem animi, quia voluit Gedeon nomen suum æquiparare nomini Dei. Verùm non hæc fuit ejus animi intentio, sed voluit, tamquàm expertissimus militum Dux, uti stratagemate bellico inter pugnantes usitato: *Hoc factum est ad hoc, ut cognosceretur Dux exercitus. nam interdum quidam Duces sunt terribiles hostibus, quorum nomine audito pavescunt quos nominare in bello valde bonum est.* Erat jam Gedeon Madianitis maximè cognitus, & quia Deus illi contulerat munus supremi Ducis, magnum de illo conceperant terrorem, ut igitur hostes desponderent animo, & flaccescerent in prælio, jussit nomen suum invocari, firmiter sibi persuadens & sperans, fore, ut audito nomine suo hostium vires frangerentur, & omnem victoriæ spem amitterent, quemadmodum exitus acta probavit. Industria fuit, & opus divinæ providentiæ, ut mundo innotesceret, Deū creasse equitem, nostrum sanctum Regem, eumq; declarasse Ducem Ecclesiæ suæ, ut & nomen ejus divulgaretur usque ad extremas hostiū terras, ad exanimandum eos, & submitterent sceptra sua Imperio Ferdinandi, uti experientia ipsa in plurimis comprobavit.

Pater Pineda in informat. pro beatificatione S. Regis Ferdin.

Iudic. 7.

Abulens. hic q. 24.

4. Quidni igitur Rex adeò sanctus prosperum haberet eventum in præliis, qui nullum umquàm molitus est bellum, nisi ad honorem Dei, & propagationem fidei Catholicæ? Admirabatur vehementer Rupertus Abbas heroica facta, & insignes victorias Machabæorum, tam recentem & vivam etiamnum habere memoriam in Ecclesia Dei, cum tamen ipsa antiquitas potuisset jam dudum abolevisse memoriam, & oblivione inveterata sepelivisse, & cupiens scire causam tam perennis memoriæ, in hæc verba effatur: *Scire velim, quæ causa sit ut Machabæorum bellicam defensionem non minùs, quàm Sanctorum Martyrum patientiam in sancta Ecclesia legendo & cantando celebremus.* Operosius indagavi, quare, cùm arma Christiani Orbis sint patientia, & tolerantia, nihilominus bella & certamina Machabæorum competant & certent cum Martyrio Sanctorum, & æqualis ambobus attribuatur memoria in fastis Ecclesiæ? Et quamvis fusiùs Tuitiensis respondeat, omnia tamen ejus dicta ad breve compendium redigi possunt, nimirùm fortissimos illos Duces non contendisse armis suis subjugationem mundi, aut perturbationem pacis humanæ, sed tantummodo defensionem & conservationem illius populi, ex quo salus mundi erat nascitura: *Non ut ulla fieret pressura mundi, sed ut defenderetur gēs, unde esset exitura salus mundi.* Hæc est causa ob quam Ecclesia Christi memor beneficii, & gratitudine permota celebrat eorum victorias, & triumphos, in signum, quod illis debeat salutem æternam, quam obtinet, quia eorum arma conservarunt populum, ex cujus progenie Salvator mundi processit in mundum. Celebrentur in Ecclesia Catholica in sæculum sæculi victricia Ferdinandi arma, & in primis festivè recolat Hispania gloriosas ejus victorias, quia hæ illam defenderunt & redemerunt è manibus hostium, debetque Hispania fortitudini dexteræ illius fidem & religionem, quam usque in præsens illibatam conservat, quam etiam remotissimæ mundi regiones fœliciter per illum participant.

Rupert. in prolog. lib. de Victor. Verbi & lib. 10.

5. Curiosiùs observavit quidam Doctus Modernus, quod David stans coram Saule, dum jam esset proditurus ad monomachiam contra Philistæum, qui provocaverat populum Dei ad ineundum singulare certamen: responderit Regi interroganti summa cum animi submissione, & modestia, nuncupans seipsum iteratis vicibus servum humilem, & ad omnia ob-

1. Reg. 17. v. 34. sequia paratissimum: *Pascebat servus tuus, &c. Vrsum interfeci ego servus tuus.* Verùm statim ac statutum fuit, ipsum proditurum in campum, mutato stylo, & neglecta jam priori submissione & humilitate, quasi omninò alter respondit Sauli, non obsequium ejus, sed zelum honoris divini, & ultionem injuriarum, quæ Deo, ejusque populo inferebantur, esse causam acceptationis duelli contra Philistæum: Ibid. v. 36. *Nunc vadam & auferam opprobrium populi, quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?* Nonne advertitis, inquit Doctus ille Modernus, quod, Baeza lib. 8 de Christo figur. c. 5. §. 33. *dum iniurias Deo illatas meminit, nihil aliud respicit, sed pro illis prosilit ulciscendis.* Vt agnovit David hostem quocum dimicaturus erat, esse inimicum Dei & populi ejus, mutavit loquendi formam, & deposito omni humano respectu, non alium respexit Dominum, nisi Deum, exploratum habens, certòque sibi persuadens honorem Dei, & libertatem populi sufficiens fore motivum ad triumphandum de hoste, & fœlicem successum obtinendum. Et hoc forsitan heroico actu præbuit David indicia futuræ generositatis suæ, ita ut Deus ex eo sumpserit ansam constituendi eum Regem, bellatorem, defensorem honoris sui, & patriæ propugnatorem.

Vtinam David prosecutus fuisset, uti cœperat! quia videtur elanguisse, & animi magnitudinem inflexisse, ita ut finis non correspondent principiis: 1. Paral. 28. v. 3. *Non ædificabis domum nomini meo,* ait illi Deus per Nathan, *eò quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis.* Hic curiosam movet quæstionem Rupertus Abbas. An quia David sanguinem hostium suorum fudit, potest illi esse impedimento, ne tibi ô Domine, ædificet domum ac Templum? Rectè memini Moysen prope Nilum percussisse Ægyptium, neque tamen hanc interfectionem ei obfuisse, quò minus in deserto Tabernaculum tibi extrueret. Qui igitur Davidi est obstaculo, quod Moysi non obfuit? ô quàm egregiè Doctissimus Pater! Rupert. lib. 4. de victoria Verbi c. 23. *Nam si nullum interfecisset, nisi pro zelo Domini, hoc indubitanter sciendũ, quia nihil sibi obfuisset effusio sanguinis ad ædificandam domum nomini Domini.* Quasi diceret: David permotus spe lucri temporalis fudit multum sanguinis, & desiderium amplihandi Regni sui sæpiùs compulit eum ad arma convolare, neque semper honor Dei, aut zelus gloriæ divinæ movit Davidem ad prodeundum in campum, at Moyses in percussione Ægyptii solam Dei gloriam habuit pro objecto, & ne nomen ejus blasphemaretur, ac propterea seriò notandum est, quod dum prima vice Nathan fuit locutus Davidi, eique annuntiavit, non ædificaturum domum Domini, nullam fecerit mentionem effusionis sanguinis, quem in præliis & pugnis contra hostes effudit at postquàm occidit Vriam, dixit ei ex parte Dei: *Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum;* 1. Paral. 17. v. 4. quia tunc sinistra ejus intentio in illo prælio impedivit eum, ne domum Deo ædificaret, quia si omnia ejus prælia fuissent ordinata ad obsequium Dei, & defensionem honoris ejus, non solum Propheta non improperasset ei generositatem illam, qua humanum sanguinem fuderat, sed hæc ipsa maximè præclara ejus gesta illustrasset, & fortissimum heroem prædicasset. Verum hoc elogium Deus soli sancto Regi nostro Ferdinando reservavit, ut antonomasticè bellator indigitaretur, utpote fortunatissimus in bello, qui nunquàm bellum suscepit aut arma tractavit, nisi in defensionem honoris divini, & tutelam Ecclesiæ Catholicæ.

7. Vnus ex fortissimis Ducibus populi Dei fuit Princeps Iosue, hic autem animadvertens Hebræos propter prævaricationem Achan, ignominiosè Gentilibus urbis Hai terga vertentes, scidit vestimenta sua, & pronus cadens in terram, magna edidit signa doloris, & inter lacrymas & suspiria in has prorupit voces: Iosue 7. v. 9. *Quid facies magno nomini tuo?* ô Domine Deus, si inimici tui nos debellant, & semel ignominiæ notam incurrimus, ubi erit authoritas, & gloria tua? Requid dicent de te homines? Quales reputabuntur fideles tui? Verba sanè Rege Catholico & sancto digna, inquit Carthusianus: Carthusian. hic. *Hæc dicens Iosue ostendit se zelare pro Domino,* Non pertimuit supremus exercituum Dei Archistrategus, seu præfectus infortunatam belli aleam, ex qua ipse & sui ignominiam, & dedecus reportabat, sed contemptum divinæ authoritatis, quæ huic miraculosæ victoriæ erat obstricta, flocci pendit vitam suam, militumque suorum discrimini expositam, sed amaro fert animo æstimationem divini nominis periclitari, & opinionem fortitudinis illius in dubium revocari & labefactari. Eapropter adnotavit Glossa in verbis illis sacri Textus: *Tunc locutus est Iosue,* quod Iosue 10. v. 12. tametsi

tametsi Iosuë allocutus fuerit Solem, eique imperavit, ut gradum sisteret: nihilominus dicatur ipsum fuisse locutum Deo & non Soli, in signum, quod cùm omnia ejus verba, & opera fuerint ordinata ad gloriam Dei, huic soli loquitur, etiam quando Soli præcipit ne moveatur, *id est, ad Dei honorem & gloriam.* Nullus unquàm ei alius scopus fuit in bellis susceptis, nisi cultus Deo debitus neque umquàm celebritatem suæ opinionis affectavit: quemadmodum egit noster sanctus Rex Ferdinandus, qui postquàm totam vitam rebus bellicis insumpsisset, pro honore Dei defendendo, fide Catholica propaganda, & extirpandis erroribus & hæresibus, in tranquillitate pacis obdormivit. hoc sonat Thema nostrum. *Ingredieris in pace sepulchrum.*

Ingredieris in abundantia.

CONSIDERATIO IV.

Singularis fuit devotio & pietas hujus sancti Regis erga Deiparam Virginem Mariam, & per ejus intercessionem & patrocinium gloriosè de hostibus Ecclesiæ triumphavit.

1. CVm sanctus noster Rex non temere bellum iniret, exstimulatus cupiditate, aut ambitione, aut quovis alio respectu humano, sed ex solo motivo honoris Dei, & exaltationis sanctæ fidei, concessit illi Dominus, quod neutiquàm Davidi fuit indultum aut permissum, ideòque non solùm unam, sed plures easque sumptuosas extruxit Ecclesias, fundavit loca pia, & dotavit Monasteria, quæ omnia sigillatim referre, immensi foret laboris. Inter Ecclesias, una fuit Toletana sancta, & hæc Hispalensis, quæ est unum ex mirabilibus mundi, in qua collocatæ sunt duæ sacræ Imagines beatissimæ Virginis, quas specialiter (uti constat ex immemorabili & certa traditione) secum ad castra deferebat, tanquàm summa veneratione dignas, & Majestate plenas. Vna collocata est in hoc Altari summo, & altera est sanctissima Virgo Regum, efformata (ut plurimi asserunt) manibus Angelorum, quæ jure meritò appellari debet Beata Virgo *de Victoria*, cui Sanctus Rex omnes suas impensa gratitudine referebat, & cujus nomini una dedicavit hoc magnificum Templum, quod tunc in locum Fani Maurorum successit, & paulatim ita excrevit titulo & favore Matris Dei, ut modò sit ex celebrioribus & illustrioribus Templis seu Ecclesiis, quas hactenùs mundus vidit aut agnovit.

Doctus simul ac antiquus Pater Chrysippus Ierosolymitanus, singularis cliens, & devotus cultor Deiparæ Virginis, in Oratione quadam, cui titulum præfixit: de Sancta Maria Deipara, nuncupat eam armamentarium filii sui: 2.
Ave armamentarium vitæ, quia Verbum divinum, scilicet Filius Dei, assumens partes nostras, nimirùm defensionem & redemptionem nostram, prodiit ex visceribus ejus armatus ad pugnandum cum hoste animarum nostrarum, & ipsa fuit circus seu stadium, in quo hosti bellum intulit, vicit & profligavit. Imò appellat eam Sanctus, armamentarium Christi in suis fidelibus, quatenùs adjuti ejus patrocinio & obarmati ejus tutela, spiritualibus, & temporalibus suis inimicis resistunt, debellant & devincunt. Conformiter ad hæc explicat eminentissimus noster Cardinalis Hugo verba illa S. Evangelistæ Ioannis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Adducit quippè versionem Septuaginta Interpretum, quæ ita transfert: *Habitavit in tabernaculo suo in nobis*; id est, in sanctissima Virgine, ut nos unà cum Filio ejus indè inferno bellum moveremus. Et ut hæc expositio magis elucidetur, audite denuò eumdem Christi Benjamin in suis revelationibus: *Vidi sanctam Civitatem Ierusalem novam, descendentem de cœlo, &c.* Husbertus, & alii affirmant hanc numerosam Civitatem denotare prædestinatos: *Multitudo prædestinatorum in uterum Virginis descendit.* Ast illicò ratio dubitandi occurrit, si Deus descendit ad commorandum in ejus tabernaculo: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* quomodo asserit etiam numerum prædestinatorũ descendere in eundem uterum? Solus Deus est incarnaturus in ventre Virginali Mariæ, qui igitur stipatus omnibus fidelibus suis descendit? causam explicat doctissimus noster Archiepiscopus S. Antoninus, quia cùm sacratissima Virgo sit tentorium, non solum gloriosus ejus Filius debet esse præliator, & manus cum hoste conserere, sed etiam prædestinati ejus patrocinio adjuti, & protectione muniti, pugnare debent, & ab hostibus suis victoriæ palmam reportare: *Dicta est autem B. Maria tabernaculum Christi*

D. Chrysip. Orat. de S. Maria Deipara.

Ioan. 1. v. 14.

Hugo Card. hic.

Apoc. 21. v. 2

Husbert. hic.

Ibid. v. 3.

D. Antonin. 4.

§. c. 10. *quia in ea habitavit ingrediens campum huius*
part. tit. *mundi ad pugnandum, in quo militamus.*

3. Duo adnotavi loca ex Canticis, huic insti-
Cant. 1. tuto accommodissima: *Equitatui meo in cur-*
v. 9. *ribus Pharaonis assimilavi te amica mea,* sic al-
loquitur Deus beatissimam Matrem suam, &
juxta communem Interpretum opinionem
videtur alludere ad id, quod contingit filiis I-
srael, quos egredientes ex Ægypto, persecutus
est exercitus Pharaonis, usque ad ipsum mare
rubrum. Et pulchrè observavit Rupertus, in-
quit Gislerius, omnes exeuntes ex Ægypto
fuisse pedites; & inermes, quia spolia, &
oves, non arma aut equos abstulerunt ex Æ-
gypto. Fuga sibi consuluerunt, & dispersi con-
fuso ordine, nullam aciem instruxerunt, ne-
que ullum equitatum habuit populus Hebræ-
orum, neque Rex cœlorum in hac belli tempe-
state. Qui igitur dicit, Matrem suam æquipara-
ri, aut similem esse equitatui, qui nunquam
extitit in mundo? Ecquid significant hæ vo-
ces: *Equitatui meo assimilavi te*? Quinimò si
ipsemet Deus pugnaverit contra Pharaonem:
Exodi 15. *Dominus quasi vir pugnator,* non reperiemus eo-
v. 3. rum alio præsidio munitum, nisi miraculosa
virga, quam dedit Moysi, cui dixit: *Virgam quo-*
Exod. 4. *que hanc sume in manu tua, in qua facturus es*
v. 17. *signa,* mandans eidem Prophetæ, & Duci He-
bræorum, ut extendens manum suam, una vir-
gam versùs mare elevaret, quod ingredientes
equestres copiæ Pharaonis securam sibi in illo
spoponderant viam, & statim reversis aquis
ad locum suum (quæ prius obedientes imperio
eius se diviserant ad instar parietum cristallino-
rum & viam siccam paraverant) obduratus per-
secutor Pharao omnesque perfidi Ægyptii in il-
Exod. 14. lis mortem & sepulturam invenerunt: *Tu au-*
v. 16. *tem eleva virgam tuam & extende manum*
tuam super mare &c. inquit sacer Textus: ubi
Ghisler. ingeniosè Gislerius: *Per equitatum istum cui*
in Cant. *assimilatur Sponsa, Rupertus Abbas sumendam*
cap. 1. *existimat virgam Moysis: quandoquidem ex*
illo loco Exodi ubi currus Pharaonis narratur sub-
mersus in mari rubro, nullum apparet fuisse equi-
tatum Domini, præterquam una virga Moy-
sis & Aaron, ex cuius percussione Deus redu-
cens aquas maris, omnem Ægyptiorum contrivit
exercitum. Voluit ergò Deus his indicare, ac di-
cere: equitatui Pharaonis opposui alium de-
notatum in virga mea, quia in illa belligerans
hostes meos superavi, & virgæ illi, ô a-
mantissima Mater mea, valde similis es, etiam
quoad portenta, & signa per illam facta: *Equi-*
tatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te a-
mica mea. Ac si diceret Deus, inquit Rupertus:
Quemadmodum virga illa omnem superbiã Æ- Ruper. t.
gyptiacam contrivit, sic beata Virgo cunctam citat. à
pravitatem hæreticam interemit, superbiam Di- Ghisler.
aboli deiecit, id est, sicuti virga illa insolentis ad-
versario interclusit viam, qui in superbiam ela-
tus suum cupiebat exsaturare furorem, eum-
que sepelivit inter undas; ita etiam virga illa
Iesse vincet spiritus illos inferorum, qui mi-
nisterio infidelium sollicitabunt (veluti alter
Pharao) exitium, & excidium Ecclesiæ meæ,
omniumque fidelium; tanto namque robore
se opponet illis, ut eos sit prostratura, & tam
præclaras ab eis referet victorias, ut illius tri-
umphis insignia possint erigi trophæa.

Terribilem indigitat etiam Sponsus divinus 4.
Virginem, & tanquàm exercitum bellè in-
structum: *Terribilis, ut castrorum acies ordina-* Cant. 6.
ta. Indagant sacri Expositores an Spiritus san- v. 4.
ctus comparet hanc divinam bellatricem cui-
vis aciei benè instructæ, an vero alludat ad ali-
quam singularem? Omissis variis Doctorũ pla-
citis, servit proposito nostro pulchra Guilhel-
mi Abbatis excogitatio, dicentis, Metaphoram
illam alludere ad exercitum, quem S. Ioannes
vidit in cœlis, cuius supremus præfectus erat
Archangelus Sanctus Michael, quando exitiale
bellum intulit Lucifero, & cæteris Angelis cœ-
licolis nimirum, dæmonibus eius sequacibus;
quos armis expugnavit & in barathrum detru-
sit: *Factum est prælium magnum in cœlo: Mi-* Apoc. 12.
chael, & Angeli eius præliabantur cum Dra- v. 7 & 8.
cone: & Draco pugnabat & Angeli eius, & non
valuerunt, neque locus inventus est eorum am-
plius in cœlo. Voluit itaque Spiritus sanctus
præfatis verbis insinuare, idem quod militia
cœlestis præstitit contra Satanam, hoc est fecere
solam sacratissimam Virginem contra omnem
inferorum potentiam, eos vincendo, & expu- Guil. Ab.
gnando. Verba autem præfati Abbatis sunt se- apud Del
quentia: *Tu quoque terribilis illis facta es, &* rium in
non mediocriter, sed sicut est illis terribilis An- loco ci-
gelicus exercitus. tat. Cãt.

Admirabile fuit id, quod contigit Idolo Da- 5.
gon cum Arca Testamenti, nam inferentes Phi-
listæi Arcam in templum Dagon, eamque sta-
tuentes juxta Dagon, manè repererunt Da-
gon jacentem, pronum in terra ante Arcam Do-
mini, fractis cervicibus, & toto corpore disse-
cto: *Rursumq; manè die altera cõsurgentes inve-* 1. Reg. 5.
nerunt v. 4.

nerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coràm Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen. Enucleans hæc verba S. Eucherius, subjungit hæc sequentia, meo judicio, pretiosissima: *Et iam illud ad magnam pertinet significationem in ipsa comminutione Dagon, atque fractura, quòd dorsum illius solum invenerunt fractis omnibus eius membris: dorsum quippe fugã significat: qui enim fugiunt, persequentibus dorsum dant: unde scriptũ est de hostibus, quoniã pones eos dorsum.* Quæ verba adeò clara sunt, ut nulla prorsus indigeant expositione. Idem omnino immutatis verbis affirmat S. Isidorus: verum ego, ut intentum meum prosequar, elucidabo hanc doctrinam, ex alia S. Ambrosii, qui per Arcam Domini Virginem sanctissimam interpretatur: *Arcam, quid nisi sanctam Mariam dixerimus?* ac ideo manifestè hanc elicio conclusionem; efficacissimum nempè medium ad expurgandas inferorum potestates, easque ad ignominiosam fugam compellendum, esse præsentiam Arcæ sanctissimæ, & patrocinium, seu favorem beatissimæ Virginis, ad latus quippe illius nullus timendus est casus, & eius præsidio muniti, ab hostibus securi, & immunes sumus, quia illius tutelæ, & protectioni Deus victorias, & triumphos nostros auctoravit, & obstrinxit.

D. Eucher. uic.

D. Isidor. c. 2.

D. Amb. Serm. 8.

6\. Non parvam ingesserunt difficultatem sacratum Litterarum scrutatoribus, verba illa Psalmistæ: *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum: conversi sunt in die belli*, id est, filii Ephrem armis accincti, & simul timore perculsi, paraverunt Arcum, bombardam onerarũt, & in tempore congressus belli, & explosionis bombardæ, arma abjecerunt. Et vocabulum illud, *mittentes*, juxta Paraphrasim Hispanicam, idem sonat, quod projicientes in terram, & à se abdicantes arma, quasi in ipso conflictu pugnæ, relictis armis, fugerunt. Premo autem singulariter, quòd Regius Propheta solummo lo redarguat filios huius Tribus, quasi ipsi soli fuissent bellatores, & milites inter omnes Israelitas. Varias indicãt rationes sacri Interpretes, alt ego sequor eam, quam Genebrardus adinvenit, utpotè litteralem, & intento nostro maxime appositam. Habebant, inquit, filii Ephrem in quodam loco territorii sui, dicto, Silò, Arcam Testamenti, eratque hæc Tribus tantæ authoritatis inter cæteras, ut in ipsius ditione esset Imperii sedes, & curia, ubi morabantur Iudices, & Senatores, illi præ cæteris virtute bellica eminebant, & fortitudinem ostentabant, ideoque ab illis maior animi generositas sperabatur; *Nam milites*, inquit celebris Interpres: *erant ex omnibus tribubus, tametsi ex Ephrem præcipue ut qui essent Arcæ studiosiores, quòd eam haberent in sua Tribu, & nollent in aliam transferri, quia & summa Imperii ante Reges, fuit penes illam.* Erat itaque Tribus Ephraim inter cæteras bellicosa, & militaris, & antonomasticè bellatrix, propter singulare illius studium, & amorem ergà Arcam Fœderis, quæ fuit symbolum, uti diximus sacratissimæ Virginis, quapropter narrat David tamquam rarum, & inexpectatum, quod ignominiosè terga verterint hostibus, qui tot munimentis, & præsidiis erant instructi. Argumentum evidens, non fuisse bona eorum opera, utpotè qui pugnantes armis præstãtioribus, & habentes Arcam Testamenti in sui præsidium, confusi in fugam se dederunt, nam si cultui exteriori interiorem animæ devotionem adjunxissent, quemadmodum noster sanctus Rex Ferdinandus, haud dubie hostem superassent, & generositatem suam ostendissent in bello, uti Rex noster egit in omnibus belli eventibus.

Psal. 77. v. 9.

Genebrar.

7\. Gratus itaque beneficiis à serenissima Angelorum Regina, & Regum Domina, sibi præstitis, omnes victorias suas ei attribuit, præbens exemplum Principibus Christianis, ut tantundem in suis faciant, quia non vires aut militum solertiæ pugnando vincunt, sed potentissima sacræ Virginis intercessio sola triumphat. Coronidem imponat huic discursui celeberrima illa victoria, quam David à Goliath consecutus est, ut ipsemet Regius Propheta de se attestatur: *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno:* tamquàm diceret: tu solus, ô Domine liberasti me à periculoso discrimine Philistæi, quia similis redemptio non nisi fortitudini dexteræ tuæ debetur. Ita res se habet, sed nõ ideò aliquid detractum est gloriæ, aut honori Davidis, qui tam generosè pugnavit, & victoriam reportavit. Certum est Davidem lapidem in funda direxisse, & caput Goliath proprio ipsius gladio detruncasse: *Prævaluit David adversùm Philisthæum in funda, & lapide, percussumque Philisthæum interfecit.* Quæ cũ ita sint, noret curiosus, quid David, tanto beneficio obstrictus, egerit, & quomodo par pari retulerit, ob victoriam obtẽtam

Psal. 143. v. 10.

1. Reg. 17. v. 50.

ta: *Arma vero eius posuit in tabernaculo suo* O per osiùs indagat Doctissimus Abulensis causam huius actionis, quæ prima fronte minùs rationi consentanea videtur, quia iuxta leges militum, debuisset accingi gladio illo, & in quacumque simili occasione, illius opera uti; utpote, qui cum ab evidenti vitæ periculo, & discrimine tam gloriosè servaverat illæsum: nō ita David, sed consecrat illum Deo, & appendit in tabernaculo, seu templo. Et quidni prudentissimè egit, inquit hic Doctissim. Commētator: *Indicans per hoc, quòd ipse non intendebat habuisse victoriā hanc à se, sed à Deo: ideo dabat hoc illi in munera.* Voluit David ostendere quàm alienus esset à vana gloria in tam heroico facinore, ideoque victoriam Deo attribuit. David probè noverat brachia, & vires suas esse impares ad interficiendum Gigantes, quapropter in ipso iactu lapidis agnovit divini brachii fortitudinem, & dexteritatem, suasque manus solummodo fuisse instrumentum, quo beneficio obstrictus, voluit Deo gratias rependere, & apponere in tabernaculo suo, coram Arca (quæ est Maria) gladium, quo caput amputaverat, ut illum intuens, revocaret in memoriam, fœlicem illam victoriæ successum. Mariæ meritò esse adscribendum. Videtur revera sanctus Rex Ferdinandus æqualis Davidi dignitate, neque minor devotione illius vestigia fuisse secutus, extruens Aras, & consecrans Templa Mariæ Angelorum Reginæ, & semper secum deferens in castris sacram eius imaginem, ut fortunatus victoriarum suarum eventus, potius Mariæ patrocinio, quàm fortitudini ensis, aut gladii sui adscriberetur, & idcircò non absque speciali divinæ providentiæ nutu factum est, ut in hoc magnifico Sacrario, huius sanctæ Imaginis theca, & deposito etiamnum cerneremus gladium eius asservatum, esse verè instrumentum tot insignium victoriarum, ut tamquam perpetuus testis superstit, qui fidem faciat, omnes victorias invictissimi Regis nostri esse singulares patrocinii Deiparæ Virginis effectus, ad cuius pedes, in signum gratiæ humilitatis collocatum est in tumulo corpus nostri Ferdinandi, qui affatim dives trophæis, & abundans triumphis requiescit, & ingreditur sepulchrum: *Ingredieris in abundantia sepulchrum.*

Ibid. v. 54.

Abulens. hic q. 21.

Ingredieris, &c.

CONSIDERATIO V.

Maiori in pretio habuit sanctus Rex exercitium misericordiæ, seu charitatis, quàm diadema Regium, & pluris æstimavit se esse patrem pauperum, quàm Dominum, ac Regem subditorū.

1. DOctus quidam Chronicus in memoria, quodam, seu Libello, quem edidit de excellentia sanctitatis, & heroicis virtutibus Ferdinandi, audacter asseverat in illo potiùs, quàm aliis adimpletum esse vaticinium à Deo per Isaiam Ecclesiæ annunciatum: *Erunt Reges nutritii*, id est, pollicebatur Deus se daturum Ecclesiæ suæ Reges, non titulo Dominorum illustres, sed vocabulo Patrum insignes, nimirum, qui subditos ut filios foverent, & non ut servos opprimerent. Promissum planè adimpletum in Rege nostro tam misericordi, & eleemosynario, ut maioris faceret stipem, quam erogabat, quam sceptrum quod manu gestabat. In testem huius veritatis vocat præfatus Author antiquam Historiam Sanctorum, seu ut Hispani loquuntur, *El flos Sanctorum*, in qua habetur Imago huius S. Regis singulari modo depicta, quæ non unum, sed plures actus misericordiæ, & quasi habitualem, & naturalem compassionem erga egenos, & pauperes, designat. Depingitur enim S. Rex immensa circumdatus luce, & regiis adornatus vestibus, caput habens diademate redimitum, sinistra manu sceptrum gestans, absq; gladio, seu ense, dextera verò extensa porrigens nummum cruce signatum pauperibus, & egenis, qui ad pedes eius prostrati stipem ab eo emendicabant.

Isaia 49. v. 23.

Singulari consideratione premo huius picturæ effigiem, quòd sanctus Rex sinistra gestet sceptrum, & dextera eleemosynam, quasi renuncians regiæ dignitati, & potentiæ, & pluris æstimans pietatem, & misericordiam ergà egenos. De Davide narrat sacra Historia, ipsum per misericordiam fuisse evectum ad regium titulum, & munus, quia tunc cœpit regnare, quando benefacere: pro cuius intelligentia recurrendum est ad Quæstiones Hebraicas S. Hieronymi, ubi insignem habemus discursus nostri confirmationem. Inquirit S. Doctor causam,

sam, ob quam sacer Textus dicit Davidem regnasse quadraginta annis: *Quadraginta annis regnavit*, præsertim cùm singularem iniens temporis rationem Regni, seu imperii Davidici, affirmet eum regnasse in Hebron septem annis, & sex mensibus. Ierosolymis autem triginta tribus annis, qui simul collati componunt quadraginta annos cum medio? Et ad enodandum hoc dubium, recurrit sacrorum Interpretum Phœnix ad doctrinam Hebræorum, quam ipsi constantem, & indubitatam arbitrantur, nimirù m: *Ex illo tempore illum regnasse dicendum in Hebron. ex quo de victis Amalechitis, de spoliis eorum misit dona senioribus Iuda, & his, qui erant in Bethel, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David ipse, & viri ejus.* Iuxtà dicta igitur nullatenus dubitandum est, quin David quadraginta annis cum medio gesserit nomen, & titulum Regis; sed quia sex primis mensibus Regni sui nondum benefecerat subditis suis (forsitan, quia ipsemet adhuc inops erat) neque hactenùs subvenerat necessitatibus eorum, eò quòd ipse Rex egeret, sex illi menses non annumerantur annis Regni ejus, & solum recensentur illi, quos impendit beneficio suorum; & quia hi initium sumpserunt à spoliis Amalechitarum, ex quibus tot fecit opera misericordiæ, idcircò sacer Historicus asserit Davidem incœpisse Regnum suum ab operibus misericordiæ: *In sua misericordia assecutus est Regnum.* Ex quô cœpit esse misericors, etiam auspicatus est regnandi munus: in signum, quòd David non æstimet diadema aureum, quod ornat caput suum, sed coronâ charitatis, & misericordiæ, quia opitulatur miseris, & egenis, pluris faciês se esse beneficũ ergà subditos suos, quàm eis potestate, & jurisdictione regia dominari.

2. Reg. 5. v. 4.

D. Hieron. in qq. Hebraic. super lib. Reg.

53. Expendimus alibi, si rectè memini, cum S. Petro Chrysologo verba illa S. Lucæ, quæ referunt Christum Redemptorem dixisse Discipulis suis: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*; id est, disposuit Pater meus, ut Reges efficiamini, & consequenter ad hæc subjungit: *Vendite, quæ possidetis, & date eleëmosynam* Exponamus modo in alio sensu hanc Salvatoris doctrinam. Ecquæ connexio inter hæc duo, facere eos Reges, aut Dominos, & præcipere illis, ut renuntient bonis suis, & ea pauperibus elargiantur? Hoc etenim modo videtur potiùs majestatem regiam extenuare, & magnitudinem suã diminuere, quàm augere aut amplificare: certò quippè constat, divitias, & opes esse cardines, & polos Regnorum; vel ergò non faciat eos Reges, vel non jubeat illis abdicare bona, & paupertatem amplecti: ast hoc judicium est mundi, & profanorum, inquit peracutè S. Chrysologus, non verò Christi, aut discipulorum ejus, qui longe perspicacius res ipsas intuentur, quia judicio, & æstimatione Dei, & suorum maximum decus, & ornamentum coronæ regiæ est misericordia, & pietas; ac proindè illi, quos Deus Reges creat, majoris æstimant insignia misericordiæ, & charitatis, quam potentiæ, aut opum, & divitiarum: *Est consuetudinis, est animi fœlicis*, ait Chrysologus, *ut adjectus ad Regnum, quod fuit propriũ, quod privatum, mox civibus indigentibus liberaliter prorogare, ne sit mendicus animo, qui censu functus est, & honore.* O quàm egregiè illustratur hæc veritas exemplo S. Regis nostri, qui ut patefaceret, quantò pluris faceret titulum eleemosynarii, quàm potentis, & opulenti, sinistra gestat coronam, quasi eam vilipendens, & dextera eleëmosynam, quasi eam sibi summo ducens honori.

Lucæ 12. v. 32.

D. Petr. Chrysol. Serm. 24.

Semper fuit ab ambitione alienus, neque umquàm ad divitiarum cupiditatem pronus, aut proclivis, & sciscitanti cuidam causam, quomodò tantùm amplificasset Regnum suum, magis quàm cæteri progenitores ejus, quia per eos deperdita recuperavit, hoc responsum præbuit, non minùs æterna memoria, quàm authore suo dignum: Potuit contigisse, ut aliqui ex antecessoribus meis alia habuissent motiva, præter propagationem fidei, nimirùm, amplitudinem Regnorum suorum, Tu, ô Domine, (ait elevans oculos suos in cœlum) qui scrutaris omnium corda, & intima quæque penetras, probè nosti, me numquàm proprium, sed tuum honorem quærere, neque Regni transitorii me ambire magnitudinem, sed Orbis Christiani extensionem; & ideò testatur Historia Generalis, quòd numquam, etiam in difficillimis bellorũ calamitatibus, tributa subditis suis imposuerit, neque umquàm eos ad subsidia belli compulerit. Redeunti Abrahamo, postquam quatuor Regum victor extitisset, occurrit Rex Sodomæ, instantius rogans eum, ut homines captivos sibi redderet, cætera verò secum abduceret: *Da mihi animas cætera tolle tibi.* Non acquievit Abraham consilio rogantis, neque ulla sibi spolia, jure tamen belli debita victori, retinere voluit, & hanc adjecit causam: *Ne dicas: ego ditavi Abraham.* Noluit Abrahã ditari ex spoliis bellis, qui enim divinæ subest providentiæ, & ex ejus 4.

Gen. 14. v. 21.

ejus dispositione est locupletandus, nihil debet accipere ab hominibus, etiam quando cura belli id consentire, aut permittere videntur. Varias congerunt considerationes easq; egregias sancti Patres in laudem, & encomium Abrahami, ponderantes Catholicam animositatem, qua Regi Gentili respōdit. Verum carpo ego cum insigni nostro O castro (ad instructionē, & eruditionē Regum, & Principū Catholicorum) quòd Rex, caecus lumine fidei, tam amans fuerit subditorū suorum, ut postquam eos Abraham de potestate aliorum Regū eripuerat, solummodò omni cura petierit sibi restitui captivos suos, & caetera spolia lubens cesserit victori: *Da mihi animas: caetera tolle tibi. Audiant hoc Reges pluris esse faciendas animas subditorum, quàm substantiam suam, quod eos arguit, qui ad pecuniam, & bona eorum inhiant, non curantes an benè, aut malè vivant, neq; si vivant, cùm teneantur, & animae & corporis victum suorum curare.* Audiant Reges Catholici doctrinam ex Rege Idololatra, & addiscāt aestimare suos subditos, pluris faciendo vitam, & animas, quam substantiam eorum? O quam egregiè hoc exemplum redarguit, & condemnat quosdam, qui flocci pendentes probos mores suorum, solis eorum bonis inhiant, cùm tamen ad utrumq; curandum teneantur. Quod disertè docet, & praedicat Rex Sodomae, obliviscens spoliorum, & solum curam habens subditorum suorum. Sed longè superavit, & excessit eum noster S. Rex benignitate, & amore: ut verbo dicam, ipse est vivum, & expressum exemplū hujus Doctrinae: utinam unà cum sanguine misericordem illum affectum haereditarie acciperent omnes ejus successores, & non solum eum imitarentur in corona, sed etiam vita, & moribus, & pariter cum illo optatum finem consequerentur: *Ingredieris in pace sepulchrum.*

Oleaster hic.

5\. Cognoscens ex languore, & imbecillitate virium suarum jam tandem appropinquare sibi horam foelicissimi transitus sui ex hoc mundo, & serena fronte accepto nuntio mortis, jam imminentis, laetus petiit sibi adferri viaticum, seu sanctissimum Eucharistiae Sacramētum, & vixdum persensit illud ad cubile suum accedere, & statim, quamvis reluctante aegritudine, prosilit è lecto, & se in terram dejecit, & prostratus, in haec pientissima prorupit verba: O mi Domine, haud me tali dignor honore, & tu veluti medicus non dedignaris me decumbentem invisere, & his alias adjecit voces amoris plenissimas; & ut ferventiorem in se excitaret devotionem, funem ad hoc praeparatum injecit collo suo, offerens illum Deo in memoriam illius, quo collum Christi constrinxerant: sentiens ille devotione, partem illius, quod reverà Christus pertulerat. Neque minoribus pietatis indiciis recepit Sacramentum extremae unctionis, & post illud acceptum, regiam purpuram cum cilicio, & cinere commutavit, & revocans in memoriā dolores, & tormenta, quae Salvator amore nostrum perpessus est, iteratoq; verbere tundens pectus, manantibus ex oculis lacrymarum rivulis, supplex, & humilis postulabat à Deo veniam delictorum suorū; cui exercitio incubuit per duos integros dies, nullam aliam admittens occupationem. Tandem petiit sibi exhiberi imaginem Christi crucifixi, eamq; brachiis amanter amplectens, & fixis in crucifixum oculis, in manus Dei foelicissimam tradidit animam, moriens in pace: *Ingredieris in pace sepulchrum, & sicut acervus, &c.* Remansit nobis sacrum ejus corpus, tamquam pretiosum quoddam monile, in hac sancta Ecclesia asservatum. Et firmiter mihi persuadeo, praesentiam sancti illius corporis maximum, & securissimum esse hujus Civitatis praesidium, si illud debita veneratione coluerimus; erit namque refugium nostrum in tribulationibus. Audi Deum per Prophetam suum loquētem: *Protegam Civitatem istam, ut salvem eam propter me, & propter David servum meum.* Notate, inquit S. Ioannes Chrysostomus, esse adeò fortem, ac validum murum Civitatis, Regem sanctum, ut non solum vivus eam defendat, sed etiam mortuus custodiat, & protegat: *Confugit ad defunctos, & per illos dicit se remissurum peccata; quemadmodùm Ezechia dicitur: Protegam Civitatem hanc propter me, & propter David servum meum.* Si tantùm potuit sola memoria Davidis mortui, ut Civitati Ierusalem extiterit murus, quantam securitatem tribuet Civitati Hispalensi corpus unius Regis sancti? Laetare igitur Civitas illustris, Ferdinandum habes veluti Angelum tutelarem. Laetemini & vos Ecclesiastici, quia Ferdinandus est Ecclesiae protector, in quo nedum reperietis remedium adversus mala temporalia, sed etiam contra spirituales hostes subsidium, impetrantes ipsius intercessione pacem ad tranquillitatem vitae, & favorem gratiae ad consequendam gloriam. *Ad quam, &c.*

Isaia 37. v. 35.

D. Chrysost. tom. 5. Serm. de poenit. & confess.

TRACTA-

TRACTAT. XXVIII.

IN EXEQVIIS


LUDOVICI PONZE DE LEON,

Marchionis de Zahara, Filii primogeniti Ducis de Arcos, &c.

NOTA, *quod licèt hæc Concio specialiter sit dicta in exequiis primogeniti, Excellentissimi Ducis de Arcos posse tamen illam facilè accommodari exequiis cujusvis Nobilis, in primo Iuventutis flore mortui, maximè si probitate morum, aut similibus virtutum ornamentis excelluerit; unde eam, licèt singularem, non omittendam existimavi.*

Placita erat Deo anima illius.

Sapientiæ 4. cap.



TANE possibile est optimum, excellentissimum, & sublimissimum mundi tam brevem habere durationem? Et quid ni, Auditores; imò & certissimum est. An fortassè evidentiorem hujus veritatis confirmationem desideratis, quàm præsens triste spectaculum? Dicite amabò, quidnam supremum, excellentissimum, & optimum est in mundo? planum est, esse hominem; & inter homines quinam excellunt? Magnates, Principes, & Domini, quibus omnes deferunt primas, & primum dignitatis locum; & inter illos? primogenii, & hæredes, in quibus maximè eorum excellentia conservatur. Hi sunt optimum, & supremum, quod solent homines veluti Deitatem quamdam adorare. Sed tales quanto tempore durant, aut quàm citò finiunt? Loquatur hic Princeps, tamquàm flos recens natus, qui veluti flos nobis emarcuit, dum vix primos florentis adolescentiæ annos excessisset; *Qui quasi flos egreditur, & conteritur*, ita describit sanctus Iob humanæ ac labilis vitæ perituram brevitatem, ad modum, quo flagrans rosa citò perit, & marcescit. (Iob. 14. v. 2.) Curiosius observat sanctus Clemens, quòd licèt hic flos inter omnes principem locum habeat, nullus tamen reperiatur, qui propter evanidam suam pulchritudinem, expressius sit humanæ inæstimabilitatis symbolum. Affirmat namque S. Pater hanc esse causam, nimirum, quòd sicuti rosa inter flores eminet dignitate, ita etiam promptior est in emittenda fragrantia, & ex tanta, tamque accelerata exhalatione odoris sui, fragilitatem, mortem, & interitum sibi accersit: *Dicunt rosam Rodon fuisse nominatam, eò quòd odoris plurimum fluxum emittat, & ideò citò marcescit.* (D. Clem. Alexand. lib. 2. Pedag. c. 8.) Posita hac doctrina, liceat mihi hunc efformare discursum. Princeps tot dotibus naturæ, fortunæ, & gratiæ adornatus, tanto ingenio præditus, tantaque prudentia, indole, forma, & affabilitate præstans, & adeò probus, & virtutis studiosus, ut no-

ut novitium quemque etiam observantissimæ Religionis æmularetur, non potuit longiorem habere durationem: *Odoru plurimum fluxum emittit, & ideò citò marcescit*: id est, rosa quæ tam pauco temporis spatio, tantam diffundit fragrantiam, necessè est ut citò flaccescat, & à manè in vesperum rosea ejus purpura evanescat, & quæ mane immortalitatem spondebat, vesperi mortis violentia occumbit. Quàm serena exurgit aurora, quàm rutilans, quàm aurea! ô quantum manè blanda zephyri aura oblectat, respirant, & recreantur ægri, canora voce cantant volucres, exhilarantur homines, revirescunt herbæ, & totus mundus novam induit juventutem: at paucis horis interjectis, urgente jam Sole, omnia marcescunt, & ardore nimio exuruntur, silent omnia, & sola locustæ vox rauca perstrepit, & calorem querula testatur. Non secus fit cum Principe nostro, dum aurora vigebat, ô quantùm crepuscula illa novi status exhilarabant, nova familia, nova vita, novus mundus, novi famuli, nova festa, nuptiæ novæ, omnia hæc auroræ fuerunt primordia, fragrantia Ephemerica, & paulò post florentem adolescentiam, aggreditur infirmitas, exurit febris, penetrat ossa, succedunt dolores, lacrymæ, planctus, & tristitiæ: nam hic est omnis humanæ gloriæ, & fœlicitatis terminus, & scopus. Verumtamen non obstante hac veritate indubitata, verissima sunt verba Thematis nostri ex Sapiente deprompta, eaque oportet altiùs investigare, quæ primo intuitu tamquàm fatalis eventus prognostica judicamus. Spiritus sanctus enim ut abstergat lacrymas nostras, medicetur mœrori nostro, & soletur dolores nostros, nobis annuntiat: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, quæ hunc reddunt sensum: ideò moritur justus in adolescentia, quia grata erat anima illius Deo, & eapropter rapuit Deus illum ex hoc mundo, variis peccatorum lenociniis imbuto, & peccandi occasionibus obnoxio, ne malitia immutaret intellectum ejus: *Populi autem videntes, & non intelligentes, & non ponentes in præcordiis talia*, id est, hoc non capiunt homines, vix ullam habentes Dei notitiam, neque illud oculis fidei intuentur, neque considerant magnitudinem beneficii, quod Deus præstat illi, quem in flore juventutis rapit ex hoc periculoso sæculo, quapropter lugent, tristantur, & deplorant tamquàm supplicium, quod, veluti ingens beneficium, cum gratiarum actione erat celebrandum. In præsenti occasione indigemus singulari Spiritus sancti favore, & gratia: rogemus, &c. *Ave Maria.*

[Marginal notes: Sapient. 4. v. 14. — Ibidem v. 15. & 16.]

Placita erat Deo anima illius.

CONSIDERATIO I.

In florentissimam juventutem, & supremam dignitatis excellentiam solet mors crudelius sævire, omnesque suas exerere vires, & Sponsalia hujus Principis certissima fuerunt ipsius sepulchri prænuntia.

1. MYsticum est illud Emblema, quod Evangelistarum Aquila vidit, & enarrat in sua Apocalypsi: *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum, & data est illi potestas super quatuor partes terræ.* Vidi, inquit sanctus Ioannes, mortem insidentem equo, & celeri cursu obequitantem, & varias mundi plagas percurrentem, & irrequieto motu numquàm subsistentem: sequebatur autem illam infernus, id est, sepulchrum, ita namque interpretor hoc verbum, juxtà communem sacræ Scripturæ Phrasim, quemadmodum Iacob dixit in Genesi, sepulchrum suum, infernum appellans: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Erat autem equus, quem Dominus illi ostendit sub hoc Hieroglyphico, velox, & celer, antiquus tamen Tertullianus notat hanc vocem, *pallidus*, in Græco significare, *equum viridem*, id est, insidebat mors equo viridi, ad denotandum velocitatem, & accelerationem ejus non solum ad senes pallidos, & jam exhaustos, sed etiam ad juvenes ætate florentes, & viridi robore vernantes, uti constat in præsenti spectaculo, & idcircò venit instructa potestate absoluta super omnes partes terræ, id est, omnes ætates, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Adeò ampla, & extensa est jurisdictio mortis, tam sublimis ejus potentia, & imperium, ut nemini parcat, nemini indulgeat; quinimò ubi videbatur aliqua ei posse injici remora, nimirùm in nobilitate, & juventute, solet tamquàm fulgur immaniùs sævire.

[Marginal notes: Apoc. 6. v. 8. — Mend. in lib. R. ad illa verb. Deducit ad inferos. — Gen. 37. v. 35. — Tertull. lib. de pudicit. c. 20.]

Vocavit

2. Vocavit Deus Prophetam Amos, præcepitque ei levare oculos, & ait: *Quid tu vides Amos*? Respondet ille: Vncinum pomorum; ad hunc modum explicat hanc visionem Doctus Commentator minorum Prophetarum, sequens interpretationem sancti Hieronymi, quamvis alii diversimodè hoc exponant verbum. Et dixit illi Dominus: *Venit finis super populum meum Israël, non adjiciam ultrà, ut pertranseam eum.* Indagant sacri Doctores, quidnam hic uncinus significet? Relatus Author innitens verbis Domini, autumat illum fuisse symbolum mortis: *Mihi videtur uncinus mors esse, quæ omnes ramos, quamvis virentes, & omnia poma, sive omnes fructus ætatu, sive matura, sive immatura sint, quamvis valdè latentia, & recondita, attrahit, ut à Deo decerpantur, & suis locis singula collocentur.* Ecce vivum, & expressum mortis symbolum, viventes reipublicæ ramos præscindit, germina detruncat, & reconditos, latentesque fructus indiscriminatim decerpit, non discernens num virides, aut maturi existant, Hac utitur Deus ad vindemiandum omnes, & ut singulis sua loca distribuat, juxtà cujuslibet meritorum exigentiam. Bellè excogitatum!

Amos 8. v. 2.

Ribera hic.

3. At existimo ego, ad rem præsentem, Deum mirabili hocce termino, seu vocabulo denotasse ingentem stragem, quam mors factura erat in optimatibus Israël, in Proceribus, in Comitibus, Marchionibus, Ducibus, & plurimis bonorum titulis illustribus, adumbrando eam in uncino pomorum, in quo poma longius, & altius distantia colliguntur, nam alia vel manu carpuntur, vel jam semiexesa, vel corrupta ultrò in terram decidunt, nullum evadit pomum, quia uncinum habet ad quæcumque etiam abscondissima carpenda. Pervenit mors ad hanc auream arborem inclytæ, & illustris domus de *Arcos*, ad generosam Familiam de *Ponze*, & *Leon*. auream appello, quia recordor illius, quod Poetæ de alia quadam aurea arbore finxerunt, nempè quòd uno ramo abscisso, alter succresceret, qui orbatam arborem venustaret: *Vno avulso, non deficit alter Aureus.* Non secùs contingit huic arbori, licèt enim immatura mors inflexibili falce sua hunc frondosum præciderit ramum, alii tamen supersunt surculi, quos cœlum ad splendorem, & venustatem ejus conservabit. Pertigit ergo uncinus ad hanc arborem, non tamen carpsit (uti aliquando solet) teneriores fructus, aut recentiora germina, quæ faciliùs quovis incommodo, aut minima aëris intemperie decidunt, aut marcescunt, sed fructum maturiorem, qui jam inter omnes altitudine eminebat, hunc decerpit exitialis impiæ mortis uncinus, aut hunc inexorabili falce sua succidit. Adeò vicina, & propinqua est mors magnitudini, vel adeò tributaria mortis est magnitudo, & excellentia.

Poëta.

4. Nascitur Author vitæ in Bethlehem, & confestim veniunt tres illi Principes, seu Reges ab Oriente, ad adorandum eum veluti Regem, ac Dominum suum, ingrediuntur Vrbem Ierusalem, pertranseunt compita ejus, inquirentes diligenter de recens nato Rege, & intrepido animi robore profitentur se stellam ejus vidisse in Oriente, seque prompta voluntatis submissione advenisse ad præstandum homagium, & reverentem cultum suæ divinæ Majestati rependendum, audaci voce proclamant: *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Ecquid, Reges, stellam vidistis? proculdubiò plena fuit mysterio hæc visio. Disputant sacrarum Litterarum scrutatores, quænam fuerit stella, quæ his religiosis viris apparuit? & in varias distrahuntur opiniones. Magni Origenis placitum instituto nostro perpulchrè suffragatur: *Stellam novam fuisse arbitramur, nec ullis ex notis ejus similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus, sed ejus generis, quales cometæ visuntur.* Fuit hæc stella, juxta Origenis opinionem, diversæ, & alterius speciei, ab his, quæ à nobis conspiciuntur, & pertinens ad speciem cometarum, qui aliquando in cœlis visuntur, & hoc servit intento nostro. Ecquid significant cometæ? testes appello Mathematicos, & Astrologiæ professores, & dicant illi, quòd sentiunt nimirùm, cometas illos esse prognostica mortis Principum, seu Magnatum. Sed quid, nunc nascitur, & incipit vivere hic Dominus: *Cùm natus esset Iesus*; & jam ipsi mortem prædicunt? Ita sanè, quia statim ac domicilium figit in mundo, & dominandi adit Provinciam, mox eum funesta mors insequitur.

Matth. 2. v. 2.

Origen. lib. 1. cont. Celsum.

Ibid. v. 1.

5. Nescio, an docti, & curiosi adnotaverint illud, quod Virgo Mater egit cum divino infante, mox ubi illum edidit in mundum. Notanter id advertit sacer Chronicus Lucas, videlicèt, quòd recens natum ex utero suo virginali, illicò eum pannis involverit, & reclinave-

Luca 2. v. 7. tit in præsepio: *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Ecquæ cæremonia tam inusitata & peregrina? Vixdum natus est Princeps æternitatum, & nulla interposita mora, fasciis eum illigat Mater sanctissima, pannisque vilissimis fasciat & reclinat in præsepio? Non capio mysterium. Fateor contemplativos varias inire vias, ego autem ingenuè affirmo, idem prorsùs fuisse, ipsum esse primogenitum, & Principem acclamatum, ac illum jam defunctum, ac mortuum existimare. Nonne ipse est oblectamentum, & tota voluptas, ac deliciæ parentum? Ecquis ambigat? meritò igitur agunt cum eo veluti mortuo, quia profectò nunquàm canos numerabit crines, neque vitam vivet diuturnam. Confirment hanc cogitationem nostram, egregia sancti Clementis Alexandrini verba: *Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interposita mora mortuorum pannis amicitur. O vitæ primordium, mortis prodromum.* Vix natus terræ possessionem occupat, & jam funesto amictu, tamquàm defunctus induitur, fasciis constringuntur manus & pedes ejus, & caput velo obtegitur, & tandem, ut verbo dicam, utuntur circa illum omnibus cæremoniis funeralibus, jam defunctis impendi solitis, & amiculo ferali à matre vestitur. Tam individuo nexu colligata sunt mors, & vita, ut primordium vitæ sit mortis prænuntium, & idem est incipere vitam, ac inchoare mortem. Hanc igitur ob causam Regina Mater vestivit cœlestem puerulum eodem amictu, quo coöperiunt defunctum, & si eum ligatum manibus ac pedibus, & linteo, seu sindone involutum monumento imposuerunt mortuum: *Et ligaverunt illum linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire*; etiam manus & pedes ligaverunt nascentis, quasi eum amiculo ferali induentes. Quapropter idem fuit, ac si mater dixisset, quamvis nascatur, id est, ad moriendum, vel ut compendio dicam, mox ut vidit natum, statim reputavit mortuum, ideòque ad nativitatem primogeniti è vestigio subsecutum est feretrum & sepultura: *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit.*

D. Clem. Alexan. in Caten. Olymp. in c. 10 Iob.

Ioan. 19. v. 40.

6. Nisi etiam dicere velimus, quod priùs Beata Virgo viderit illum mortuum, quam vivum, & omninò desponsatum; nam ut acutè notant Sacri Doctores, & singulariter advertit Thomas Cisterciensis, explicans illa verba Canticorum: *In die desponsationis, &c.* Sponsalia Christi cum Ecclesia, inchoata quidem fuisse in ipsa Incarnatione, sed matrimonium nō habuisse suam perfectionem, nisi in Cruce, & consummatum per adventum Spiritus sancti: *Unde dicitur in die desponsationis suæ, ecce matrimonium nuntiatum, in passione perfectum, in sancti Spiritus adventu consummatum:* In incarnatione igitur Verbi, & nativitate (liceat sic ruditer loqui) contraxit matrimonium solis verbis, & absque ulla interposita mora, statim tradunt eum sepulturæ. Nonne hoc est, Auditores idem, quod ad præsens oculis nostris objicitur? Princeps sanguine clarus, & animo præstans, cujus præsentia & affabili comitate mors inimica, eheu! nos orbavit, mox ut verbo contraxit matrimonium, invida falce mortis occubuit, ita ut prius videamus mortuum, quàm conjugatum. Ut liquidò, & meridiana luce clarius nobis constet, quàm flocci æstimanda sint omnia gaudia, & voluptates mundanæ, aut bona hujus mortalis vitæ transitoria, adeò enim fluxa, & mutationibus obnoxia sunt, ut vix incœperint esse: quin jam finierint & quasi umbræ evanuerint.

Cant. 3. v. 11.

Thom. Cister lib. 6. in Cant.

Dum Rebecca pergeret ad ineundum matrimonium cum Isaac primogenito Abrahæ, pervenit ad locum ubi ipse morabatur, & conspecto à longè viro quodam, descendit de camelo, & interrogavit puerum, seu servum Abrahami, num novisset virum sibi occurrentem: *Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis.* Respondit autem puer interroganti, illum esse Isaac Sponsum futurum: *Dixitque ei ipse est Dominus meus.* Notat hic sacer Textus, & non absque magno mysterio, quod Rebecca, audiens illum esse Isaac Sponsum suum, statim velaverit faciem suam: *At illa tollens citò pallium, operuit se.* Quod factum plurimorum Interpretum torsit ingenia: & plures solent hic plurimùm commendare modestiam & compositam verecundiam mulierum illius sæculi, & meritò quidem, nam præclarum opus est, quod filia tam illustribus parentibus nata, dum pervenit ad conspectum Sponsi sui, elegerit pro ornatu suo velamen pudoris. Ita disertè sanctus Ambrosius: *An mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca cùm veni et ad nuptias, & Sponsum vidisset, accepit velamen, ne prius videretur quàm iungeretur, & utique pulchra*

7.

Gen. 24. v. 65.

D. Amb. lib. 1. de Virgin.

pulchra Virgo non decori timuit sed pudori. Peracutè excogitatum!

8. Verum aliquid novi eruendum est ex hoc facto. Sanctus Adelmus antiquus Pater, exponens jam relata verba: *At illa tollens citò pallium operuit se*, subjungit hæc sequentia: *Theristrum viduitatis assumpsit.* Ac si diceret; induit Rebecca vestem pullam seu lugubrem, quasi jam vidua foret. Ecquid hoc, insignia viduitatis assumit Rebecca, dum cernit Isaac Sponsum suum, quem acceptura erat in conjugem & maritum? Ita planè, fuit namque hoc prudentissimæ mulieris factum, utpotè quæ probè noverat inconstantiam & instabilitatem voluptatum hujus vitæ, & celeritatem, qua omnia mundana præcipiti cursu vergunt ad interitum; & ideò vixdum primam spectavit scenam Sponsæ, quin illicò occurrerint memoriæ eius postremi viduæ luctus. Et dum sibi futuram videbatur posse polliceri successionem, tunc seipsam mortis injuria Sponso orbatam luget & deplorat. Ecquis non videat in præsenti tragico spectaculo verè adimpletum, quod ibi prudens excogitavit discursus? nam quando magna nobis sperare bona poteramus, ex conjunctione matrimoniali duarum insignium familiarum *de Arcos* & *de Bejar*, in hisce nostris Regnis adeò illustrium, inexorabilis Parca filum omnis spei nostræ abrupit, & videmus Dominam quandam, veluti alteram Rebeccam priùs viduam, quàm conjugatam, & dilectissimum ejus Isaac, priùs lamentis deploratum, quàm nuptiis uxoratum. Ad instructionem salutarem optimatum hujus mundi, qui connaturali quadam necessitate annexam sibi habent brevitatem: *Omnis potentatus brevis vita*, & in eos inimica mors dirigit præcipuè sagittas suas non curans, quod sint amici & dilecti Dei, quinimò hanc ob causam potiùs sævit in illos. Et hoc denotant verba Thematis nostri: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit, &c.*

D. Adelm. lib. de Virgin. cap. 18.

Eccles. 10. v. 11.

Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum, &c.

CONSIDERATIO II.

Quia hic Princeps fuit dilectus Deo, & totus ipsius, ideò etiam tractavit eum veluti amicū, neque voluit permittere, ut miserias & ærumnas hujus vitæ experiretur.

QUia justus est amicus Dei, & illi dilectus idcircò, teste Spiritu sancto, abbreviat dies vitæ illius. Erat hic Princeps noster dilectus Deo, & totus ipsius, quia hactenus nescimus mundum ullam ejus partem occupasse, & èapropter tractavit eum tanquam amicum, neque voluit eum gustare miserias hujus ærumnosæ vitæ. Curiosius observavit sanctus Cyrillus, primum, quem mors aggressus est, fuisse innocentem Abelem: *Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Nonne consultius, & magis rationi consentaneum, quod mors omnes vires suas impenderet, nervosque omnes contenderet in Adamum peccatorem, quàm in filium ejus Abelem innocentem, & juvenili adhuc ætate florentem? Quinimò inquit Sanctus, ideò eum adortus est, & primum impetum suum in eum fecit, quia juvenis erat, & virtute seu iustitia eminebat, quasi obstringens se ad faciendum tantumdem in aliis Abeli similibus, & hoc solummodo, quia assimilantur Abeli, & sunt juvenes & justi: *In Abelis innocentia*, ait Sanctus Cyrillus, *mors oppignorata est, quasi priùs transmissa foret in eum, qui posteà sine culpa moreretur.*

Gen. 4. v. 8.

D. Cyril. citat. à Staplet. conc. 2. de gratia.

Notissima est cunctis vox illa, quæ audita fuit in monte Thabor, ex ore æterni Patris, adeò penetrans, sonora & potens, ut strepitu suo Discipulos in terram prostraverit attonitos, & stupefactos, quia certè in hoc mundo nulla est voluptas stabilis, aut lætitia diu perseverans, nunc siquidem lætatis, & statim tristatis: nunc quietus, & paulò post turbatus. Idem insonuit vox, quod in Baptismo: *Hic est Filius meus dilectus*, & additum fuit, *ipsum audite.* Plurimi autumant eum alludere ad dicta Petri: *Faciamus hic tria tabernacula*, hæc protulit Petrus cupiens ut Moyses & Elias ibi remanerent

Lucæ 9. v. 35.

Ibid. v. 33.

rent, nam quousque Prophetæ illi sermonem suum concluserant & ostenderant se velle recedere, nihil fuerat Petrus locutus. Tunc autem quasi dolens inopinatum eorum recessum, & admirans brevitatem illius gaudii, in animum suum induxit ibidem tria extruere tabernacula: quasi dicens, si abeant propter incommoditatem loci rogo maneant, quia hic eis tria ædificabimus tabernacula. Et continuò vox intonuit, ac si diceret, Ne doleas Petre, neque lugeas eorum absentiam, quia ecce vobis remanet superstes verus Magister, qui vos edocebit veritates legis & Prophetarum, melius quam Moyses & Elias, nimirum Filius meus dilectus, *ipsum audite.* Perpulchrè ponderatum!

3. At salva sacrorum Interpretum venia meum proferam judicium & opinionem, videlicet, illud. *ipsum audite*, idem fuisse, ac si apertius dixisset, tu de gloria solicite loqueris, dum filius meus de passione & morte sua verba facit. *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*, non sic Petre, sed attende verba eius, quæ sonant dolores & non gloriam, labores & non quietem. Bellè dictum! sed semper restat examinanda cohærentia, seu connexio posteriorum vocum, in quibus dicitur, *ipsum audite*, cum prioribus: *Hic est filius meus dilectus.* Qui enim componi possunt, *Hic est Filius meus*, cum illis, *ipsum audite*; Optimè profectò quia cupit Pater æternus, ut agnoscat mundus Christum, ut suum legitimum filium, & ut manifestet immensum amorem suum erga ipsum, commendat discipulis suis attentionem, ut sedulam aurem præbeant verbis ejus, & signent mysteria eorundem, scilicet mortem acerbissimam, quam brevi erat passurus, de hac namq; loquebatur Christus cum Moyse & Elia, & ex hoc quod illi acceleraret mortem, evidenter declarabat Christum esse Filium suum summè dilectum: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, & hoc dixit alibi Menander, *Dilectus Deo in inventute moritur*, quia solent Deo charissimi immatura morte interire, & quia in hoc mundo peregrinam ducunt vitam, ideo summum reputant beneficium sibi mortem accelerari.

Ibidem v. 30.

Menander.

4. Quare obsecro immittit Deus amantissimis suis mortem præcocem & immaturam? an fortasse zelotypia Dei est, & non vult ut mundus in eis aliquam habeat partem, & cupit eos totos esse suos, reverà sic apparet. & saltem Isaias hoc insinuavit: *A facie malitia collectus est iustus*; id est, rapuit Deus justum, ne malitia immutaret eum, & citò tulit eum è mundo, ne virtus ejus periclitaretur. Non loquitur de uno singulari justo, sed de omnibus uti explicat Angelicus Præceptor S. Thomas, & plurimi Interpretes cum illo, quia ut studeat eorum securitati, mavult eos secum habere, Vnde peracutè quidam Modernus observavit, Prophetam non asserere, quod Deus colliget justos, ut eos liberet ab iniquitate sed à facie malitiæ: *Non ab iniquitate sed à facie iniquitatis collectus est iustus.* Est itaque Deus adeò zelotypus, ut non solum velit mori iustos ne peccent, sed ut ne quidem faciem peccati intueantur, aut auditu cognoscant, quid sit peccatum, quia est venenatus Basiliscus, qui non solùm nocet attactu, sed etiam anhelitu & visu suo inficit & occidit: *Sanè peccatum Basiliscus est* inquit hic eruditus Author, *qui non contactu solum, sed etiam afflatu nocet; ideò ab eius facie colligitur iustus.*

Isaia 57. v.1.

D. Thom. hic.

Velasquez in 1. ad Philip. v. 21 annotat 5. morali.

5. Ex dictis colligitur, quanto amore Deus prosequatur Principem nostrum defunctum, quia mortem ei anticipatam & immaturam immisit & eripiens eum ex hac miseriarum valle ad paradisum transtulit. Hoc fuit Auditores placere Deo, eique grata esse opera eius, quibus meruit ex hisce mortalis vitæ ærumnis eripi, nam tot sunt in hoc calamitoso sæculo scopuli, Syrtes, & Charybdes, ut ægrè aliquis evadere queat. Quamobrem Abbas Rupertus, & S. Basilius Seleucus asseverant Salvatorem flevisse, dum Lazarum statuisset resuscitare: *Lachrymatus est Iesus*, quia videbat se obligatum ad revocandū eum à morte ad vitam, à pace ad bellum, & à quiete ad laborem; quapropter magnus Seleucus existimat aggratulandum esse justo morienti: *Congratulari homini hoc nomine licet, quod tempestivè ex huius vita miseriis exemptus fuerit.* Congratulemur itaque & applaudamus beato illi qui ex hoc sæculo nequam eripitur, tot laqueis pleno, tot infortuniis obnoxio, & tot calamitatibus obruto, quia evidens est argumentum, & manifestum iudicium animam ipsius Deo fuisse gratissimam: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illā de medio iniquitatum.*

Ioan. 11. v. 35.

D. Basil. Seleucus hom. 1. de Lazaro.

Populi

Populi autem videntes, & non intelligentes.

CONSIDERATIO III.

Quamvis amarus sit calix parenti videre ab oculis suis erepi filium, cordis sui delitium, generosa tamen patientia tanta orbitatis est lydius lapis fidei, & Christianæ virtutis eius

1. POpuli, inquit Spiritus Sanctus per os, & calamum Sapientis, id est, homines mundanis rebus immersi, ea videntes, non capiunt, nec intelligunt, & erroneum est judicium eorum, quia arbitrantur pessimum malum, quod in se est, præstantissimum beneficium, & reputant supplicium Dei, quod est maximũ misericordiæ illius indicium: hoc enim modo sentiunt, qui parvam Dei habent notitiam, prudentes autem, & timentes Deum, & innatam ejus indolem perspectam, & exploratam habentes, divinæ eius se conformant voluntati, & æstimantes illud veluti singulare beneficium, considerant quàm incomprehensibilia sint judicia Dei & investigabiles viæ & cogitationes eius, & quòd ipse solus noverit quod nobis conducat ad salutem, & nos sæpius ignoremus, quid velimus. Fateor ingenuè, est amarissimus calix parenti, filio suo orbari, quem ceu pupillam oculi sui tenerrime diligebat, sed una hoc subjicio, quòd tale tragicum spectaculum, etiam sit lydius lapis perfectæ fidei, & pietatis animi Christiani.

Nuntiavit Moyses fratri suo Aaroni summo Sacerdoti Deum abstulisse: vitam duorum filiorum suorum, & ait facer Textus ipsum obmutuisse: *Tacuit Aaron.* Ecquæ novitas tam inaudita, quam quòd nuntium tam triste, & inopinatum non commoveat, aut conturbet tantum Principem? cur non affligitur? an forsitan est omnis sensus, & doloris expers? Minimè gentium, inquit Rudolphus, exponens hunc locum, sed constans, & fidelis fuit: *Contristatus fuerat Pater super repentina filiorum morte, sed divini percepta censura iudicii, tacuit, nec quod Dei voluntate factum audiebat, reprehendere præsumpsit.* Persensit quidem Pater repentinam filiorum mortem, sed consideratione divinorum judiciorum temperavit luctum, & dolorem, & ideo siluit, neque ullum

Levitic. 10. v. 3

Rodulph. lib. 7. c. 2.

impatientiæ motum ostendit, quia hoc foret contradicere divinæ voluntati, & reluctari eius decretis, & opera Dei ad censuram revocare. Si ergo Princeps Aaron in tam inopinata simul, & infœlici morte filiorum suorum, fidem habuit conformandi se dispositioni divinæ, quantò majorem debent habere Principes Christiani in morte suorum, præsertim quando illa est prævisa, & jam aliquamdiu expectata, qualem solet Deus suis prædestinatis, & electis concedere, tamquàm singulare beneficium.

Doctissimus Lyranus exponens difficilem quemdam locum Geneseos, ubi sacer Textus commemorat vitam, & genealogiam Adami, adnotat rem omni ponderatione dignam, præsertim circa illa verba: *Vixit Adam centum, & triginta annis, & genuit filium ad imaginem & similitudinem suã, vocavitq; nomen eius Seth,* si autem acuratiùs attendant sacrarum Litterarum scrutatores ad Lectionem Septuaginta Interpretum, quemadmodum Iosephus narrat, asserunt Adamum fuisse ducentorum, & triginta annorum, quando filium suum genuit: *Ada siquidem cùm esset triginta ducentorum annorum Seth filius natus est.* Ecquis non videat hanc manifestam contradictionam, quam continent hæ duæ versiones; Vulgata enim numerat centum, & triginta, & Septuaginta computant ducentos, & triginta annos, quomodo igitur componemus hos duos Textus oppositos, aut quomodo ad concordiam revocabimus duas lectiones prima fronte adeo dissimiles; Egregiè enodat hanc difficultatẽ Lyranus, & apposite ad rem nostram, dicens: *Ideò eos subticuisse, quia mortem Abelis flevit illis centum annis.* Silentio præterit Spiritus Sanctus, neque Vulgata nostra meminit eorum, quia Adam illos centum annos impendit lacrymis, & luctui mortis justi, & dilectissimi filij sui Abelis. Amiserat filium, quem tenerrimè diligebat, erat sanctus, & eum deplorat, quia mortuus est in flore juventutis; ne igitur fiat mentio illius temporis, quia non vult Deus illud impendi lacrymis; aut luctui mortis filij justi, quamvis etiam præmaturæ. Supervacaneæ sunt illæ lacrymæ, non computentur Adamo centum anni, quibus Abelem deplorat defunctum, quia Deus illos tamquàm temporis jacturam reputat.

Gen. 5. v. 3.

Septuag. Interpr. Ioseph. lib. 1. antiq. c. 5.

Lyran. hic.

Fateor, æqua sunt, & justa lamenta in amissione rei plurimùm dilectæ. Dolenda, & deploranda

da est jactura primogeniti unicè amati à patre suo: verùm si piè obierit, hoc ipsum temperat, & lenit dolorem; at si non haberetur pia certitudo salutis ipsius, tunc rationi consonum foret laxare fræna dolori. Hæc observatio est magni Doctoris Ecclesiæ S. Hieronymi, qui ponderat planctum Davidis super infirmitatem primi filii ex Bethsabee procreati, cùm enim summopere vitam eius diligeret, eo ægrotante, jejunavit, ferventissimas fudit preces, Deum pro incolumitate eius rogavit: at verò ubi mortuum intellexit, deposuit luctum, exuit cilicium, & jussit sibi parari mensam & instrui convivium, ad lautè, & hilariter comedendum: *Nunc autem, ait, quia mortuus est, quare ieiunium? numquid potero revocare eum amplius?* Sed ubi nuntiata fuit illi infortunata mors Absalonis, continuò fluxerunt ex oculis eius lacrymæ, & modum lugendi nullum fecit in has lamentabiles prorumpens voces: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det, ut ego moriar pro te?* Ecquid ita? inquit Sanctus Hieronymus. Sicciné David luget mortem parricidæ, & rebellis filii, & in morte innocentis lætatur, & exultat? Non capio. Non est bene ordinatus amor, neque æquus, aut congruus videtur esse dolor: sed finite & indulgite sancto Regi, quia servi Dei, & veri patris munus peragit: *Scribitur David iustè flevisse filium parricidam, qui alium parvulum, quia sciebat non peccasse, non flevit.* Deploravit David mortem Absalonis propter infœlicem eius exitum in peccato, & non propter vitam temporalem, quam amiserat, luxit vitam animæ, & non mortem corporis. Meritò lamentetur David, & luctu contabescat in morte filii, qui damnatur, & lætetur in morte filii innocentis, qui salutem adipiscitur æternam.

2. Reg. 12. v. 23.

2. Reg 18. v. 33.

D. Hieron. Epist. 25. ad Paul de obitu Blesil.

5. Alloquitur Patrē defuncti.

Si Deus, excellentissime Domine raperet filium tuum, uti oculis nostris conspeximus paucis ab hinc annis duos primogenitos Magnatum Hispaniæ è medio tolli, unum Romæ, qui casu fortuito propria bombardâ occubuit, & alterum in hac Civitate Hispalensi gladio confossum, sine spatio pœnitentiæ. Hic certè congruæ forent lacrymæ & omnis luctus propter incertitudinem status animæ locum haberet. At in fœlici transitu unius primogeniti, qui sanctè obiit, & veluti observantissimus Religiosus beato fine quievit, incongruè sunt lacrymæ, & convenientissima gaudii, & lætitiæ signa. Ecquis sanctus maiori cum affectu mortem appetiit, & exoptavit, quàm Princeps noster defunctus? ipse enim instante sibi morte rogavit Confessarium suum, ut dignaretur parentem suum monere, eique persuadere, quatenus curaret sumi mensuram capuli, seu sandapilæ in qua sepeliretur. Adeò cupiebat sibi mortem accelerari, ut illius repræsentatione desideraret oblectari, donec optata adveniret. Non comparo illum Christo Domino, certum tamen est, quòd in hoc singulari voluerit eum imitari, eiusque sequi vestigia. Quando Deipara Virgo peperit Filium suum, & vilibus panniculis eum involvit, statim eum deposuit in terram: *Reclinavit eum in præsepio.* Si libuerit quærere ex sancto Hieronymo, quam, qualemve formam habuerit præsepe, respondebit nobis illud fuisse ex quatuor asseribus compositum ad instar capuli seu cistæ mortuorum. Iuxta Doctrinam igitur huius magni Doctoris Salvator bina vice fuit sepultus, semel quoad effectum & iterum quoad affectum, prima in præsepio & secunda in sepulchro. Indagemus ergò, cur voluerit Dominus sacrosanctum corpus in vita sepelire? nonné satis erat semel exanime cadaver mandari sepulturæ. Minimè gentium, quia amor eius erga nos, & ardentissima eius desideria moriendi & redimendi nos, haudquaquam sufferre potuerunt tam prolongatam moram executionis, ideoque anticipavit in vita sepulturam, commensurans seipsum illi, sumens ex hac consideratione solatium, donec optata appropinquaret hora, qua in illa deponeretur. Tanto animi desiderio anhelabat ad mortem hic Princeps, ut dum illi prolongandæ vitæ spem adderent, summopere affligeretur, & ex sola mortis repræsentatione unicum sui doloris caperet solamen. Iam vitam, divitias & redditus flocci pendebat, neque hæreditatem majoribus oppignoratam oneribus, quam commodis admittere volebat & tantùm aberat à timore mortis, ut potiùs illam summis animi gaudiis præstolaretur, veluti certior factus se Deo fruiturum & ea propter nullus ingemiscat, nullus suspiret, quia immeritò luget, si viva fide credat mortem ipsius in dulcem somnum esse conversam.

Luc. 2. v. 7. D. Hieron. super hæc verba.

6. Quinimo, omnibus benè perpensis, non est minor causa solatij Vestræ Excellentiæ, considerare in tam afflicta tribulatione Deum tractare Dominationem vestram veluti amicum, & dilectum suum, vult namque annos quibus vivit non esse inutiles, & perditos & veluti mortuos

mortuos, sed vitæ, & meritis plenos. Quando jam parata tempestate, & cœlo sereno Deus egit partes innocentiæ Iobi, restituens ei omnia duplicia, quæ amiserat: *Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Iob, duplicia.* Ingeniosè notat Tertullianus, solos filios non redditos fuisse duplicatos, neque mortuos fuisse denuò ei restitutos: *Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ.* Decem proles antea habuit, & decem ei fuerũt redditæ: ast cur non restituit ei priores filios à morte resuscitatos, vel saltem cur non reddidit ei duplicatos, quemadmodum cætera? quia noluit Iob, inquit Tertullianus, si id desiderasset, obtinuisset: *Sustinuit voluntariam orbitatẽ: ne sine aliqua patientia viveret.* Noluit speculum patientiæ vitam filiorum suorum ut donec viveret, occasionem, & materiam haberet. Ac si diceret, quia voluit vivere, voluit pati, quasi non viveret, nisi pateretur, deficiente incentivo doloris, & occasione passionis. Dicet quispiam curiosus, bellè hæc esse dicta, sed male fundata. Itane? Audite Angelicum Doctorem Sanctum Thomam egregie discursum nostrum corroborantem, in expositione illorum verborum: *Sic & ego habeo menses vacuos*, ubi sanctus Iosoph deplorat dies, & menses quos habuit vacuos. Expositores communiter asserunt illum fuisse locutum de diebus calamitatum suarum: sed Angelicus Doctor est contrariæ opinionis, atque Iobum in verbis illis meminisse suæ primæ prosperitatis, & annorũ suæ antiquæ fœlicitatis, & deplorare illud præteritum tempus tamquàm inutiliter consumptum, ac si diceret illos mẽses esse, quasi non fuissent, neque illos annos se reputare veluti annos vitæ, quibus nihil omnino passus fuerat: *Menses præteritos: mea prosperitatis omnibus fortunæ bonis refertissimos, ego semper existimavi vacuos.* Verba sunt sancti Thomæ, personam Iobi exhibentis. Reddat igitur Deus illi omnia duplicia, sed filios nequaquàm, ut quoad vixerit continuum reservet stimulum doloris, & excitamentum luctus sui, & ne reputet deinceps dies suos vacuos, & inutiles, uti existimavit præteritos, quia jam materiem, & occasionem habet patiendi. Restituatur ei modò, quod defuit tribulationum ante, patiatur, ut vivat, quia mortẽ judicat non pati, & solos illos annos censet plenos, qui tribulationibus, & ærumnis abundaverunt.

Iob. 42. v. 10.

ibid. v. 13

Tertull. lib. de patient. c. 13

Iob. 7. v. 3

D. Thom. apud Pinedam hic.

7. Non est prima strages, aut verber, quod pertulit vestra excellentia, jam enim Deus quinque abstulit filios, & ut mihi refertur, alius etiã ad mortem properat; ita ut idem videatur, Excellentiam vestram incipere esse patrem, ac incipere pati, paulatim enim Deus orbat Dominationem vestram, veluti alterum Iobum, pretiosiori supellectuli, nimirum filiis, quæ sunt pars patris. At quamvis hæ afflictionum tempestates ex una parte plurimum contristent cordis viscera, ex alia tamen animum, & calcar addunt, nam quæ certior causa solatij, quàm certò scire vestram Excellentiam, Deum recordari personæ suæ, & familiæ, quia tam crebris vicibus visitat amicum suum, & iteratis flagellis, meliùs dicam beneficiis, quibus solet Deus amicos suos recreare, uti in Iobo manifestè ostendimus, ut dies vestri sint pleni, & anni repleti, quia apud Deum soli reputantur dies vitæ, dies afflictionum, & qui illis carent, repudiantur à Deo tamquàm vacui, & mortui. Moriantur ergo filij vestri, quoniam sic Deo placet ad honorem, & gloriam suam, & quamquàm fuerint septem, quemadmodum Iobi, non tamen idcircò manebit absque hærede, & successore inclyta prosapia, & nobilissima domus de *Arcos*, quia idem Dominus, qui una manu immittit excellentiæ vestræ tribulationẽ, altera disponet, ut posteritas vestra temporalis diu permaneat, & per fœlicia sæcula æternum duret, ac proinde posita hac infallibili veritate, & quòd tot tamque immense bona accumulet patientia in simili adversitate, valde aliena erunt signa tristitiæ, & nequaquàm rationi consentaneus quilibet doloris affectus.

8. Coronidem imponat huic discursui nostro gloriosus Sanctus Ioannes Chrysostomus, loquens cum Principibus in morte filiorum suorum, & præscribens eis quasdam considerationes, quæ dolorem eorum leniant, & moderentur: *Ego verò libenter te interrogarem tuarum ne rerũ an cælorum mali filios tuos esse heredes? Et utrùm magis desideres, caduca hæc & corruptibilia possidere ab illis quæ tamen post omnino essent relicturi, an stabilia illa, & æterna?* Quæro, inquit aureum os Chrysostomi, cequid melius est filios vestros esse heredes bonorum terrenorum, an cœlestium, an rerũ caducarum, an vero permanentium, quæ secundum fidem, æternum durabunt? *Illæ rebus omnibus planum est, non esse amoris has lacrymas, sed turbationis, & animi parùm sapientis, nam si de fun-*

D. Chrysost. tom. 2. in illud Matth. Non est mortua puella.

functum diligeres, gauderes utique, quia fluctus præsentis vitæ pernavigavit. Ex dictis plane colligitur, ait S. Archipræsul, lacrymas in tali planctu non ex amore, sed animi perturbatione emanare, si enim defunctum amares, gauderes, quia periculosam enavigavit tempestatem, & ad fœlicem æternæ quietis portum appulit. Et si responderis (subjungit) nimis intolerabilem esse casum, & infortunium tuũ: *Sed si intolerabilis tibi casus tuus videtur, propterea ergò defuncti gratia plorandum non est, quoniam à multis hujusmodi casibus liberatus est.* Quasi diceret; quinimò ea de causa nequaquam dolere, & gemere, aut lugere debes eius absentiam, quia eripuit eum Deus ex omnibus periculis, ne alios similes dolores patiatur. Et tandem concludit: *Reddidisti depositum, quod tibi creditum erat, non sis ergo solicitus, si vides in inviolabili ærario thesaurum tuum esse depositum.* Id est, tradidit Deus custodiæ tuæ hoc pretiosissimum monile, id est, animam tuam, & jam reddidisti apud te depositam absque ulla diminutione, aut læsione: an fortasse tristaris, quia exactam dedisti rationem rei tibi commissæ? repetit bona sua, & reposuit hoc pignus in thesauro suo, & tu affligeris, & conturbaris; hoc certè erroneum est judicium, neque scite Philosophiam, sed sequi vestigia vulgi ignorantis, quod cùm sit inductum, & rude, nullius habens notitiam, reputat supplicium cœli, quod est singulare Dei beneficium: *Populi autem videntes, & non intelligentes, &c.*

Et non ponentes in præcordiis talia.

CONSIDERATIO IV.

Deus rapiendo hunc Principem præmatura morte, etiam præstitit vivis singulare beneficium revocando illis in memoriam recordationem mortis, & vitæ humanæ instabilitatem.

6 SEnsus postremorum verborum Thematis nostri est, quòd licet sit singularis favor justo, rapi à Deo præmatura morte ex hac miseriarum valle, non tamen minus esse beneficium vivis: sicuti enim defũcto asseritur præmium, ita etiã viventibus refricatur memoria mortis, quæ illis frænum injiciat; quando enim illius immemores viam peccatorum cæco impetu percurrentes non agnoscunt errores suos, neque hoc excitamentum in illis operatur, evidentissimum argumentum est, eos, quãvis fideles, ipsis barbaris esse duriores, & impietate deteriores. Egrediuntur filij Israel ex Ægypto spoliis, auro, argento, & aliis pretiosis monilibus onusti, quæ ab Ægyptiis mutuò acceperant: *Sed & vulgus promiscuũ innumerabile ascendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diversi generis multa nimis.* Exodi 12. v. 38. Nullus itineri eorum remoram injicit, securi abeunt, & lento gradu incedunt, nihil pertimescentes, quasi patrium solum perambularent. Ecquid hoc tam novum, & inauditum, interrogat Abulensis, heri captivi, & afflicti, & ecce hodie liberi, & læti; qui illos Domini permittunt abire? quomodò Rex non impeditur milites limitanei illis securum consentiunt transitum? Ad respondendum huic dubitationi recurrit magnus Doctor ad Librum Numerorum, ubi sacer Historicus commemorat, Hebræos tunc egressos fuisse ex Ægypto quando habitatores illius intenti erant sepeliendis primogenitis, quos Angelus Dei minister interfecerat: *Profecti igitur filii Israel videntibus cũctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos suos, quos percusserat Dominus.* Num 33. v. 3. Cui consonat illud Davidis. *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti.* Psal. 77. v. 51. Quid igitur obstupescitis, aut admiramini? ait Doctus Abulensis, quòd videntibus illis abeant Hebræi, cùm primogenitos suos sepeliant? *Tanto defunctorum primogenitorum tenebantur dolore, quod videntes Hebræos recedere, non petebant ab eis vasa aurea & argentea quæ accommodaverant.* Abulens. q. 40. in c. 13. Numer. Videntes Ægyptii tantam stragem primogenitorum, omnes pariter cum Rege attoniti, & tam tristi spectaculo terrefacti, impunè illos abire sinunt, neque recordantur opum suarum, neque ullam habent memoriam auri, argenti, aut captivorum suorum, & quasi mentis impotes, thesauros suos negligunt, & vilipendunt. Vt luculenter pateat: quantum permoveat, quantum emolliat etiam saxeum pectus una mors præmatura primogeniti; quoniam superbus ille, & perduellis Pharao, qui plagis à Deo immissis obdurabatur, & flagellis divinæ ultionis insolescebat, & omnes unà cum ipso ita in alios mutati sunt, adeò humiles, & mansueti effecti ut videntes primogenitos suos morte extinctos, non solùm capti-

captivos donaverint libertate, sed etiã omnes facultates, & divitias suas flocci penderint. Rectè igitur affirmo ego, illum futurum ipsis infidelibus deteriorem, qui aspectu tam tristis spectaculi, vitam suam non in melius convertit.

2. Attendite, quæso, & benevolas præbete aures, quia, quod dicturus sum, singularem meretur attentionem. Descendit fortissimus Samson, etiam maximis carnis illecebris irretitus, & venereo amore vehementer excæcatus in Thamnata, cumque venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus Leonis, sævus & rugiens, & aggressus est eum, erat hic Leo minor, quia catulus, ut loquitur sacer Textus. Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit Leonem, quasi hœdum in frusta discerpens. Post aliquot autem dies eadem viâ revertens, volénsque cadaver Leonis videre, & reperit in illo examen apum in ore Leonis, & favum mellis. Quem cùm sumpsisset, comedit, & ex eo gloriatus problema confinxit: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Peregrinum profectò ænigma & supra totius naturæ sphæram, & limites, ajunt Interpretes; quia numquam quid simile visum est in cadavere Leonis. Haud dubiè aliquid singulare voluit Deus hocce facto docere Samsonem, & nos omnes in illo. Plura proferunt moralia sacri Doctores circa hunc admirabilem eventum: at præ cæteris maximè ad rem nostram disserit Stephanus Cantuariensis: *Hoc est, quod Samson in ore Leonis mortui mel invenit, & comedit, quoniam scilicet eius exemplo alii cautelam assumant;* id est, invenit Samsonis fortitudo in ore demortui Leonis mel, cibum sane illi perutilem, & salutarem, ut in eius ruina addiscat, & alieno periculo cautior fiat. Duo supponit hic Doctor in sua allegoria scitu necessaria, ut eius mentem assequi valeamus. Primum est, Leonem propter excellẽtiam roboris, & fortitudinis, esse Principem omnium animalium, & eorumdem terrorem. Secundum est, mel significare, seu esse symbolum sapientiæ, quæ ambo ex sacris constant litteris: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*, ait Salomon in Proverbiis, & Propheta Ezechiel in suis vaticiniis: *Factum est in ore meo, quasi mel dulce.* Ad rem ergo Samson nuptiis suis exhilaratus plurimũ gloriabatur de robore, & fortitudine sua. Dat igitur Deus illi mel in ore catuli Leonis demortui, ut addiscat, & cautè vivat, neque nimium de viribus humanæ fortitudinis præsumat, sed recogitet in morte robusti Leonis, nihil esse firmum, aut stabile in humanis rebus. Tamquàm si ei diceret, existimas Samson te Leonem esse robore, ac viribus immortalem, respice alium Leonem ætate florentem, & fortitudine præstantem, morte devictum, & in eius cadavere experimento agnosce nihil esse permanens: quia nil profuit Leoni esse catulum alterius Leonis ad evadendum mortem. Recogita diligenter, quomodo vivas, quia brevi idipsum tibi eveniet.

Iudic. 14. v. 14.

Stephan. in lib. Alleger.

Proverb. 30 v. 30.

Ezechiel 3. v. 3.

O Magnates, & potentes huius sæculi, qui putatis vos esse Leones fortes, & insuperabiles, conjicite oculos vestros in hunc generosum Leonem, quem inimica mors ad suos prostravit pedes. Et nos omnes, videamus nosmetipsos in hoc speculo (ad instructionem nostram) quia hoc unicum contendit Deus, ut vivis revocet in memoriam imaginem mortis, per mortem huius defuncti Principis, ut illa sit nobis frænum, quando illius immemores, & obliti cæco impetu rapimur ad omnia vitiorum genera. Neque simus de numero eorum, qui nequeunt assequi divinas intentiones, quæ tamen in similibus eventibus facilè intelligi possunt, ne, inquam simus de numero eorum, de quibus sacra Scriptura commemorat: *Et non ponentes in præcordiis talia.* 3.

O Princeps ter quaterque beate! Angele humane (nemo miretur peregrinum loquendi modum, quia etiam in terris Angeli reperiuntur, idcircò enim Angeli, juxta quorumdam Doctorum opinionem, ad modum juvenis, seu adolescentis formosi depinguntur, quia nihil reperitur in mundo, quod expressius repræsentet Angelum, quàm adolescens generosus, & probus) utinam tam fortunata foret sors nostra, ut tua, quoniam constat nobis, te gloriosa morte esse defunctum, & nescimus, qualis mors nos maneat. Festinasti, & celeri pede, tamquàm verus justus, percurristi viam mandatorum Dei & omnes perambulasti semitas virtutis. Festinavit etiam Deus te præmiis condecorare, & ideò prematurè rapuit te ex hoc mundo, nam ut diximus, non est iniuria, sed favor, qui fit justo; quapropter non est, quòd cõqueratur se mori in adolescentia, sed Deo gratias agat. Conformiter ad hæc expono ego sententiam illam S. Ephræm Syri, quã alii variè explicant. Loquitur S. de justo, & subjungit hæc 4.

verba: *Se in hac vita velut navis conscensorem reputat*; id est, justus viatori, aut naviganti similis est. Prosperam nacti facultatem navigandi, solvitis ex portu *San Lucar*, & velafacitis ad terram firmam, quam navigationem nonne si quadraginta aut quinquaginta dierum spatio perficere potestis? favente tempestas opportuna, & simul industria nautarum adjuvante, in quindena ad optatum appellitis portum, & illucescente aurora, & epibata seu puer qui malum conscendit, inclamat terram video, terram video. Ecquid ita; tam brevi temporis spatio tam longa navigatio peracta? Vbi terrarum versamur? In Terra firma. Itane, tam citò appulimus? Nonnè magna foret stultitia conqueri, & dolere vos tam citò, & secundo vento appulisse? nonnè, inquam, summa foret dementia, antennam tingere luctu, & non potiùs eam ornare signis lætitiæ, propter fortunatissimam navigationem, quam spatio quindecim dierum absolvistis, ubi alii quadraginta aut quinquaginta non sine magno discrimine impendunt? Eodem prorsùs modo, non habet, quod conqueratur justus, qui primis fere adolescentiæ annis migrat ex hac vita: cùm enim citiùs, aut serius oporteat pervenire ad portum illum jucundissimum, ubi terra firma, ubi nulla deinceps tempestas timenda, ubi summa interminabilis gaudii securitas obtinetur, immeritò sanè lamentaretur se spatio quindecim dierum eò appulisse, quò plures difficili, ac periculosa navigatione, plurimis annis remigando tardiùs appellunt; quinimò debet ipse in cœlis, ubi Deo jucundè perfruitur, immensas reddere gratias, & nos qui eum impensè amamus, & ejus exequias celebramus in terris, infinitas rependere grates eidem Domino, pro singulari favore illi præstito, & supplicare, ut nobis tam faventem concedat navigationem, quæ nos tandem sua gratia adjutos ad æternæ salutis, & gloriæ portum perducat. *Quam mihi, & vobis donet Deus Pater, &c. Amen.*

D. Ephram adhort. 2. tom. 1.

Finis Concionum de Sanctis.

Ad Dei omnipotentis, Beatissimæ Virginis, SS. Dominici, Thomæ, & omnium Sanctorum gloriam, & honorem.

SYLLABVS

SYLLABVS

8-3 I-3

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc tomo de Sanctis continentur.

Littera t *tractatum.* c. *Considerationem* n. *Numerum,* t. *vero tantum exordium designat.*

EX LIBRO GENESI.

Cap. I.

V. 2. Terra erat inanis, & vacua. t. 7. c. 5. n. 3. t. 17. c. 1. n. 2.
V. 2. Tenebræ erant super faciem abyssi, & divisit lucem à tenebris. t. 12.
V. 5. Et factum est vesperè, & manè dies unus. t. 17. c. 4. n. 7. t. 19. c. 1. n. 1.
V. 8. Vocavit Deus firmamentum cœlum. t. 15. c. 3. n. 1.
V. 9. Congregentur aquæ, ut appareat arida, & dixit Deus fiat lux. t. 7. c. 5. n. 3.
V. 14. Fiant luminaria, ut dividant diem, ac noctem. t. 12.
V. 16. Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. t. 9. c. 2. n. 7.
V. 20. Producant aquæ reptile, & volatile. t. 14. c. 1. n. 7.
V. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. t. 14. c. 1. n. 3. t. 22.

Cap. II.

V. 2. Requievit Deus ab universo opere, quod patrarat. t. 15. c. 2. n. 3. & c. 3. n. 6.
V. 16. & 17. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ ne comedas. t. 7. c. 2. n. 3.
V. 17. Ex omni ligno Paradisi comede. t. 14. c. 2. n. 2. t. 29. c. 3. n. 1.
V. 19. Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. t. 9. c. 2. n. 6. t. 13. c. 1. n. 5.
V. 21. Tulit unam de costis, & replevit carnem pro ea, & ædificavit eam in mulierem. t. 1. c. 3. n. 2.

Cap. III.

V. 8. Deambulantis ad auram post meridiem. t. 6. c. 3. n. 3.
V. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius. t. 11. c. 2. n. 4.
V. 17. & 18. Maledicta terra in opere tuo: spinas, & tribulos germinabit tibi. t. 10. c. 4. n. 2.
V. 21. Fecit Dominus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. t. 26. c. 5. n. 1.
V. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis. n. 3.
V. 24. Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. t. 23. c. 3. n. 5.

Cap. IV.

V. 1. & 2. Adam cognovit mulierem suam, quæ concepit, & peperit Cain, & addidit, ut pareret fratrem ejus Abel. t. 18. c. 2. n. 3.
V. 2. Et Cain Agricola. t. 7. c. 5. n. 2.
V. 8. Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum. t. 28. c. 2. n. 1.
V. 9. & 10. Vbi est Abel frater tuus? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. t. 11. c. 3. n. 5. t. 25. c. 2. n. 1.
V. 13. Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear. t. 12. c. 4. n. 1.
V. 14. Omnis qui invenie me, occidet me. t. 5. c. 3. n. 1.
V. 16. Posuit Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum. t. 12. c. 4. n. 1.
V. 26. Iste cœpit invocare nomen Domini. t. 17. c. 4. n. 2. t. 20. c. 3. n. 3.

Cap. V.

V. 3. Vixit Adam centum, & triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. t. 18. c. 3. n. 3.

Cap. VI.

V. 9. Noë vir justus. t. 3. c. 3. n. 4. t. 27. c. 1. n. 8.

V. 20. De volucribus juxtà genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum. t. 15. c. 4 n. 5.

Cap. VII.

V. 7. Et ingressus est Noë, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus, cum eo in Arcam propter aquas diluvii. t. 20 c. 3 n. 1.

Cap. VIII.

V. 21. Odoratus est Dominus odorem suavitatis. t. 23. c. 3. n. 2.

Cap. IX.

V. 20. Cœpitque Noë vir agricola exercere terram. t. 7. c. 5. n. 2.
V. 20. Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. t. 17 c. 4 n 3.
V. 25. Maledictus puer Chanaan. t. 10 c. 5 n. 6.

Cap. XI.

V. 26. Thare genuit Abram, & Nachar, & Aram. t. 18. c. 2 n. 2.

Cap XII.

V. 1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. t. 2 c. 1. n. 2.
V. 2. Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. t. 10.
V. 2. Faciamq; te in gentem magnam. t. 20 c. 3 n. 4.

Cap. XIII.

V. 14. Dixit Dominus ad Abraham, postquàm divisus est ab eo Loth: Leva oculos tuos, & vide. t. 11 c. 1. n. 6.

Cap. XIV.

V. 1. Rex Salem. t. 16 c 1 n. 6.
V. 21. Da mihi animas, cætera tolle tibi. t. 16 c. 4 n. 1. t. 27 c. 5 n. 4.

Cap. XV.

V. 5. Eduxit eum foras, & ait illi, suspice cœlum. t 20. c 3 n. 4.

EX LIBRO GENESI.

V. 9. Turturem, & columbam. t. 10 c. 2 n. 3.
V. 15. Ibis ad patres tuos, sepultus in senectute bona. t. 10. c. 3 n. 2.

Cap. XVIII.

V. 1. Apparuerunt ei tres viri stantes propè eum. t. 19. c. 3. n 3.
V. 8. Stabant juxtà illos. t. 4 c 3 n. 6.
V. 20 & 21. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatũ est nimis, descendam igitur, & videbo. t. 26 c. 1. n. 2.

Cap. XIX.

V. 1. Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus Civitatis. t. 19 c. 3 n. 3.

Cap. XXI.

V. 6. Risum mihi fecit Deus. t. 17. c. 1. n. 4.

Cap. XXII.

V. 1. & 2. Tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: tolle filium tuum, quem diligis Isaac. t. 3. c 1 n. 3. t. 25 c. 3. n. 2.
V. 10. Arripuit gladium ut immolaret Isaac filium suum. t. 13 c. 2. n. 5.
V. 12. Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. t. 13. c. 2. n 6.
V. 15. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de cœlo. t. 20. c. 3. n 6.
V. 16. & 17. Per memetipsum juravi: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci meæ. ibid. n. 5.

Cap. XXIV.

V. 65. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? t. 28. c. 1. n. 7.

Cap. XXVI.

V. 27. Habitabat in tabernaculis. t 7. c. 3. n 8.
V. 29. Coxit autem Iacob pulmentum. t. 15. c. 1. n 3.

Cap. XXVII.

Cap. XXVII.

V. 28. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini. t.16.c 2.n.5.

Cap. XXVIII.

V. 12. Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cucumen illius tangens cœlum, & Angelos ascendentes & descendentes. t 10.c.3.n.8. c.14.c.1.n.2.
V. 15 Ero custos tuus, quocumque perrexeris. t.11 c.1. n.4.
V. 20. & 21. Si Deus fuerit mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulabo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum. t 10.c.1.n.4.
V. 21. Erit mihi Dominus in Deum. t. 11.c.1.n.5.
V. 31 Et Dominum inmxũ &c t.15.c.1.n.3.t. 24.c.3 n.3.

Cap. XXXI.

V. 24. Cave, ne quidquàm asperè loquaris contra Jacob t.17.c 1.n.2.
V 30. Cur furatus es Deos meos. t.22.c.3. n.22.
V. 35. Ne irascatur Dominus meus, qui coram te assurgere nequeo. t.12. c 5 n.5.

Cap. XXXII.

V. 1. Fuerunt ei obviam Angeli Dei. t.19.c.3 n.4.
V. 10. Cum duabus turmis. t. 16 c.2.n.5.
V. 10 Minor sum cunctis miserationibus tuis. n. 6. ibid.
V. 26. Dimitte me jam enim ascendit aurora. t.19.c. n. 5.
V. 26. Non dimittam te nisi benedixeris mihi. t.10. c.1. n.4. t.16.c.2. n.5.

Cap. XXXVII.

V 2. Hæ sunt generationes Jacob, Joseph cùm sedecim esset annorum pascebat gregem. t.3.c.3.n.5.
V 10. Et increpavit eum pater suus. t.13.c 1.n.1.
V. 15. Invenit eum vir errantem t.7.c.3.n.7.

Cap. XXXIX.

V. 7. Injecit Domina sua oculos suos in Ioseph, t.26 c.2. n.1.

Cap. XLI.

V 42. Tulitque annulum è manu sua, & dedit eum in manu ejus. t.26.c. 2.n 6.
V. 43. Vt omnes coràm eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. t.9 c.4.n.3.

Cap. XLII.

V. 7. Quasi ad alienos durius loquebatur. t.6.c.5.n.6.

Cap. XLIII.

V. 16 Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium, quoniam mecum comesturi sunt meridie ibid.

Cap. XLVII.

V. 31. Adoravit Israël conversus ad lectuli caput. t. c. 4.n. 1.

Cap. XLVIII.

V. 19. Scio fili mi, t.18.c.1.n.1.

Cap. XLIX.

V. 9. Ad prædam fili mi ascendisti. t.1.c.4.n.3.
V. 9. Ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti ut Leo, & quasi Leæna quis suscitabit eum? t.2.c. 3. n.5.
V. 22. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens. t. 3. c.2..n. 5.

EX LIBRO EXODI.

Cap. I.

V 9. & 10 Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior est nobis, venite sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. t.10.c.5.n.4.

Cap. II.

V. 12. Percussum Ægyptium abscondit sabulo. t. 13. c. 1.n.2.

Cap. III.

V. 2. Videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. t.22.c.3.n.6. t. 23.c.1 n.7.
V. 3. Vadam & videbo visionem hanc magnam. t. 22. c.3.n.6.t.23.
V. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob. t.13 c.2. n.5.

Cap V.

Cap. V.

V. 3. Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum, in solitudinem & sacrificemus Domino Deo nostro t. 3. c. 1 n. 2.

Cap. VII.

V. 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis. t. 9. c. 4. n. 2. t. 21. c. 1 n. 5. t. 22. c. 3. n. 3.

V. 11. & 12. Projecerunt virgas suas, quæ versæ sunt in Dracones. t. 7. c. 4. n. 3.

Cap. X.

V. 9. Cum parvulis nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus. t. 2. c. 1. n. 3.

V. 22. Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti. t. 2. c. 5. n. 3.

Cap. XII.

V. 4. Sin autem minor est numerus, ut sufficere non possit ad vescendum agnum, assumet vicinum, qui junctus est domui suæ. t. 16.

V. 38. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves & armenta, &c. t. 28. c 4. n. 1.

Cap. XIII.

V. 14. Tulit quoque Moyses ossa Joseph. t. 20. c. 4. n. 1.

Cap. XIV.

V. 16. Tu autem eleva virgam tuam, & extende manũ tuam super mare. t. 17. c. 4. n. 3.

Cap. XV.

V. 2. Iste Deus meus est & glorificabo eum. t. 14. c. 3. n 1.

V. 3. Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen ejus. t. 27. c. 4. n. 3.

Cap. XVI.

V. 13. Mane quoque ros jacuit per circuitum. t. 5. c. 2. n. 3.

Cap. XIX.

V. 4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim in Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. t. 5. c. 4. n. 8.

V. 8. Responditque omnis populus simul: cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. t. 3. c. 1. n. 3.

Cap. XX.

V. 18. Cunctus autem populus videbat voces & lampades. t. 8. c. 4. n. 6.

V. 26. Non ascendas per gradus ad altare meum. t. 6. c. 1. n. 1.

Cap. XXIII.

V. 11 Ut comedant pauperes populi tui. t. 8. c. 1. n. 3.

Cap. XXIV.

V. 10. Quasi opus lapidis sapphirini. t. 19. c 2. n. 5.

V. 15. & 16. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum Dominus de medio caliginis. t. 15. c. 3. n. 1.

V 26. Surrexerunt Moyses & Josue minister ejus, ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait, expectate hic. t. 12. c. 1. n. 2.

V. 65. At illa tollens pallium suum operuit se.

Cap XXV.

V. 20. Respiciant se mutuò versis vultibus in propitiatorium. t. 7. c 1. n. 1.

V. 23. Deaurabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesque coronam auream per circuitum. t. 15 c. 2. n. 9.

V. 23. & 24. Facies & mensam de lignis Setim, & inaurabis eam auro purissimo, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam. t. 8. c. 2. n. 5.

Cap. XXVI.

V. 35. Mensamque extra velum. t. 14. c. 2. n. 3.

Cap. XXVIII.

V. 12. Portabitque Aaron nomina eorum coràm Domino super utrumque humerum ob recordationem. t. 8. c. 4. n. 5.

Cap. XXXII.

V. 1. Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim, huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti ignora-

ignoramus, quid acciderit ei. t.9.c.2.n.3.t.18. c.4.n.2.

V. 7. Descende; peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. t.24.c.1.n.3.

V. 13. Recordare Abraham, Isaac, & Israël servorum tuoru. t.21.c.4.n.7.

V. 26. Si quis est Domini jungatur mihi. t.11. c.2. n.1.t.12 c.5.n.2.

V. 31. Aut dimitte eis noxam hanc, aut dele me de libro vitæ. t.21.c.5.n.7.

Cap. XXXIII.

V. 11. Sicut solet loqui homo ad amicum suum. t.9. c.4 n.2.t.21.c.1.n.5.

V. 13. Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. t.19.c.3.n.7.

Cap. XXXVI.

V. 6. Jussit Moyses præconis voce cantari: nec vir, nec mulier, &c. t.25.c.3 n.8.

V. 6. Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultrà in opere sanctuarii. t.22.c.2 n.8.

EX LIBRO LEVITICI.

Cap. II.

V. 15. Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies. t.13.c.1.n.2.

Cap. VI.

V. 23. Omne sacrificium igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. t.2.c.2.n.3.

Cap. VIII.

V. 3. & 4. Congregabis omnem cœtum ad ostium. t.18.c.3.n.5.

Cap. X.

V. 3. Tacuit Aaron. t. 28.c.3.n.2.

EX LIBRO NVMERORVM.

Cap. XI.

V. 9. Cumque descenderet nocte super castra Ros descendebat pariter & Man. t.16.c.3.n.5.

V. 16. & 17. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu novisti, quod senes populi sint ac magistri, & Duces ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum: Ut descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. t.17.c.3.n.2.

Cap. XII.

V. 10. Maria apparuit candens lepra. t.2.c.4.n.3.

Cap. XVI.

V. 32. Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis. t.24.c.2 n.3.

Cap. XVIII.

V. 1. Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem sanctuarii. t.19.c.4.n.4.

Cap. XXVII.

V. 19. Stabit coram Eleazaro Sacerdote. t.27. c.1.n.7.

Cap. XXXI.

V. 7. Cumque pugnassent contra Madianitas, omnes mares occiderunt, & Reges eorum. t.26. c.4.n.3.

V. 22. & 23. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbũ, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. t.23. c.3.n.6.

Cap. XXXIII.

V. 3. & 4. Profecti igitur filii Israël in manu excelsa videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos. t.28.c.4.n.1.

EX LIBRO DEVTERONOM.

Cap. IV.

V. 24. Dominus Deus tuus ignis consumens est. t.22.c 1.n.1.

Cap. XXVIII.

V.1, & 2. Si autem audieris vocem Domini tui, ut facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus Deus excelsiorem cunctis gentibus quæ versantur in terra. Venientque super te universæ benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamen præcepta eius audieris, &c. t.10, c.1.n.7

V.3, 4. & 5. Benedictus tu in civitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. ibid.

Cap. XXXII.

V.11. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. t.5, c.4.n.8.

Cap. XXXIII.

V.12. Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. t.9.c.1. n.10. t.21. t.24.c.1.n.2.

V.18. Lætare Zabulon in exitu tuo, & Isachar in tabernaculis tuis. t.15.c.2, n.7

Cap. XXXIV.

V.5. Mortuus est Moyses jubente Domino. t.27, c.2. num.3.

EX LIBRO IOSVE.

CAP. I.

V.2. Moyses servus meus mortuus est. t.25. c.3.n.7.

Cap. VII.

V.9. Quid facies magno nomini tuo? t.17. c.3.n.7

Cap. X.

V.12. Tunc locutus est Iosue. ibid.

Cap. XVII.

V.35. Lapidavitque eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt. t.12, c.4.n.4

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. I.

V.12. Qui percusserit Cariath Sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam, filiam meam uxorem. t.20, c.3, n.6

Cap. V.

V.8. Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit. t.14.c.3.n.5

Cap. VII.

V.18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate Domino, & Gedeoni. t.20, c.5, n.6. t.25, c.3.n.3.

Cap. XIII.

V.20. Cùmque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit. t.23, c.3.n.1.

Cap. XIV.

V.3 Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis. t.2. c.3.n.3.

V.14. De comedente exivit cibus. t.28, c.4.n.2.

Cap. XV.

V.4, & 5. Perrexitque, & cœpit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio, quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. t.7, c.2, n.6.

Cap. XVI.

V.13, & 14. Si septem crines capitis mei, cum licio plexueris, & clavum his circumligatum, terræ fixeris, infirmus ero. Philisthym super te Samson extraxit clavum crinibus, & licio. t.15, c.1.n.7.

V.21. Statim eruerunt oculos eius. t.2. c.3.n.3.

V.25. Præceperunt ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. t.21, c.4, n.6.

EX

EX LIBRO I° REGVM.

EX LIBRO II° REGVM.

Cap. XVIII.

V. 33. Filii mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? t.28.c.3.n.4.

Cap. XX.

V. 9 Et tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans. t.7.c.2.

Cap. XXIII.

V. 8. David sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres. t.8.c.1.n.1. & c.5.n.5.

V. 15. O! si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portã. t.10.c.1.n.5.

V. 17. Non sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam. t.13. c.2.n.7.

EX LIBRO III REGUM.

Cap. I.

V. 3 QVæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus filiis Israël. t.14.c.3.n.4.

Cap. IV.

V. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum. t.7.c.5 n 5.

V 31. Et erit sapienter cunctis hominibus. t. 7. c.5.n 5.

Cap. XVII.

V. 12. Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur. t.1.

V. 19. Tulitque eum de sinu eius, & portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. t.15.c.1.n.4.

Cap. XIX.

V. 4. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. t.5.c.3.n.5.

V. 9. Quid hic agis Elia? t.10.c.1. n.1. t. 14. c.2.n.2.

V. 11. Et non in spiritu Dominus, & non in commotione Dominus, si bulus auræ tenuis. t.14 c.4.n.3.

V. 19. & 20 Cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum, qui statim relictis bobus, cucurrit post Eliam. t.1.c.1.n.1.t.19.

Cap. XX.

V. 23. Dii montium sunt Dii eorum, ideo superaverunt nos, sed melius est pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. t.5 c.1.n.4.

EX LIBRO IVo REGUM.

Cap. II.

V. 9. FIat in me duplex spiritus. t.5.c.1.n.1. & t.18.c.4.n.11.

V. 11. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce, currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum: Eliseus autem videbat, & clamabat. t.23.c.2.n.3. t.23. c.4.n.7.

V. 14. Vbi est Deus Eliæ etiam nunc? t.20.c.4.n.4.

Cap. III.

V. 12. Descenditque ad eum Rex Israel, & Iosaphat Rex Iuda, & Rex Edom. t.4.c.1.n.7.

Cap. IV.

V. 33. Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & oravit ad Dominum. t.14.c.1.n.4.

V. 35. Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos. t.10.c.4.n.4.

Cap. V.

V. 3. Utinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profecto curasset eum à lepra quam habet. t.24.c.4.n.6.

Cap. VI.

V. 6. Præcidit ergo lignum, & misit illuc natavitque ferrum. t.21.c.2.n.7.

Cap. IX.

V. 5. *Verbum mihi ad te, ô Princeps.* t.8.c.5.n.4

V. 11.

V. 11. Quid venit insanus iste ad te? ibid

XIII.

V. 19. Si percusseris quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. t.20,c.5,n.7

V. 21. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos. t.20,c.4,n.4

Cap. XVII.

V. 14. Collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israël, qui possiderunt Samariam & habitarunt in urbibus ejus. t.12,c. 5, num. 7.

Cap. XXII.

V. 20. Colligeris ad sepulchrum tuum in pace, t. 27, c. 1. num. 4.

EX LIBRO IIo PARALIPOM.

Cap. III.

V. 13. ALæ Cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti ipsi autem stabant erectis pedibus. t.6, c.2, n.2

Cap. XXII.

V. 8. Ochozias filius Joram Rex Iuda descendit ut inviseret Ioram filium Achab in Iezrahel ægrotantem. t.8, c.5, n. 4.

Cap. XXXVI.

V. 8. Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo. t.10.c.4,n.6.

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. I.

V. 14. DEdit ille potestatem, quocumque vellet ire: pergebat ergo per omnes qui erant in captivitate, magis volens habitare in terra aliena ad confirmandum captivos in bono, quam redire ad propria. t 21, c.5, n.6.

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. XII.

V. 19. Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest utor. t.4, c.4.n.5.

V. 19. Ego cibo invisibili utor. t.7,c.1,n.8.

EX LIBRO IOB.

Cap. I.

V. 1. VIr fuit in terra Hus, nomine Job, eratque ille magnus inter omnes Orientales. t.1,c.4.n.2,

V. 8. Non erat similis ei in terra. t.5,c.5,r.6.

Cap. II.

V. 6. Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva. t.8,c.3,n.2.

Cap. III.

V 21. Dominus dedit, Dominus abstulit. t.11, c. 1. num. 2.

Cap. V.

V. 26. Ingredieris in abundantia sepulchrum, &c. t. 27,

Cap. VI.

V. 1, 9, 10. Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me? & hæc sit mihi consolatio, ut affligat me dolore, & non parcat, &c. t.12.c.3,n.10.

Cap. VII.

V. 3. Hic & ego habui menses vacuos. t. 28. c. 3. num. 6.

V. 17. Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? t. 14, c. 4. num. 6.

Cap. IX.

V. 8. Qui extendit cœlos solus, & graditur super fluctus Maris. t.24,c.2.n.2,

Cap. XIII.

V. 26. Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. t.21,c.3,n.3,a

Cap. XIV.

V. 2, Qui quasi flos egreditur, & conteritur. t.28,b

Cap. XVII.

V. 14. Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. t.27,c.2.n.1.

Cap. XXII.

V. 23. & 24. Si reversus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos. t.19,c.2,n.2,

Cap. XXIX.

V. 16, Pater eram pauperum? t.8,c.1,n.2 & n.9,a

Cap. XXX.

V. 1, Cum canibus greges mei. t.1.c.4,n.5,

Cap. XXXVIII.

V. 4. & seq. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases eius solidatæ sunt? aut quis dimisit lapidem angularem eius, cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei? t.3,c.5,n.6,

V. 24. Indica mihi, per quam viam spargitur lux. t. 2,

Cap. XXXIX.

V. 30. Numquid ad præceptum elevabitur aquila? in arduis ponit nidum suum. t.6, c. 2, n.4, t.14,c.1,n.5.

Cap. XL.

V. 4. Si habes brachium sicut Deus, & simili voce tonas. t.21.c.4,n.5,

Cap. XLII.

V. 10. Addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob duplicia. t.28,c.3.n.6,

EX PSALTERIO.

Psal. I.

V. 1. BEatus vir qui non abiit in consilio impiorum. t. 8, c.1,n.5,t.28.c.3,n.1,

V. 3. Tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. t.12,c.3,n.3,

Psal. II.

V. 6, Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. t.20,c.1,n.4.

V. 7. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. t. 4. c.3, n.3,t.12, c.1,n.5.t.21, c.1.n.4,

V. 11. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. t.6.c.1,n.5,

Psal. XIV.

V. 5. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus. t.5,c.4,n.4,a

Psal. XV.

V. 8. Providebam Dominum in conspectu meo semper. t.5,c.1,n.3.

Psal. XVII.

V 1. Diligam te Domine, fortitudo mea. t. 1,c.1,n.3.

V. 12. Ascendit super Cherubim. t.15,c.3,n.3,b

V. 29. Tu illuminas lucernam meam; Deus meus illumina tenebras meas. t.7,c.1,n.1,b

Psal. XVIII.

V. 4. In omnem terram exivit sonus eorum. t.15. c.1.n.1.

V. 5. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo. t.9.c.1.n.4. t.15.c.1.n.1.t.15 c.1.n.1.

V. 6. Ex-

V. 6, Exultavit ut gigas ad currendam viam, t.17, c. 2, n.2, b

Psal. XX.

V. 1, Domine, in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. t.11, c.3, n.7. b
V. 2. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. ibid
V. 3, Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, ibid.

Psal. XXI.

V. 22. A cornibus unicornium erue humilitatem meam. t.7, c.3, n.6 a

Psal. XXII.

V. 4. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. t.24, c.3, n.4
V. 5. Et calix meus inebrians, quàm præclarus est! t.20, c.2, n.3.

Psal. XXIII.

V. 7, Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales. t.21, c.1, n.9

Psal. XXVIII.

V. 3. Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit. t.4, c.2, n.6
V. 7, Flammas ignis. t.3, c.3, n.4
V. 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis. t.27 c.2, n.4.

Psal. XXXI.

V. 5. Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei t.21, c.3, n.3.
V. 6, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. ibid.

Psal. XXXII.

V. 13, De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. t.26, c.1, n.2

EX PSALTERIO.

Psal. XXXIV.

V. 15. Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio. t.11, c.3, n.1. a
V. 6, Humiliabam in jejunio animam meam. ibid.

Psal. XXXIX.

V. 6. Beatus, qui non respexit in vanitates, & insanias falsas. t.8, c.3, n.3. a
V. 8. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, t.13, c.2, n.2. b
V. 9, Et legem tuam in medio cordis mei. t.2, c.1, n.3

Psal. XL.

V. 1, Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem. t.8, c.1, n.6. b
V. 2, Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. ibid.
V. 3. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. ibid.
V. 3, Vniversum stratum eius versasti in infirmitate eius. t.8, c.5, n.a. b

Psal. XLII.

V. 3. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, t.17, c. 2, n.5. a

Psal. XLIV.

V. 1, Eructavit cor meum verbum bonum: Dico ego opera mea Regi. t.7, c.1, n.9 a
V. 2, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. ibid.
V. 3. Speciosus forma præ filiis hominũ. t.2, c.4, n.4
V. 5. Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, &c. ibid.
V. 10 Astitit Regina à dextris tuis. t.11. c.2, n.1. a
V. 11, Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. ibid.

Psal. XLVI. & LXVII.

V. 6, & 19, Ascendit Deus in Iubilo, ascendisti in altum. t.4, c.1. n.2. b

Psal.

Psal. XLVI & LXVII.

V. 6. & 19. Ascendit Deus in Iubilo, ascendisti in altum. t.4, c.1, n.2,

Psal. XLVII.

V. 11. Secundum nomen tuum, ita & laus eius in fines terræ. t.2, c.4, n.5,

Psal. XLVIII.

V. 21. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. t.26, c.2, n.3,

Psal. LIV.

V. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? t. , c.4, n.2,

Psal. LXIII.

V. 8. Sagittæ parvulorum, factæ sunt plagæ eorum. t. 5, c. 1, num. 7,

Psal. LXV.

V. 11. Transivimus per ignem, & aquam. t. 23, c. 3. n. 3,

Psal. XLVII.

V. 11. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. t. 6, c. 3, n. 2, t. 16. c. 4, n. 1.

Psal. LXVIII.

V. 6. Delicta mea à te non sunt abscondita. t. 21, c. 3. num. 4,

V. 10. Zelus domus tuæ comedit me. t.21. c.4. n.5,

V. 32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas. t.20,

Psal. LXX.

V. 8. Vt prodigium factus sum multis. t.12, c.2, n.3,

Psal. LXXI.

V. 8. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. t.4, c.3, n.1,

Psal. LXXII.

V. 25. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? t.11, c.1, n.1,

Psal. LXXIV.

V. 4. Ego confirmavi columnas eius. t.18,

Psal. LXXVII.

V. 9. Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli. t.27, c.4, n.6,

V. 25. Panem Angelorum manducavit homo. t.1, c.1, n.8,

V. 51. Percussit omne primogenitum in terra Ægypti. t.28, c.4, n.1,

Psal. LXXXIII.

V. 5. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. t. 24, c.4, n.5,

Psal. LXXXIV.

V. 14. Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos. t.17, c.2, n.3,

Psal. LXXXVII.

V. 16. Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. t.1. c.3, n.1.

Psal. LXXXVIII.

V. 7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? t.4. c.2. n.3,

V. 19. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. t.24, c.2. n.2,

V. 30. & 38. Thronus eius sicut dies cœli. Thronus eius sicut testis in cœlo fidelis. t.15, c.3, n.4,

Psal. LXXXIX.

V. 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit. t.6, c.5, n.4,

Psal. XC.

V. 1. Qui habitat in adjutorio altissimi. t.25, c.1, n.3,

V. 2. Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum. ib.

V. 3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. ibid.

V. 4. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. ibid.

V.5. Non

V. 5. Non timebis à timore nocturno. ibid. b
V. 6. A sagitta volante in die. ibid.
V. 6. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano. t.5,c.1,n.6.
V. 7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. t.25,c.1,n.4. a
V. 12. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. ibid.
V. 14. Super aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. ibid.
V. 15. Cum ipso sum in tribulatione. ibid.

Cap. XCI.

V. 13. Iustus ut palma florebit. t.9,c.2,n.8,t.23,c.2.n.5

Psal. XCII.

V. 1. Quia Dominus regnavit à ligno. t.8,c.2.n.4.b

Psal. XCIII.

V. 12. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine. t.7,c.1,n.6,b

Psal. XCVI.

V. 3. Ignis ante ipsum præcedet. t.15,c.3 n.1, a

Psal. CI.

V. 17. Respexit in orationem humilium. t.23,c.1,n.5.
V. 28. & 29. Tu autem idem ipse es, &c. Filii servorum tuorum habitabunt. t.6,c 3.n.3. b

Psal. CII.

V. 1. Benedic anima mea Dominum. t.6,c.2 n.4, b
V. 4. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus. t 8,c.2,n.6.
V. 5 Renovabitur ut aquilæ juventus mea. t.6, c.2.n.4,
V. 5. Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua. t.19.c.1.n.3.
V. 20. Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute. t.3,c.1,n.4, b

Psal. CIII.

V. 2. Amictus lumine sicut vestimento. t.26, c.5, num. 3.

V. 15. Et educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. t.17.c.26.c.5.n.5,
V. 20 & 22. In ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ, &c. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. t.21,c.4,n.2
V. 22. Ortus est Sol, & in cubilibus suis collocabuntur. t.7.c.4,n.1. b
V. 23. Exibit homo manè ad opus suum. t.19.c.1,n.6
V. 25. Hoc mare magnum, &c. t.15.c.1.n.1.

Psal. CIV.

V. 21. Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. t.4,c.4,n.3,

Psal. CXI.

V. 1. Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. t.8,c.1,n.6.a
V. 2. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. ibid.
V. 8. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. ibid.

Psal. CXV.

V. 1. Credidi propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. t.12 c.3.n.4.
V. 4. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. t.13,c.2,n.9.
V. 6. Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius. ibid.

Psal. CXVII.

V. 19. Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino. t.26.c.1,n.2.
V. 22 *Lapidem*, quem reprobaverunt ædificantes. t.18.c.2.n.7.b

Psal. CXVIII.

V. 32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. t.2,c.1,n.3.
V. 94. Tuus sum ego, salvum me fac. t.8, c.4 n.1.
V. 97. Quomodò dilexi legem tuam Domine? t 1, c.1. n.3. b
V. 99. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua, meditatio mea est. t.7 ,c 1.n.7.
V. 154 Indica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum vivifica me. t.5,c.3.n.3.a
V. 161. Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum. t.26.c.3.n.4.

Psal. CXXVI.

V.4. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. T.17.c.2.n.5.

Psal. CXXVII.

V. 4. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.t.14.c.2.n.4.

Psal. CXXXI.

V.17. Paravi lucernam Christo meo.t.4.c.3.n.1.

Psal. CXXXIII.

V.17. Nimis honorati sunt amici tui Deus. t.1.c. 2. n.4.

Cap. CXLIII.

V.10. Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno.t.27.c.4. n.7.

Psal. CXLV.

V.5. Beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius. t.11. c.1.n 4.

EX LIBRO PROVERBIORUM

Cap. III.

V.16. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius divitiæ t.24. c.3.n.5.

CAP. IV

V.18. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem, t.15.c.2.n.1.

Cap. VIII.

V.17. Ego diligentes me diligo.t.3.c.2.n 13

Cap. IX.

V.1. Sapientia ædificavit sibi domum.t.20.c.2.n.7.

V.1. & 2. Sapientia ædificavit sibi domum, & misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & mœnia civitatis.t.7.c.5.n.4.

V.5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.t.16.c.3.n.5.

Cap. XI.

V.28. Iusti autem quasi virens folium germinabunt. t.19.c.1.n.5.

Cap. XIV.

V.32. Sperat autem iustus in morte sua. t.27.c.1.n.1.

Cap. XVII.

V.6. Gloria filiorum patres eorum.t.9.c.1.n.7.

Cap. XVIII.

V.17. Iustus in principio accusator est sui.t.21.c.5.n.4

Cap. XXX.

V.18 Tria sunt mihi difficilia.t.18.

V.19. Viam colubri super terram. ibid.

V.30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum.t.28.c.4.n.2.

Cap. XXXI.

V.10. Mulierem fortem quis inveniet? t.26.c.5.n.4

V.21. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. ibid.

V.29. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. t.14.

EX LIBRO ECCLESIASTIS.

Cap. IV.

V.12. Funiculus triplex difficile rumpitur t. 29. c.4.n.8.

Cap. X.

V.1. Pretiosior est sapientia & gloria, parva ad tempus stultitia.t.8.c.3.n.5.

EX CANTICIS.

Cap. I.

V.1. Osculetur me osculo oris sui.t.17.t.19.c.4. n.8.

V.2. Ado-

V.2. Adolescentulæ dilexerunt te nimis. t.19. c.1. n. 4.
V.4. Recti diligunt te. t.3. c.2. n.3. b.
V.8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. t.27. c.4. n.2.
V.9. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. t.17.
V.10. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. t.14. c.4. n.1. a
V.11. Dum esset Rex in accubitu suo. t.1, c.4, n.2.

Cap. II.

V.1. Ego flos campi. t.12. c.3. n.5. t.22, c.2, n.5.
V.2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. t.10. c.4. n.5. b
V.3. Sicut malus inter ligna sylvarum. t.12, c.3. n.5.
V.5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. t.22, c.2, n.3. t.27. c.2, n.5.
V.7. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectum quoad usque ipse velit t.13, c.3, n.7.
V.14. Ostende mihi faciem tuam. t.22. b
V.16. Dilectus meus mihi. t.2, c.3, n.2, b
V.16. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi t. 3. c.4. n.4. n.4. t.4. c.2. n.3. b

Cap. III.

V.6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii. t.19. c.3. n.6. t.23. c.1. n.4.
V.7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt. t.27. c.2. n.6. a
V.9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon. t.23. c.1. n.3.
V.11. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis eius. t.8, c.2, n.1.
V.11. In die desponsationis illius. t.28, c.1, n.6. b

Cap. IV.

V.1. Quam pulchra es amica mea; quam pulchra, oculi tui columbarum. t.21, c.2, n.2.
V.9. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in uno oculorum tuorum. t.2, c.2. n.4. t.6, c.5, n.7. t.14. c.4. n.5.
V.11. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. t.23, c.1, n.6. t.24, c.1, n.5.

Cap. IV.

V.1. Comedite amici & bibite. t.16, c.1, n.2. t.20, c.2, n.2. a

V.3. Exui me tunica mea, quomodo induar illa. t.19, c.4. n.5.
V.9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos. t.25, c.1, n.6.
V.10. Dilectus meus candidus & rubicundus. t.20. c.1. n.4.
V.14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. t.24, c.3. n.4.

Cap. VI.

V.3. Terribilis ut castrorum acies ordinata. t.27, c.4. n.4. b
V.8. Una est columba, perfecta mea. t.9. c.1. n.6.
V.8. Revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intueamur te. t.21, c.2, n.5.

Cap. VII.

V.7. Statura tua assimilata est palmæ, t.9, c.2, n.8. t.14, c.1, n.7.

Cap. VIII.

V.2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis. t.1, c.2, n.2.
V.6. Fortis est ut mors dilectio. t.13. c.34. n.1.
V.7. Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. t.20. c.2, n.6.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. I.

V.1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. t.10, c.1, n.1. a

Cap. III.

V.1. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. t.24, t.27. c.1, n.1.
V.6. Tamquam aurum in fornace probavit illos. t.23, c.2. n.6.

Cap. IV.

V.14. Placita erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: Populi autem videntes, & non intelligentes, &c. t.28.

 Cap. V.

Cap. V.

V. 4. & 6. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ergo erravimus à via veritatis. t.8,c.5,n.3,a

Cap. VII.

V. 14. Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. t.9. c.1, n.9. t.26,c.1,n.5.

V. 26. Imago bonitatis illius. t.22,c.1,n.5, a

Cap. X.

V. 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum. t.3.c.5.n.8

V. 10. Et ostendit illi regnum Dei, t.11,c.1,n.4 a

Cap. XVI.

V. 20. Omne delectamentũ in se habentẽ.t.5.c.4,n.5.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

CAP. X.

V. 11. OMnis Potentatus brevis vita.t.28,c.1,n.7. V. 13. Timenti doctrinum bene erit &c.t.17.c.1,n.6.

Cap. XVIII.

V. 6 Cùm consummaverit homo, tunc incipiet.t. 19, c.1,n.5.

Cap. XIX.

V. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti. t.5,c.3,n.7.a

Cap. XX.

V. 32. Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utriusque? t.7.c.5,n.3, a

Cap. XXI.

V. 2. Quasi à facie colubri fuge peccata. t. 6. c.5, n.6. b

Cap. XXIV.

V. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. t. 24. c.5. n. 2. a

V. 25. In me gratia viæ, & veritatis. t.9.c.1,n.7, b

Cap. XXXIII.

V. 28. Servo malevolo tortura, & compedes. t. 26, c. 2. n.4.

V. 31. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quoniam in sanguine animæ comparasti eum. t.13. c.3. n,6. b

Cap. XXXVIII.

V. 28. Cor suum dabit in similitudinem picturæ. t.2 ,c.1,n.5.

Cap. XXXIX.

V. 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. t.7,c.5,n.6.

Cap. XLIII.

V. 2. & 3. Sol in aspectu annuntians in exitu, &c. in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? t.28,c.1,n.1 b

Cap. XLIV.

V. 16. Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum. t.7.c.6.n.6. b

Cap. XLV.

V. 4. Elegit eum ex omni carne. t.9.c.1,n.6. a

Cap. XLVIII.

V. 4. Quis potest similis sic gloriari? t.11.c.1.n.10.

V. 8. Qui Prophetas facis successores post te. ibid.

Cap. XLIX.

V. 17. Et Ioseph qui natus est homo Princeps fratrum. t.13.c.1,n.1. b

Cap. L.

Cap. L.

V. 6. & 7. Quasi stella matutina in medio nebulæ, &c. Sic ille effulsit in templo Dei. t. 21, c. 2, n. 5. a

V. 7. Quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei. t. 21, c. 1, n. 1, b

V. 9. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne. t. 23, c. 5. n. 4.

EX ISAIA.

Cap. II.

V. 2. & 3. ET fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite; ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. t. 20, c. 2, n. 7. b

Cap. IV.

V. 1. Et apprehendent septem mulieres virum unum dicentes; panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodò invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. t. 4. c. 4, n. 2. t. 17, c. 3, n. 4

Cap. VI.

V. 2. Sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. t. 3, c. 3, n. 2. t. 6, c. 1, n. 3. t. 22, c. 1. n. 4.

V. 3. Dicebat alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus. t. 15, c. 1. n. 5

V. 6. Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de Altari. t. 27. c. 5, n. 1, a

Cap. VII.

V. 15. Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. t. 21. c. 2, n. 4.

Cap. VIII.

V. 1. Accelera velociter, festina. t. 17. c. 2, n. 2. b

Cap. IX.

V. 6. Vocabitur nomen eius admirabilis. t. 6, c. 4. n. 1

V. 7. Vocabitur Pater futuri sæculi. t. 9, c. 2, n. 5

Cap. X.

V. 5. Væ Assur virga furoris mei. t. 1, c. 4, n. 2. b

Cap. XI.

V. 2. Replebit eum spiritus timoris Domini. t. 21, c. 5, n. 5.

V. 5. Erit iustitia cingulum lumborum, & fides cinctorium renum eius. t. 11, c. 4. n. 8

V. 10. Radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. t. 25. c. 2. n. 6

Cap. XIV.

V. 12. Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, &c. t. 17, c. 4. n. 6, b

Cap. XXI.

V. 7. Et contemplatus est diligenter multo intuitu & clamavit Leo super speculam Domini, ego sum stans iugiter per diem, &c. t. 12, c. 5. n. 4. b

Cap. XXII.

V. 18. Coronans coronabit te tribulatione. t. 20, c. 8 n. 1. a

Cap. XXVI.

V. 1. Salvator ponetur in ea murus. t. 5. c. 4. n. 9

Cap. XXXV.

V. 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. t. 4, c. 4. n. 2. b & t. 17, c. 4, n. 5

Cap. XXXVII.

V. 35. Protegam Civitatem istam ut salvem eam propter me, & propter David servũ meũ. t. 27. c. 5. n. 5

Cap. XL.

V. 9. Supra montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. t. 14. c. 2, n. 7. t. 21. c. 1, n. 6 a

V. 12. Quis appendit tribus digitis molem terræ. t. 24. c. 3. n. 3. b

V. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, & non deficient. t. 15. c. 2 n. 2. b

EX ISAIA.

Cap.

Cap. XXXIX.

V. 3. & 4. Ingressi sunt omnes Principes Regis Babylonis, & sederunt in porta media. t.7,c.4,n.1

EX THRENIS.

Cap. III.

V. 28. & 29. Levavit super se, ponet in pulvere os suum. t.21,c.2,n.8
V. 65. Dabis eis scutum cordis laborem tuum. t.1, c.4,n.7

Cap. V.

V. 8. Servi dominati sunt nostri. t.16,c.3,n.3

EX EZECHIELE.

Cap. III.

V. 3. FActum est in ore meo quasi mel dulce. t.18, c.4,n.2, a
V. 7. Attrita fronte est, & duro corde. t.23,c.2,n.2
V. 25. & 26. Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & nō egredieris de medio eorum. & linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus. t.13,c.3,n.3

Cap. IV.

V. 3. Sume tibi sartaginem ferream. t.21,c.3,n.6

Cap. VIII.

V. 3. Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus inter terram, & cœlum, & adduxit me in Ierusalem in visione Dei. t.14,c,1,n.4

Cap. X.

V. 7. Et extendit Cherub manum suam ad ignem. t.27,c.3,n.1
V. 14. Facies una facies Cherub. t.10,c.5,n.1

Cap. XII.

V. 13. Et adducam eum in Babylonem, & ipsam non videbit. t.21,c.5,n.2

Cap. XVII.

V. 3. Aquila magnarum alarum, plena plumis, & varietate. t.3,c.4,n.2, a, b

EX DANIELE.

Cap. III.

V. 49. ANgelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace. t.13,c.2,n.8
V. 92. Et species quarti similis filio Dei. t.22,c.3,n.5

Cap. VII.

V. 10. Millia millium ministrabant ei. t.9,c.2,n.9, t.17

Cap. XIV.

V. 35. Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, portavit eum capillo capitis sui, posuitque in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. t.10,c.1,n.6

EX OSEA.

Cap. II.

V. 6. EGo sepiam vias tuas spinis. t.10,c.4, num. 2.

EX AMOS.

Cap. VIII.

V. 2. QVid tu vides Amos? & dixi: Uncinum pomorum. t.28,c.5,n.4

EX IONA.

Cap. I.

V. 1. FActum est Verbum Domini ad Ionam filium Amathi. t.5,c.4,n.2, b

Cap. III.

V. 4. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. t.10,c.3,n.5, a

EX

EX MICHÆA.

Cap. VII.

V. 8. NE læteris inimica mea super me, quia cecidi, resurgam, cùm sedero in tenebris, quia Dominus lux mea est, t.22,c.3,n.7.a

EX HABACVC.

Cap. III.

V. 4. SPlendor eius ut lux erit. t.15,c.3,n.1

V. 8. Ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio. t,1,c,1,n 5

EX ZACHARIA.

Cap. II.

V. 8. QVi tangit vos, tangit pupillam oculi mei. t,13,c.3,n.4.

Cap. III.

V. 9. Ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt, t,12,c.5,n,3

Cap. IV.

V. 10. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. ibid.

Cap. IX.

V. 16. Lapides Sancti elevabuntur super terram. t,12, c.5,n.9.

Cap. XI.

V. 6. Ego non parcam ultra super habitantes terram, dicit Dominus, & pascam pecus occisionis, propter hoc, ô pauperes gregis. t,16.c,1.n,5.b

Cap. XII.

V. 3. Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur. t.12,c.3.n.1,b

Cap. XIII.

V. 1. Erit fons patens domui David. t.9,c.1.n.9.b

V. 7. Framea suscitare super Pastorem meum. t.6,c,4 n.6,t.20,c.2,n.4.

Cap. XIV.

V. 21. Et non erit mercator in domo Domini. t.10,c, 1.n.2.

V. 18. Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram Altari. t.19,c.2.n.6,b

EX LIBRO MALACHIÆ.

Cap. I.

V. 11. ORietur vobis Sol iustitiæ, t.2,c.5,n.5,t.21 c,1,n.4.

Cap. III.

V. 2. Ipse enim quasi ignis conflans. t.9,c.1,n.9,t.22, c,1.n.1.b

Cap. IV.

V. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. t.19,c.2,n.4,t.21, c.1,n.3.

EX LIBRO I. MACHABÆOR.

Cap. I.

V. 1. QVi primus regnavit in Græcia. t 6,c.5.n.1

Cap. II.

V. 68. Ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est, ipsum audite, ipse erit vobis pater. t.20.c.5.n.4

EX MATTHÆO.

Cap. I.

V. 20. QVod natum est in ea, de Spiritu Sancto est. t.4,c.3,n 4.a

Cap. II.

V. 1. Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda. t.17, c.2,n.7,t.28,c,1,n,4.

V. 2.

V.2, Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. ibid.

Cap. III.

V.2, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. t.19,c.4, n.5,
V. 6, Baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. t,17,c.2,n.8,
V.14 Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, t.4,c.1,n.4,& c.2,n.1.
V.15, Sine modo, sic enim decet nos omnem implere justitiam. t,17,c.3,n.3,
V.16, Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, &c. & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. t.4,c.1,n.2, t.9, c.1,n.6, t,12.c.4.n.8,
V.17. Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.68.a.71.a.72,b.74,t.3,c.5,n,7,t.4,c.2.n 5.& c,8,n.4,ac 5,t.7,c.1,n,4,t 9,c.2,n.4,t.25,c.1,n.7,

Cap. IV.

V.1, Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu t.9, c.2,n,1,
V.4, Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. t,11,c.1,n,8,
V.10. Vade satana. t. .,c.2,n.3,a
V,19, Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. t.13,c.3,n.4,

Cap. V.

V.3, Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. t.1,c.2.n,4,
V 17, Non veni solvere legem, sed adimplere. t.14, c.3,n.3,a
V.39, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. t.31,c.2,n.6,b

Cap. VI.

V.9, Pater noster. t.10,c.2,n.4.b
V.10, Adveniat regnum tuum. t.26,c.1,n.4,

Cap. VII.

V.15, Lupi rapaces. t.7,c.4,n.b

Cap. VIII.

V.8, Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. t,5,c.2,n.4,a
V, 28. Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes: ita ut nemo posset transire per viam illam.t.10,c.3,n.1.
V.29. Quid nobis, & tibi fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos ibid &c t.18,c.3,n 6,
V.34. Rogabant eum ut transirent à finibus eorum, t,8,c.5,n,7,

Cap. IX.

V.20, Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero, t.8,c.5,n.6,a

Cap. X.

V.1, Dedit eis potestatem ut curarent omnem languorem, & infirmitatem.464.a.t.18,c.4,n.7,t,22, c.2 n.4,
V. 2, Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. t.18,c,2,n.6,t.21,n,1.a
V,3, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius. t,18. c.2,n.6,
V.16, Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. t.21,c.3,n.6,
V.23, Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. t.25,c.3,n.3,a
V.24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum. t.18,c.4.n.11,

Cap. XI.

V.10, Ecce ego mitto Angelum meum. t.17,c.2.n.5, c.4,n.4
V.11, Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo. ibid.n.8,
V,18 Venit Ioannes non manducans, neque bibens. t,14,c.2,n.1.b
V.27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, t.15.c.4, n.6.a

Cap. XII.

V,39. Non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ, t.10,c,3,n.5.b
V. 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre cæti tribus diebus. & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus, & tribus noctibus, ibid.
V.48. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei. t.12.c.5,n.6,

Cap. XIII.

V,43. Iusti fulgebunt sicut Sol. t.14.c.4.n

Cap. X

Cap. XIV.

V.26. Quia phantasma est. t.24.c.2.n.4.a
V.33 Venerunt, & adoraverunt illum dicentes: Vere filius Dei es. n.5.ibid.a

Cap. XVI.

V.5. Cum venissent Discipuli trans fretum, obliti sunt panes accipere. t.14.c.2.n.6.
V.15. Vos autem, quem me esse dicitis? t.18.c.1.n.4.
V.16. Tu es Christus filius Dei vivi. t.18.c.2.n.9.
V.17. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi. t.12.c.1.n.2. t.18.c.2.n.9.
V.18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. t.9.c.2.n.7. t.11.c.2.n.5. t.12.c.1.n.5. t.12.c.5.n.8. t.20.c.4.n.6.
V.19. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. t.18.c.2.n.4.& 8. 26
V.21. Et exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, &c. t.18.c.5.n.5.
V.22. Absit à te Domine, non erit tibi hoc. t.11.c.2.n.3. t.12.1.n.1.
V.23. Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. t.11.c.2.n.3. t.12.c.1.n.5.

Cap. XVII.

V.2. Resplenduit facies eius sicut Sol. t.7.c.1.n.1. t.19.c.4.n.6.a
V.4. Bonum est nos hic esse. t.18.c.4.n.9.a
V.5. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. t.7.c.1.n.4. t.18.c.2.n.9.b
V.8. Neminem viderunt, nisi solum Iesum. t.4.c.4.n.4.

Cap. XVIII.

V.9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te. t.2.c.3.n.2.& 3.
V.18. Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo. t.18.c.2.n.5.

Cap. XIX.

V.21. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in deficientem in cœlis. t.2.c.1.n.4. t.6.c.1.n.1.
V.26. Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt. t.15.
V.27. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? t.10.c.1.n.5.
V.28. In generatione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim. t.15.c.3.n.4.a

Cap. XX.

V.12. Hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus. t.5.c.1.n.1.
V.22. Nescitis, quid petatis. t.9.c.3.n.6
V.23. Calicem quidem meum bibetis, sedere autem &c. sed quibus paratum à Patre meo. t.17.c.2.n.2.a

Cap. XXI.

V.2 Ite in castellum quod contra vos est, & invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi. t.27.c.2.n.3.
V.7 Et imposuerunt super eum vestimenta sua & eum desuper sedere fecerunt. t.c.4.n.4.b
V.23. In qua potestate hoc facis? t.4.c.1.n.5.a
V.25. Baptismus Ioannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus? ibid.
V.43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. t.8.c.4.n.3.b

Cap. XXII.

V.14. Multi sunt vocati, pauci vero electi. t.10.c.5.n.5.
V.20. Cuius est hæc imago, & cuius superscriptio? t.8.c.4.n.2.
V.21. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei Deo. t.12.c.3.n.1.
V.32. Non est Deus mortuorum, sed viventium. t.8.c.2.n.5.

Cap. XXIII.

V.2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. t.1.c.2.n.1.a
V.35. Ut veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, usque ad sanguinem Zachariæ. t.20.c.3.c.7.

Cap. XXIV.

V.15. Cum videritis abominationem desolationis. t.5.c.1.n.5.

Cap. XXV

Cap. XXV.

V.34. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, venite benedicti patris mei.t,10,c,5,n,5,

V.35. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: Sitivi, & dedistis mihi bibere, &c. t,21,c,1,n.8.t,23, c,4.n.4,b

V.36, Infirmus eram, & visitastis me, &c.t,8,c,1,n,5,

V.37. Domine quando te vidimus esurientem, & pavimus te? Sitientem, & dedimus tibi potum? t.6 c,1,n,7,b

V.40, Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. t,27.c,3,n,2.

V.44. Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum aut in carcere, & non ministravimus tibi? t,6,c,1, n.7.

Cap. XXVI.

V.13, Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. t.23,c.4.n.5,

V.21, Vnus vestrum me traditurus est. t,3,c.3.n,1.a

V.38. Tristis est anima mea usque ad mortem. t,2,c, 3,n.1,t,3,n.6.

V.39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.t.21, c.5,n.4,

Cap. XXVII.

V.7. Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. t,23.c,4,n.6,

V.46. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? t,11.c.3,n.6,

V.51. Terra mota est, & petræ scissæ sunt, t.20,c.1, n.7,

V.57. Ipse discipulus erat Iesu. t.8, c.1,n.5,

V.66. Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.t.27,c.2,n.6,a

Cap. XXVIII.

V.2. Accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum.t.20,c.4,n.7,b

V.18. Data est mihi omnis potestas in cœlo. & in terra.t.18,c.2,n.8,

EX MARCO.

Cap. III.

V.17. BOanerges filius tonitrui.t.13,c 2.n.6 & t 20,c.1,n,5,

Cap. VI.

V.14. Ioannes quem ego decollavi in carcere, ipse surrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in eo. t. 24,c.3.n,6,b

V.20. Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. t.25,c.1,n.4,a

V.25, Des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.t 25, c.1,n,4,b

Cap. VIII.

V.14, Obliti sunt panes sumere. t,2.c.1.n 5,a

V.38, Cum venerit cum Angelis Dei. t.15,c.2,n.5,

Cap. XIV.

V.35. Orabat ut transiret ab eo hora. t.21,c.5,n.4,a

Cap. XV.

V.43. Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. t.8,c.1.n 5 b

Cap. XVI.

V.15. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. t 3, c.4.n.5,

V.19, Sedet à dextris Dei. t,12,c.1,n.6,

EX LVCA.

Cap. I.

V. 6. INcedentes in mandatis Domini sine querela. t.1,c.1.n.8.b

V.13, Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi filium. t.17,c.2,n.4,b

V.15. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. t.17.c.4,n.5,a

V.26. Missus est Angelus Gabriel à Deo.t.9.c.2.n.8, t.17,c.1,n.2,

V.27. Ad Virginem desponsatam viro.t.1.c, 1. n. 6.t. 9.c.2.n.8

V.28. Ave gratia plena. t. 24.c.3 n,4.

V.31. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. t.9.c.2,n.7.t.12 c.6.n.6,

V.35. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. t.18.c.4.n.6.

V.38. Quia non erit impossibile apud Deum omne

refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. t.16,c.2,n.5

Cap. XVIII.

V. 39, Iesu, fili David, miserere mei. t.6,c.1.n.1
V. 41, Domine, ut videam. ibid.

Cap. XIX.

V. 5, Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. t.1,c.1,n.6,t.16,c.2,n.1,t.25.c.5,n.4
V. 13. Negotiamini dum venio. t.5.c.4.n.2
V. 33. Solventibus illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos, quid solvitis pullum? t.16,c.2,n.3

Cap. XX.

V. 25, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. t.1,c.2,n.5

Cap. XXI.

V. 18, Capillus de capite vestro non peribit. t.14,c.2,n.7

Cap. XXII.

V. 20, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. t.16 c.3,n.4.
V. 31, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. t.18 c.1.n.2
V. 32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. t.18,t.21,c.1,n.11
V. 42, Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. t.6,c.2,n.3
V. 44. Factus in agonia prolixus orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. t.11,c.3,t.12,c.3,n.3,t.21,c.5,n.9
V. 64, Et velaverunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogaverunt eum, dicentes: Propheti-za, quis est, qui te percussit. t.2,c.3,n.6

Cap. XXIII.

V. 11. Illusit indutum veste alba. t.8,c.3,n.6, 4
V. 26, Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenæum venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. t.1,c.2,n.2
V. 42, Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. t.5,c.4,n.4,t.18,4.

EX LVCA.

V. 43, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. t.18,c.4.n.1
V. 46, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. t.11,c.5,n.6

Cap. XXIV.

V. 42. Obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. t.23.c.3.n.6. 8
V. 50. & 51. Ioseph vir bonus, & iustus, hic non consenserat actibus eorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. t.1,c.1,n.5

EX JOANNE.

Cap. I.

V. 1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. t.3,c.4.n.2,t.17,c.2,n.3
V. 6, Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. t.3,c.4.n.3.t.17.c.1,c.2. & c.3 n,4.t.17,c.4.n.1
V. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. t.3.c.4.n.5.t.17.c.4.n.1
V.12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. t.8,c.4.n.7
V. 14. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre. t.1.c.5 n.4 t.3.c.4.n.2.t.11.c.3.n.2.t.27,c.4.n.2,
V. 16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. t.24.c.3,n.4, 8
V. 18. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris. t.3,c.3.n.3.t.13,c.1,n.6
V. 19. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis. t.4,c.1.n.3
V. 27, Qui post me venit, maior me est: cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti. ibid.
V. 29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. t.1,c.2,n.4. & 5
V. 41, Invenimus Messiam. t.1, & t.18,c.2.n.5
V. 42, Et adduxit eum ad Iesum: Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus t.4,c.3,n.4,t.13,c.n.1
V. 47. Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dixit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. t.15,c.4.n.4
V. 48. Dixit ei Nathanael, unde me nosti? Dixit ei Iesus: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. ibid.
V. 49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi tu es filius Dei. ibid.

V. 51. Amodo videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis. t.10,c.4,n.8

Cap. II.

V. 4. Nondum venit hora mea. t.18,c.3 n.7

V. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, &c. t.20,c.5,n.3

V. 16. Et his qui vendebant columbas dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. t.20,c.5,n.3

Cap. III.

V. 14. Sicut Moyses exaltavit serpentē in deserto. t.18

V. 29. Amicus Sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi. t.4,c.2,n.2,t.25,c.1,n.5

V. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. t.4,c.3,n.1,t.25,c.3,n.5 a

V. 35. Pater diligit filium. t.25,c.2,n.7

Cap. V.

V. 20. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. t.3,c.3,n.6,b

V. 35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. t.4,c.10 f.2

Cap. VI.

V. 2. Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat, super his, qui infirmabantur. t.8,c.5,n.7

V. 15. Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. t.22,c.2,n.6 b

V. 50. Hic est panis, qui de cœlo descendit. t.16,c.1,n.8.

V. 56. In me manet; & ego in illo ibid. c.4,n.1,a

V. 67. Ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabunt. t.8,c.5,n.7

V. 68. Domine, quo ibimus? verba vitæ æternæ habes. t.24,c.1,n.1 b

Cap. VIII.

V. 12. Ego sum lux mundi. t.2,c.5,n.5,t.7,c.1,n.1,a

Cap. X.

V. 14. Ego sum Pastor bonus. t.21,c.4,n.1,a

Cap. XI.

V. 33. Infremuit Spiritu, & turbavit semetipsum. t.21,c.2,n.4

V. 35. Et lacrymatus est Iesus. t.18,c.4,n.5

V. 43. Lazare veni foras. ibid. c.2,n.8

V. 45. Solvite, & sinite abire. ibid.

Cap. XII.

V. 10. Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent. t.10,c.3,n.6

V. 11. Quia multi propter illum abibant, & credebant in Iesum. ibid.

V. 23. Venit hora, ut clarificetur filius hominis. t.21,c.2,n.4

V. 31. Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. t.24,c.3,n.5

V. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. t.2,c.3,n.4,t.6,c.4,n.5

Cap. XIII.

V. 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. t.15,c.4,n.6

Cap. XIV.

V. 12. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. t.18,c.4,n.6 a

V. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit. t.20,c.1,n.1.

V. 25. Qui non diligit me sermones meos non servat. ibid.

V. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis. t.18,c.4,n.4 b

V. 28. Pater major me est. t.9,c.3,n.1,a

V. 31. Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: Surgite, eamus hinc. t.25,c.1,n.7

Cap. XV.

V. , Pater meus agricola est. t.18,c.4,n.12

V. 4. Manete in me, & ego in vobis. t.13,c.3,n.4

V. 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c. t.2 ,t.25,c.1,n.5 b

V. 14. Vos amici mei estis. t.13,c.3,n.4

V. 15. Iam non dicam vos servos, sed amicos, t.1,c.1,n.4

Cap. XVI.

V. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. t.18,c.4,n.3

V. 13. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. ibid.

C

Cap. XVII.

V. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum. t.20,c.5,n.2

Cap. XVIII.

V. 8. Si me quæritis, sinite hos abire. t.23,c.5,n.5

Cap. XIX.

V. 25. Stabant juxta Crucem Iesu. t.1.c.3,n.5
V. 26. Mulier ecce filius tuus. t.3,c.5.n.4 a
V. 27. Accepit eam discipulus in sua. t.3,c.2,n.7 b
V. 30. Consummatum est. t.13,c.2,n.10
V. 34. Quidam militum lancea latus eius aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. t.12,c.3,n.6, & t.13,c.3.n.8
V. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit. t.3, c.14,n.3. a
V. 40. Et ligaverunt illud linteis cum aromatibus. t.28,c.3.n.5.

Cap. XX.

V. 15. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam. t.20,c.1,n.4
V. 17. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. vade autem ad fratres meos. t.10, c.1,n.3.b
V. 22. Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. t.15,c.4,n.1.t.26,c.1,n.3.b
V. 23. Quorum remiseritis peccata, &c. ibid.
V. 27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. t.14,c.4,n.3
V. 30. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. t.23,c.4,n.6

Cap. XXI.

V. 7. Dixit Discipulus quem diligebat Iesus, Petro, quia Dominus est. t.2,c.3,n.6,t.3,c.3,n.5
V. 15. Simon Ioannis diligis me? Tu scis Domine, quia amo te. t.8,c.1,n.4 t.3,c.1,n.4,t.3,c.2,n.6,t.3, c.4,n.5
V. 16. Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Pasce Agnos meos. ibid.
V. 17. Pasce oves meas. t.3 c.2,n.7
V. 18. Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. t.18,c.4, n.9. & 12.

V. 19. Hoc autem dixit, significans, qua morte esset clarificaturus Deum. t.3,c.4,n.4

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. I.

V. 3. PEr quadraginta dies apparens eis, & loquens eis de regno Dei. t.20,c.2,n.5

Cap. II.

V. 3. Apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis. t.12,c.4,n.8,t.14,c.1.n.9.t.23.c.3.n.4
V. 4. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. t.27.c.4.n.4

Cap. V.

V. 1. Vir autem quinam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum, conscia uxore sua, & afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. t.2.c.1.n.4
V. 15. In plateas eijciebant infirmos, & ponebant in lectulis, ac grabbatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. t.18. c.n.8

Cap. IX.

V. 6. Quid ergo erit nobis? t.6.c.1.n.8
V. 7. Domine, quid me vis facere? t.6.c.1.n.8. c.5.n.3. & t.10.c.1.n.5
V. 9. Non manducavit neque bibit. t.6.c.1.n.5 b
V. 13. Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Hierusalē. t.6.c.5.n.5
V. 15. Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum, coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel. t.6.c.4.n.3. & c.5.n.6.t.13 c.1. n.3
V. 16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. t.6.c.3.n.6 b
V. 17. Dominus Iesus qui apparuit tibi in via. t.6.c.3 n.3. & 5. b

Cap. X.

V. 26. Surge, & ego ipse homo sum t.18.c.1.n.4

Cap. XII.

V. 7. Ceciderunt catenæ de manibus eius, lumen refulsit in habitaculo carceris. t.18.c.4.n.6 & 7
V. 12. Angelus eius est. t.19.c.9.n.2 b

Cap.

Cap. XIV.

V. 11. Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. t.3,c.5,n.2 a

Cap. XV.

V. 21. Super cathedram. t.7,c. 1.n.1

V. 28. Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis t.18, c.4.n.4

Cap. XXVI.

V. 28. In modico suades me Christianum fieri. t. 14, c.1,n.5. b

V. 29. Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, qualis ego sum, exceptis vinculis meis. ibid.

EX EPIST. PAVLI AD ROM.

Cap. IV.

V. 19. NOn consideravit corpus suum jam emortuum, & emortuam vulvam Saræ. t. 17,c.4,n.3

Cap. VIII.

V. 26. Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. t.13,c 3,n.3 a

V. 32. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. t.11,c.3,n 6

V. 35. & 38. Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. t.20,c.1,n.4 a

V. 37. In omnibus his superamus propter eum qui dilexit nos. t.10,c.1,n.3

Cap. IX.

V. 3. Optabam anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. t.21,c.5,n.7

Cap. X.

V. 6. Quia fides ex auditu. t.6.c 2.n.4

Cap. XIII.

V. 12. Dies autem appropinquavit. ibid. a

Cap. XVI.

V. 13. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius, & meam. t.24.c.4,n.1,b

Et in fine. Ad Romanos missa fuit à Corintho per Phœben ministram Ecclesiæ Cenchreensis. t.14, c 3,n.6 b

EX EPISTOLA AD COR:

Cap. I.

V. 10. OBsecro autem vos fratres, &c. ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sed sitis perfecti in eodem sensu, & eadem sententia. t.11, c.2,n.14

V. 30. Qui factus est nobis justitia, & sanctificatio. t.17.c.1,n.5, & 6, a

Cap. II.

V. 9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. t.6,c.3,n.1

Cap. III.

V. 2. Lac potum vobis dedi. t.21,c.1,n.8

V. 18. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. t.8,c.3,n.7

Cap. IV.

V. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, t.9.c.2.n,2.t.12.c.5.n.9 b

Cap. VI.

V. 13. Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & has destruet. t.14,c.2,n.9

V. 17. Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, t.10.c.5.n.3.t.14,c.2.n.7

Cap. VII.

V. 16. Bonum est homini sic esse. t.2,c.1,n.1,t.11,c. 5,n.9

V. 32. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sût & quo

& quomodò placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & quomodò placeat uxori, & divisus est. t.2,c.2,n.1

Cap. X.

V. 4. Petra autem erat Christus. t.18,c.2,n.7

V. 11. Hæc autem in figuris contingebant illis. t,16, c.2,n.8.

Cap. XI.

V. 24. Hoc facite in meam commemorationem. t. 16,c.1,n.3.

V. 28. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. t.17,c.2,n.6

Cap. XIII.

V. 13. Maior autem horum est charitas. t.1,c.1,n.2

Cap. XIV.

V. 21. Quid vultis; virga veniam ad vos, &c. t.12,c.4, n.7.

Cap. XV.

V. 9. Ego sum minimus Apostolorum, t.6,c.1,n.8. t 6, c.6,n 7.

V. 10. Gratia Dei sum id, quod sum, t.17,c.3,n.2

V. 31. Quotidie morior. t.5,c.4,n.5

EX EPISTOLA IIa AD COR.

Cap. III.

V. 18. NOs verò revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, à claritate, in claritatem. t.19,c. 4,n.6.

Cap. IV.

V. 7. Habemus thesaurum ipsum, in vasis fictilibus. t.23,c.2,n.7.

Cap. V.

V. 17. Si quæ ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt? t.15,c.2,n.3

Cap. VIII.

V. 9. Qui propter vos egenus factus est, t.1,c.2,n.1 & 10, & t.10,c.5,n.1.

Cap. XI.

V. 23. In laboribus plurimus, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. t.6,c.3,n.5

V. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor; t.8,c.5, n.2.

Cap. XII.

V. 4. Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui. t.3,c.5,n.3

V. 21. Lugeam multos, ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. t.21,c.3,n.7.

EX EPIST. PAVLI AD GAL.

Cap. I.

V. 15, & 16. CVm autem placuit ei, &c. & vocavit per gratiam suam, continuò non acquievi carni, & sanguini. t.6,c.5,n.3

Cap. II.

V. 20. Christo confixus sum cruci, &c. t.6,c.4,n.5,b ibid. Vivo autem ego, iam non ego: vivit verò in me Christus. ibid.a

Cap. IV.

V. 15. Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. t. 2,c.3,n.1.

Cap. VI.

V. 17. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. t.14,c.4,n.1,a

EX EPIS. PAVLI AD EPHES.

Cap. IV.

V. 30. NOlite contristare Spiritum sanctum. t.21 c.3,n.8.

V. 31. Sacramentum hoc magnum est, ego autem di-

eo in Christo, & Ecclesia. t.1,c.3,n.2

Cap. V.

V. 23. Quia vir est caput mulieris. t.9,c.4,n.2

EX EPIST. PAVLI. AD PHIL.

Cap. I.

V. 1. PAulus & Timotheus, servi Iesu Christi, t.1, c.2,n.5.

V. 23, Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. t.5,c.4,n.4

V. 29, Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo moriamini. t.20,c.2.4

Cap. II.

V. 12, Cum metu, & tremore salutem vestram operamini. t.6,c.1,n.4

V. 15, Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. t.15,c. 2,n.1.

Cap. III.

V. 13, Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt propria, extendens me ipsum ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Iesu. t.6,c.1,n.8

Cap. IV.

V. 13, Omnia possum. t.20,c.1,n.4.b

EX EPIST. PAVLI AD COL.

Cap. I.

V. 24. ADimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea. t.6,c.3,n.5

Cap. II.

V. 14, Donans nobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. t.15,c.4,n.2,a

Cap. I.

V. 12, Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est. t.15

EX EPIST. I. PAVLI AD TIM.

Cap. I.

V. 3, IGnorans feci. t.6,c.5,n.3

V. 15. Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorũ ego primus sum. t.6,c.2,n.6

V. 16, Christus Iesus, &c. sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. t.6,c.2,n.6.a

V. 18, Hoc præceptũ commendo tibi fili. t.24,c.4,n.1

Cap. II.

V. 12. Docere autẽ mulieri, non permitto. t.14,c.2,n.7

Cap. IV.

V. 8, Pietas, &c Promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. t.26,c.5,n.4

EX EPISTOLA PAVLI AD TITVM.

Cap. I.

V. 4, DIlecto filio secundùm communem fidem. t.12,c.2,n.4.a

Cap. II.

V. 11, Apparuit gratia Dei, Salvatoris nostri, omnibus hominibus. t.6,c.3,n.5

EX EPIST. PAVLI AD PHIL.

Cap. I.

V. 1. PAulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater. t.1,c.2,n.2

EX EPIST. PAVLI AD HEBR.

Cap. I.

V. 14. OMnes sunt administratorii spiritus. t.9,c.4,n.2,t.21,c.1,n.5.

Cap.

EX EPIST. PAVLI AD TITVM.

Cap. II.

V. 9, Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. t.17,c,1,n.8, a

Cap. III.

V. 5, Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tamquàm famulus, Christus verò tamquam filius in domo, quæ sumus nos. t.9.c.4,n.2,t.21,c.1,n.5,

Cap. VII.

V. 7, Quod minus est, à meliore benedicitur. t.27, c.1,n.7,

Cap. XI.

V. 12, Propter quod ab uno orti sunt, & hoc iam emortuo, tamquam sydera cœli. t.12,c.2,num.1, t.17 c.1,n.3, a

V. 17. Fide obtulit Abraham Isaac. t.21,c.5,n.2,b

V. 19, Vnde eum & in parabolā accepit. t.13,c.2,n. 6,

V. 21. Adoravit fastigium virgæ eius. t.1,c.4,n.2.a

V. 24. Fide Moyses grandis, negavit se esse filium filiæ Pharaonis. t.12,c.2,n.1,b

Cap. XII.

V. 2. Authorem fidei. t.12,c.3,n.7, b

V. 4. Nondum usque ad sanguinem restitistis. t.24, c.1,n.9, a

EX EPIST. B. IACOB. APOST.

Cap. II.

V. 23. AMicus Dei appellatus est. t.1,c.1,n.6,

Cap. III.

V. 2. In multis offendimus omnes. t.8,c.4,n.3, b

Cap. V.

V. 11. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. t.12,c.2,n.10. b

EX EPIST. IIª. PETRI APOST.

EX EPIST. IIª. PETRI APOST.

Cap. I.

V. 17. ACcipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. t.18,c.2,n.9, b

V. 18, & 19, Hanc vocem audivimus, cùm essemus in monte sancto, sed firmiorem habemus Propheticum sermonem. t.12,c,1,n.5, b

Cap. II.

V. 5, Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, t.12,c.1,n.3, a

V. 8, Aspectu enim, & auditu iustus erat. t.21,c,3,n.6

EX EPIST. Iª. IOAN. APOST.

Cap. I.

V. 1, & 2. QVod fuit ab initio, quod audivimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis. t.3,c.4,n.5, a

Cap. IV.

V. 8, Deus charitas est. t.17,c.1,n.6, b

EX EPIST. IVDAE APOST.

V. 9. CVm Michael Archangelus altercaretur de Moysi corpore. t.9, c.3, n. 5, t.27, c.2,n.4.

EX APOCAL. IOAN. APOST.

Cap. I.

V. 1. APocalypsis Iesu Christi, quem dedit illi Deus, palàm facere servis suis, quæ oportet fieri citò, loquens per Angelum suum servo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit Verbo Dei, & testimonium, Iesu Christi, quæcumque vidit. t.3,c.4,n.3, a

V. 15, Pedes eius similes aurichalco in camino ardenti. t.23,c.1,n.8,b

V. 16. Facies eius sicut Sol, lucet in virtute eius. t.19,c.4.n.6.

Finis Indicis locorum Sacræ Scripturæ.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM;
Quæ in hoc secundo Tomo de Sanctis continentur.

Littera T. tractatum C. considerationem. N. numerum. Littera T, tantum exordium significat

Agitt

Ab

E.

Eleēmosyna.

Elias.

Eliseus Propheta.

S. Eucharistia.

Elee-

F.

S. Ferdinandus Rex Hispaniæ.

Fides.

Fortitudo.

S. Franciscus Fundator Minorum.

G.

Gaudium.

Quasi

Magna

Ioseph Patriarcha.

S. Ioseph Sponsus B. Mariæ Virginis.

Iosue.

Isaac.

Iudex. Iudices.

Iudicium finale.

Iustus, Iusti.

L.

S. Laurentius.

S. Lucia Virgo, & Martyr.

Lumen, Lux.

M.

S. Maria Mater Dei.

Nun Amore

Cum-

P.

Palma.

Parentes.

S. Paulus Apostolus.

Paupertas.

Peccatum, & Peccator.

Dæmon,

Mundus

T. Theo-

Finis Indicis Rerum.

ELENCHVS

ELENCHVS CONCIONUM


Ex hoc Secundo; & aliis duobus Tomis decerptus,

Super Evangelia Adventus, & trium Feriarum Quadragesimæ.

Literа *T* Tractatum, *C* Considerationem, *N* verò Numerum designat; ubi autem Numerus non additur, signum est totam Considerationem posse accommodari. Insuper ubi simpliciter ponitur *T*, denotat Tractatum huius Tomi, at ubi præponitur *M*, vel *Q*, designat Tractatum esse vel ex Mariali, vel Quadragesimali.

NOTA *Authoritates adductas sine speciali annotatione marginali esse desumptas ex Catena Aurea Angelici Doctoris S. Thomæ, ad quam Curiosum Lectorem remitto.*

Dominicæ prima Adventus, Evangel. Lucæ 21.



ERUNT *signa in Sole, Luna, & Stellis, &c.* Ecquæ signa hæc erunt; Sanctus Matthæus ea enumerat: *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum Stellæ cadent de cœlo.* Omnia hæc erunt indicia timoris à conspectu tam tremendi judicis. Sed cùm nullam admiserint culpam in se puniendam, quorsùm timent, ac terrefiunt? imo ideo; quia maiores Sancti semper sunt maximè timendi quia se malos, & reos judicant, & cùm in Sole, Luna, & Stellis adumbrentur justi, non est mirùm, quòd edant signa timoris, quia proprium est illis se peccatores reputare. Tract. 21. Consid. 3. Num. 1. 2 & 3. Item T 6. C. 1. & M. T. 9. C. 2. à num. 9.

2. *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, &c.* Homines sunt, qui committunt peccata. & Luna sanguineis ea deplorat lacrymis, Sol, & Stellæ pulla induuntur veste. O quam bene apparet, quinam vivant in cœlis! quia solum ibi reperitur hæc perfectio Christianæ charitatis, ut quis aliena expiet & lugeat vitia, tamquam propria. T. 21. C. 3. N. 4. &c.

3. *Erunt signa in Sole, Luna & Stellis.* Notate quòd eadem indicia doloris, quæ ostenderunt Planetæ videntes Christum mortuum, exhibeant conspicientes eum veluti Iudicem, quasi significantes se probè perspectam habere benevolam Dei indolem, cui non est minor mortis cruciatus, videre se obstrictum ad inferendum nobis supplicia, quàm ad perdendam vitam. Idcirco non minori cum dolore ostendunt se in eius judicio, quam morte & occasu. Eleganter ad rem nostram Author Imperfecti: *Si enim*, inquit, *tantis tenebris mundus tegitur, ubi iudex venit iratus, non id igitur opus est iudicis Non est opus suum irasci, condemnare, punire alienum opus ab eo, alioquin si lubens, & gaudens venisset ad pœnam, videret orbis plenaque cuncta gaudio essent* Non benè quadrant Deo signa rigoris, & vindictæ, ideoque videntes eum Planetæ, licet justè iratum, & vindicem, lugent tamen eum, tamquam mortuum. Sed mirum, cùm toto tempore, quo in beneficium nostrum non se impendit, nolit computari velut vivus, sed quasi non esset. T 15. C. 2 N. 6. T. 24. C. 4. N. 4.

4. *Ascendentibus hominibus præ timore & expectatione.* Sed quid mirandum, si adeò horrendum sit & terribile expectatum, quod etiam expectando consumantur? Nimia, & superflua erat hæc spes ad occidendum illos. Non tamen affligit illos spes; inquit Cajetanus, sed protractio pœnæ: *Non significatur spes, sed mora eventus.* In quolibet signo præstolabantur mortem, & cùm expectata non appropinquaret, plus eos

eos apprehensio quàm ipsa veritas excruciabat. Et comparata ad invicem pati pœnas, & eas expectare, potiùs torquebat eos pati sperando, quàm reverà pati, quia vivere cum tanta timoris multiplicatione, est sæpiùs mori. T. 5. C. 3.

5. ***Nam virtutes cœlorum movebuntur.*** Ecquæ sint hæ virtutes cœlorum? Accipite sanctum Gregorium Magnum egregiè disserenem: *Quid enim virtutes cœlorum, nisi Angelos Dominationes, Potestates, & Principatus appellat?* Itanè Angeli timent, & potestates contremiscunt? Quinimo & ipsæ virtutes expavescunt? Ecquis igitur animus superest peccatori, ubi ipsæ virtutes terrore concutiuntur? Præclarè aurea Chrysostomi lingua: *Virtutes cœlicæ movebuntur, quamvis sibi conscia non sint: videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepidè stabunt illic.* Diffidit sibi ipsi virtus, & ex hac diffidentia nascuntur timores, ac proinde quo quis augescit sanctitate, eo magis timore percellitur; & contra peccatores pereunt ex nimia confidentia, & præsumptione. T. 6 C. 1. Nisi malimus dicere, eorum timorem causatum esse ex aspectu Dei, quia coràm eo, etiam summa perfectio apparet imperfecta, & maximæ virtutes coràm divina sanctitate sunt defectus, & vitia T. 6. C. 1. N. 3. Vide M. T. 6. C. 1. N. 1. usque ad 9.

6. ***Levate capita vestra.*** Iustis dicuntur hæc verba, inquit sanctus Gregorius, ac si diceret: ***Exhilarate corda, quia dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope fit redemptio, quam quæsiistis.*** Expandite sinus cordis vestri, & in signum lætitiæ levate capita vestra. Ast qui componi possunt hæc gaudia, cum præcedenti timore? Iam depinxit eos metu perculsos *arescentibus hominibus præ timore:* & nunc hortatur eos ad gaudium & lætitiam: *Exhilarate corda!* Dicam, quod sentio, timores erant pro malis, & gaudia pro justis, & quamvis ambo expectent mortem, diversimodè tamen, quia eadem mors, quæ peccatori est tormentum, justo est quies: nam probitas vitæ tollit metum in hora mortis. T. 27. C. 1.

7. ***Quoniam appropinquat redemptio nostra.*** Sancti reputant vitam captivitatem, & mortem nuncupant redemptionem, quia solvit vincula, quibus detinentur in hoc mundo, ad hunc modum explicat Theodoretus illud *redemptio vestra, id est, perfecta libertas animæ.* Et quia mors est liberatrix justorum, ideo eam sperant, & expectant absque metu, solicitant cum desiderio, & excipiunt cum gaudio. T. 27. C. 2.

Dominica II. Adventus. Matthæi 11. cap.

1. CUm ***audisset Ioannes in vinculis.*** Itane in carceribus optimus hominum; Vox Verbi, & *Amicus sponsi*: Certe non videntur cohærere amicitia, & vincula, dentur inimicis Dei tribulationes, & quietem habeant amici illius. Erraris plane, & humano more judicatis, quia in domo Dei etiam gravissimæ persecutiones sunt maxima amoris argumenta. Neque in ullo magis elucet familiaritas alicuius cum Deo, quàm quod illum exponat occasionibus patiendi, quia tribulationes sunt infallibiles testes divini amoris. T. 20. C. 2. N. 1 usque ad 7. E contrà vero dum vobis omnia ad nutum eveniunt, & nullas persentis persecutiones, vehemẽter timete, quia signum est Deum esse iratum, quia non vult videre vos afflictos. T. 5. C 4. N. 5. Vide M. T. 10. C. 5.

2. ***Cum audisset Ioannes in vinculis.*** Industria fuit divinæ providentiæ Ioannem perpeti rigorem carceris, ut fervor voluntatis eius manifestaretur, nisi enim passus fuisset, de amore eius dubitari potuisset. Ostenditur sanctitas in operibus, & amor in pœnis, & quia illa manifestam reddebat eius virtutem, æquum erat ut hæ eius voluntatem attestarentur. T. 25. C. 1. à N. 5. Vide Q. T. 21. C. 4.

3. ***Cùm audisset Ioannes in vinculis.*** Reservavit Deus vincula, & carceres S. Ioanni, quia ipse solus novit æstimare eorum pretium. Tyrones virtutis illud ignorant. T. 14. C. 1. N. 5.

4. ***Cùm audisset Ioannes &c.*** Magna profectò generositas Baptistæ, quod neque catenæ, neque carceres eius animum inflexerint, sed quod eis ligatis maiori robore se Tyranno opposuerit, & suorum commodo studuerit. O quàm luculenter apparet ipsum esse verũ exemplar Christi, qui in difficilioribus periculis & tormentis maiores exeruit vires, neque ulla tempestates eius labefactavit constantiam: ita Ioannes, inquit S. Petrus Damianus: ***Quem vel ventosa fœlicitas, vel adversitas turbida, vel cuiuslibet peccati aura tenuior non inflexit.*** Non potuit rigor carceris eius infringere fortitudinem. Ecce nunc animosiorem se ostendit Herodi, quia arguit eum adulterii, & suos dirigit ad Christum T. 23. C. 1. Vide M T. 1. C. 2.

5. ***Mittens duos de Discipulis suis.*** O quàm importuno tempore mittit Ioannes Discipulos suos, dum maximè eorum societate indigeret ad leniendum dolorem carceris sui: cùm enim in illis haberet solatium, illis absentibus augebatur periculum, nihilominùs suam prætteriens, & negligens solitudinem, eos mittit ad Christum. Quod mirum in modum admiratur sanctus Chrysostomus, dicens: ***Vis scire quod est supra naturam? missus in carcerem, non de suo periculo solicitus erat,*** sed

sed de aliorum salute cogitabat, id est, discipulorum suorum. Pluris æstimavit Ioannes salutem suorum, quàm proprium solatium, ut nos edoceat, excellentiam Christianæ charitatis in hoc consistere, ut quis proprio cedat commodo, ad succurrendum proximorum necessitati. T.24.C.1.T.10.C.2.N.5. Vide M.T.7.C.1.

6. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ecquid hoc? inquit sanctus Gregorius: *Ioannes Propheta, qui venientem ad baptismum Dominum ostendit, dicens: Ecce agnus Dei &c. in carcerere positus, mittens Discipulos, requirit, tu es, qui venturus es, tamquam si ignoraret, quem ostenderat?* Siccinè modò dubitat: ex utero matris suæ agnovit illum, & à paucis publico præconio laudes eius decantavit, eumque digito demonstravit, & nunc dubitat eum esse promissum: Agedum, inquit S. Hier. non sunt hæc fidei illius defectus, sed charitatis argumenta, voluit simulare ignorantem, ut sui interrogatione Discipulos suos instrueret. *Ioannes mittebat Discipulos suos, ut sibi quærens, illi discerent, & capite truncandus illũ doceret esse sectandum, quem interrogatione sua Magistrum omnium fatebatur.* Non ignorabat Ioannes, sed hocce facto consuluit aliorum instructioni, vera enim charitas non sibi soli studet, sed aliis se communicare contendit. T.10. C.2. N.1. usque T6.&.15. C.2. N 7. M.T.7.C.1.

7. *Tu es qui venturus es.* Mirum est quod Ioannes certus de Christo non dedignetur interrogare, præbens occasionem malevolis sua interrogatione, suspicandi, aut dubitandi num sciret, ad instructionem quorumdã, qui ignorantes doctrinam Christianam, & ipsum Christum, non solum non ignorant, sed etiam verecundantur, si aliquid ab eis interrogetur. Quidam se totos dedunt particularibus devotionibus, & si ab eis petatur, quid sit Deus ignorant. Similes sunt illi curioso adolescẽti, qui cupiẽs scire ex Christo quid factu opus esset ad perfectionẽ, & dicenti Christo: *Serva mandata*, respondit, quasi illi Græca fuissent dicta. *Quæ*: id est, qualia sunt illa mandata: Ecce insignem modum perveniendi ad perfectionem: nescit etiam necessaria ad statũ Christiani. Audimus aliquando quosdam loquentes de oratione tamquàm Angelos, at verò si eos examinemus in doctrina Christiana, aut decem præceptis decalogi, respondebunt, *Quæ*; Ecquid hoc Pater: Discant igitur tales ex Baptista, & prius studeant esse Christiani, quàm devoti, quia in domo Dei gradatim ascenditur, & paulatim ex necessariis ad vitam Christianam, pervenitur ad summam perfectionem. T.14. C.1 Vide M.T.9.C.3.

8. *Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* Non capio, inquit Chrysostomus, quare Christus non respondit quæstioni Baptistæ verbis, sed operibus: *Christus mentem noscens Ioannis, non dixit quoniam ego sum sed à miraculis fecit eos discere, insuspicabilem doctrinam faciens, & manifestiorem.* Miracula non sunt objecta auditus, sed oculorum. Præcipiat igitur illis, ut dicant Ioanni, quod viderunt, & non quod audierunt. Rectè excogitatum, si voces Dei similes forent vocibus hominum, quæ semper dissonant operibus Opera Dei adeò unita sunt verbis, ut sensus in iis decipiantur, quia voces Dei videntur, & opera audiuntur. Nonne notastis principium Evangelii; *Cùm audisset opera Christi*, melius diceret *eùm vidisset*, hoc verum foret, si Deus potiùs haberet voces, quàm opera verum cum unum & aliud idem sit, rectè ait Ioannes se audisse opera Christi, & Christus pariter meritò mandat Discipulis ut renuntient Ioanni miracula, quæ audierunt. T. 8. C. 4. N. 6. T. 21. C 4. N. 5. circa illũ locum Iobi: *Si habes brachium sicut Deus, & simili voce tonas.* ubi brachium, & vox deservire possunt ad probandum Christum noluisse mittere verba denudata operibus, ut assereret authoritatem Discipulorum Ioannis, ut nos hoc exemplo instrueret, quam necessarium sit, verba nostra esse conjũcta operibus, ut fructum proferant. Vide Q. T 4. C. 2. T. 16. C. 6. & M. T. 4. C. 2. N. 2. & 4.

9. *Pauperes Evangelizantur.* Consultiùs fuisset dare eis divitias, quàm eis prædicare Evangelium, magisque conforme fuisset stylo, quem cum aliis servaverat, cum enim infirmitatibus remedia commensurasset, illuminando cæcos: *Cæci vident*, & claudis gressum, *claudi ambulant*, & leprosis munditiam, *leprosi mundantur*, rectè agere videretur, si indigentibus & egenis pecunias donaret, & diceret: *Pauperes ditantur*, & non *evangelizantur.* An fortassè putatis, quòd illis medicatus fuisset, si illos ditasset? Fallimini, quia divitias dando, non solicitudinem abstulisset, sed pericula addidisset, in quibus etiam sanctissimi sæpius periclitantur, & naufragium patiuntur. T. 20. C. 1. N. 4

10. *Cœpit dicere de Ioanne.* Id est, Ipse cœpit relinquens devotioni nostræ prosecutionem encomiorum ejus, undè qui de illis voluerit formare discursus, recurrat ad Concionem de Nativitate S. Ioannis Baptistæ, vel de Baptismo, aut Decollatione ejus, ubi plura huic Evangelio accommodari possunt.

Dominica III. Adventus. Ioannis I.

1. MIserunt Iudæi ab Ierosolymis. Cõsanguinei, & conterranei erant Ioannis, qui hoc nuntium attulerunt, & Messiæ dignitatem obtulerunt, teste Origene: *Iudæi quidem cognati existentes Baptistæ, Sacerdotes,*

tes, & Levitas destinant sciscitaturos, quis esset Ioannes? Deo sint laudes, quòd tandem aliquando unus homo inter suos fuerit acceptus, quia vixdum aliquis inter suos apparet magnus. Si Baptista foret extraneus, & adventitius, non esset mirum, quòd ei divinitatem deferret, quia dotes extraneorum, quamvis minores, quasi divinæ æstimantur. T. 15. C. 1. à N. 6. usque ad 8.

2. *Miserunt Iudæi Sacerdotes & Levitas.* Magnates, & proceres Ierosolymitani veniunt ad quærendum Ioannem: *Non quosdam contemptibiles mittunt*, inquit S. Ioannes Chrysostomus, *sed Sacerdotes, & Levitas, & non quoscumque, sed eos, qui erant ex Ierosolymis, hoc est, honorabiliores.* Et reverà cùm Ioannes honoraretur dignitate, consultius foret, quòd illum vocarent ad honorem recipiendum, quàm quòd ipsi quærerent illum ad deferendum ei honorem Messiæ, sed fortè id contigit, quia dignitates debent quærere personas, & non personæ dignitates. Bellè dictum! sed certissimum est, nobis in hac actione datum esse exemplum, qualiter honorandi sint Sancti, illi quærendi sunt à nobilibus, & Magnatibus, non uti modò, volunt Primates à Religiosis visitari. T. 4. C. 1. N. 7.

3. *Vt interrogarent eum, tu quis es?* Dominica præcedenti vidimus Ioannem in vinculis, & hodie summis honoribus affectum. Diceris utique has esse mundi vicissitudines, & meritò quidem; ast ego mysterium deprehendo in eo, quòd postquàm nobis exhibitus fuit in vinculis, illi divinitatem præsentent. Et firmiter mihi persuadeo, quòd numquàm majora ediderit signa divinitatis, quàm postquàm captus, & afflictus fuit, & si excusandi sunt ei honorem divinitatis offerentes, ideò est, quia passus est persecutiones. Id patet in Ioseph post vincula & carceres somnia servorum Regis interpretante, dicunt enim ei: *Numquid non Dei est interpretatio?* Et quod magis est, continuò respondit illis: *Referte mihi quid videritis.* & postquàm audivit eos, exposuit somnia eorum. Genes. 40. *Hæc est interpretatio.* Sed quid, cùm ipse Ioseph fateatur esse solius Dei interpretari somnia; quorsum ille interpretatur? Ratio in promptu est, patiebatur Ioseph carcerem absque culpa, quid igitur mirum, quòd se rebus divinis immisceat, & fungatur vice Dei: qui namque tribulationes patitur, ut Deus colendus est. T. 6. C. 4. N. 7. Vbi ponderanda est connexio Sancti Pauli: *Persecutionem patimur, & blasphemamur*, cùm blasphemia sit offensa contra Deum.

4. *Non sum ego Christus.* Non videtur formalis responsio, quia non interrogarunt Ioannem quis non esset, sed qui esset, ac proinde legitima responsio fuisset, declaratio nominis, & parentelæ suæ. Loquebatur eis ad cor, ac proinde congruentissima fuit ejus responsio: *Ioannes ad mentem, & non ad interrogationem respondit*, ait Chrysostomus. Bene quidem, sed existimo ego Ioannem numquàm conciliasse sibi majorem authoritatem Sapientiæ, quàm non respondendo eis in forma, quia optimum est stulto respondere secundum stultitiam suam. *Tu quis es? non sum.* Ecquare non respondet illis? quia non vult, quia stultus non meretur responsum adæquatum, quia si nescius est affectator, indignus est responso, si naturali laborat stupiditate, non intelliget responsum, quapropter undequaque non meretur responsum appositum. Hujus doctrinæ exemplum habemus in Christo. T. 4. C. 3. N. 5.

5. *Non sum ego Christus.* Vel dicere possumus hoc mansuetissimum responsum fuisse industriam charitatis ejus, ut benignitate eos reduceret potius, quàm timore. Terrentur peccatores durioribus responsis, qui aliquando blandis verbis ad saniorem vitæ frugem revocari possent. Idcirco Christus etiam dum cogitur punire, & reprehendere, facit, *Quasi flagellum*, id est, non est flagellum, sed videtur. Et hoc Deus significavit apparens non in igne, sed in sibilo auræ tenuis. T. 24 C. 4. N. 4.

6. *Non sum ego Christus.* Nemo existimet Ioannem, negando se esse Christum, quidquam perdidisse antiquæ opinionis, & authoritatis suæ; quinimò illamet negatio majorem ei conciliavit sanctitatis opinionem. Numquàm Baptista præbuit majora signa divinitatis, quàm quando noluit esse Deus. Vt notum & planum fiat omnibus, quod ea, quæ pro Deo relinquimus, novos nobis accersant titulos honoris. Sumamus exemplum in Ioanne, qui dum juxta opinionem volgi, videbatur perdere famam suam, negando se Messiam, maximè fuit à Deo exaltatus. T. 4 C. 4. N. 6. T. 17. C. 4.

7. *Elias es tu? Non sum.* Putat Origenes sensum hujus interrogationis non esse accipiendum secundum sonum, an esset, vel non esset Elias; cum enim nativitas ejus fuisset adeo celebris per omnem Iudæam, vix ullus remanebat dubitandi locus, quis esset Ioannes, præsertim Sacerdotibus, & Levitis missis ad Ioannem: *Inconsequens esset Filium Zachariæ tanti Sacerdotis in senio natum super omnem humanam expectationem ignorari à Sacerdotibus & Levitis ipsum natum fuisse, maximè Luca attestante, quòd factus est timor in omnibus habitantibus circa eos.* Quapropter genuinus sensus interrogationis erat hic, posito, quod non esset Christus, saltem esset major Elia? Ad quod respondet; *Non sum.* Et haud dubitandum quin eminentior fuerit sanctitate, verum & ea propter se minorem reputabat. Nesciunt sancti, quo excellentiores sunt in comparatione aliorum, se esse tales. Acutissima hujus probatio est illud Petri *Diligis me plus his?* T. 1. C. 1. N. 3. & T. 21. C. 3. & T. 6. C. 1

8. *Elias es tu?* Comparativè ad Eliam interrogant eum an sit Sanctus ad dignoscendum, num ejus virtus magna, vel parva foret. Et merito ita indagarunt, quia bonum esse comparative ad malos, non est habere virtutem, sed minorem malitiam. Hoc justum movit S. Augusti-

Augustino risum, & stomachum contra arrogantem illum Pharisæum, qui se omnium optimum judicabat: *Non sum sicut cæteri homines:* & ut sciatis quales illi erant, enumerat sequentes: *Raptores, injusti, adulteri.* Ecce, qualis catalogus Sanctorum, inter quos solus non pessimus totius mundi, esset optimus. Magnitudo, & excellentia virtutis consistit in eminentia super eos, qui sanctitatem profitentur, & ille reverà meretur nomen majoris Sancti, qui comparatus maximis Sanctis, nullum habet sibi parem aut æqualem. Et ad sciendũ num Baptista esset talis, interrogant eum, an major esset Elia, qui nomen maximi Prophetæ promeruerat. T. 3. C. 2. N. 4. T. 27. C. 1. N. 8.

9. *Ego vox clamantis in deserto.* Voluit Ioannes occultare titulum Angeli, quo eum Malachias indigitaverat, & propalans titulum vocis, quo eum Isaias nuncupaverat, contendit excellentiam suam dissimulare, & per solam humilitatem agnosci. Quæ enim vicinitas inter vocem & verbum, hæc eadem inter Ioannem & Christum reperitur, & quemadmodùm summa attentio necessaria est ad discernendum inter vocem & verbum, ita etiam ad distinguendum Ioannem à Christo. O si rectè perpenderemus humilitatem esse compendiosam viam ad honores, & numquam meliùs quempiam ascendere, quàm descendendo, magis humiles essemus. In Christo namque hoc ipsum liquido constat, qui cùm, quo altiùs ascenderet, non haberet, per humilitatem ad novos honores sibi aditum paravit. T. 4. C. 5. à N. 1. Vide Q. T. 21. C. 6.

10. *Medius autem vestrum stetit.* Agnovit Ioannes Christum inter Pharisæos, qui eum iniuriis lacessebant, & sufficiens erat hæc notitia ad stabiliendam divinitatem Ioannis, & ut illi Messiæ dignitatem de novo offerrent, quia soli oculi Dei possunt discernere justum inter peccatores; ideoque, quia Baptista tam perspicacis erat visus, ut Christum dignosceret inter Pharisæos, designabat in illo quamdam divinitatis speciem. T. 25. C. 4. N. 4.

Dominica IV. Adventus. Lucæ 3.

1. ANno quinto decimo Imperii Tiberii Cæsaris Primo introducitur Imperium Cæsaris, & postponitur dignitas Sacerdotalis, & dignior locus datur Tiberio Imperatori, quàm Annæ, & Caiphæ Sacerdotibus, præscutissimum præsagium destructionis, & excidii illius Reipublicæ, & utinam hæc ipsa ordinis inversio sæculum nostrum non attingeret! *Legalibus præceptis vi & ambitione cessantibus,* inquit Beda, *nulli Pontificatus honor vitæ, vel generis merito reddebatur, sed Romana, jussione potestate Sacerdotii præstabatur.* Non hoc intendit Deus, sed ut nobiles, Principes, & Reges subjiciant diademata sua pedibus Sacerdotis, & sicut Abragam, stent erecti coram illo, non imperent, sed serviant illi. T. 4. C. 2. N. 6. Vid. M. T. 6. C. 3. N. 3.

2. *Sub Principibus Sacerdotum, Anna & Caipha.* Saltem si perversi erant Principes sæculares, ad minus Sacerdotes erant boni, vultis scire quales? Audite Hugonem nostrum illos vivis coloribus delineantem: *Isti ambitione victi Sacerdotium pecunia emerant à Romanis.* O quàm lugendum! quod Sacerdos immemor dignitatis officii sui, qui se totum Deo consecrare debet, ambitiosè quærat mundanas dignitates. T. 2. C. 2. N. 3. Quapropter nequaquam admirandum, quod tam funestum habuerint exitum, quia plurimum persentit Deus offensas eorum, qui sibi sunt dedicati. Et minima eorum peccata severissimè punit, quia arctiori obligationis vinculo obstringuntur illum non offendere, qui semel se totos illi consecrarunt. T. 2. C. 2. N. 4. Et si hoc faciat pro quolibet peccato, quid non faciet pro ambitione, & negotiatione à ministris Dei tam aliena, & tam innata illis Sacerdotibus, qui sub prætextu tantæ dignitatis, locum dabant negotiationi, volentes illam servire ipsis ad victũ, & luxum: horrendum est auditu! Ecquid erit eos imitari, quemadmodùm, proh dolor! plures faciunt, qui tam sanctis officiis utuntur ad luxum, & divitias sibi comparandas. Nolite similes vocare Dei ministros, quia legitimi servi illius quamvis à zelo Dei comedantur, non tamen comedunt ex zelo Dei. T. 12. C. 3. N. 8. T. 21. C. 4. N. 5.

3. *Super Ioannem.* Ingeniosè carpit Hugo noster illud verbum, *super,* quia commodiori stylo dixisset: *Ad Ioannem. Quarè non dixit Ad; cùm super, ponatur pro Ad?* Et respondet doctissimus Cardinalis: *Ideò potius dixit super, quàm, Ad ut notaret verbum illud esse desuper.* Et quemadmodùm loquitur S. Ioannes cap. 3. *Qui desursum venit, super omnes est,* ad insinuandum nobis hoc Verbum fuisse superius Ioanne, utitur Evangelista hoc vocabulo, *super,* quod prælationem & primatum sonat. Imo apertius id expressit acutissimus Chrysologus Serm. 137. *Quarè non ad Ioannem, sed super Ioannem? Quia Ioannes vox est, Deus Verbum: factum est ergò Verbum super vocem, Deus super Ioannem, Dominus super servum.* Est hæc maxima excellentia Ioannis Baptistæ, quod necessè sit omni diligentia & accurato studio ponere ipsum inferiorem Christo, ne populus admirabili ejus virtute permotus, illum tamquam Deum veneretur. Hæc unica est causa, ob quam non facit miracula, nec gaudet titulis, quibus alii Apostoli condecorantur, T. 4. C. 4. & T. 17. C. 4. à N. 1. usque ad 5.

4. *In deserto* Erat Ioannes mortuus mundo, & vivus sepultus in spelunca quadam, & ibi capit eum Verbum divi-

divinum, & instituit prædicatorem pœnitentiæ, nisi enim ita vixisset, nullatenùs ejus doctrina tantam efficaciam habuisset, neque aptus mundi reformator extitisset. Egregiè id dixit Nissenus: *Amotus à conversatione humana invisibilium speculationi vacans, ne hujusmodi fallaciis, quæ per sensum ingeruntur, assuetus, quamdam confusionem, ac errorem incurreret ergà veri discretionem.* Malè potuisset instruere peccatores, eosque dirigere ad cœlum, mundi confusionibus immersus, eapropter necessarium fuit ipsum mori mundo, ejusque deliciis, & vivum esse sepultum, ut verba ejus virtutem haberent commutandi mores hominum in melius. Et fortassè hanc ob causam, hoc sæculo tam parvam habent tot prædicatorum verba efficaciam, quia auditores vident illos mundanis rebus immersos, & idcirco neque venerantur illos, neque verbis illorum ullam præbent fidem. T.10. C. 4. à N. 1. usque ad 7.

5. *Factum est verbum Domini, & venit.* Premite emphasim horum verborum, quia Evangelista narrans Deum esse locutum Ioanni, non explicat quid dixerit: *Factum est verbum Domini*; quid dixerit, non exprimit. Ecquid ita? Nonne Prophetæ visiones suas & mysteria earum declararunt? Ita sanè. Fatetur Isaias capite sexto se audivisse vocem Domini, dicentem sibi: *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam?* Idem contigit Ieremiæ, cum Baptista vero non fuit idem agendi stylus observatus, nam absque expressione sibi dicti, introducit illum Evangelista obedientem. Vultis nosse causam? Voluit Deus in Baptista nobis statuere exemplum perfectissimæ obedientiæ, cujus excellentia consistit in eo, quod obedientia præcedat mandatum, & priora sint opera verbis, vel ut priùs appareat executio, quam audiatur præceptum: *Vt excellens describatur obedientia, hæc enim cùm sit perfectissima, potiùs operibus factis, quàm verbis auditis declaratur.* Ita quidam Doctus Commentator. Vixdum Deus auditur præcipiens, quin jam Ioannes describatur obediens ut agnoscamus in hac acceleratione sitam esse obedientiæ perfectionem. T. 3. C. 1. T. 6. C. 2. N. 1. usque ad 4. Vide M. T. 3. C. 2. & Vide Q. T. 10. C. 1. à N. 1. usque ad 8.

6. *Venit in omnem regionem Iordanis.* Et quorsùm venit, aut ad quid? ad prædicandum gentibus pœnitentiam, & persuadendum iis, ut ad meliorem vitæ frugem convertantur. O quomodo in illo adventu elucet ardor charitatis Baptistæ! Sanctus erat Ioannes, neque ut talis haberetur, indigebat, ut alii sanctitatem amplecterentur: verùm charitas ejus noluit ipsum solum esse Sanctum, sed instigavit eum ut prædicando pœnitentiam alios etiam ad virtutis viam capessendam provocaret. Ecquàm insignis doctrina quibusdam hominibus, ut se totos dedicent aliorum profectui & utilitati, quia profectò suspecta est virtus amica solitudinis, & quæ perfecta est omnibus modis, se aliorum commodis dedicat & consecrat. T. 10. C. 2. N. 1. usque ad 5. T. 15. C. 2. N. 7. Vide M. T. 7. C. 1.

7. *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Non satisfaceret Ioannes muneri suo, aut officio, nisi desertum relinqueret, & ad prædicandum veniret. quia cùm esset, *Lucerna ardens & lucens*, violentiam intulisset suæ inclinationi, si eam in deserto occultasset, neque luxisset, nisi apparuisset, vixisset, quasi non fuisset. Qui ex officio debet illuminare exemplo, & doctrina sua, & quærit latebras deserti, reverà haudquaquàm muneri suo satisfacit. Quæ doctrina etiam ipsum Deum comprehendit, qui dum se beneficiis hominum non impendit, mortuus & quasi non potens censetur. T. 15. C. 2. à N. 6. usque ad ultimum.

8. *Prædicans baptismum pœnitentiæ.* O quàm ingrata doctrina mundo! quàm ægrè amplectuntur pœnitentiam, qui se carnis illecebris, & hujus vitæ deliciis dederunt, arbitrantes carnis mortificationes esse spinas, quæ pungunt, cùm tamen sint flores, qui oblectant. Redeant igitur ad saniorem mentem, quia nullum efficacius aut salubrius medium, ut peccator abstergat maculas peccatorum suorum, & justus conservetur in gratia, quàm rigor pœnitentiæ. T. 10. C. 4.

9. *In remissionem peccatorum.* O quale solatium peccatoribus verè pœnitentibus! nosse in pœnitentia se non solum habere medicum, sed etiam eum, qui deleat peccata eorum, impediendo Deum, nedum ut ea non puniat, sed etiam ut eorum deinceps non recordetur. Sint infinita peccata, eaque gravissima & horrendissima, dummodò peccator de iis doluerit, & cum detestatione ea in memoriam revocaverit, Deus ea delet ex memoria sua, neque repetit manus aut flagella ad puniendum ea, neque oculos ad videndum illa. T. 6. C. 5. N. 4. & 5. Vide M. T. 3. C. 4.

10. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur.* Idem est hoc, inquit S. Leo Papa, ac illud quod Christus postmodum dixit: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Per valles intelliguntur Gentiles, & per montes Iudæi, illi per humilitatem fuerunt exaltati, hi verò per superbiam humiliati & depressi, ut semper liquidò constet hæc veritas, humilitatem, scilicet, securissimum esse arbitrium ad excellentiam, aut supremam honoris dignitatem adipiscendum. T. 4. C. 1. N. 1 & c. Vide Quadrag. T. 21. C. 6.

PRO

PRO TRIBUS FERIIS QUADRAGESIMÆ.

Feria 4. Cinerum Matth. 6. & Genes. 3.

1. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Memento homo, quia pulvis es, & in pulverē reverteris.* An non assequemur mysteriū, cur Ecclesia conjūgat cineres cum jejunio, & eodem tempore, quo præcipit jejunium, etiam nobis revocet in memoriam nos cineres esse? Evidens nostræ mortalitatis argumentum est necessitas jejunii, ad refrænandas passiones corporis, quod nisi foret tam vilis materiæ non indigeret hac medicina. Quorsum igitur utrumque conjungitur, pulvis & jejunium, cùm unumquodque sufficiens sit nostræ fragilitatis argumentum? O quàm malè intelligitis! Ecce tanta est excellentia jejunii, ad tantam celsitudinem nos exaltat abstinentia, ut Ecclesia necessarium judicaverit nos memores reddere mortalitatis nostræ, quando nos jejunatores introducit, ne dignitas jejunii nos humanos dementiatur. Non videtur originem suam trahere ex terra, qui cibi & escæ obliviscitur: quapropter S. Mater Ecclesia solicito studio volens impedire præsumptionem, quam nobis ingerere poterat jejunium, commemorat nos esse pulverem, monetque ut jugiter recordemur nos esse homines & mortales: *Memento homo*, quia taliter nos transformat jejunium, ut necessariæ sint tot præmonitiones, ne super id, quod sumus efferamur. T. 14. C. 2 specialiter N. 2. ubi videtur Deus præcepisse Adamo, ut comederet, ne non homo putaretur, quia jejunium adeò divinum illū reddiderat, ut intermissa comestione dubitari potuisset, num ipsius natura humana, vera aut ficta foret. Notetur ibidem locus sancti Augustini.

2. *Memento homo, quia pulvis es: unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Statim offert se oculis difficultas, & prodit ad labia interrogatio Ecquæ connexio inter unctionem capitis & lotionem faciei, ex una parte, & ex altera aspersionem utriusque cinere & pulvere? aut cognatio inter pulverem & unguentum? inter fucum & cinerem? Revera mundanis oculis nulla apparet, coram divinis, tamen arctissima judicatur. Nullus ornatus adeò accommodus, homini, quàm hodierna vestis pœnitentiæ, insigne autem pœnitentiæ est cinis, & ita speciosus est homo habitu illo indutus, ut quodammodo divinam pulchritudinem æmuletur, qui tamen mundo apparet horridus & ignominiosus, & ideò idem est incinerare caput, & faciem; ac ungere corpus pretiosissimis unguentis cùm hic sit connaturalis habitus hominis in hac vita adhuc peregrinantis, quo amictus pretiosissimam æternæ gloriæ stolam promeretur. T. 26. C. 5. Vide Q. T. 1. C. 1.

3. *Memento homo, quia pulvis es, cùm ieiunatis.* Conjungitur cinis cum jejunio, ut auferatur nobis metus & horror mortis: qui enim considerat seipsum virtutibus exornatum, non timet mortem, atque ideò idem est ac nobis annuntiare. Si desideratis recogitare memoriam mortalitatis vestræ, si optatis expectare mortem absque tremore? exhibete opera virtutum, date eleēmosynam, mortificate carnem vestram jejunio, thesaurizate vobis bona cœlestia, & omnibus hisce mediis & diligentiis tranquillam mortem obtinebitis. Et dum intimatur nobis, quod pulvis simus, tantum aberit, quod terrorem incutiet, ut etiam ingens pariat gaudium: ea est generositas, quam addit virtus, ut etiam in virtute illius expectetur mors sine timore, & cum delectatione quæratur, & cum gustu & oblectamento recipiatur T. 27. C. 2.

4. *Nolite fieri sicut hypocritæ* Efficax argumentum ad dignoscendum virtutem esse fictam & adulterinam, est, quod eam operans debeat eam propalare. Vera virtus ait S. Thomas, alieno non eget patrocinio, sed seipsam manifestat & ostendit an Dominus suus sit Sanctus, nec ne: *Melius est ut ieiunium te ostendat, quam tu ieiunium.* Et maximum veræ sanctitatis indicium est, quod latebras quærat, & conspectum hominum devitet, cum enim Sancti sibi ipsis displiceant, nullam suarum actionum bonam arbitrantur, & idcircò eas propalare verentur, semper pavidi & timidi, ne quid virtuti suæ desit. Verùm qui sibi tantopere complacent, ut absque timore sua publicè venditent; falsi sunt & hypocritæ, quia ipsamet eorum securitas suspectam reddit virtutē, quæ enim vera est timet, quę falsa, audax est & intrepida. T. 6. C. 1.

5. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes* Meritò appellat Evangelista hypocritas tristes, quia eisdem mediis, quibus æternam requiem adipisci poterant, sibi infernum accersunt, commutantes jejunium in lucrum mundi, quod tamen est pretium cœli. O quam lamentabile! inquit sanctus Gregorius: *Ora pallescunt, corpus debilitatem patitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, nihilque tanto labore aliud, nisi æstimatio humana cogitatur.* O quam caro pretio tales sibi comparant infernum! quantis impendiis emunt damnationem suam Ecce, Auditores, quod lascivus, aut luxuriosus ob-

scœnè

[illegible] rectè vivens, damnetur, infœlicitas, & deploranda miseria est; [illegible] deliciis potitus est in hoc mundo, quam [illegible] sæculo tormenta patiatur. Verum, [illegible] verè martyr qui solum torquendo motivum [illegible] cœlum lucrari poterat, ipsamet virtute sibi damnationem acquirat, maximè lugendum est, quia nulla major pœna excogitari valet, quàm quod homo in eadem via, in qua alii salutem, ipse æternam damnationem inveniat. Tractatu 7. C.3. N 7. Vbi expendendum cum Philone illud, *Errantem in via* de Joseph. O quàm dolendum, errare in ipsa via, & non extrà illam! Vide Quadr. T.8 C. 6. & alibi.

6. *Ne videaris hominibus ieiunans.* Adeò cautum & absconditum debet esse jejunium, ut si fieri posset absque peccato, illud sub accidentibus comestionis occultare deberemus, significantes, & ostendentes, etiam ipsam abstinentiam esse quamdam epulationem. Egregiè id expressit aureus Chrysostomus: *Sic longè te facere debes ab ostentatione ieiunii tui, ut si fieri possit, (quod tamen non decet) ea etiam facias, quæ ex adverso luxuriæ & epulationis videntur esse indicia.* Non potest magis extolli occultatio virtutis, nam ne cognoscatur mentitur habitum peccati, ex quo nascitur, quod maximè sancti & perfecti omni studio contendant se peccatores ostendere, ne eorum virtutes mundo innotescant, quærentes in exterioribus peccatorum suorum indiciis securitatem bonorum operum suorum. Tract. 21.C.3.M.T.9.C.2 N 9 & seq.

7. *Et pater tuus, qui videt in abscondito,* Mira res, quod abscondamus virtutem ab oculis hominum, rectè dictum: sed qui possibile est, quod Deus se abscondat ad videndum virtutes. Quinimo si Deus est illas præmiaturus, nonne æquum erit ut eas videat? Insuper si pericula belli moderetur præsentia Ducis aut Regis, nōnè rationi consonum foret, justos in continua militia sua Deum videre manifestum cujus aspectu animos conciperent, & securam sibi victoriam sponderent? Quorsum ergò abscondit se, auferens illis occasionem animositatis? non capitis, cùm namque Sancti adeò desiderent operari absque spe lucri & testibus, si possibile foret, ita opera sua occultarent, ne illa videret, & vellent, quod quemadmodum Deus invisibilis est, ita etiam virtutes eorum invisibiles forent. Attendite ad peregrinam illam formam Seraphim, quos vidit Isaias. Ecquid significat, quod dum lætantes Deo cantant laudes, eique debitam exhibent reverentiam, suam occultant faciem: *Duabus velabāt faciem suam.* Si rebus illicitis operam darent, & sum Dei conspectum subterfugerent, sic ita, sic namq; egit Adam nolens videri à Deo: *Abscondit se.* At si nihil præstantius operari possunt, quare Deo faciem suam occultant. Imò ideircò in tantum oderunt virtutes conspectum mundi, ut etiam ipsius Dei faciem, in cujus obsequium se impendunt, fugiant, & optarent Sancti velare oculos Deo, ne bona opera sua perlustraret. Fugiunt conspectum Dei boni & mali, aliter tamen & aliter hi propter horrorem peccatorum, & illi propter cautelam bonorum operum suorum. T.21.C.2. N.3. & seq.

8 *Nolite thesaurizare vobis in terra.* Vult nos Christus perfectos, ideoque præcipit contemptum thesaurorum, nam difficile est bona terrena cum virtute componere. O quot, teste Augustino Sermone 212 de Tēpore, doluerunt se non fuisse secutos mandatum Christi de paupertate, quia damno suo experti sunt divitias, & opes mundi sibi accersivisse perditionem, ad quam evitandam securissima via erat paupertas: *Multos pœnituit consilium Domini non recipere, qui dicit: Nolite vobis thesauros condere in terra: multi enim in isto sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt; multi autem propter suas divitias correpti sunt.* Maximum impedimentum cœli est thesaurizare in mundo, non enim solam pecuniam sed etiam nomen ejus fugiunt Sancti, & verentur illud ore proferre, quia arbitrantur etiam solummodo nominatam posse remoram iniicere virtuti. T.20.C.1 N.4.

9. *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Hoc reverà debet esse unicum hominis Christiani studiū, ut totum se quærendis thesauris cœlestibus impendat. Ad altiora natus est homo, non ad humilia & abjecta, eritque contra inclinationem illius sese caducis impendere rebus. Bellè Chrysostomus: *Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, quia non estis de terra, nec de terra venistis: sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram, sed de cœlo estis, & de cœlo venistis, & iterum redituri estis in cœlum, nisi ultrò manere velitis in terra.* Homo natus cœlo, illic thesauros suos destinare debet, omnes actiones suas eò referendo, nisi minus offendet nobilitatem suam, & degeneri vilitate operum suorum stemmata sanguinis sui nota injuriæ afficiet. T.14.C.1.n. 7. & seq Vide Quadr. T.6.C.6.

10. *Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* O auditores, cum cor nostrum sit ubi thesaurus noster est, habeamus Christum pro thesauro nostro, præterquam enim quod ipse solus mereatur omnem laborem nostrum, simul etiam ipsi benevolentiam voluntatis ejus rependemus, cumque Dominum cordis nostri faciemus, suum namque recondit in nobis, nosque thesaurum suum reputat, qua ergo par pari non referemus Imitemur igitur Susannam, cum amantem experiamur Christum. Et quia audivimus dum ipsius cor abstulisset (juxta sensum illorum Verborum, *Vulnerasti cor meum*) ille reddiderit gratitudinis ergo cor suum, cùm Deus in nobis cor suum habeat tamquàm in thesauro suo nostrum illi tribuamus. T.14.C.4 N.5.& seq.

Feria

Feria IV. post Cineres, Matth. 5.

1. *AVdistis quia dictum est antiquis*, Notate, inquit Glossa ab Angelico Doctore adducta, quod in toto corpore legis nullum contineatur Verbum, quod iubeat, imò quod nec quidem insinuet odium inimicorum, ex quo liquidò constat, Glossam, quam Pharisæi addiderunt Scripturæ, fuisse meram additionem antiquorum, hæreditariè ad modernos derivatam, ut sua iustificent odia: *Sciendum est in toto corpore legis non esse scriptum, odio habebis amicum tuum, sed hoc dicitur, quantum ad traditionem Scribarum, quibus visum est hoc habendum.* Iudicabant antiqui iustas esse vindictas suas, eo quod illis Scriptura patrocinaretur, & ut suo depravato satisfacerent desiderio, & cupiditati, interpretabantur ad libitum suum legem divinam, destruentes synceritatem Textus & veritatem sensus mendaci commentario commaculantes. Pessimum est, quod etiam hæc infelicitas ad nostram pervenerit ætatem. Jam enim quidam innitentes Scripturæ testimoniis volunt approbari, & rata haberi duella sua, eo quod Deus nobis curam famæ & honoris commendaverit. Ast scitote hoc esse sequi vestigia, & stylum dæmonis, qui ipsa sacra Scriptura armatus voluit decipere Christum, & idem faciunt qui addunt, vel demunt verba ad legem Christi, eamque ad suum sensum detorquent. Certè videretur nimius rigor & severitas in Christo, quod nollet nec apicem, nec iota legis mutari: *Iota unum, aut apex unus non præteribit à lege*, & non fuit minimi sed maximi momenti, qui ablato uno iota, aut uno apice addito, nos ex Catholicis facit hæreticos, & similes Scribis hodierni Evangelii, qui ad stabiliendam suam vindictam voluerunt sacram Scripturam extendere. T. 7 C. 2 N. 8 & 9.

2. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quoad primam clausulam, est expressa in Decalogo, & postmodum à Christo Evangeliis inserta, secunda tamen fuit solummodo consequentia ab antiquis illata, qui ex ipsis visceribus legis suam ruinam exuere voluerunt, & assumentes, quod non explicabat, ausi sunt facere, quod prohibebat. Minus damnabile est aperto Marte transgredi legem Dei, quàm ex ipsa lege perperam intellecta Deo bellum inferre, quia primum manifestat vel ignorantiam vel malitiam per secundum verò intenditur, ut ipsa lex & Religio faveat, & patrocinetur iniquitati, quæ maxima est hominis vesania, & perversitas. Putabitis fortasse, & merito quidem) nimis severum fuisse Saulem, condemnando filium suum Janatham capitis, aut mortis, quia gustaverat favum mellis, si enim lex solum panem prohibuerat: *Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam.* 1 Reg. 14. & Ionathas non nisi mel comederit, non videtur fuisse transgressus mandatum patris, ac proinde nimis rigidum fuisse supplicium. O quàm intelligitis, inquit acutissimus Caietanus! considerate intentionem præcepti, quæ fuit omnem prohibere escam, & arbitratus est Saul, prohibendo esum panis, se sufficienter cætera indicasse. Vt igitur Ionathas suæ serviret cupiditati, assumpsit materiale præcepti, sibique persuasum habuit, quod comedendo mel & non panem, componeret legem cum appetitu suo, & hoc gravissimum fuit in delicto eius, neque tantùm deliquisset, si ex sola fragilitate mandatum violasset: & pessimum fuit illum quæsivisse interpretationem legis, qua illam exploderet: *Peccavit enim,* Verba sunt Cajetani, *audito mandato Regio, probando factum propria comestione, arguens patrem, qui præceperat.* Lepidum sanè, quod Deus absque ulla limitatione præcipiat dilectionem proximi, & quia non expressit amorem, & dilectionem inimici, odium illius ratum habeatur, & hocce odium velut explicatio mandati eius apponatur. Hoc nihil aliud est, quàm Deo propriis ipsius legis armis bellum intentare, & sub prætextis observantiæ præceptorum eius illudere, & floccipendere mandata eiusdem. T. 7, C. 2. N. 7.

3 *Ego autem dico vobis.* Magnam continet Emphasim hoc verbum. idemque fuit ac Christum contraponere suam authoritatem traditioni antiquorum, & confundere falsitatem doctrinæ eorundem, uti pulchrè adnotavit Angelicus Doctor sanctus Thomas: *Hos ergò corrigit, cum dicit, ego autem dico vobis.* Ecquàm antiquum est. & proprium Sapientiæ Dei confundere sapientiam superborum, & vana præsumptione innitentium, quemadmodum virga Moysis, virgas sapientum Pharaonis devoravit. T. 7. C. 4. N. 3.

4 *Diligite inimicos vestros.* Si fortè difficile sit vobis diligere inimicos vestros, per me licet, ait sanctus Ambrosius, ut odio habeatis illos, ea tamen lege, ut priùs noscatis, quibus titulum hunc affingere possitis, & ne vobis molestum sit, eos operosius quærere, ego illos vobis designabo, inquit S. Archi-Antistes: *Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, &c.* Omnes qui vobis remoram injiciunt in via virtutis, quique titulo amicitiæ, aut cognationis applaudunt vestræ damnationi, & miserè vos ad infernum pertrahunt, hi sunt inimici vestri, & hos odisse non odium est, sed virtus, quatenùs iter vestrum ad cœlos impediunt. Dolendum est, quod eos reputetis amicos, qui errori vestro favent, & recipiatis tamquàm

cognatos, qui titulo consanguinitatis sunt vobis occasio æternæ damnationis, cùm tamen similes potius ut tyrannos, quàm parentes detestari fas esset: *O durum patrem*, exclamat Mellifluus Doctor. Epistola 111. *O sævam matrem, O parentes crudeles & impios, imò non parentes sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est! Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine illis.* Non placent Deo amicitiæ noxiæ, qui non minùs amat concordias justas, quam discordias aut dissensiones sanctas: quapropter gratissimus est Deo qui non diligit amicum aut proximum ad peccata provocantem. T.11. C.2. Vide Quadrag. T.2.C.3.

5. *Diligite inimicos vestros.* Certum est, inquit Author Imperfecti Homil. 13 amorem nostrum non posse esse otiosum: cùmque necessario debeat operari, etiam opus est ut inimicos diligat, quia nulli veri reperiuntur amici, nisi apparentes, eapropter etiam sublato Christi mandato necessarium foret amare inimicos, nisi voluntatem nostram otiositatis condemnare velimus: *Cum sit mundus iste scandalis plenus, si tantùm amicos voluerimus diligere, non poterimus invenire, quos diligamus.* Posito igitur, quod omnes reverà sint inimici quidam veri, & quidam ficti, titulo gratitudinis potius amare debemus inimicos manifestos, quàm veros quidem, sed occultos, quia illi rancore suo nos monent de periculo hi verò sub prætextu amicitiæ dissimulant offensam. Mementote admonitionis, qua Joseph instruxit fratres suos Pharaoni responsuros: *Respondebitis*, ait Genes. 46. *viri Pastores sumus servi tui ab infantia nostra: usque in præsens, nos & patres nostri.* Et si vultis nosse mysterium hujus moniti, audite, quid Sanctus Patriarcha subjungat: *Quia detestantur Ægyptii omnes Pastores ovium*, cum enim tanquàm Deos colerent oves, ut advertit hic sanctus Thomas, ægrè ferebant, quod pastores illas uti animalia tractarent. Quæ cùm ita sint, ecquis non dicet consilium Ioseph non fuisse fratris, sed inimici, cum consulat iis fateri officium suum, Ægyptiis adeò exosum. Eja non intelligitis, fuit hoc ingeniosissimum amantissimi fratris inventum. Præsagiebat dissidium inter Ægyptios, & Israëlitas futurum, & voluit eos ex tunc declarare inimicos, ut cautiores viverent, ne sub fiducia amicitiæ odium dissimularent, & majori cum securitate offenderent: ac proinde statim manifestent officium suum Regi, ut detecta inimicitia, non remaneat locus dissimulationi: Hoc ergò beneficium, quod Ioseph præstitit fratribus suis, faciunt nobis adversarii nostri, manifestantes enim se inimicos, nos odii sui certiores reddunt, ut omni cura tanto malo obvenire studeamus: at verò parentes, fratres, & amici quanta nobis inferunt damna, utentes amicitia nostra ad nocendum! Cauti ergò vivamus, & nullatenus confidamus iis, qui sub umbra fucatæ amicitiæ maximè nobis nocent, uti patet in Ioab. T.7.C.2.N.7. Neque etiam fidem demus cognationi, quæ sub velamine consanguinitatis occultant ruinam nostram, quemadmodum Eva fecit cum Adamo, & sæpius agunt plurimi parentes, & cognati. T.11 C.2. Quad. T.4.C.1.

6. *Benefacite his, &c. Orate pro persequentibus.* Ut Christus nos firmiores redderet in amore inimicorum præcipit, ut iis benefaciamus; quia nulla securior diligentia ad conservationem virtutis nostræ, quàm exercitium alterius excellentioris. Et donec non progredimur à bono in melius, exponimur periculo, etiam habitas virtutes amittendi. Considerate ad rem præsentem verba Zacchæi recens conversi, & perpendite, quid Christo de veteri vitæ suæ statu dicat: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*: congruentius videretur fuisse locutus si inverso stylo & ordine sermonem suum inchoasset: quia prius sunt debita solvenda, quàm eleëmosynæ elargiendæ, ideoque prius debuisset illa reddere, quàm has erogare. Cur igitur Zachæus ordinem invertit, & Christus illum approbat? Voluit Zacchæus conservare in firmo proposito solvendi debita, & eapropter seipsum obstrinxit ad faciendas eleëmosynas, quas facere nō obligabatur: sibi persuadens nullo modo se posse malius assecurare adimpletionem eorum, ad quæ obligabatur, quàm exercendo ea quæ erāt charitatis. Benefacite igitur, ait Christus, inimicis vestris, si in amore eorum conservari cupiatis, nisi enim de bono in melius progrediamini, plurimùm prior virtus periclitatur. T.15. C.1. N.1. & seq. Quadrag. T.16. C.1. T.7. C.1. T.2. C.5.

7. *Ut sitis filii patris vestri*, Fieri, vel non fieri filios Dei à nostra dependet voluntate, Deus namque facultatem contribuit, & solum beneplacitum nostrū requirit ut disertè sanctus Augustinus: *Ex illa autem regula intelligendum est, quod hic dicitur, quo & Ioannes dicit: dedit eis potestatem filios Dei fieri: unus enim naturaliter filius est, nos autem potestate accepta efficimur filii, in quantum illa, quæ ab eo præcipiuntur, implemus, itaque non ait facite ea, quia estis filii, sed facite ista ut sitis filii.* Estne possibile, quod tales simus, tamque inimici nobis ipsis, ut cùm Deus reliquerit dispositioni nostræ esse filios Dei, ex sola negligentia tantum perdamus honorem? Scitote autem, æquale promereri supplicium, illum, qui potens adipisci Deitatem, defectu voluntatis illam non assequitur, ac illum qui impotens viribus, inordinata voluntate eam appetit. Et eadem pœna infligetur homini, qui potens esse Deus, id noluit, quæ inflicta fuit Dæmoni, quia cùm non posset, voluit esse Deus. Mat. T.18. C.2. N.6. Lege ibidem de Adamo & Iuda.

8. Qui

8. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Notate, primo ponit Deus bonos, & deinde malos, ut hi agnoscant omne bonum cœleste ab illis provenire. Si pluat, si Sol splendeat, quamvis videatur beneficium commune omnibus, ad instantiam tamen conceditur bonorum, & ne hujusmodi beneficia bonis desint, permittit Deus, ut etiam mali eisdem gaudeant, & fruantur. O quot, quantaque commoda recipiunt peccatores ex societate justorum, & quot lucra malis resultant ex vicinitate bonorum. T. 6. C. 5. N. 6.

9. *Cùm facis eleemosynam.* Si non omnes habent opes & divitias, quomodo Christus in nomine omniũ supponit eleẽmosynam? O si intelligeremus excellentias Christianæ charitatis! Non consistit excellentia ejus in eo, quod habens facultates, eroget stipem petenti, sed in eo, quod non habens, mendicet, ut pauperibus subveniat. Quod dives, qui affluit & abundat opibus eleẽmosynam largiatur, opus charitatis est, sed valde commune, at verò quod inops, & egenus ostiatim petat, ut aliis succurrat, summè exornat & extollit misericordiam Et hæc eleẽmosyna rapit cor & affectum Dei. Et cùm nullus sit, quin possit petere stipem, ut miseriis pauperum opituletur, nullus datur, quin eleẽmosynam erogare valeat, quæ Deo incomparabiliter acceptior est, quàm prima. T. 8. C. 1. N. 6. & seq.

10. *Et pater tuus reddet tibi.* Non consulit, ut Deo spe præmii serviamus, sed solummodo securum asserit præmium eorum, qui Deo serviunt. Vehementer offendit beneficam Dei indolem, qui præsumit illum irremuneratа relinquere obsequia sibi præstita, & injuriam facit virtuti suæ qui propter mercedem aut commodum aliquod servit Deo. Debent itaque taliter bona opera fieri, ut mereantur præmium, neutiquam tamen debet præmium esse motivum aut scopus eorum, plurimum enim commaculatur generosa nobilitas virtutis, si ad lucrum detorqueatur, estque offendere divinam generositatem, & malè opinari de illa, operari propter solam mercedem T. 10. C. 11

Dominica 1. Quadragesimæ Matth. 4.

1. TUnc ductus est Iesus in desertum. Vultis scire, quale fuerit illud tunc, quando Dæmon aggressus est Salvatorem, Audite aureum Chrysostomi responsum; *Tunc postquam baptizatus est Dominus à Ioanne in aqua, ducitur à spiritu in desertum, ut baptizaretur igne tentationis, tunc scilicet, quando Pater clamavit de cælo, Hic est Filius meus dilectus, &c* Eodem tempore, quo Pater eum declaravit Filium suum, etiam fuit tentatus à Diabolo. Et idem Spiritus sanctus qui fuit testis illius voluntatis, etiam duxit eum ad tentationem, ut in doctrina Christi nobis daretur exemplum, non esse evidentius in nobis signum, quod Deus nos diligat uti filios, quàm quod nos tentationibus, & tribulationibus exponat. Et quamvis hæ prima fronte videantur esse signa indignationis, sunt tamen manifestissima divinæ benevolentiæ indicia. T 10 C. 2. N. 1. & seq Vide M. T. 10 C 3. Econtra verò dum vivimus securi & immunes à malis, & in omnibus secundo navigamus vento, meritò timère possumus talem fortunæ favorem, quia argumentum est, Deum nobis esse iratum. T. 3 C. 4. N. 5.

2 *Ductus est in desertum,* Valde notandum est, quod Sancti Marcus & Lucas nuncupent violentiam id, quod Sanctus Matthæus appellat, *Ductus*, Lucas enim ait, *agebatur à Spiritu,* Marcus autem, *expulit eum,* & sicut nullum est dubium, quin teste Sancto Hieronymo Christus spontaneè acceptaverit jejunium & tentationem: *Ducitur autem non invitus aut captus, sed voluntate pugnandi,* ita etiam nullus relinquitur ambigendi locus, quin hæc diversitas styli magnum contineat mysterium. Neque aliud esse reor, quam quod Christus nos docere voluerit cautelam servandam in operibus virtutum, nimirum ut virtutes nostræ videantur, quasi actiones necessariæ, ne eas exercendo boni esse videamur. Hoc stratagema fuit Christi dum tam pauper natus, fuit in mundo, ut in persona sua nobis præberet paupertatis exemplum. Licet enim ex superna dispositione editus fuerit in lucem inter paleas, nihilominus tamen voluit ut tam vilis & abjecta nascendi forma in mundo ex necessitate proveniens reputaretur, quod defectus hospitii foret causa, tam abjectæ nativitatis in præsepi: *Quia non erat ei locus in diversorio* Idemque illi contigit in Cruce, cùm namque magno desiderii affectu ambiret passionem, se sitibundum ostendit, *Sitio*, ut sub specie sitis, quæ est passio naturalis, omnis expers meriti, dissimularet excellentiam meriti, quam potio illa amarissima includebat. Eodem prorsus modo vult hodierna die inchoans jejunium suum, ut Evangelistæ describant voluntariam suam acceptationem ad instar violentiæ sibi injectæ, ut quicumque videret eum violenter ductum in desertum, non magni faceret jejunium ejus, quasi violentia extortum, & simul ut nos suo exemplo instrueret, summam perfectionem consistere in eo quod quis ex virtute faciat necessitatem, ut eam sic ab oculis mundi occultet. T. 8. C. 1. N 8 & c.

3 *In desertum.* Quod tanta celeritate abeat Christus in desertum & solitudinem, præludia sunt futuri

prædicatoris, inquit Cajetanus: *Significantur autem, quòd Christus post baptismum de ertum petit, non solùm ut sua actione exemplum præbeat nobis, quid agendum sit post professionem Christianæ vitæ, sed ut præludia suæ prædicationis exerceat.* Existimabat Christus prædicationem suam periculo exponendam, nisi prius in solitudine quasi præludia illius instituisset. Prædicatores qui quotidie conversationem adeunt mundanorum, vix ullum possunt facere fructum in populo, quia nimia familiaritas parit contemptum. Ideo consultum est ut prædicator se vivum sepeliat in vita, & videatur hominibus quasi ex alio mundo prodire, ne ille respectum perdat; ideo Lazarus, & Ionas maximi fuerunt prædicatores, quia unum evomit sepulchrum, & alterum piscis, & ambo tamquàm invisi fuerunt omnibus timori. Tract. 10. C. 4. N. 1. & seq.

4. *Vt tentaretur à diabolo.* Ad instruendum nos, quantò timore, & cautela incedendum sit in via virtutis, permittit Christus se tentari, ut tentatio eius nostram excitet curam, & solicitudinem, ad assequendam virtutis perfectionem. Est timor anima sanctitatis, periculosæ sunt expositæ virtutes aleæ, quæ subjectum habent timore destitutum, nemo enim nimiùm confidens virtutem attingit. Vt igitur Deus eliminet præsumptionem, & fuget hanc pestem ab anima, dirigit nos ad tentationem, ut ex illa addiscamus timores, inter quos tutæ conservantur, & augentur virtutes. *Propterea*, ait Chrysostomus Homilia 13. in Matthæo, *Deus te in tribulationes irruere permittit, ut in egregia animi mediocritate permaneas, nec donorum magnitudine elatus, nec tentationum mole depressus.* Omne extremum est vitiosum, non vult te Deus arrogantem, nec desperantem, sed timentem, id est, cum mediocri quadam fiducia, quæ te faciat cautum, & sic tandem ad portum securum perducat T. 6 Consid. 1. Potest etiam applicari Consid. 3 N. 1. usque 5. Tract. 15. C. 3. N. 1. M. Tract. 9. C. 2. N. 9. usque ad ultimum.

5. *Et cum ieiunasset.* Magna vis amoris Christi, inquit sanctus Ambrosius, quòd cùm jejunium sit frænum abstinentiæ, quo refrænantur passiones; & Christus immunis sit ab omni illo periculo, voluerit in sua persona, quasi infirmus esset, experiri hoc remedium. En quid intendis Domine, inquit Sanctus, egit personam Medici, qui ad dulcorandam amaritudinem potionis, priùs illam gustat, ut ægrotantem ad eam sumendum invitet; *Sed videamus quæ causa fuerit*, inquit Sanctus Serm. 39. *ut ieiunia Salvator inducat, ut ipse sibi primùm, ut bonus humani generis Medicus ieiunaret: bonus enim medicus poculum, quod ægro daturus est, prior gustat, ut peritiam artis suæ, ante ipse, in se demonstret, & experimentum æger accipiens, securus sit de poculo, securior de salute.* Hic est ultimus terminus charitatis, neque ulterius se extendere valet Christiana perfectio, quòd medicus assumat personam ægroti, quodque justus se injustum reputet, & veluti propria lugeat aliena crimina, suscipiens in se remedium, cum nullam habeat infirmitatem. Amores sunt Christi quos modo possibili oportet imitari illos, qui se illius venditant discipulos, & sectatores. T. 21. C. 3. Vide supra Dom. 1 Advent. N. 2.

6. *Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Perseverantia huius jejunij docet nos, ut sciamus tunc opera nostra Deo futura grata quando fuerint cōtinua: frustratur enim finis actionum, dum varietate vestiuntur, qui ex collatione facit cœnam, evanescit jejunium totius diei, & qui hodie serviens Deo, cras illum offendit; commaculat omnia obsequia prius præstita. Non sic agendum, sed ad imitationem Christi perseverandum est in observantia legis, faciendo noctem diem, ut continuemus jejunium, sic faciamus ex vespere, mane ut denuò incipiamus servire, & quotidiè renovando proposita feliciter finiamus. T. 19. C. 1. N. 1. & seq. Item T. 15. C. 2. N. 1 & seq. M. T. 6. C. 5 N. 1. & seq. Quad. T. 2. C. 7. T. 7. C. 1. T. 16. C. 1.

7. *Si filius Dei es, dic ut isti lapides panes fiant.* O quàm apertè dignoscitur hanc diabolicam esse petitionem, solus enim dæmon intentaret convertere duritiem in mollitiem, asperitatem in delicias, & Religionem in commoditatem. Malè vobis oleant Christiani, qui vili pretio volunt salutem sibi comparare, & componere cœlum cum dulci quiete, quia tales consulunt dæmonem, quia ipse solus potest esse author talium desideriorum. O quàm egregiè id expressit Gaufredus in allegoria Tilmanni: *Illo dicis, ut lapides panes fiant, qui duritiem disciplinæ converti: ad commoditatem vitæ.* Non itur per flores, sed per spinas, ad cœlum, non per mollitiem, sed asperitatem, & qui vobis contrarium consuluerit, vel dæmonem, vel hæreticum habere, dæmon enim cognoscens utilitatem pœnitentiæ vellet eius memoriam abolere, quantò magis eius experientiam T. 10 C. 4.

8. *Mitte te deorsum.* Insignis doctrina, pro iis, qui cùm ad summum perfectionis apicem attigerint, ut aliquando contemplationem intermittant, & ex charitate proximorum saluti incumbant, & Deum deserant in se, ut ei serviant in suis; quia hoc non est deficere, sed proficere in contemplatione. Et placet Deo ut interdum suam deserant conversationem, & proximorum necessitatibus succurrant. T. 10. C. 2. N. 3. T. 24. C. 1. N. 1. &c. Vide M. T. 7. C. 1.

9. *Et dixit ei, hæc omnia tibi dabo, &c.* Nonnè annotastis, quod in primis tentationibus, addiderit: *Si Filius Dei es?* in hac tertia nullo modo meminerit Dei, aut nomen eius ore protulerit? ô utinam ego hoc ipsum

sum vobis dignè elucidare possem! causa in promptu est, adeo connexa est oblivio Dei abundantiæ, & affluentiæ bonorum temporalium, ut etiam ipsemet dæmon qui in prioribus tentationibus recordabatur Dei, vix incipiat agere de Regnis mundi, & opibus, seu divitiis terrenis, quin statim obliviscatur illius, ita ut ad deceptionem suam instruendam nequaquam Dei memoriam habuerit. Ecce fascinationem, quam secum adferunt divitiæ, ut etiam ipsum dæmonem pejorem reddant. Ideo tantopere fugiunt Sancti, non solùm possessionem earum, sed etiam nuncupationem earumdem. T.20. C.1. N.4. & 5. Recordari beneficiorum Dei in prosperitate, est summa virtutis excellentia. T.11. C.1. N. 5 & in die cinerum N 8.

10. *Et ecce Angeli ministrabant ei.* Præterquàm quod Angelis ex officio competeret Christo servire, hodie illam assistentiam, & singulare illud ministerium promeruit illi perseverantia jejunii, nescio enim quid particulare habeat hæc virtus, quæ specialem homini conciliat authoritatem, & æstimationem, & singulares impetrat favores à Deo Tract. 14. Consid. 3. N. 1.

Feria IV. Post primam Dominicam Quadragesimæ. Matth. 12.

1. A*Ccesserunt ad Iesum* Semper suspecta est unio, & concordia malorum, quia semper est ad malum, & quamvis inter se discordes, ad nocendum tamen aliis unanimes conspirant. Ingeniosè hoc observavit Orig. lib. 1. in Iob, circa ruinam domus, quam ventus evertit: *Repentè ventus vehemens concussit quatuor angulos domus, &c.* Vbi ratio dubitandi occurrit, cur ventum dicat, cùm necessario fuerint quatuor, quia unus solus nonnisi unum latus concutere poterat. cumque quatuor anguli ex diametro oppositi concussi fuerint, non est dubitandum, quin etiam omnes quatuor venti ad destruendam domum concurrerint. Ita est, inquit Doctus Origenes, sed omnes quatuor venti ad nocendum in unum conspiraverant, & ut unanimes fierent in damno inferendo, obliti fuerunt suæ naturalis discordiæ: ubi enim offertur occasio nocendi justo, deponunt mali suas dissensiones, ut fortius junctis viribus justum impugnent: *Ad iniquitatis perfectionem omnes sibi concordant, cum invicem sibi discordes sunt, atque contrarii.* Videte, quàm concordes accedant hodie ad Christum Pharisæi, quàm uniti, ut calumnientur miracula Salvatoris, & nova petant: ô abominanda malorum concordia, quæ nonnisi in damnum bonorum ordinatur! T.7.C.2.N.6.

2. *Magister volumus.* O præclarum titulum, si cordi & labiis corresponderet! sed eheu! Magistrum vocant; & sub titulo discipulorum nocendi animum dissimulant. Ita alibi Chrysostomus: *Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus, simplicissimus interrogator, & malignissimus insidiator.* Egregius reverentiæ modus appellare Magistrum cuius sinistra intentione discutiunt miracula, nolle fidem dare factis, & nova solicitare facienda. Scitis quid sit? uti postmodum egerunt cum Christo in cruce. Attendite quæso, qualem ei titulum apponant, & quid ei faciant. Vocant Regem, *Rex Iudæorum*, & non relinquunt membrum totius corporis illius illæsum. Nomen gloriosum, & corpus perforatum; ô nequam: vel delete titulum, vel corpus honore afficere, nolite dissimulare sub nomine subditorum, facta inimicorum. Tales sunt Pharisæi huius Evangelij, ore nuncupant Magistrum, & factis miracula calumniantur, vitam eius improbant, & nova potentiæ eius testimonia requirunt. Illæ sunt gravissimæ offensæ, quæ sub specie honoris, & amicitiæ lædunt, & occidunt. T. 7. C. 2. N 7. Vide Quadragesim. T. 4. C. 1. & supra: Feria 6. post cineres. N. 5.

3. *Magister volumus.* Vbi Emissenus: *quanta est superbia Pharisæorum: non negant, non postulant, sed inflato stomacho & erecta cervice dicunt, volumus.* Revera aberrant qui arrogantes postulant sibi dari signa, nam non operatur Deus in cordibus & ingeniis, quæ voluntatem propriam suarum actionum regulam habent: suntque periculosa ingenia, quæ proprio ducuntur iudicio in rebus fidei, suntque proximè disposita ad hæresim, quia superbia est mater hæreseos, & ex nolle subjici aliis & proprio inniti discursu, dicendo *volumus*, nascitur diversitas errorum, quam magno cum dolore indies experimur, quæ facilè exterminabitur, si arrogantiam deposuerimus, & voluntatem nostram ei, cui debemus, subjecerimus. T.12. C.1.

4. *Generatio prava & adultera.* Existimabant hi adulationem nominis, & tituli Magistri patrocinaturam dolo suo, sed unde sibi victoriam spondebant, ignominiam & reprehensionem incurrerunt. Qui vult tentare vires contra robustiorem, audaciæ suæ pœnas luit, non solum victus, sed vulneratus. Est Christus lapis, juxta Zachariam, ad quem qui vires tentaturus accedebat, uti hodie Pharisæi, damno suo instruebatur, & experimento cautior fiebat. T. 2. C. 3 N 1 ubi notanda explicatio S. Hieron. circa illum locum.

5. *Generatio prava & adultera.* O quanti momenti est hæc indignatio Christi, ad persuadendum nobis, ut cum timore [illegible] amus, ne nimium confidentes,

miseri

misericordiæ, eius patientia abutamur! quidam peccatores, *Dei* patientia abutentes ipsi bellum inferunt, ita ut quæ ad emendationem excitare deberet, fit salvus conductus peccati. Ingeniosè id notavit S. Aug. T. 3. in Ioannem super quæstione Pharisæorum, dum adulteram accusaturi ad Christum adducebant quærentes num lapidanda esset, nec ne? *Hoc autem dicebant tentantes eum*, inquit Sacer Textus; ubi S. August. O vos Hypocrytæ, si Christus responderet eam juxta legem esse lapidandam, in quo illum reprehendere possetis? Quorsum igitur illum accusare aut capere contenditis? *Pharisæi*, inquit S. Doctor, *animadverterunt eum nimium esse mitem*, noverant quidem, si Christus lapidandam judicaret, accusationem suam non habituram locum: verùm quia perspectam habebant ipsius pietatem, illum non adjudicaturum lapidationi, ipsiusque misericordia usi sunt, ad radarguendum eum transgressionis statutæ legis; ita ut ex mansuetudine eius occasionem sumpserint tentandi eum, uti hodierna die etiam egerunt hi Pharisæi, qui cum audissent ad improperium illud, *Dæmonium habes*, nihil respondisse, ausi sunt illius patientiam lacessere, quare Christus adeo severè illis respondit, ut nos edoceat, quod, licèt quandoque ex innata sua benignitate dissimulet, aliquándo tamen provocatus injuriis nostris severè nos castigabit, ut quemadmodum ipsius patientia nobis occasio fuit alicuius præsumptionis, ita ipsius justitia sit nobis occasio timoris. T. 12. C. 4. N. 5. Vbi virga à Ieremia visa in ollam succensam conversa est, & N. 6. 7. & 8. Vide Quadrag. T. 8. C. 1. M. T. 7. C. 2. N. 6.

6. *Signum non dabitur ei.* In hac negatione, qua prima fronte videtur indignationem ostendere, dissimulavit Deus maximam benignitatem, quia negat eis signa nociva, & concedit profutura. Dum regulantur petitiones ad placitum nostrum numquàm fœlicem sortiuntur finem, quia defectus cognitionis, est causa erroris desiderii, nam semper pejora magis placent: Solus Deus novit providere & prospicere commodis nostris, dummodò dona dispositioni illius committamus. Experimentum sumite à Rachele, quæ teste Procopio Abbate, omninò volens filios habere, sibi mortem accersivit: *Ah! quam imprevidi, quam inscii, quam cæci ad nostrum bonum sumus, morituram se ait Rachel, nisi pariat liberos, & postea in partu filii moritur.* Sit hoc nobis exemplo, ut si aliquando Deus nobis postulata neget, fateamur id non ex amoris, & benevolentiæ defectu, sed ex desiderii nostri inordinatione procedere, summa autem voluntatis nostræ conformitas in subjectione ad divinam consistit. T. 13. C. 1. N. 5. Vbi cum Beda ponderatur responsum discipulis datum *nescitis quid petatis.* De hoc etiam videri potest S. Chrysolog. serm. 90.

7. *Nisi signum Ionæ.* Nonne animadvertitis, inquit S. Anselmus, his petentibus signa è cœlis, *Alii tentantes signum de cœlo quærebant*, Christum dedisse signa contraria è terris? *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ.* Nolite existimare hanc negationem caruisse mysterio, quia in illa doctrina maximè utilis continetur: *Signum de cœlo quærebant, quibus à modò respondet, dicens se non de cœlo signum dare, quòd indigni erant videre se de profundo inferni.* Lepidum sanè est, quòd accedant tamquàm tyrones instruendi à Christo veluti Magistro, de mediis ad salutem necessariis, & quòd incipiant ab ultimo, ad quod pertingere poterant, quasi minorum obliti, majora petentes. Non est hic usitatus stylus Dei, sed dæmonis, qui vult nos unico volatu sanctos efficere, ut eadem facilitate qua ascendimus, statim deorsùm decidamus. In domo Dei pedetentim progrediendum, de bono in melius, è terra ad cœlum, qui enim incipit ubi finire debebat, finit ubi incipere debebat. T. 14. C. 1. N. 1. & seq. Vide M. T. 9. C. 3.

8. *Viri Ninivitæ surgent in judicio.* Non quòd sint nos judicaturi, ait S. Hieronymus, sed quia bona ipsorum opera, redarguent scelera nostra, utpotè qui peccatis similes illis, pœnitentiam eorum imitari neglexerimus. *Non pœnitentiæ potestate, sed comparationis exemplo, quia egerunt pœnitentiam in prædicatione Ionæ.* Quanto luctu deplorandum est, quòd nos majoribus divinæ gratiæ auxiliis adjuti, hæreamus peccatorum lenociniis irretiti, & emendationem de die in diem procrastinemus Ninivitæ statim pœnitentiam egerunt, quamvis adhuc quadraginta dies vitæ forent illis concessi: *Adhuc quadraginta dies.* Et seriò notandum, quod, qui certos sibi dies præfixos habebant, noluerint perdere horam, aut momentum, & nos qui nec horam certam habemus, tot horas, dies, & annos tam inutiliter perdamus. Hoc ægerrimè fert Deus, quod & divinas ejus destruit leges. Fictæ sunt induciæ peccatoris, qui contentus est promittere Deo pœnitentiam, & non exequi illam. Egregiè id expressit David pœnitentium exemplar: *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.* Id est, tempus quod sibi promittunt peccatores dicentes faciemus, & non faciunt, destruit legem tuam. Hoc tempus, quod quærunt, & non inveniunt, nimirùm tempus faciendi divinam fatigat patientiam ejusque legem & doctrinam destruit. Et maximè illi perplacent pœnitentiæ acceleratæ, quæ non solum placant iratum, sed etiam memoriam delent peccatorum T. 6. C. 5. N. 2. & seq. T. 1. C. 1. N. 4. Quadrag. T. 19. C. 4.

9. *Cùm autem exierit spiritus immundus, quærit requiem, & non invenit.* Vultis scire, quando exulaverit è domo vestra diabolus? Quando circumiens fores tuas numquàm repererit introitum, quinimo judicaveri[t]

rit impossibilem ingressum propter virtutem pœnitentiæ, quam in te animadvertit: si autem hanc non habueris, noli esse securus, quia nondum nosti, an te diabolus deseruerit, quia adhuc possibilem reputat ingressum T. 19 C. 4. n. 4.

10 *Quæ est mater mea, &c.* Esse matrem, & fratres Christi non exemit illos à justa indignatione illius, præterquam enim quod verba ejus divina non audiverant, turbabant eos qui convenerant ad audiendum illum: docens hoc exemplo ministros Evangelicos omnem post ponere respectum cognationis, & amicitiæ, ubi causa religionis intercedit. Non sunt idonei ministri prædicationis Evangelicæ, qui vinculo consanguinitatis obstricti titulo parentelæ, peccata aut defectus condonant aut dissimulant; nec securus est zelus divini honoris, ubi ad carnem, & ad sanguinem attenditur. Ideò perpulchrè dixit sanctus Ambrosius, ponderans austeritatem, quâ Christus fuit suos allocutus, nimirum, non tam illis, quam posteris fuisse datum exemplum cognatos spiritales per gratiam proferendos esse parentibus & cognatis per naturam. *Neque injuriosè refutantur parentes, sed religiosiores copula docentur esse mentium quàm corporum: ergo hic non mater negatur quæ etiam hic de cruce cognoscitur, sed necessitudini corporali scriptorum cœlestium forma præfertur.* T. 12. C. 5. N. 1. & seq.

Feria VI. Post Dom. I. Quadragesimæ. Ioan. 5.

1. A*Scendit Iesus Ierosolymam.* Ascendit Ierosolymam, ut quæreret infirmos in piscina, in quorum beneficium, & sanitatem misericordiæ suæ largitatem profunderet, docens nos obiter modum exercendi opera misericordiæ, non solum succurrendo necessitatibus, quando nos quærunt, sed quærendo eas ad subveniendum indigentibus. Hoc genus charitatis originem suam habet ex Deo, cui proprium est prævenire, & auxilio suo occurrere necessitatibus, etiam antequàm urgeant. Perpulchrè id adnotavit mellifluus Doctor S. Bernardus, in benedictionibus illis dulcedinis, quas Deus per os Davidis justo impertivit: *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psal. 20. Et indagans mellifluus Abbas, in quo consisteret dulcedo illius benedictionis, adinvenit illam in vocabulo, *prævenisti.* Ecquæ enim major dulcedo, quàm benedictio præveniens, prius data, quàm petita? *Meritò proindè*, ait S. Doctor Serm. 39. in parvis, *benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ prævenit.* Hujus generis est ea, quam hodiè impendit paralytico, quem ipse remedio prævenit, & hanc nobis præscribit faciendam, præveniendo clamores pauperis, & non vendendo importunitati mendicantium eleëmosynam, sed eam ultroneè offerendo, & donando. T. 8. C. 1. N. 6. & 7. Vide Quadrag. Tract. 5. C. 3.

2. *Erat autem Ierosolymis probatica piscina.* Cur, quæso, putatis hoc nosocomium, seu piscinam probaticam adeo vicinam fuisse Templo? in hoc victimæ Deo immolabantur, in illa autem infirmis eleëmosynæ dabantur, proculdubio id ita fuit statutum à Deo, ut devotionem nostram ergà pauperes excitaret, & inflammaret; tanti enim æstimat Deus eleëmosynas, ut æqualem locum tribuat sacrificiis, ad suum cultum ordinatis, & eleëmosynis, quæ egenis erogantur. Nescio, quis non velit se totum dedicare tam sancto muneri, videns præmium sibi paratum, & probè noscens, in opinione Dei non esse minoris momenti eleëmosynam datam pauperi, quàm sacrificia victimarum, quæ in templo offerebantur. ita ut ambo videantur ejusdem pretii, & valoris. T. 23. C. 4. N. 4. & 5.

3. *Iacebat multitudo languentium expectantium aquæ motum.* Nolite putare S. Evangelistam silentio præterisse varia morborum genera, quibus tot, tamque diversi ægroti laborabant, nam apertè refert eorum infirmitatem fuisse expectationem sanitatis: *Languentium expectantium.* Ne puteris exoticum dictum, quia verum est, multosque habet fautores. Accipite S. Augustinum, qui considerans latronem in Cruce pendentem, suorumque dolorum obitum, & lugubri voce Christum deprecantem: *Domine memento mei dum veneris in Regnum tuum.* in hæc verba compassionis plena prorumpit: *O animose latro, cur in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas?* Notabile dictum, quod sanctus Augustinus audeat appellare fatigationem, spem in Christo jam agonizante repositam, & jam jam complendam, existimetque magis animosum latronem, dum expectat, quàm dum patitur? Ita profectò, quia nulla pœna comparabilis est spei, quamvis ad modicum dilatæ, majori opus est animo ad sperandum, quàm ad patiendum; quia crudelius affligit dilatio, quam martyrium. Quia igitur narrat sacer Chronicus hos languentes expectasse, non est quærenda alia infirmitas, quia ipsa sanitas transit in ægritudinem, dum non possidetur, sed spectatur. T. 5. C. 3.

4. *Angelus autem Domini descendebat.* Supervacaneus videtur descensus angeli, cùm Deus motum aquæ curæ hominis committere potuisset: sed fortè timuit Deus conditionem hominis fore inidoneam ad opera pietatis præstanda; si namq; sanitas hominum sollicitudini humanæ cómitteretur, infinitæ forent ægritudines, Sed altius quidpiam excogitavi: nimirum Deum tanti æstimasse

a[illegible] serviendi infirmis & pauperibus, ut an[illegible] , qui tanto mentis jubilo se illi de[illegible], ut cœli oblivisceren[tur], & gloriam pro nosocomio commutarent, ipsum veluti gloriæ domicilium reputantes. Ecquis pudor quod infirmos & pauperes visitare dedignemur, ubi iis inservire etiam ipsi angeli æmulatione quadam contendunt. T. 8. C 5 N 2. & 3.

5. ***Erat autem ibi unus homo triginta & octo annos habens, &c.*** Arcanum reperit mysterium S. Augustinus in illo determinato numero, & arbitratur, illum habuisse annexum infelicitatem, dolores & infirmitates: ***invenit in annis ejus numerum quemdam languoris***, & si causam ejus sciscitari fuerimus ex ipso S Doctore, respondebit sequentia: ***Si quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur, nisi in gemino præcepto charitatis, quid miraris, quia languebat, qui ad quadraginta duo minus habebat.*** Deerant huic misero duæ unitates ad numerum quadragenarium; quid igitur mirum, quod patiatur infirmitatem qui habebat numerum legi contrarium? ex quibus liquido constat hunc miserum non aliam habuisse suæ infirmitatis causam, quam non adimplevisse legem Dei. O si ad hujus exemplum oculos attolleremus, & cognosceremus nullum esse fortiorem inimicum, quam legem Dei violatam: sicuti nec robustiorem amicum quam ipsam legem obedienter adimpletam. Vbi vos videritis infirmitatibus obrutos, tentate pulsum animæ, & videte, num culpa & peccati morbo laboret, & si hac infirmitate laboraverit, nolite aliam indagare causam vestrarum miseriarum, quia omnes ex peccato suam trahunt originem. T. 25. C. 2 N. 2. T. 26. C. 4. N. 4. & Quadrag. T. 16. C. 4.

6. ***Triginta & octo annos habens.*** Examinans S. Chrysostomus causam tam prolixæ infirmitatis, in has prorumpit voces: ***Vt ostenderet istius patientiam qui triginta & octo annos habens per unumquemque annum eripi ab ægritudine expectans assistebat & non desistebat.*** Voluit Deus in tam prolongata ægritudine manifestari patientiam hujus infirmi, nobisque in illo Christianæ patientiæ exemplum statuere, quæ maximè elucet dum Deus nos occasionibus patiendi exponit. Ideò prudenter dixit Nyssenus patientiam esse indolis metallorum, quæ verberibus comprobantur, Metallum, quod primo verbere frangitur imbecille est, & ad nihilum valet, & patientia quæ prima tribulatione consumitur, nihili facienda. Ideoque Deus ad examinandam patientiam nostram pulsat nos adversitatibus, ut audiat qualem sonum reddamus. Tetigit Deus Iobum & multiplici adversitate examinavit, & quamvis tam vehementi impetu divina manus eum pulsaverit, numquam tamen inordinatum edidit sonum, ***manus Domini tetigit me***, & in mille motus impatientiæ erumpunt: ecce motivum Dei, cur sæpius immittat nobis adversitates, ut patientia nostra igne persecutionis probetur. T. 23. C. 2.

7. ***Vis sanus fieri?*** Ecquis dubitet hunc infirmum desiderasse sanitatem, quid igitur differt Christus dandam, interrogando num velit? cum cito datum sit bis datum? Respondet Chrysostomus, ***non confestim eum à principio sanavit, sed primùm eum familiarem sibi facit per interrogationem futuræ fidei faciens viam.*** Quia sanitas danda à Christo, erat completa & perfecta, noluit eam statim dare, quia si illico contulisset, ipsamet facilitas sanitatem illam reddidisset suspectam. Non approbo repentinas sanctitates, quas sine cognitione principii earumdem jam in ipso vertice exaltatas reperimus, securior namque via sanctitatis, est pedetentim progredi, & ideò Christus non statim sanat infirmum, sed prius eum familiarem sibi facit & postea curat, ut nobis exemplum in illo relinquat, & doceat pedetentim in negotio salutis esse pergendum. T. 14. C. 1 N. 1. & seq. Vide M. T. 9. C. 3.

8. ***Hominem non habeo ut mittat me in piscinam.*** Cognatos, & amicos plurimos habebat hic infirmus, & tamen nullum habebat qui eum in piscinam dimitteret. Res mira! Certè non defuissent homines qui eum mitterent in perditionem, & nullus reperitur qui eum adjuvet ad sanitatem recuperandam. O quot tales reperiuntur in mundo! Quot socios & amicos reperimus in via perditionis! & quam destitutos nos experimur in via virtutis! ubi & ipsimet sodales inimici & adversarii fiunt: & pessimum est quod etiam parentes, cognati, & familiares patrocinentur damno nostro, & inter lenocinia sanguinis & amicitiæ nobis ruinam & perditionem dissimulent. Eia optimum remedium est quod hodiè egit infirmus ille, nimirum omnes odisse & contemnere & existimare tales homines non existere: ***Hominem non habeo.*** Quia talis non agnitio licita est, & non culpanda, nam oblivisci eorum, qui nos impediunt à salute consequenda, non culpa, sed virtus est. T. 11. C. 2.

9. ***Tolle grabatum tuum.*** Ecce commutationes gratiæ & perfectiones, quas introducit pœnitentia, prius grabatus detinebat infirmum, & nunc ipse portat & tollit grabatum. Adeo dissimilis jam sibi est ut nullus eum cognoscat, & omnes interrogent; num iste est, qui tot annis juxtà piscinam jacuit detentus in grabato? nequaquam is est. Imo herclè ipse est, quia tales mutationes sunt effectus veræ conversionis & fervidæ pœnitentiæ, quæ nos transformat & extollit ad statum adeò sublimem, ut nedum in nobis non maneant vestigia antiquæ miseriæ, sed etiam è terrenis ad cœlestes, ex peccatoribus ad impeccabiles transeamus. T. 19. C. 2. & 4. T. 26. C. 5. M. T. 1. C. 5. Quad. T. 20. C. 2.

10. *Is*

10. *Is qui sanus effectus fuerat nesciebat quis esset.* Quod non cognoverit hic homo benefactorem suum, potuit in illo esse ingratitudo, sed in Christo, fuit generositas maxima; quia non manifestando se liberavit beneficio affectum à pensione gratitudinis rependendæ. Æstimare beneficium est illius qui recipit, quia nobilitas id præstantis, non debet extollere beneficium, nec petere, nec exigere remunerationem, quia hæc ambo commaculant excellentiam doni, sed potius debet affectare solitudinem, ut gratitudinem excuset. Notate quæso quod licèt Deus omnium rerum creator existat & habeatur: *Dixit Deus, fiat lux, dixit Deus, fiant luminaria, &c.* Nihilominus creando hominem mutaverit stylum & indicaverit se non solum, sed plures aliòs ad fabricam hominis concurrisse: *faciamus hominem.* Videtur homo minoris momenti quàm cæteræ creaturæ, nam Deus, declarans se Authorem illarum, renuit quodammodo asserere se esse creatorem hominis, præbetque occasionem præsumendi alios habuisse partem in efformatione hominis, vel fuit mysterio plena hæc dissimulatio. Accipite mysterium, quia cæteræ creaturæ erant incapaces gratitudinis beneficii creationis, non dubitavit Deus appellare se auctorem illarum: verùm quia homo gratitudinem rependere poterat, noluit Deus expresse affirmare se ipsum creasse, ne præsumeretur velle exigere gratitudinem, manifestando se ipsi beneficii auctorem. Ac si diceret, relinquo discretioni hominis nosse quod ego sum Dominus, qui eum ex nihilo efformavi, ego verò abscondam me, neque gratitudinem exigam; quia generosis animis nullum crudelius tormentum est quàm obligari, ad evulganda sua beneficia, & debere cunctis notum facere se esse auctores illorum. T. 14. C. 4 N. 3.

Dominica II. Quadragesimæ Matth. 17.

1. **A***ssumpsit Iesus Petrum, &c.* Dixerat Christus: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, & ideo teste S. Remigio hodie satisfecit promissis suis, manifestando his tribus discipulis gloriam suam: *Claritatem suæ visionis quàm promiserat, in hac transfiguratione habita in monte complevit.* Etsi vultis ingenio assequi cur Christus acceleraverit gloriæ suæ apparitionem quæ est præmium alterius vitæ, audite responsum aureo Chrysostomi ore depromptum. Hom. 75. in Matth. *Ut dulcedine non solùm futura, sed etiam præsenti discipulorum animos pulset.* Noluit diuturniori spe animos suorum fatigare; sed illico manifestare ipsis conditionem præmii promissi; quia adeò ingratum est & durum illud sperare, ut non videatur felicitas, quæ constat spe longiori: & quid mirum quod spes bonorum affligat, cum etiam maximum sit mala expectare imminentia. T. 5. C. & Sermone præcedenti. N. 3.

2. *Et post dies sex assumpsit.* Premite mysterium, quod continet hic numerus, quia illud vobis methodum præscribet perveniendi ad videndum Deum gloriosum; *Meritò, post sex dies gloriam illis ostendit*, inquit doctus Rabbanus, *quia post sex ætates futura est resurrectio.* Quod igitur post sex dies reveletur gloria, insinuat nobis, illum gloria potiturum, qui per omnes ætates virtutis studio operam dederit. O quam insigne documentum, quàm perperam intellectum, & pessimè executioni mandatum! Cuperent plurimi primo die spiritualis exercitii sui illicò gloriam cœlestem sibi revelari, & ad primum gressum in gratia, gloriam assequi: sed falluntur hi, & turpiter errant, quia multis ætatibus perseverandum est in virtute, & pluribus annis repetendum est iter sanctitatis, ut quis securam sibi faciat adeptionem gloriæ, Deique infallibiles promereatur favores. Non est cœlum illis factum, qui perfunctoriè viam virtutis capessunt, sed iis, qui sedulo, & dedita opera eidem firmo pede insistunt. T. 24 C. 1. N. 10. Vide M T. 7. C. 3.

3. *Assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem.* Cæteri Apostoli (excepto Iuda) erant Sancti, & familiares Christo, & nihilominus solummodò hos tres assumpsit ad montem gloriæ, cæteris relictis sine illa. Nequaquàm cogitandum est in Deo acceptionem personarum habere locum, sed ex hoc eliciendа est egregia quædam doctrina, non minùs Christiana quàm politica, nimirum, quod omnibus bene merentibus non sit culpa, aut peccatum, sed virtutis argumentum, favere familiarioribus amicis, siquidem ubi amicitia conjuncta est virtuti, æquum est, ut ad eam præmiandum attendatur; ac proindè magis amicus, dummodò benemeritus potiori gaudet jure ad beneficia sibi præstanda, & præsertim apud Deum, apud quem, cum major amicitia fundetur in majori virtute, signum est, illius singulariores amicos, etiam esse maximè probos. Ecce rationem ob quam elegerit hos tres, & non alios, quia super commune meritum cum cæteris, arctiori amicitiæ, & necessitudinis vinculo illi erant obstricti: & eapropter juxtà diversitatem amicitiæ, & virtutis, Christus etiam favores suos illis distribuit. T. 19 C. 3. N. 3. Vide Mariale T. 8. C. 6.

4. *Et duxit illos in montem excelsum seorsùm.* Id est, in eminentem super omnes montes. Neque arbitremini sacrum Evangelistam, casu fortuitò addidisse altitudinem montis, veluti circumstantiam non necessariam; non enim absque mysterio singulari, ait S. Remigius, sublimitatem loci expressit: *Necesse est omnibus, qui Deum contemplari desiderant, ut non infimis voluptatibus jaceant, sed amore supernorum semper ad*

cœlestia erigantur, *& ut ostendat discipulis*, *quatenus gloriam divinæ claritatis*, *non in hujus sæculi profundo quærant*. Ac si apertiùs diceret, solos illos, qui fuerint superiores bonos terrenis, illa contemnendo capaces esse quibus divitiæ, & opes cœlestes communicentur; quia impossibile est una componere delicias hujus mundi cum gaudiis cœlestibus, vana & stulta est arrogantia, velle frui mundanis voluptatibus, & una spondere sibi deliciarum cœlestium possessionem. T. 2. C. 1.

5. *In montem excelsum seorsùm.* Ecqua tanta solicitudine, & cautela utitur Christus, dum semel voluit se exhibere gloriosum, & gloriam diu in anima repressam laxare, ut in corpus redundet? Semel transfiguratur Christus, non de die, sed nocte, non in civitate, sed campo, & non in loco patulo, & plano, sed monte, non humili, sed excelso, imò & solitario: *In montem excelsum seorsùm.* Et quamvis ibidem videatur Moyses, apparet mortuus, & elinguis, & unus Elias invisibilis, & tribus illis Apostolis strictissimum imponitur silentium: *Nemini dixeritis.* In hoc mundo passim occurrimus transfiguratis, qui clamoribus suum venditant jejunium, & fictos suos jactitant raptus, & favores. Ast scitote illas non esse visiones Dei, sed illusiones dæmonis, non revelationes securas, sed suspectas, quæ enim à vera procedunt virtute, oderunt publicationem, & amant solitudinem, & favores Dei solo silentio foventur, omnesque oculi sunt quasi basilisci virtutis, ita ut veri justi etiam oculis Dei cuperent esse invisi, timentes ne opera sua oculorum aspectu inficiantur. T. 21. C. 2. M. T. 3. C. 3. Q. T. 1. C. 4 & T. 6. C. 3.

6. *Et apparuerunt Moyses*, *& Elias.* Cur hi potius apparuerunt cum Christo, quàm alii? S. Hilarius explanans hæc verba, asserit Christum voluisse omnibus modis stabilire doctrinam, quam suis daturus erat, in eumque finem disposuit, ut assisteret Moyses, qui fuerat promulgator legis, & Elias ferventissimus zelator illius, ut videntes unum, & alterum eam approbantem, omnibus modis doctrina sua firma, & rata haberetur: *Moyses & Elias ex omni sanctorum numero assistunt*, *quia medius inter legem*, *& Prophetas Christus est*, *cùm hu enim Israëlem, quibus testibus prædicaturus est*, *judicabit.* Mirum est, quòd Christus non judicaret doctrinam suam sufficienter approbatam, nisi etiam antiquitatis testimonio confirmaretur, nimirum ex lege, & Prophetis. O dedecus hominum, apud quos vilescunt doctrinæ antiquæ, & solæ novitatem redolentes in honore habentur! At verò argumentum sufficiens ad probandum periculum novitatis, sufficit Christum hodiè testimonium legis, & Prophetarum requirere ad doctrinæ suæ stabilimentum. T. 7. C. 3. N. 5. & seq. Vide M. T. 1. C. 4.

7. *Bonum est nos hic esse.* Stulta sanè fuit hæc petitio, teste S. Anselmo, quia Petrus dignitate sua elatus, statim obliviscitur amicitiæ sibi à fratre suo Andrea præstitæ, & sic ex fortunato insciùs, & stolidus efficitur. Sed quid vultis? inquit Sanctus: *Quotidianum certè est hoc malum* & prosequitur Sanctus: *Quantum malum inferat prospera fortuna, advertite*, *Divus Andreas adduxit Petrum in veram Dei cognitionem*, *& Andreas introduxit Petrum in palatium*, *& coram Rege eum statuit*, *nunc verò cùm se Petrus Regi acceptum videt, penitùs obliviscitur ejus*, *qui eum in tantam evexit altitudinem & gratiam Regis.* O ruditas fortunæ, quam facilè obliviisceris antiquam tuam vilitatem! Quantùm differt Petrus à seipso in alia temporis tempestate, dum perfectior erat! Sed nequaquàm admiror, quia familiare est hominibus dignitatibus extolli, & superbire, Deo autem proprium est in illis humiliari, & donec Petrus institutus fuit Vicarius Christi, nescivit praxim hujus humilitatis. T. 27. C. 3. N. 2. T. 18. C. 1. M. T. 4. C. 1. Quadr. T. 1. C. 5.

8. *Faciamus hic tria tabernacula.* Maxima est hæc infœlicitas Petri, ne verbum enim profert, quod non sapiat stultitiam, & ignorantiam: *Erras Petre,* inquit S. Hieronymus, *& sicut alius Evangelista testatur*: *Nescis, quid dicas*, *noli tria tabernacula quærere*, *cùm unum sit tabernaculum Evangelii, in quo lex*, *& Prophetæ recapitulanda sunt.* Magnam injuriam intulit Petrus Doctrinæ Evangelicæ, volens eam separare à lege, & Prophetis, & cuilibet distinctum extruere tabernaculum, cum tamen ambo unum componant corpus cum Evangelio. Malè audiunt qui diversitatem affectant opinionum & ab antiquitate recedunt. T. 7. C. 2. N. 1. usque ad 4.

9. *Timuerunt valde.* Non est mirum, quod videntes se tanto honore affectos, timere incipiant, veri enim Dei servi timent vinci prosperitate, quemadmodum alii adversitate. Persecutiones & tribulationes sunt justis pondera navim firmantia, ne naufragentur; ideoque dum animadvertunt laborem commutari in gloriam, & adversitatem in prosperam fortunam, tunc turbantur, & expavescunt, quia nullum reputant magis infensum hostem virtutis suæ, quam id, quod mundus fœlicitatem appellat, neque majus reformidant periculum, quàm quod omnia ad nutum, & vota succedant, & fortuna suis faveat desideriis. T. 5. C. 1.

10. *Neminem viderunt*, *nisi solum Iesum.* Retraxit Christus gloriam suam intus, porrexit discipulis suam manum, & illi aperientes oculos suos, & circumquaque aspicientes, viderunt solum Iesum. Notate quæso, dum gloriosus apparebat, aderant Moyses, & Elias, ubi verò gloria occultatur, ambo recedunt, & disparent; & quamvis hoc in illis non fuerit culpa, est tamen nostra instructio, quæ nos monet, & redarguit stylum in mundo

do usitatum, ubi enim pauperem offendimus, aversamur ejus præsentiam; & divitem seu opulentum veneramur, & adoramus. Dum Christus splendidus, & gloria refulgens apparebat, plures amicos, & sodales, etiam ab extremis mundi partibus habuit, ubi verò pauper, & egenus factus est, vix agnitus est à suis, utinam quidam solummodò pauperem desererent, sed dolendum est, quod nedum ei succurrant, verum etiam prosequantur & studiose eum affligere conentur. T. 1. C. 2. N. 1. & seq.

Feria IV. Post Dominicam secundam Quadrages. Matth. 20.

1. **A**Ssumpsit Iesus duodecim discipulos secretò. O quot, quantaque mysteria continent præcedentis, & præsentis Diei Evangelia! Vt transfiguretur in monte Thabor segregat eos, *seorsum*, & ut illis revelet peraganda Ierosolymis, vocat eos, secretò. At quis non miretur, solos tres adfuisse in monte Thabor, & omnibus duodecim Ierosolymis futura revelasse? Ratio quidem dubitandi in promptu est, sed responsio ad manum est; quia cum in Thabor totum esset gloria, & Ierosolymis futura essent ignominiis plena, illam voluit occultari, & has omnibus esse notas. Hic est stylus Christi ad instructionem nostram, ut cautè vivamus, neq; glorias nostras ostentemus, floccique faciamus, quod vitia, & defectus nostri propalentur. T. 21. C. 2. & 3 à N. 1. usque ad 4. M. T. 9. C. 2. N. 9. & Quadrag. T. 1. C. 4.

2. *Ecce ascendimus Ierosolymam.* Notate differentiam inter assumere, & ascendere, quia primum sonat duci, & secundum voluntariam ascensionem. Hoc posito adnotate Evangelistam, dum loquitur de discipulis, uti vocabulo *assumpsit*; dum verò Christus de seipso loquitur, ait: *Ecce ascendimus. Ac si dicat*, ait S. Ioannes Chrysostomus, *videte, quia voluntariè vado ad mortem, cum ergò videritis me in Cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantum, nam posse mori hominis est, velle autem mori hominis non est.* Desiderium igitur mortis conciliavit Christo opinionem divinitatis, & quod nos excelsiores faciet hominibus, erit tribulationes læto perpeti animo, quasi propria voluntate accersitas, & non violenter illatas. T. 20. in Salutatione. T. 11. C. 3. N. 2. & 3. Quad. T. 7. C. 2.

3. *Et filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum.* Revelat eos, quibus sit tradendus, non tamen traditorem, non quidem ex ignorantia, sed propter mysterium, videlicet, ut silenter prætereundo culpam traditorum, eos corrigeret; & ad meliorem frugem revocaret, præbens exemplum superioribus, qualiter debeant defectus suorum occultare & occultando punire, quia sæpe eos detegendo, & propalando nova præbetur occasio delinquendi. M. T. 17. C. 2. N. 2. & Q. T. 7. C. 3.

4. *Ad illudendum, flagellandum, crucifigendum.* Sigillatim per ordinem recenset Salvator omnia opprobria, & injurias suas; non solum ut amoris sui erga nos magnitudinem ostenteret, nam hoc dedecet generosam Dei indolem, qui plurima pro nobis tolerata potius celari, quàm propalari cupit, sed ut jugi memoria mortis, & tormentorum passionis suæ recreetur, donec executio ejus appropinquet: quia cum Christus tanto arderet patiendi desiderio, quamdiu executio differebatur, voluit pati ejus recordatione donec reipsa adimpleretur. Ecce immensitatem amoris; cui non sufficit semel mori fundendo sanguinem & vitam, sed modum adinvenit, quo etiã cogitatione, & voto pateretur. T. 11. C. 3. N. 1. & seq.

5. *Et tertia die resurget.* Omnia hæc tormenta maximam Christo pepererunt gloriam, nimirum gloriosam resurrectionem ex sepulchro. Et hoc nobis sit exemplum non esse lamentandum, quando adversitatibus affligimur, & undique persecutionibus obruimur, quia hæc nobis indeficientem parant fœlicitatem: dum enim à Deo periculis exponimur, mirum in modum virtutes nostræ elucent, quemadmodum inter obscuras passionis ac mortis ejus tenebras splendor gloriosæ resurrectionis ejus eminuit. T. 23. C. 2. præsertim N. 2.

6. *Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.* In hoc temerario accessu patuit error maternus, nimia confidentia volens sedes filiis suis, toto namque cœlo aberrat, qui nimis confidens, absque ullo timore ad Deum accedit, & infœlicem sibi parat eventum. *Accessit*, inquit Doctus quidam, *mater filiorum Zebedæi, quæ Salome dicitur, & matertera Christi existimatur, atque propinquitatis confidentia ad Christum accessit, quia videbat filios suos præ aliis honorari.* Quando propinquitas ad Deum tibi ingerit confidentiam, & non timorem, cave, ne parum proficias, quia verè Sanctus ex ipsa familiaritate cum Deo, concipit majorem timorem; quia coram tanta puritate magis elucent ejus imperfectiones. T. 6. C. 1. per totam.

7. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei.* Noverat hæc mulier se cum Deo colloqui, quia solummodò unicum ab illo postulat verbum: *Dic, ut sedeant*, ac si diceret, scio tuum dicere, idem esse ac facere, ut adnotavit Carthusianus: *Dicendo concedo, & fac, tuum enim dixisse, fecisse est*; & rectè quidem, quia in Deo mutantur proprietates rerum, & verba fiunt, & opera videntur. Fœlix ille, qui cum Deo habet commercium, nam qui eum meruerit audire, quidquid petierit, impetrabit, in Deo enim loqui, est facere. T. 8. C. 4. N. 6. T. 21. C. 4. N. 5.

8. *Nescitis quid petatis* S. Chrysostomus : *Manifestum est, quòd nihil spirituale petebant, sed sicut in regno mundali.* Cujus intento subscribens Origenes, ita prosequitur: *Illi in honore videntur esse, qui sedent cum Rege.* Videte ergò, cur illos ignorantiæ, & stoliditatis redarguat, quia nempè sedes, & regimen mundanum ambiebant mille curis, & turbationibus immixtum, & soli nesciri possunt talia appetere. Vt quis non appetat dignitates annexas curæ subditorum, non opus est, quod sanctitate eluceat, sed quòd solum intellectu vigeat, quia illas non admittere plus habet commoditatis, quam virtutis. imò & ipse Christus cùm nullo ipsi constaret labore, dulcius quiescit in sinu Patris, quàm sedet à dextris ejus, qui ibi requiescit, & hic judicaturus sedet. T. 13. C. 1. N 6. & Feria sequenti N. 2. ubi eadem hic applicari possunt.

9. *Nescitis quid petatis* Vultis scire, in quo sita fuerit hæc inscitia? Audite Carthusianum; quia cognatione usi sunt ad finem suæ ambitionis, noverant se cognatos Christi, & putabant se eo titulo facilius obtenturos, quod peterent; & ideò minùs benignè illis respondit, ut addiscant superiores non distribuere dignitates consanguineis suis, maximè si sine meritis solo titulo cognationis postulentur, quemadmodùm hæc mater eo solo titulo permota sedes petiit à Salvatore: *Hi duo filii mei.* Verba autem Carthusiani hæc sunt: *Petitio ista fuit inordinata, quia de carnali propinquitate confidebant, & quantùm ad hoc typum tenebant eorum, qui à magnis Prælatis ad Ecclesiasticas dignitates postulant, propter consanguinitatis lineam promoveri.* Hoc summè necessarium est iis, qui supremas occupant dignitates, ut omnem exuant carnis affectum, & solo justitiæ ductu regantur. Prælati qui affectu carnis moventur, non boni, sed stulti reputantur. Rem morali instructione elucidabo Asserunt Medici sanguinem esse Principium sanitatis, ad illum autem conservandum necessè est eum æqualiter distribui per corpus, quo facto, sanitas integra coalescet, at si ad caput ascendat, phrenesim, & amentiam causat. Ad rem ergo; dum Prælati, & Superiores, qui sunt capita Reipublicæ absque inæqualitate regunt, non ad parentes, sed ad bonos, & justos attendentes, verè Rectores nuncupandi; verùm si sanguis ad caput ascendat, & distribuant sedes, & loca eminentiora consanguineis, manifestum est notoriæ stultitiæ argumentum; exterminandus est ergò omnis affectus carnalis, quia hæc est phrenesis Prælatorum. T. 12. C. 5. N 1 & seq. Vide Quadr. T. 7. C. 6.

10. *Potestis bibere calicem* ? Reprehendit Christus in illis non finem intentum, sed inordinata media, quibus illum consequi satagebant, ideoque invitat illos, & propinat calicem mortis, ac passionis suæ, tamquàm medium accommodissimum ad consequendum sedes. Quasi diceret eis, si vobis donarem sedes sine labore, & solo titulo sanguinis fœlicitas foret, non meritum, & quod non est ex merito, minus honestum est. Vt ergo vobis sedes sint honori, martyrio, & pretio laboris eas comparate: *Sedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt, delectabat eos culmen honoris, sed priùs habere debebant viam laboris, undè subditur: potestis bibere calicem* ? dixit disertè Rabbanus. T. 18. C. 4. N. 10. Marial. T. 12. C. 5. & T. 14. C 4.

11. *Possumus.* Ecquis illis animus deesset, qui tanta tamque sublimia ambire noverant? Fuit Ioannes per excellentiam amans, & dilectus, & post illum Iacobus: quidni igitur animosi se morti objicerent, quia amor pascitur periculis, & impossibilia reddit factu facilia; excusanda est igitur eorum animositas, quia amore reguntur. Et ne admiremini eorum generosam audaciam, sequimini eorundem affectus amoris, & nihil vobis erit difficile pro Christo, dummodo velitis. T. 20. C. 1 N. 1. & seq. Vide Concionem de S. Ioanne ante portam Latinam, & de S. Iacobo.

12. *Calicem quidem meum bibetis.* Vbi S. Hieron. *Quærimus quomodo calicem martyrii filii Zebedæi biberint, cùm scriptum sit Iacobum tantùm ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propria morte vitam finierit.* Et respondet Sanctus objectioni hisce verbis: *Sed si legimus in Ecclesiastica Historia, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, licèt persecutor non fuderit sanguinem.* Scitote coram Deo, qui intima penetrat cordis, non solum esse martyrem, qui patitur mortem, sed etiam illum, qui illam subire desiderat Defuit Ioanni tyrannus, non desiderium martyrii, & plusquàm crudele martyrium perpessum, æstimavit Deus illius intentionem, & desiderium, ut nos animemur, & agnoscentes ingenuam indolem Dei, & perpensam ejus voluntatem ad remunerandum desideria nostra, omnibus votis, & desideriis quæramus occasiones patiendi amore illius. T. 14. C 2.

Feria VI. Post Dominicam secundam Quadragesimæ. Matth. 21.

1. HOmo erat paterfamilias. Assumit Dominus, & Rex cognomenta Patris, & hominis, ut pietate in his titulis contenta nobis persuadeat obligationem eorumdem: uti eleganter Chrysostomus: *Qui Angelorum, & hominum natura Dominus est, benevolentia est Pater.* Princeps, Superior, & Prælatus

pluris

pluris debet æstimare se esse patrem, quàm Dominum subditorum, habens illos uti filios, non tamquam subditos, exemplum enim in mansuetudine Dei habent, qui oblivifcens tituli divinitatis, qui ex natura competit, se patrem & hominem indigitat, ad denotandam benevolentiam, qua nobiscum conversatur; & quam servare debent, qui digniora occupant loca T. 27. C. 5. N. 1. & eodem T. C. 3. N. 3.

2. *Plantavit vineam.* Qui possibile est, quod dignitas regia non impediat exercitium agricolæ, quodque vomer cum diademate, & rustica vestis cum purpura conveniat? Imò herclè, corona sceptrum & cætera Regum ornamenta, quamvis majestatem denotent, maximum habent annexum laborem. Ecquis molestior fatigatio, quàm putare, & colere vineam? Ast hæc est Principis obligatio, ut nimirum ingenti labore, irrequieta solicitudine, & solerti cura suorum commodis invigilet, & dum ad sublimem dignitatis verticem conscendit, hoc ipso labores suscipit. Voluit Deus instituere Iosue supremum populi sui præfectum & Ducem, significatque mentem suam Moysi hisce verbis: *Tolle Iosue filium Nun, virum, in quo est spiritus, &c.* & adnotavit doctissimus Abulensis illud, *Tolle,* quod in sacris Litteris, idem significat, quod ducere aliquem ad sacrificium, uti patet in Abrahamo, cui Deus præcepit immolare filium; sub hisce iisdem vocibus: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac &c.* ita ut unum mandatum collatum cum altero, ambo videantur eum habere scopum, & idem sit Josue assumi ad regimen populi, ac Isaac duci ad locum supplicii: *Vt enim Isaac ad cædem, ita Iosue ad Principatum rapiebatur.* Eapropter homines prudentes tantoperè refugiunt dignitates & officia. Imo in ipso Christo ab omni periculo immuni reperimus eumdem timorem, ad subeundum munus judicis & superioris. Tract. 13. C. 1. N. 6. Vide Feria præcedenti. N. 8. & alibi sæpe.

3. *Et sepem circumdedit ei.* Qualem arbitramini fuisse sepem, quam circumdedit vineæ? quærit sanctus Chrysostomus, & respondet illam esse præsidium, & protectionem, qua Deus animam sive Ecclesiam munit, atque illam esse justos, qui sunt propugnacula, & fortalitia Catholicis contra omnes hostes & adversarios. *Vel per sepem intellige custodiam patrum justorum, qui tamquam murus facti sunt populo Israel.* Deficientibus justis magno exponuntur civitates discrimini. Conservat Deus propter Sanctos urbes & oppida, & illis existentibus securitatem sibi spondere possunt. Commiserat Deus duobus Angelis destructionem nefandarum urbium, & ut provinciam sibi demandatam exequerentur, eduxerunt Loth, ejusque familiam ex Sodomis, quo præsidio sublato, statim cœpit Civitas incendio conflagrare. Vix Angeli justos eduxerant, & dum jam redirent, ut jussis Dei parerent, jam ignis invaluerat: *Igitur Dominus pluit ignem super Sodoma, &c.* Genes. 19. id est, juxta Dei vindicta, statim ut agnovit murum sublatum, & justorum absentiam, non exspectata Angelorum executione, ipsa per se cœpit pluere, & furorem suum exercere. Ecce igitur quanta debeamus justis, & Sanctis, ipsi sunt murus & præsidium, quibus muniti protegimur, & quibus sublatis perimus. T. 27. C. 5. N. 5. T. 22. C. 3. N. 2. & seq.

4. *Et sepem circumdedit.* Altius premite illud, *circumdedit*, id est undique circumcinxit, ita ut nullus pateret accessus. Vt anima verè possit vocari vinea Dei, necesse est ut undequaque sit circumsepta, nam si minimus patuerit ingressus alteri, jam non est vinea Dei, si cor humanum mundanas admiserit delicias, & voluptates, jam incapax rerum cœlestium efficitur. Nolite decipi, Auditores, nam impossibile est uno, eodemque tempore Deo & mundo satisfacere, admittere simul bona terrena, & æterna. Hoc nos monet Evangelium, & vinea omnino circumsepta, vultque Deus nos totos sibi esse consecratos. T. 2. C. 2. N. 4. T. 25. C. 1. N. 5. & alibi.

5. *Fodit in ea torcular.* Non erat dubitandum, quin in vinea, quam suam appellabat, foderet torcular, in quo uvæ exprimuntur. Vtinam hanc doctrinam omnes Christiani cordibus suis impressam retinerent! profectò alacriori vultu adversitates exciperent, & se Dei amatores ostenderent. Vbicumque Deus intrat ut sibi domicilium & mansionem eligat, ante omnia cellam pœnarum, & dolorum extruit: in quam introducit animam vino suavissimo inebriandam, & donis spiritualibus dotandam. Et si signum amoris divini erga nos, sit immittere occasiones patiendi, læta debet vivere anima, quæ tot habet divinæ voluntatis erga se argumenta, quot pro ea patitur tormenta. Tract. 20 C. 2. N. 1. & seq. Vide M. T. 9. C. 3. Quadr. T. 5. C. 1. Qui autem in omnibus secundo navigat vento, timere debet, & dubitare, num habeat Deum animæ suæ inhabitantem, & c. T. 5 C. 4 N. 5.

6. *Et ædificavit turrim.* Turris hæc est verbum Dei, quod vineam nostram in se suscepit defendendam, ut ab omni periculo immunes & securi vivamus: *Turris ædificata est verbum de ipso Deo, & de dispensationibus Christi.* Certè valde stultus est, qui tanto præsidio munitus, vivit cum timore. Vultis scire, quid velim dicere? Nolite omnem solicitudinem vestram impendere avertendæ necessitati, & evitandæ fami, sed omni conatu contendite Deum habere propitium, si enim ipse fuerit vobiscum, securi poteritis omnia vestra divinæ illius providentiæ committere. Et reverà evidens est argumentum, vel Deum non esse in nobis, vel quod flaccida sit confidentia nostra in illius promissis, si nostris

ctris nimium innitimur solicitudinibus; cùm in ipsum omnem curam nostram conjicere possemus, eique in omnibus fidere. T.11.C.1.N.1 & seq.

7. *Cùm autem tempus fructuum appropinquasset.* Notat Sanctus Paschasius tempus fructuum soli Deo esse cognitum, cui omnia patent: *Notandum, quod patrisfamilias est solius, cognoscere tempus fructuum, quando uniuscujusque hominis appropinquare debeat, vel quando adhuc longius est tempus; quod satis considerare oportet.* Lugendum est, quod nos ignorantes tempus reddendæ rationis, tam ignavi & socordes vivamus, quasi à beneplacito nostro dependeret illud prolongare, aut accelerare, & hac vana confidentia freti pœnitentiam statim faciendam differamus. Quapropter noli, O Christiane falli, nam omnes illæ induciæ fictæ, & tempus imaginarium, quod tibi promittens conversionem tuam procrastinas, indicia sunt tuæ futuræ damnationis: quia sicut accelerata pœnitentia, & festina conversio peccatoris à peccato ad Deum est securum prognosticon gratiæ ipsius; ita etiam tarditas, & procrastinata ejus emendatio est signum ruinæ & damnationis futuræ. T.1.C.1.N.4.T.6.C.5.N.2 & seq. Vide Quadrag T.29.C.4. Consultum igitur est, cum omne tempus nobis donatum sit ad pœnitentiam agendam, nullum prætereamus, sed occasione utamur, ne aliquando amissum tempus lugeamus, & illius jacturam serius deploremus. T.26.C.2,N.5.

8. *Misit servos suos.* Quos existimatis esse servos à patrefamilias missos, ut fructus vineæ repetant, nisi prædicatores, qui vocibus suis vos hortantur ad emendationem? vocationes, inspirationes, & auxilia, quæ interius vos ad gratiam invitant? Imò & ipsa sacra Scriptura audita, & lecta est vivum excitamentum, quod vos redarguit, & memores reddit obligationis vestræ: *Moraliter*, ait doctus Rabbanus, *cuicumque vinea locatur colenda, cùm baptismi ministerium datur, quod exerceat, mittitur autem servus unus, alter, & tertius, cùm lex, Psalmus & Propheta legitur, ad quorum monita bene operatur.* Sufficiens argumentum nostræ exiguæ perfectionis est, quod Deus cogatur tot repetere, & multiplicare legationes, ut ei debitos vineæ nostræ fructus, & redditus persolvamus, cùm tamen tamquàm fideles servi etiam solutionis tempus prævenire deberemus, in hoc enim elucet verus animus, & excellentia obedientiæ. Præveniamus ergò solutionem, antequam fructus exigat, & respondeamus antequàm nos vocet, quia hoc unicè Deo placet, & gratissimum est T.3.C.1.& alibi sæpè.

9. *Novissimè misit filium suum.* Hoc summum est divinæ pietatis opus, in quo videntur divinæ misericordiæ luctari cum rebelli nostra voluntate, ita ut quo magis insolescimus, eò majoris benevolentiæ signa Deus ostendat: *Per singulos autem gradus malitiæ, Dei misericordia addebatur, & per singulos gradus divinæ misericordiæ, malitia Iudæorum crescebat, & sic contra Dei clementiam malignitas humana pugnabat.* Ita Sanctus Chrysostomus. Dum per verbera servorum suorum Deus poterat indignationem suam justam probare promeritum infligendo supplicium, ex illis majoris misericordiæ sumpsit occasionem, nimirùm mittendi filium suum in mundum, ut offensus & læsus reis incutiæ remissionem sponte offerret: *Hunc autem misit*, prosequitur Sanctus Chrysostomus, *non quasi ad obnoxios pœnæ sententiam bajulantem, sed pœnitentia veniã, misit enim eos non confundere sed punire.* Nescio sanè, quomodo peccatorem pietas divina non confundat, cum Deus ad multiplicationem criminum tot multiplicet misericordias, & ipse veniat ad quærendos reos, qui jure merito illum pro venia impetranda quærere, & solicitare deberent. T.6.C.3.N.3.& 4 T 26. C.1 Quadr. T.6.C.1 & M T.8 C.4.

10. *Venite occidamus & habebimus hæreditatem.* Sunt hæ voces, ait Sanctus Chrysostomus, Sacerdotum ambitione laborantium, qui timentes amittere lucra ex sacrificiis, decreverunt authorem vitæ interimere: *Post quàm introivit in Templum, & vendentes animalia, quæ ad sacrificium pertinebant, foràs ejecit, tunc cogitaverunt eum occidere, dicentes: necesse est, ut populus per istum demittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum, & acquiescat offerre sacrificium justitiæ, quod ad gloriam pertinet Dei, & sic jam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei, & hoc est quod dicunt, occidamus, & nostra erit hæreditas.* Vbi invaluerit ambitio in ministris Ecclesiasticis, nullum erit malum, quod non perpetrabunt, etiamsi causa lucri ipsum Christum occidere deberent. Deplorandi verè tales ministri, quos cum deberet comedere zelus divini honoris, ipsi vice versa procurant comedere ex zelo Dei: Signum veri ministri, est alienum esse à cupiditate lucri temporalis. T.2 C 5.N.8.T.21. C.4. N.5. & infra Fer.4. post Dom 3. N.6.

11. *Auferetur à vobis Regnum.* Hæc verba ponderantur. T.8 C 2.& eorum explicatio rectè quadrat huic instituto, cur videlicet ea, quæ dicitur vinea, etiam appelletur Regnum. Lege & applica.

Domi.

Dominica III. Quadragesimæ. Luc. 11.

1. ERat Iesus eiiciens dæmonium. O quanta confusio nostra, quod Christus tantum temporis impendat in ejectione hujus dæmonis, & tam lentè procedat in hac actione, quia ad bonum nostrum ordinatur, & nos tam segnes simus in iis, quæ ad ejus obsequium pertinent! In quo enim jure fundatum est, quod Deus solicitè agat partes nostras, & nos tam negligentes simus in servitio ejus? Non sic, Auditores, sed discite ex Seraphim illis quos vidit Isaias, habebant illi alas non ad avolandum ab eo, sed ad jugiter permanendum cum illo. *Seraphim stabant*, hæret & stat Deus ad benefaciendum nobis, ne ergo nos curramus ad offendendum eum, maneat igitur Christianus cum Deo, quia numquàm fœlicius volat, quam dum continuò adstat Deo. Hoc pacto rependet Deo vices, & satisfaciet muneri suo, si namque Deus in bonum nostrum diutius & dedita opera seipsum impendit, æquum erit ut tantumdem in ejus servitio prætemus. T.14.C.1.N.10. Vide M. T.7.C.3.

2. *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Nostis præteritum imperfectum componere præteritam durationem temporis cum præsenti, quia taliter significat præteritum, ut simul illud explicet, uti præsens existeret, atque ita coæternitas Verbi cum Patre, explicatur hoc modo: *In principio erat Verbum.* ubi significatur, quasi fuisset, & est tam æternus, quàm Pater. Continuatio igitur ista, *erat eiiciens*, monet & docet nos firmitatem animi, qua ejicere debemus ex cordibus nostris omnes affectus qui nobis in servitio Dei, remoram injicere possunt, neve omni vento moveamur. Hodiè firmi in amore Dei, & cras in peccatis, hoc non est ejicere dæmonium ex anima, sed ipsi locum præbere, qui enim non manet firmus in servitio Dei, sed quotidie mutationes admittit, ipsamet inconstantia testatur illum esse a dæmone obsessum. Ingeniosè advertit Sanctus Hieronymus in lunatico illo, quem discipuli curare non potuerunt, sed opus fuit omnipotenti brachio Christi ad liberandum illum, quod egerit partes, & personam multorum, qui nullam habent perseverantiam in virtute & jam sunt Dei, & jam dæmonis, quique tam periculoso laborant morbo, ut solus Deus illis mederi valeat. Attendite actiones ejus: *Lunaticus est & malè patitur, nam sæpè cadit in ignem, crebrò in aquam.* Ecquis iste lunaticus, inquit Sanctus Hieronymus: *Mihi autem videtur iuxta tropologiam lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, & nunc ignem in ignem fertur, nunc in aquas.* Qui uno die ardent devotione & alio algent frigore, lunatici sunt, & eorum remedium à solo Christo petendum, ut continuò, & perseveranter ejiciat dæmonium, ei præbens vires ad verè permanendum in firmo animi proposito, hoc namque solum placet Deo, & displicet mutabilis inconstantia. T.19.C.1. usque ad 6. Vide M. T. 11.C.2.

3. *Et illud erat mutum.* Notate amorem Christi, licet hic miser mutus esset ad petendum mali sui remedium, non tamen fuit Christus surdus ad dandum illi beneficium. Mundus etiam clamantes non audit, & Deus etiam sine loquela audita succurrit, sua misericordia voces miseriæ nostræ præveniendo Rectè noverat hanc benignam Dei indolem David Psalmo 5. *Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.* Et quorsum ita David? *Quoniam ad te orabo?* ecquis umquàm simile audivit? Nonne sufficeret, quod Deus exaudiret post preces; nondum oravit, & jam petit exaudiri. Sed non mirum, quia Deus adeo benevolus est, ut se rogantes præveniat, neque expectat audire, ut concedat, sed concedit, confidens, quod petemus. Hæc debet esse regula charitatis nostræ erga proximum, ut non expectemus voces petentium, sed succurramus iis antequàm petant; quia dare propter importunos clamores pauperum, non est dare, sed vendere eleëmosynam. T 8.C.1.N.6.& 7. Feria 6. post Dom. 1 Quadrag. N.1.& Vide Quadr. T.5.C.1.

4. *Et illud erat mutum.* Non dubitetis, quin hæc mutitas, fuerit pœna peccati illius, nimirum nimiæ garrulitatis, & petulantiæ in lingua. Alieno igitur periculo cauti discite refrænare linguam vestram, est Deus æquus & justus, soletque pœnas commensurare culpæ; unde si sectati fueritis conversationes profanas, si oblectati fueritis rebus obscœnis, & impudicis, meritò timete, quod tandem aliquando justitia divina vos mulctabit, & affliget iisdem instrumentis peccati, & culpæ, ut convertantur in tormenta, quæ prius fuerunt oblectamenta T. 2. C.3 N.3. Neque alia origo quærenda est miseriæ hujus muti, quàm ipsa peccata, quia supplicia sunt echo peccatorum. T.26.C.5. Vide Quad. T.16. C. 4. & M. T. 6. C.2.N.6.

5. *Locutus est mutus.* Multum differt loquela Dei, à loquela mundi, & quantum differunt judicia ejus a judiciis hominum: quoad pœnam, & præmium, non recordatur quales fuerimus, sed quales simus, homines verò commensurant censuras suas non iis quæ vident, sed quæ viderunt. Hunc hominem etiam postquàm loquitur appellant mutum, & quamvis sanum conspiciant, adhuc infirmum reputant. Deus non respicit præterita, sed præsentia. Volenti Christo redire in Iudæam, secut-

occurrerunt Discipuli cupientes profectionem illam impedire, & dicentes: *Nunc quærebant Iudæi te interficere, & iam vadis illuc.* Premite illud, *Nunc*, aliquot diebus antea hoc contigerat, & tamen tam recentem habent memoriam illius, quasi jam ipso die accidisset, quia oculi mundanorum numquàm respiciunt delicta ut præterita, sed ut præsentia. Deus verò non attendit quid fuerimus, sed quod sumus. T. 6. C. 5. N. 4. 5. & 6 Quad. T. 13. C. 2.

6. *Locutus est mutus.* Hæ sunt mutationes divinæ potentiæ, ut iis animati non desperemus deserere statum peccati, etiamsi nobis gravitas illius quasi impossibilem reddat exitum: videmus namque hunc miserum ab omnibus desperatum integram recuperasse sanitatem. Non vult Deus hominem confidendo omnipotentiæ suæ repetitis peccatis misericordiam suam lacessere, neque tamen etiam vult gravitatem delicti præcludere spē veniæ. Quantumcunque igitur perditæ fueris vitæ noli desperare, nam in majoribus necessitatibus, præsentius solet adesse Dei remedium. Tract. 6 C. 2. N. 6. T. 19. C. 2.

8. *Et admiratæ sunt turbæ.* Certè facili negotio credidissem turbas, & homines plebeios applausuros miraculosis operibus Christi, potius quàm nobiles, & magnates, qui semper invident virtuti: neque cum illa conveniunt, uti eleganter Venerabilis Beda: *Turbæ, quæ minùs eruditæ videbantur, Domini semper facta mirantibus, Scribæ & Pharisæi, vel negare, vel sinistra interpretatione pervertere laborans, quasi non divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent.* Verba Dei, aut pertinentia ad cultum ejus, vel non pertingunt ad aulas principum, vel saltem serius, & non ut iis debitum deferant respectum, sed ut ea explodant. Tract. 25. C. 3. N. 6. Quadr. T. 15. C. 4. & M. T. 5. C. 3. & infrà sæpiùs.

8. *Et admiratæ sunt turbæ.* Requis non admiretur stupendas illas mutationes in hoc infirmo, jam sensibus, & viribus pristinis restituto? Hæc videtis & admiramini: sed scitote indies pœnitentiam talia patrare miracula, cui Deus contulit potestatem suam, ut hæc, & hic majora operetur, quæ tantò minorem vobis causant admirationem, quanto minus illa recogitatis. Quantò siquidem admirabilius est curare animam, & componere inordinatos affectus, quàm restituere sensus; Secundum est, miraculum hodierni Evangelii, & primum fit quotidie, & est munus pœnitentiæ, quæ non solum confert sanitatem, sed etiam homines immutat in divinos. Sint igitur vobis admirationi illius effectus, & cupientes illam in vobis similes operari. læto corde, & amante affectu pœnitentiam excipite. Tract. 19. C. 4. T. 26. C. 5 Quadrag. T. 20. C. 2. M. T. 1. C. 5.

9. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum.* Benè apparet hoc esse mundanorum judicium. Vident illum miraculosum, & appellant dæmoniacum, quæ est propria censura malorum, qui aliorum commaculant actiones, ut suam occultent nequitiam. Ecce, non habent peccata crudeliores accusatores; quam ipsas virtutes, quas cum nolint imitare, student calumniari. Vnde etiam præclarissima & celeberrima facta justorum, à malis, tamquam stulta vituperantur, volentes hisce ignominiosis titulis virtutum eorum excellentiam offuscare. Ideò tamen non est desistendum, quia in Christo habemus exemplum patientiæ & doctrinæ, utpote qui dum miracula divina operatur, tanquàm dæmoniacus traducitur, & dum maximè sapit in bonum nostrum velut stultus ludibrio habetur, ne nos ergo similes calumnias curemus, quia tunc prudentes erimus, quando mundus nos stultos æstimaverit. T. 8. C. 3. N. 3. & seq.

10. *Dixit eis omne Regnum in se divisum.* Considerate mansuetissimum Christi responsum, nam quod severa reprehensione corrigere & punire potius hoc suavissimo responso refellit, exemplum relinquens ministris suis & modum, quò cum peccatoribus agere deberent, nimirum, prius mansuetudine, ne eorum malitiam asperitate sua in obstinationem convertant. Ideò curiosè animadvertit Sanctus Epiphanius ad illa verba Davidis: *Renovabitur ut aquilæ iuventus tua*, & affirmat quod hæc renovatio aquilæ fuerit symbolum conversionis nostræ, non verò renovatio serpentis, cum tamen ambo renovent juventutem suam, aquila plumas, & serpens pellem. Imò & Christus ipse statuerit nobis exemplum prudentiæ in serpente: *Estote prudentes sicut serpentes.* Vultis scire rationem Sancti cur asserat renovationē aquilæ, non verò serpentis, esse figuram conversionis animæ peccatoris? Quia serpens utitur medio asperiori, nam exuturus veterem pellem serpit, & penetrat angustissimum foramen rupis, cujus asperitate veterem deponit, & novam resumit: verum aquila concutiendo alas, & immergendo se aquis, veteres exuit plumas, & novas induit. *Se frigidis immergit aquis, adversusque solares radios se opponit, & iterum iuvenescit.* Non sanatur peccator verberibus, sed blanditiis, & plus proficit mansuetudo, quàm austeritas. Hæc est causa ob quam Christus Dominus temperat suam indignationem, & obliviscitur pœnæ quam sacrilegæ illæ injuriæ promeruerant, blando eis occurrens responso T. 24. C. 4. N. 4. & infrà sæpius.

Feria

Feria IV. post tertiam Dominicam Quadragesimæ Matth. 15.

1 ACcesserunt ad Iesum. Pessimum est, quod hi accedentes non vocati manifestent depravatam suam intentionem, nam si in bonum finem venissent, non voluntariè sed coacti accessissent: *Seniores populi*, ait Sanctus Remigius, *& Doctores legis, non ad discendum, sed ad reprehendendum Dominum venerant.* Adeò tardigradi sumus ad virtutem, ut celeres gressus sufficienter indicent se non esse ad bonum; vellemus enim ipsam virtutem ad nos venire, ipsamq; gloriam nos quærere, & Deum nos sine labore nostra ad cœlum ducere, neque malum foret, si omnibus illis mediis à Deo positis adhuc vellemus; Cùm igitur hodierno die illi spontaneè veniant ad Iesum, non est dubitandum, quin depravata fuerit eorum intentio, quia si sancta fuisset, illi expectassent, donec Christus illos vocasset, & quasi violenter compulisset. T.6.C.3.N.3 & 4.T.26. C.1.Quad.T.6.C.1 M.T.8.C 4.

2 *Quare discipuli tui transgrediuntur?* Nonne videtis quomodo hi Pharisæi sub titulo zeli suam occultant vindictam? Reverà nequit terribilior excogitari persecutio, quam quæ sub specie virtutis, suam dissimulat nequitiam, nam cum sub colore devotionis lædat, apparentia zeli justificat venenum odii. Hæc fuit justissima Iobi querimonia, qui cùm in omnibus adversis patientissimus fuisset, ubi vidit se detractionibus amicorum validè lacessitum, in has querulosas prorupit voces: *Quare persequimini me, sicut Deus?* Immeritò sanè videris conqueri Iob, nonne melius est, quod te persequantur ut Deus, quam veluti homines, natura sua crudeles? Ast altius inspicite hanc querimoniam, etsi Deus nos puniat, & persequatur, id facit vero permotus zelo legis, quia nos videt transgressores mandatorum suorum: quod autem homines hoc zelo utantur, & sub specie virtutis nos persequantur, est Deo facere injuriam ejus nimirum sequi modum in persequendo, non tamen ejus servando rectitudinem: & hoc insinuat Iob, quod illi persequantur ipsum veluti Deus, & ut suum dissimulent odium, illud sub accidentibus zeli occultent. Ecce quid faciunt hodie Pharisæi, tamquàm exactissimi observatores legis arguunt Discipulos veluti transgressores illius. Intolerabilis est hæc species persecutionis, eò crudelior, quò occultior. T.7.C.2 N.7. Vide supra Feria 6. Cinerum.N.2 & 5.& Quad T.4 C.1.

3. *Quare discipuli tui* Ecce communem malorum vafritiem, defectus suos adscribunt bonis, ut eorum patrocinio sua excusent errata, illos delicti sui complices quærunt Ingeniosè detexit indolem peccatorum in divite epulone, qui in tormentis suis nolens implorare opem Lazari, rogavit Abrahamum: *Mitte Lazarum.* Existimabitis fortasse divitem non fuisse ausum sollicitare Lazarum, quia illum graviter offenderat, sed revera erratis, quia hoc modo voluit illi notam vindicativi inurere: *Existimabat Lazarum vindictæ cupidum.* Existimavit se habere impietatis suæ excusationem, si Lazarũ paris crudelitatis argueret, ideoque noluit rogare, aut petere à Lazaro refrigerium, ut cogitaretur Lazarum, utpotè offensum, nolle ipsi succurrere, ac proinde minor judicaretur immanitas divitis cum impietate Lazari collata. Arguunt Pharisæi discipulos tanquàm minus observantes legem, ut suam excusent negligentiam, neve sua animadvertatur transgressio, eo quod sui peccati in discipulis haberetur exemplum. M. T.17. C.2.N.4. Vbi ponderatur locus Geneseos.

4. *Quare discipuli tui?* Non est curandum de eo, qui murmurat, aut malè loquitur ex officio, quales sunt hi Pharisæi, numquam contenti aut quieti, murmurant contra bonum, quia bonus est, & de malo, quia malus est Itaque nullum est defensivum contra has pessimas linguas, quia tanto gustu carpunt & traducunt mala, quam bona opera. Hinc perpulchrè Theophilactus describens similes murmuratores, ait: *Vnum dumtaxat quærunt, quid dicant, quodcumque, & de quocumque illud fuerit.* Pharisæi hujus Evangelii murmurantes contra Discipulos evomunt venenum invidiæ suæ, quamvis nullam habeant maledicendi causam, sed quid dicam nulla indiget causa, qui ex murmurationibus vivit. M. T.17.C.2.N.4.in fine.

5. *Non enim lavant manus suas, cùm panem manducant.* Non poterant Pharisæi discipulis improperare majus opprobrium, quam illos reprehendendo, quod panem illotis manibus contrectarent. Erant namque Discipuli, Superiores Magistri, & Principes legis gratiæ à Christo ad tantam dignitatem evecti, & calumniosè illis imponere, quod sordidis manibus panem comederent, licet falsum, & fictum esset crimen, erat tamen illis gravissimum dedecus & ignominia, quia Superiores, qui non mundas habent manus, & manducant panem manibus cruentatis sanguine, & substantia pauperum subditorum, non merentur nomen discipulorum Christi, sed dæmonis, qui solus potest tam impiam fabricare crudelitatem, Putabitis fortassè Saulem in proferenda sententia mortis contra filium suum Jonatham limites æquitatis, & rationis excessisse, eo quod favum mellis contra præceptum patris degustasset: sed re bene perpensa justissimam judicabitis. Non peccavit Jonathas gustando favum mellis, sed in modo quo

mel delibare præsumpsit. Recordamini, nisi fallar, quod sacro attestante eloquio, sublimitate virgæ acceperit mel, & quasi ex ea formans cochlear, gustaverit dulcedinem mellis: *extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum.* Ex virga, quæ est tessera, & signum judicis, fecit fuscinulam, qua favum mellis attraheret, & qui vult comedere ex virga, & negotiari ex justitia, rectè meretur vita orbari, & indignus est indulgentia patris, quia ne in minimo quidem fas est dignitatem officii turpitudine lucri commaculari. Hoc igitur peccato voluerunt Pharisæi notare Discipulos, quia immundas haberent manus, quia nihil indignius est ministris Dei, Principibus, & Superioribus, quam velle ex officiis comedere, & inficere manus suas facultatibus & substantiis subditorum. T.12. C.3. N.8. T.21. C.4. N.5. T.27. C.4. N. 4. & Feria 6. post Dom. 2. Quad. N.11.

6. *Non enim lavant manus suas.* Certum est, quod Discipuli, utpote Sancti non attendebant ad exteriorem munditiam, sed ad interiorem animæ nitorem, non ad lotionem manuum, sed ad purificationem conscientiarum, proprium enim est Hypocritarum curare exteriorem munditiam, & negligere animæ candorem, ut egregiè disserit Sanctus Hieronymus: *Manus autem, id est opera non corporis, sed animæ lavandæ sunt, ut fiat in illis Verbum Dei.* Nescio an animadverteritis Spiritum sanctum comparare animam justam Lunæ. *Pulchra ut Luna*; si illam Soli assimilaret facilè intelligerem, at verò quod Lunæ semper maculis plenæ comparetur, non capio, ecquæ enim proportio inter Lunam, & puritatem animæ? Maxima sane, quia id, quod nos maculas judicamus in Luna, non sunt maculæ, sed defectus & imbecillitas visus nostri, qui cum nequeat perspicacitate sua assequi candorem Lunæ, percipit illam cum similibus accidentibus, neque curat Luna, quod oculi nostri sinistrè de suo splendore judicent, quia ipsa nullatenus est sibi conscia alicujus defectus aut maculæ. Ecce symbolum justorum, qui si interiori gaudeant candore, flocci pendunt immundi reputari, quin imò suas occultant virtutes, ut tamquàm peccatores ab omnibus habeantur. Tract.21. C.2. & 3. & Fer. 4. Ciner. N. 7.

7. *Quare & vos transgredimini?* Notate, inquit Sanctus Chrysostomus, quanta sagacitate retuderit Christus calumniam Pharisæorum, nam accusans eos transgressionis, non laudavit observantiam Discipulorum, ut uno, eodemque sermone & Pharisæos reprehenderet, & Discipulos cautiores redderet, ac per consequens ambo corrigerentur: *Non dicit, quod benefaciunt transgredientes, nec vituperat, quod ab Apostolis factum est, nec accusat Seniores, sed increpat eos, qui advenerant, &c.* Noverat Christus, quàm necessaria esset cautela animæ ad conservandam virtutem, ideòque timorem incutit discipulis, ne nimium fidant perfectioni suæ, sed cum timore suam operentur salutem. T.6. C. 1. T.18. C.3.

8. *Quare & vos, &c.* Ingressi erant arrogantes, & egrediuntur confusi, & libenter maluissent perdere saporem calumniæ, quàm experiri acrimoniam responsi. Frustra quis tentat vires cum Christo, nam cùm petra & lapis sit tangentem se ferit & lædit. T.12. C. 3. N. 1. Estque virga Moysis, quæ virgas Magorum devorabat. T. 7. C. 4. N.3.

9. *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis, &c.* O quam infame vitium est Hypocrisis! Vide Feria 4. Cinerum. N. 5. & 6.

16. *Omnis plantatio, quam non plantavit, &c. eradicabitur.* Ponderate illud, *eradicabitur*, quia magnam continet emphasim. Non ægrè fert Deus ordinatam curam rerum temporalium, quia hæc est commune pensum, quod miseriæ nostræ persolvimus, provocat autem indignationem ejus nimia sollicitudo rerum terrenarum, quæ movet corda nostra ut radices agant in terrenis, & hoc insinuat dicens, *eradicabitur*, id est, quidquid inordinatus affectus noster contra Dei voluntatem plantaverit. Discite igitur avellere corda vestra à terra, nam ea Deus, ut ad cœlum aspirent, creavit. Taliter igitur tractanda sunt terrena, ut nos nullatenus abstrahant à consideratione alterius vitæ. Magno ingenii acumine adnotavit Sanctus Thomas ex Theodoreto, Christum non reprehendisse Martham, antequàm illa voluit interturbare & seducere Mariam ab auditu verborum Christi: *Martha, Martha solicita es, & turbaris, &c. Vide*, inquit Angelicus Doctor, *consilium Domini, quod prius Dominus nihil dixerat Marthæ sed postquàm illa sororem ab auditu studebat avellere tunc Dominus occasione habita increpavit eam.* Ut nos doceamur eatenus esse licitas sollicitudines rerum hujus transitoriæ vitæ in Martha præfiguratas, quatenùs non impediunt contemplationem Dei, in Maria adumbratam, ubi verò unum impedit, aliud vehementer indignatur Deus, vultque mundum postponi cœlo. Quapropter Auditores, sic agite vestra, ut terrena non impediant cœlestia, neque corda vestra in terris radicentur, alioquin eradicanda. T.14. C.1. N.7. & seq.

17. *Cæci sunt & duces cæcorum.* Malum est, inquit Rabbanus, quod cæci sint, sed pessimum, quod etiam duces sint aliorum: *Cæci quidem sunt, id est luce mandatorum Dei privati, & sunt duces cæcorum; quia alios in præcipitium trahunt errantes, & in errorem mittentes.* Plurimi reperiuntur tales de quibus maxime dolendum est, quod in cæcitate sua persistentes nolint illuminari, aut deserere tenebras suæ depravatæ intentionis aut affectus, ne serio cogantur agere ea quæ sunt

Dei

Dei, aut salutis animæ. Hoc maximum Dei supplicium est tali percuti cæcitate, unde rogandus est Deus, ut illuminet mentes nostras, ad videndum ea, quæ nobis sunt necessaria ad salutem. T. 2. C. 5.

Feria VI. post Dominicam III. Quadragesimæ. Ioan. 4.

1. VEnit in Civitatem Samariæ. Iam, inquit Sanctus Augustinus, *incipiunt mysteria*. Primum autem quod ego adverto, est, Deum adeò esse animatum amore captum, ut ipse majestatis suæ oblitus, quærat eas, quasi sua permagni interesset. Non admirarer, si hæc mulier velut altera Chananæa ad quærendum Iesum, & sollicitandam salutem animæ suæ exivisset: sed quod ipsemet tot laboribus, & fatigationibus dignetur ambire ejus amicitiam, & conversionem, non capio. Quid dicam? adeò benignus est ut ipsemet offensus rebelles quodammodo voluntates conetur attrahere: tanta est immensitas divinæ misericordiæ. T. 6. C. 3. N. 3. & 4. Dom. 2. Quadrag. N. 1. M. T. 8. C. 4.

2. *Venit in Civitatem Samariæ.* Veniat Deus nos quæsitum, quia quod nos divinæ misericordiæ effectum diximus, Sanctus Evangelista convenientiam, & quamdam Dei necessitatem explicuit: *Oportebat eum transire per mediam Samariam.* Neque exoticam putare propositionem, cum enim Dominus venerit in remedium nostrum, toto tempore, quo suam misericordiam nobis non communicat, videtur non vivere, & ideò licet magnum censeatur beneficium nos ab illo quæri, est tamen etiam magnum lucrum Christi, cum sine beneficentia non vivere videatur. Eapropter patientissimus Iob ad inflectendam Dei misericordiam, in has minaces prorumpit voces: *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* id est, festina Domine, liberare me à statu peccati, quia nisi hodie me quæsiveris, forsitan cras me non invenies: *Et si manè me quæsieris, non subsistam.* Quis non miretur novum & inauditum loquendi modum? Ecquid Deo interest, quod Iobum non sit postea reperturus, aut quid meritur ei utilitatis? quorsum igitur minatur Iob Deo, *& si mane me quæsieris, non subsistam.* Nolite mirari peregrinum loquendi modum, quia Iob probè noverat indolem Dei nostri, nimirum ex natura sua ipsum esse beneficum, & benefactorem nostrum; & quamvis ab eo dependeat tota salus hominis, ita ut deficiente ejus pietate necessariò debeat perire, non tamen minoris videtur Deus æstimare occasionem benefaciendi illi, quasi vita sua in illo sita foret, & idcirco accelerat hodie gressus suos atque se debere transire per Samariam, vocans congruentiam suam. id quod erat remedium perditæ peccatricis. T. 15. C. 2. N. 6.

3. *Iesus ergò fatigatus.* Premite vocabulum Iesus, & facite illud antecedens, & notate consequentiam, quæ ex illo sequitur: *ergo fatigatus.* Est legitima consequentia, laboris, & defatigationis, deducta ex nomine Iesu, quia ipse est adeo amans lassitudinis, & pœnarum, ut in illis nullum admittat socium, solus vult pati. Vbi ergo audiveritis nomen, Iesu, statim inferte veluti consequentiam necessariam, labores, tormenta, defatigationes, quæ adeo propria sunt illius, ut nullum in iis admittat socium. T. 25. C. 3. N. 1. usque ad 5.

4. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic.* Quid sic? *Fatigatus*, nam hoc est immediatum illius correlativum; ac si apertius diceret, ut fatigatus sedit, id est, sessione, aut quiete non allevians lassitudinem suam sed aggravans, cum enim Dominus nullam habeat sibi gratiorem quietem, quam ipsam defatigationem, numquam magis fatigatur, quam dum quiescit, & quoniam quies in ipsa sessione significatur, numquam magis fatigatur, quam dum se sedentem considerat. T. 1. C. 4. N. 2. & 3. Applica eidem T. 21. C. 5. N. 1. usque ad 5.

5. *Iesus ergo fatigatus, &c.* Vbi S. Augustinus: *Non frustra fatigatur Iesus.* Si vultis scire causam defatigationis ejus? in promptu est, quia ipse lassitudine sua nostram sollicitat quietem, ut omni amaritudine in illo exhausta, nobis remaneat dulcedo: *Non enim frustra fatigatur*, prosequitur Sanctus, per quem *fatigati recreamur.* Hæc fuit divinæ pietatis industria in se transferre omnes ærumnas, & dolores, ut nos ab illis liberaret, & numquam securior est nostra quies, quam dum Deum videmus inquietum, & fatigatum, numquam fortiores, quam dum ille imbecillitatem ostendit, nam ex ejus infirmitate nascitur omnis fortitudo nostra T. 1. C. 3.

6. *Hora autem erat quasi sexta.* O quam necessaria, & salutaris admonitio! Pergit Christus ad convertendam animam, & notat S. Evangelista horam, ne peccator perdat opportunam, & appellet aliam: quia Deus horam habet, & non horas, ad nos vocandum: & si hanc neglexerimus, fieri poterit, ut non habeamus secundam, & condemnet nos nimia confidentia, quos salvare poterat diligens cautela. Vt quid igitur, peccator tuam procrastinas conversionem? quam securitatem tibi dedit Deus de sua misericordia, quod te ad pœnitentiam expectabit? Vide ergo, ne te incautum rapiat, quem tu præ venire noluisti. Notate quæso, terribilem illam historiam de ficulnea; noverat Salvator non esse tempus ficuum, & nihilominus pertexit ad illam,

illam, petiturus ficus, & quia illos non dedit maledictione ariditatis correpta fuit. Nimia certè videtur hæc severitas, ô Domine! expectatur saltem tempus opportunum, quo maturos possit producere fructus, & si tunc illos non protulerit, justè illam tali mulctabis maledictione. Ita judicant peccatores in arbore illa adumbrati; vellent Deum expectare tempus suæ pœnitentiæ, dum illis commodum foret & opportunum: & hac spe freti suam procrastinent conversionem. Sed agedum fiant alieno periculo cauti, ait disertè Palacios in Matthæum: *Deus sæpissimè quærit fructum ex nobis, cùm tempus non est, & excandescit & occidit, & in ariditatem inferni detrudit: vanissimum enim fabulamentum est dicentium, tunc Deum nos è vita subtrahere, cum sumus paratiores* Ne igitur, ô anima! prætereas horam conversionis tuæ tibi à Deo præfixam, non enim tibi dabit alteram, neque expectabit, donec tibi placuerit. Accelera igitur, & festina, nam in acceleratione pœnitentiæ tua salus, sicut in procrastinatione ruina tua sita est. T. 6 C. 5. N. 2. & seq. T 1. C. 1. N. 4. Q. T 19. C. 4.

7. *Discipuli abierant, ut cibos emerent.* Vbi Sanctus Chrysostomus observat, in illo discipulorum ad emendos cibos, nobis insinuari neglectum discipulorum, & incuriam rerum terrenarum, quia nullam secum deferebant annonam, quæ tamen prima debet esse solicitudo peregrinantium: *Discamus autem non solum circa itinera validum robur, sed etiam circa cibaria negligentiam: non enim Discipuli eius deferebant victualia* Apostoli in societate Christi nolebant sua uti industria, ne illius offenderent providentiam, & maximam habebant curam necessariorum ad vitam, ea negligendo. O si in nobis arderet fides illa, & jactaremus curam nostram super Dominum, & haud dubiè ille nos enutriret. Verùm nimia solicitudo rerum terrenarum testatur nos esse minus Catholicos, sicut etiam negligentia, & socordia erga ea, quæ sunt Dei & salutis. T. 11. Consid. 1.

8. *Mulier da mihi bibere.* Iuxta fontem petit Christus aquam ab hac muliere, ut commoditas loci faciliorem præberet occasionem remedii. Egregia est hæc doctrina ad non repellendas divinas inspirationes, dum illis facilè acquiescere possumus: ne ergo occasionem sinamus præterlabi, quotidiè exigit Deus à nobis aquam lacrymarum & dolorem peccatorum, caveamus ne intermisso tempore opportuno conversionis nostræ, postmodum non inveniamus spatium pœnitendi, quia habitum neglexinus. T. 26. C 3 N. 5.

9. *Si scires donum Dei.* Quid hoc, Domine? petis ab ea aquam & datum ejus, donum Dei appellas? Hoc revera est magis dare, quàm petere Vtinam hocce mysterium vobis expandere valerem! est opus adeò heroicum alienæ succurrere necessitati, dare potum sitienti, aut cibare esurientem, ut Deus noster quasi ex æmulatione nolit illi imponere nomen doni humani, sed misericordiæ suæ, quasi ipse solus sit author operis, ne homo immisceat se divinis, quale est dare eleëmosynam. *O si scires donum Dei*, id est, si nosses, quantum sit donum Dei aqua illa quam à te requiro. Profectò, si eleëmosynarius cognosceret excellentiam eleëmosynæ, non minus ambitiosè, quam charitativè suum exerceret munus, quod Deus quodammodo sibi soli reservare videtur. Tract. 8. Consid. 5. N 4.

10. *Dedisset tibi aquam vivam.* Theodoretus ait meritò gratiam S. Spiritus vocari aquam vivam: *Nam gratia Spiritus sancti semper movet illum, qui bene operatur, ascensiones in corde suo disponens.* Ideo signum gratiæ nobis inexistentis est, quod moveamur ad exercitia virtutum, non sistendo in habitis, sed semper novas acquirendo, & hæc perpetua contentio & conatus ad majorem perfectionem, est unicum Christianæ perfectionis testimonium. T. 15. C. 2. N. 1. usque ad 6.

11. *Domine da mihi hanc aquam.* Voces sunt mulieris adhuc imperfectæ, quia tam citò extorquet præmium a Deo, quem adhuc nullis meritis sibi devinxerat. Quod Deus nobis proponat ante meritum, est signum immensæ generositatis ejus: at quod nos velimus executionem præmii, antequam obsequia & labores præstiterimus, est innatæ nostræ rusticitatis indicium, quapropter eam necesse est corrigere, si Deo placere cupiamus, quia optat Deus servos suos ab omni cupiditate lucri alienos, adeò ut solummodo satagant ei servire, etiamsi nullum eis foret dandum præmium, & quo magis ex amore ei servire studuerimus, eo majorem nobis præparabit coronam. Tract. 10. Consid. 1. N. 1. & sequent.

12. *Vade, voca virum tuum* Noverat Christus illam non habere maritum, sed scortatorem & adulterum, sed voluit hac interrogatione mulierem inducere ad confessionem, quæ est dispositio in primis necessaria, ut aquam gratiæ condignè recipere valeamus: nequaquam igitur rejicienda est confessio peccati, in qua remedium salutis nostræ continetur. Et quemadmodum repudiare confessionem, fovet justam Dei indignationem, ita etiam delicta confiteri, conciliat nobis gratiam illius, & diminuit pœnam peccatis debitam. T. 12, C. 4. N. 1. & 4.

13. *Reliquit ergo hydriam.* Egregia sanè consequentia mulieris conversæ, nimirum reliquisse insignia peccatricis, & instrumenta culpæ: *Lagenam dereliquit impudica,* ait doctus Origenes, Conversiones, quæ non verè valedicunt instrumentis peccatorum, vanæ, & suspectæ sunt & proximæ relapsui. Hanc ob causam Doctus quidam Modernus, prædixit Lazaro in ipsa

prima

prima resurrectione recedivam, & secundam mortem; *Prodiit*, sacro attestante eloquio, *qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata*; sicque dimisit illum Christus: *Sinite illum abire* Aliter ipse Salvator resurrexit, quia reliquit in sepulchro linteamina & sudarium: *Vidit linteamina posita, & sudarium*. Vultis scire differentiam, & causam illius? quia Lazarus resuscitabatur denuo moriturus, ideoque congruum erat, ne sudarium, &c. relinqueret in sepulchro: cæterum quia Christus resurgebat non amplius moriturus, reliquit omnia in sepulchro, in signum immortalitatis suæ. Scio igitur Christiane, quamdiu in te, reperta fuerit occasio peccandi, & fueris quodammodo impeccabilis, non es verè resuscitatus, quia vera conversio ita elongat hominem à peccato, ut non solum ei adimat vires ad peccandum, sed etiam quasi impotentem reddat ad peccatum. T. 19. C 4 N. 5.

14. *Reliquit hydriam, & abiit in civitatem.* Premit singulari acumine S. Augustinus in hac muliere connexionem inter relinquere hydriam, & prædicare adventum Christi, in quo advertit veram resignationem terrenorum in ministro Evangelico. *Quod autem relictâ hydria discessit mulier, non negligenter prætereundum est: Hydria enim amorem sæculi significat; id est cupiditatem, qua homines de tenebrosa profunditate, cujus imaginem puteus gerit, hoc est, de terrena conversatione hauriunt voluptatem; oportebat autem, ut Christo adhærens sæculo renunciaret, & relicta hydria, cupiditatem sæcularem dereliquisse demonstraret: projecit ergò cupiditatem, & properavit annuntiare veritatem: Discant, qui volunt Evangelizare, ut prius hydriam ad puteum dejiciant.* Non sunt veri ministri Evangelici, qui excellentia ministerii sui utuntur ad lucrum, nam in hac Samaritana perfectus prædicator adumbratur, qui ab omnibus mundanis debet esse expeditus. T. 12. C. 5. N. 8. T. 21. C. 4. N. 5. & Feria præcedenti N. 5.

Dominica IV. Quadragesimæ. Ioan. 6.

1. Abiit *Iesus trans mare Galilææ.* Transmutatio illa de loco ad locum, inquietudinem quamdam sonat ortam ex immensa charitate Dei, qua impellitur ad quærendam in omnibus utilitatem, & profectum nostrum, ait Theophylactus: *Transit de loco ad locum provocando populi voluntatem, & avidiores homines uniuscujusque civitatis, & solicitiores reddens: unde sequitur, sequebatur eum multitudo magna.* Male excipitur ab hominibus in Civitate, & ideo vadit ad campum, ut nos ibidem quærat, & inde iterum redit ad requirendum homines, nulla eum retardat ingratitudo, O perduellis hominum conditio! ô immensa Dei benignitas, quæ ad majorem rebellionem, impensiorem ostendit benevolentiam! Agnosce ergo Christiane eminentiam amoris Dei tui, & moveat te saltem gratitudo debita ad eum benevole excipiendum, cùm tua voluntas nondum te excitet ad quærendum eum. T. 6. C. 3. N. 3 & 4 & T. 26. C. 1. M. T. 8 C. 4. Q. T. 6. C. 1.

2. *Et sequebatur eum multitudo magna.* Notate unam singularem circumstantiam in hac sequela, quæ dissonat à communi, & usitata in hoc mundo, antequam enim sequamur Deum, multis nos debet clamoribus, & præceptis attrahere, & compellere, & ne tunc quidem illi respondere dignamur, & ecce in hodierno Evangelio introducitur hæc multitudo sponte sequens Christum, quod est singularissimum amoris spontanei argumentum, Deoque acceptissimum; idcirco etenim Ioannes præ cæteris promeruit titulum, & elogium dilecti, quia ubi Petrus expectavit mandatum Christi: dixit *Petro sequere me*, Ioannes non vocatus illum secutus est: *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Hodie nullas audimus voces vocantis, & videmus turbam sequentem, & forsitan, quia vidit tam avide sequentes, permotus pietate sua, contulit illis beneficium, quod postea impetrarunt, quia tanta animi promptitudine non vocati sequebantur. Si ergo illis in favoribus similes evadere velimus, imitemur eorum celerem promptitudinem, præveniendo ipsa Dei mandata Tract. 3. C. 1.

3. *Sequebatur eum multitudo magna propter signa, &c.* Ponderantur hæc verba. T. 9. C. 5. N. 7. ubi probatur, quod nulla alia re Christus majorem sibi conciliaverit applausum, & sequelam, quam signis, & operibus misericordiæ, ubi enim videbant alia patrantem miracula, fugiebant ab eo, exercentem autem opera pietatis omnes catervatim sequuntur Vide, & applica.

4. *Sequebatur eum multitudo magna propter signa.* Ecce, quomodo hic populus degenerat ab innata sua nobilitate in rusticitatem, propter motivum sequelæ, ait S. Chrysostomus: *A signis magis movebantur, quod grossioris mentis erat* Generose incœperunt, & turpiter spe lucri finierunt Quod sequerentur Christum non vocati heroicum fuit, sed ipsum sequi attendendo miracula, grossities quædam fuit; ideo diserte dixit Seneca, eos qui proprio inhiantes commodo alium sequuntur, non mereri nomen amicorum, sed usurariorum, quia propter commodum suum vendunt alteri suam sequelam, & magis comitantur suam ambitionem, quàm personam: *Prædam sequuntur, non hominem.* Animus igitur ab omni prætensione, seu lucro alienus, est verus index amicitiæ;

citiæ, & ille comitatur ut amicus, qui non est lucri cupidus. Semper curiosa fuit quæstio, in quo Isaias dignoverit Angelos illos assistentes throno Dei, & expansis alis cantantes laudem ejus fuisse Seraphim, & non alios; neque enim ex concentu, neque ex assistentia discerni potest potius Seraphim fuisse, quàm Angelos, cum ambo eodem fungantur munere. Vultis scire in quo? Quia Seraphim significant amicum Dei, & uti tales assistebant hi Seraphim. Sed quomodò manifestarunt suæ voluntatis propensionem? Dicam, alis suis velabant faciem Dei, & nihilominùs æquè animosè volabant: *Duabus velabant, duabus volabant*, sed hoccine quid singulare est? Imò, vel maximè, nam si videre faciem Dei, est præmium Angelorum: *Semper vident faciem Patris mei*, occultare hoc præmium, & velare faciem Dei, absque respectu præmii, sufficienter indicat illos esse Seraphim, qui talia agunt, quia nullum est evidentius argumentum ardentissimæ amicitiæ, quàm assistentia sine spe, aut cupiditate lucri, non sicut hi in Evangelio, qui sequelam suam motivo commodi sui commacularunt. T.10.C.1.N.1 & seq.

5. *Subiit ergò in montem, & ibi sedebat cum Discipulis suis.* Ex omnibus solus Christus, & Discipuli ascenderunt in montem, quia decens erat, ut secundum gradus virtutum, etiam loca distinguerentur, & quia hic ordo non servatur apud eos qui vitam profitentur spiritualem, ideo etiam parùm proficiunt: *Quòd enim turbis in inferioribus relictis, ad altiora cum discipulis ascendit, ostendit, quòd simplicibus minora præcepta sunt committenda, perfectioribus altiora*, ait egregiè Alcuinus. Vellent quidam primis diebus tyrocinii vitæ suæ spiritualis super cœlos volare, & montem perfectionis conscendere, & est stulta quædam præsumptio, quia in via virtutis pedetentim, & lento gressu incedendum est, neque statim ad summum perfectionis verticem evolandum. Remaneant tyrones ad pedem montis in sequelâ Christi, & ascendant soli Discipuli cum Magistro, & sit nobis exemplum, ne præmaturè summum perfectionis culmen ambiamus. Tract.14.C.1.N.1 & seq.

6. *Cùm sublevasset oculos, & vidisset, quia multitudo, &c.* Instruit nos hæc actio præsentissimum medium videndi necessitatem temporalem, eique succurrendi, esse elevationem oculorum in cœlos, quia in illis reperiemus omnia necessaria ad sublevandas miserias nostras. Non vult Deus nos curam nostri abjicere, & titulo vitæ contemplativæ necessitatem pati, sed cupit ut in se spectantes, ita negotientur, & agant ea, quæ sunt salutis, ut corporalia non impediant profectum spiritualem. Voluit Noë certior reddi, num terra appareret, & sacra referente Historia, Genes. 8. *Aperuit Noë tectum Arcæ, aspexit, viditque quòd desiccata est superficies terræ.* Hæc autem diligentia accommodatior erat ad videndum cœlum quàm terram; hæc namque melius poterat perlustrari per fenestram, per quam columba evolaverat, detegere verò tectum non nisi ad aspiciendum cœlum serviendum. Quid igitur mysterii? Nullatenùs meliori modo poterat Noë cognoscere terram, quam per cœlum, quia tanto securiores erimus in rebus terrenis, quantò diligentiores solicitaverimus cœlestia. T.14.C.1. N.7.8.9.& 11.

7. *Unde ememus panes?* Nolite existimare, inquit S. Chrys. interrogationem hanc ex ignorantia natam: *Non quidem ignorans, id quod debebat ab ipso dici, sed sicut, qui scrutatur corda hominum, nō ostendit ignorantia; cunctationem, sed certissima cognitionis, ita cùm hic interrogat, non aliud ânit, quàm, quod sciebat certissimè.* Itaque juxta S. Chrysostomum, Salvator simulans ignorantiam infinitæ suæ sapientiæ conciliat opinionem. O quantum differunt sapientes hujus mundi, qui dedignantur alios interrogare, aut consulere, ne ipsa interrogatio suam manifestet inscitiam: cùm tamen ipsa sapientia divina magis interrogando, quàm respondendo eluceat. Examinat Angelicus Doctor S. Thomas admirationem, & stuporem illorum Doctorum legis, in quorum medio duodennis Salvator sedebat; & dilucidè sacram Scripturam exponebat: *Stupebant autem*, inquit S. Lucas cap. 2. *super prudentia, & responsis ejus.* Movet autem dubium S. Doctor, quonam modo hæc cohæreant, cùm paullò antè dixerit: *Invenerunt illum sedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem*, interrogare autem erat magis argumentum ignorantiæ, quam sapientiæ, ecquid ergò admirantur? Appositè S. Doctor, numquam luculentius potuisset Salvator suam ostendere sapientiam quam sub forma interrogationis, imo magis, quam si respondisset: *Interrogabat non ut addisceret, sed ut erudiret, quòd ex uno fonte doctrinæ manat interrogare, & respondere sapienter.* Interrogare, & scire, idem est ac docere, uti solent magistri in scholis, ut ignorantes instruantur, etiam usitatum est inter Angelos, fecit Deus ut homines eorum exemplum imitentur. Tract.7 Consid. 1. N. 6.

8. *Ut manducent hi.* Ecce normam Christianæ charitatis, quæ non est contenta proprio commodo, sed sollicitè studet alieno, id est, verus Christianus non solum suam, sed etiam fratrum suorum quærit commoditatem. Proculdubio Apostoli laborabant fame, & forsitan ipsemet Christus, & tamen ubi agitur de sublevanda necessitate, ad omnes attenditur, imo primum locum sibi vendicat indigentia cæterorum, antequam de propria, aut suorum tractetur. Non intelligatis hoc de remedio materiali temporalium necessitatum, sed potissimum de subventione spiritualium. Non debet quispiam contentus solus esse sanctus, sed allaborare ut etiam reliqui evadant perfecti, nam valdè imperfecta est charitas, quæ sibi soli

soli servit, nam excellentia ejus in communicatione sui consistit. T 10. C. 2. N. 1 & seq T. 15. C. 2. N. 6. & seq. M T 7. C. 1.

9. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.* Communis opinio sacrorum Interpretum est, Christum in hac necessitate consuluisse Philippum de modo subveniendi esurientibus, & famelicis, quia hic Apostolus oriundus erat ex illa Provincia, & popularis, seu conterraneus omnium ferè eorum, qui Christum sequebantur & quia notitiam habebat dispositionis illius patriæ, in primis idoneus ad succurrendum tantæ necessitati: sed omninò contrarium accidit, quia ipse præ cæteris, maximè judicavit impossibile remedium. Ad confirmandam communem experientiam, nimirùm, propinquos, & amicos, à quibus maximè sperare deberemus omne auxilium, illos communiter vehementiùs nos impedire in via virtutis. Non aliam ob causam arbitror Salvatorem mandasse, ne sinistra sciret, quid dextera ageret, quàm ut periculum præveniret, quod ex vicinitate, & propinquitate utriusque manus oriri poterat, ne scilicèt una alteram impediat in eo, quod exequi decrevit. Experientia itaque edocti cautè, & prudentes evitemus consilia parentum, & amicorum, dum nos à bono divertere student, quia sæpius sub specie cognationis, damnum, & ruina nostra occultatur. T. 11. C. 2. & Q. T. 1. C. 3.

10. *Facite homines discumbere.* Si in pane significetur Verbum Dei, & auditores sunt comedentes, magnum mysterium fuit; quod illud comederint sedendo, ut prodessent; nam nihil prodest transeunter audienti Ea, quæ sunt Dei, & salutis, serio, & magna attentione, & nequaquàm perfunctoriè peragenda sunt. Valde notandus est stylus, quo Spiritus sanctus describit conversionem S. Pauli: *Et cùm iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum lux de cœlo.* Non fuit casuale, quod appropinquaret Damasco cùm eo tenderet, sed casu contigit, ut lux eum cœlestis circumfulgeret. Dicatur ergo, *contigit, ut circumfulgeret eum lux de cœlo*, & non, *contigit ut appropinquaret Damasco.* Attendite, mysterium reserabo, noluit Spiritus sanctus appellare casualem lucem e cœlo venientem, ut securiorem redderet conversionem Pauli; si enim casualis fuisset lux, non secura, & indubitata fuisset conversio, quæ casu contigerat, sed casualitas omnis ex parte proficiscentis Damascum exprimitur. Sedeant igitur, & discumbendo comedant panem, quem eis Salvator distribuit; hoc siquidem modo proderit eis ad salutem. Tract. 14. C. 1. N. 10. & Mar. Tract. 7. C. 5.

11. *Fregit, & distribuit.* Considerate, inquit S. Ambrosius, panes, qui ante fractionem erant quinque, post distributionem fuisse innumeros; ut sciatis in computu Dei idem esse distribuere, ac multiplicare, & nullo modo melius vestras facultates posse multiplicari, quàm distribuendo: *Vides incomprehensibili quodam ritu inter dividentium manus multiplicari particulas, & frangentium digitis sponte sua fragmenta surrepere.* Neque aliud continet mysterium ænigma illud Samsonis, hactenus minus intellectum, quam, quod pauper manducans cibum nostrum, causa sit, quod nos cibum, & escam habeamus: *De comedente exivit cibus.* Videtur vobis hoc Græcum esse, sed est veritas Catholica. Pauper dat tibi manducandum, hoc ipso, quod tuum cibum manducat, & facultates, quæ reservatæ exiguæ sunt, distributæ in opera charitatis multiplicantur. Marial Tract. 16. Consid 3. Num. 6 & seq.

12. *Vt facerent Regem.* Cùm charitati ex justitia debeatur corona, & maxima fuerit misericordia, quam Christus his impendit dando cibum esurientibus, etiamsi nullum alium Regni titulum habuisset, hic superabundans fuisset. Tract. 8. C. 1. N. 1 & 2. Consid. 2. N 5. Lege. & applica.

13. *Fugit in montem.* Vide hæc verba T. 21. C 2. præsertim N. 6.

14. *Fugit in montem solus.* Magnam desolationem patitur Christus in montibus, in Thabor reperietis solum post gloriæ manifestationem, & hic post manducationē & in ambobus locis eandem reperio causam, Quamdiu Salvator utens sua omnipotentia ibi se ostendit gloriosum, & hic divitem, ibi multiplicans lucem & hic panes undique multis cohonestabatur sociis, & amicis: at verò mox ut reperiit paupertatem, omnes illum deseruerunt, quia nec ipse Christus immunis evasit ab infortuniis, quibus passim pauperes obruuntur, omnes enim illos torvo vultu intuentur, & maxima pietas, quam illis impendunt, est eos deserere, & utinam eos non persequantur! Quoties lego Acta Apostolorum, toties mihi risum movet causa, quam S. Lucas assignat cap. 4. Cur Apostoli illa temporis tempestate fuerint omnibus grati & accepti: *Gratia magna erat in omnibus illis*, ecquid ita S Evangelista; *Neque enim quisquam egens erat inter illos.* Itaque quia nullus egenus erat inter illos, omnes eos optimè afficiebantur. Quid igitur mirum, quod Christum denuò pauperem factum nemo sequatur, sed omnes deserant, qui anteà divitem & munificum catervatim sequebantur. T. 1. C. 2. & Vide Evang. Dom. 2. Q. N 9. Vide, quæ ibi citantur.

Feria IV. Post Dominicam 4. Quadrag. Ioannis 9.

1. *Præteriens Iesus.* Curiosius observat S. Chrysostomus hos gressus Salvatoris, & admiratur pietatem Domini, quòd præveniens necessitatem illius cæci, singularem misericordiæ suæ munificentiam ostenderit: *Studiosè venit ad opus sui manifestativum, ipse enim vidit cæcum, non cæcus ad eum accessit.* O quot molestias subit Deus, ut te peccatorem convertat! ne abutaris ergò ipsius benignitate, & cùm nolis eum quærere, saltem benignum, & affabilem te exhibeas in recipiendo ad te venientem, quia Deus contendit vincere rebellem tuam voluntatem, & emollire duritiem tuam. T.6.C.3.N.3.& 4. T. 26. C.1. Vide Feria 6. præcedenti. N. 2. & seq.

2. *Præteriens Iesus vidit cæcum.* Non est mirum, quòd Christus quærat cæcum ad restituendum ei visum, quia hæc actio non habuisset speciem divinæ, nisi Dominus eam urgente sua misericordia exercuisset. Quærere pauperem ad succurrendum ei, merito vocatur pietas; quam enim clamores necessitatis excitare debent somnolenta est, & imperfecta. Ideo consulebat Apostolus Paulus Discipulis suis, ut non solùm exercerent, sed etiam ut quærerent occasionem faciendi opera misericordiæ: *Hospitalitatem sectantes*, judicans flaccidam esse charitatem, quæ non quærit miserias sublevandas, perfectam verò quærere, & prævenire occasionem subveniendi. T.8. C.1 N.6. & 7. & alibi sæpe.

3. *Præteriens Iesus vidit*: Operatur Christus hoc illustre miraculum, quasi per transennam, occultans suam solicitudinem, quia sancti nolunt virtutes suas propalari: *Quasi per transennam, non ex industria, & consultò tantum facinus esset perpetraturus, sic Christus, & ejus veri sequaces magna exambiunt opera occultare, & quasi diminuere*, inquit Doctus quidam Commentator in Librum Iudicum. Resuscitavit Iesus filiam Archisynagogi, & ut celet magnitudinem miraculi, mortem appellat somnum: *Non est mortua puella, sed dormit.* Non solùm quia potentiæ ejus perinde erat puellam dormire, ac mortuam esse, sed quia cupiebat admirationis causam tollere, significans eam esse expergefactam, non resuscitatam. Hoc est ingenium Sanctorum, ex humilitate suas occultare virtutes, & in applausu semper timere periculum. T. 6. C.1. N. 6. T. 21. C. 2.

4. *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum.* Rapuit attentionem Christi necessitas hujus cæci, quia pauper erat; nam si dives, & potens fuisset, forsitan non tantam habuisset illius curam, quia solent majores, & divites parum curare ea, quæ sunt Dei, & salutis: *O mirabilis Dei clementia*, ait S. Chrysostomus, *eos, qui mendicabant cum multa devotione curabat, & hinc Iudæorum os obstruens, quoniam non præclaros, non insignes, neque Principes, sed ignobiles, sua dignos ducebat providentia.* Valdè ingrata est devotio nobilitati, non enim videtur nobilis, qui rerum cœlestium curam gerit, & cum Deus suos favores nostris accommodet dispositionibus, non judicat illis dignos potentes, & divites, quia tàm parvi faciunt ea, quæ sunt maximi momenti. T.15.C 3.N.6.& Dom. præcedenti N 2. vide citationes ibi positas.

5. *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus?* Quamvis prima fronte præceps videatur interrogatio, attentè tamen considerata non solum non est temeraria, sed prudentissima: *Diligenter intuenti, non apparet simplex hæc quæstio*, inquit Theophylactus, & si causam nosse vultis, audite Chrysostomum, ita differentem: *Venerunt ergò ad hanc interrogationem, quia priùs supra paralyticum curans dixit: Ecce sanus factus es, non ultrà pecces: illi igitur cogitantes, quia propter peccatum fuerat ille paralysi resolutus, quærunt de isto, si hic peccavit.* Quia viderunt Apostoli supplicia, indagarunt flagitia, existimantes pœnam veluti necessariam consequentiam culpæ, ac proindè prudenter interrogarunt, num cæcitas illa foret effectus alicujus delicti, aut criminis, sed dolendum est, quod dolor non solum sequitur peccatum, sed peccatũ & dolor prorsus idem est. Non mihi credite, sed audite Davidẽ, qui experientia edoctus, idipsũ disertè affirmat: *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Ps. 7. Notate peregrinum loquendi stylum, quia cum non sit distinctum id, quod concipitur, ab eo, quod partu producitur, iniquitas debet esse, quod concipitur: quia igitur affirmat Regius Vates, concipit dolorem, & parit iniquitatem? Sed quis vobis dixit dolorem, & iniquitatem distingui? Non est dubium, quin partus edat in lucem conceptum: sed neque ambigendum quin dolor, & peccatum non differant, ac idcircò unum rectè per aliud explicatur, & idem est dicere, peccatorem concipere pœnam, ac culpam. Ne ergò admiremini, quòd Apostoli videntes hunc cæcum infirmitatibus, & miseriis circumdatum, inquirant de peccato ejus, quia dolores, & pœnæ semper fuerunt Echo culpæ, & peccati. T.26. C.1. Vide M. T. 6. C 2. N.6. & Q T.16. C.4.

6. *Me oportet operari opera ejus qui misit me.* Dicite, amabo, quæ, & qualia sunt opera quæ Christum oportet operari? Accipite Venerabilis Bedæ responsum: *Opera ejus sunt infirma salvare, debilia roborare, homines illuminare.*

minare. Dicerem ego, potius nostra interesse, quod Christus ea perageret? sic est, sed tantus est amor ejus, ut necessitatem, & obligationem suam nuncupet id, quod solum est congruentia, & utilitas nostra. Imò eo tempore, quò non operatur, & nobis benefacit, non vult vivus reputari: quia omnis, & tota vita ipsius in benefaciendo consistit. Ingeniosè contraponit Episcopus Chrysopolitanus, Sabbathum, seu diem septimum, in quo Deus requievit post mundum fabricatum, Sabbatho, quo requievit in sepulchro: *Fortè igitur dictum est, Dominum requievisse in die septimo ab operibus suis, quia sexta Sabbathi reddidit spiritum, & Sabbatho requievit in sepulchro.* Putavit Doctus Pater, Sabbathum, in quo Deus cessans ab operando, destitit benefacere mundo, non differre ab eo, in quo fuit mortuus, in sepulchro, quia operari est adeo proprium Deo, ut velit mortuus haberi, ubi quiescit, idcirco nolite mirari Christum dicere: *Oportet me operari*, quia non minus ei convenit operari, quàm vivere. T. 15 C. 2. N. 6. & seq. & Fer 6. præd. N 2.

7. *Expuit in terram.* O quàm bellè manifestat hæc actio Christi claritatem, & perspicacitatem oculorum ejus, qui enim oculos habet pellucidos, facilè agnoscit terram, omniaque ejus bona non esse appetenda, sed expuenda. & soli cæci, quales nos sumus, ea æstimamus, quia ea minimà videmus. Ille, qui se excusavit, ne veniret ad cœnam, facto attestante Textu, quia villam emerat, prius illam sibi comparaverat, quam vidisset: *Villam emi, & necesse habeo videre illam.* Lucæ 14. quasi innuens ad dandum aliquid pro bonis terrenis, necessarium esse ea non videre, quia si antè viderentur. num. quàm ea emerentur, quia cominus inspecta potius sunt sputis execranda, quàm emenda. Idcirco Redemptor mundi, quia perspicacissimam habet oculorum aciem, expuit in terram, præbens nobis exemplum sequendum, nisi enim expuerimus, & repudiaverimus bona hujus mundi, nequaquàm cœlestia consequi poterimus. T. C. 1 & alibi sæpe.

8. *Vade, & lava.* Non absque fundamento suspicor Christum non illico restituisse ei visum, ne beneficii magnitudinem extenuaret, se ipsum ostentando benefactorem. Dum enim beneficium confertur, & illius largitor ostenditur, ipsum quodammodo offuscatur; quia innata indoles generosi pectoris non permittit, aut consentit beneficium evulgari, aut collatorem ejus propalari, quia hæc duo munus collatum commaculant, ita S. Chrysostomus meditatur: *Christus non aderat his, qui curabantur, non enim quærebat gloriam, neque se ostentare* Ideo igitur dimisit eum ad natatoria Siloë Seraphim illi ab Isaia visi, ut sacer loquitur Textus, velabant faciem Dei, vel ut alii legunt, velabant suam: *Duabus velabant faciem ejus*, & Hebræus, *faciem suam*, & ambæ lectiones, quamvis juxtà sonum oppositæ videantur, attamen egregiè instituto nostro serviunt: cum enim illi cœlestis aulæ cives throno Dei assisterent, & secundum S. Bernardi opinionem alis suis illum adornarent, noluerunt Deum videre, aut ab illo videri, ut obsequium præstitum à se undequaq; illustrius redderetur, quod fit dum nec faciens, aut illud exhibens videtur, nec ille cui præstatur agnoscitur. Ne igitur cæcus coram Christo visum recuperet, ne author miraculi propaletur, quia nullum majus tormentum excogitari potest, aut inferri generoso pectori, quàm sua beneficia palam manifestari. T. 14. C. 4. N. 3 & Fer. 6. post Dom. 1. Quadrag. N. ultimo.

9. *Alii dicebant, quia hic est, alii nequaquàm.* Non est mirum, ait S. Augustinus, varias fuisse opiniones circa personam cæci, quia oculi aperti immutaverunt vultum ejus, & visu recepto magis decora effecta est facies ejus: *Aperti enim oculi vultum mutaverant:* O quàm evidens argumentum conversionis est, quòd nulli peccatorem ampliùs agnoscant, quia impossibile est aperire oculos gratiæ, sine immutatione vitæ. Tam dissimilis enim, & mutatus debes apparere per pœnitentiam, ab eo, qui antea eras per peccatum, ut vixdum te esse hominem discernere valeant, & si secus feceris, signum est te adhuc cæcum esse, &c. T 19 C 4. M. T. 1. C. 5. & Quadr. T. 2. C. 2.

10. *Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodiat.* Vbi S. Chrysostomus. *Malitiosè, quod factum est silentes, æstimatam prævaricationem in medium ferebant, ut scilicèt occasionem contra eum invenirent, & ut detraherent miraculo, per æstimatam legis prævaricationem.* Itaque ut calumniam suam firmarent, fuco religionis adornarunt invidiam suam, & sub titulo observantiæ Sabbathi, magnitudinem miraculi calumniando labefactare nitebantur Hoc videtur advertisse acutissimus noster Cajetanus, in verbis illis Apostolicis: *Induite armaturam fidei, quia non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, sed adversùs Principes, &c. & contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Notate, inquit Cajetanus, quod non dicat sanctus Paulus: *Contra spirituales nequitias, sed contra spiritualia nequitiæ. Habent enim nequitiæ carnalia, habent & spiritualia.* Quædam nequitiæ habent adhuc aliquid spiritus, in eo, quod suam dissimulent malitiam, & contra has oportet nos armari armatura Dei, quia cum appareat earum malitia sub habitu non proprio, sed divino, antequam sentiatur impetus, jam illatum est damnum, & solus Deus, aut is qui vere novit Deum, potest hujusmodi tela prævidere, ne feriant, Hoc movit risum S. Basilio Seleuciensi in Herode, qui sub titulo servandi juramenti factus est tortor, & occisor Sanctorum. *Papalò prodigiosam tragœdiam! jurisjurandi religionem fingit Herodes.* Et Pharisæi hujus Evangelii titulo obser-

vantiæ Festorum, murmurant contra miracula, & bona opera Christi, ut virus invidiæ suæ emovere valeant, dicendo Salvatorem non custodire Sabbathum. Non est crudelior hostis, quàm qui calumniam suam zelo divini honoris aut amicitiæ occultat. T. 7. C. 2. N. 7. & alibi.

11. *Et schisma erat inter illos.* Non mirum, quia mali semper divisi inter se, uniti tamen ad calumniandum, & lacessendum injuriis Christum, & cæcum. Hic scopus discordiæ peccatorum, conspirare contra justos, tumultuari inter se, & uniri contra alios. Vnde David bominabatur pacem impiorum: *pacem peccatorum videns*, jam toties expertus concordiam malorum contraria. T. 7. C. 2. N. 6. post Dom. 2. Quadr. N. 9.

12. *Vocaverunt parentes ejus & interrogaverunt.* Ecce inquit S. Chrysostomus, impiam crudelitatem Iudæorum, ipsos parentes volunt cogere ut vel deponant contra filium, vel non agnoscant ut talem, vel saltem testentur ipsum non fuisse cæcum: *O iniqui! quis pater eligeret talia mentiri de filio. Quomodò ergò nunc videt? Quasi dicant*, prosequitur Theodoretus: *aut hoc falsum est, quòd nunc videat, aut primum, quod cæcus fuerit, sed constat hoc esse verum, quod videat, falsum ergò fuit, quod cæcum eum dicebatis.* Ecce quàm egregiè philosophetur invidia, aut quales efformet syllogismos, ut in opinionem suam aliorum rapiat affectus. Et pessimum est, quod hi parentes timore perculsi, licet non negaverint filium, non tamen defenderunt miraculum, totam difficultatem remittentes in filium: *Ætatem habet, ipse loquatur de se.* O timidi parentes, quia potentior est in vobis timor, quàm amor naturalis! O crudeles Iudæi, qui ad formandam sententiam contra hunc pauperculum ipsos parentes citatis in testes! O crudelissima impietas! O afflictissime cæce! omnes te deserunt, imò & persequuntur, qui tamen juxta naturæ leges tibi favere, & auxiliari deberent. T. 11. C. 3. N. 5. & 6. & Dom. 1. Quadr. N. 4.

Feria VI. post Dominicam 4. Quadragesimæ. Ioan. 11.

1. ERat quidam languens Lazarus. Introducitur hic amicus Dei infirmus, ut infirmitas, quæ habet speciem supplicii, eum reddat timidum, & anxium, an forte languor ille ex peccato proveniat; & quamvis sæpius tribulationes non imitantur propter peccata facta, incutiunt tamen timorem, & securiorem reddunt virtutem, quæ talibus anxietatibus mirum in modum solidatur, timentes enim justi Deum deinceps non offendere, novo animi fervore conantur studiosius illi servire. T. 6. C. 1. & Feria 4. post Dom. 3. Quadrag. N. 7.

2. *Miserunt ergò sorores ad eum.* Vixdum ursit eas non propria, sed aliena necessitas, quin statim accurrerint ad Christum pro remedio, præbentes nobis exemplum, qualiter debeamus recurrere ad Deum in necessitatibus animarum nostrarum, non expectando, quod Deus nos quærat, sed præveniendo orationibus nostris ejus clementiam, & misericordiam. Non semper debet Deus nostras sollicitare voluntates, sufficit, quod nobis assecuret remedium: ne ergò velimus ipsum procari voluntatem nostram, sed potius cum nostra agatur res, præveniamus nos quærendo eum, & non sperando, donec ipse nos roget, & importunius quærat. T. 3. C. 1. & Dom. præced. N. 4. Vide Citationes ibi positas.

3. *Ecce, quem amas, infirmatur.* S. Augustinus probè noscens Dei indolem, statim ubi audivit amorem nominari, intulit veluti consequentiam infallibilem ipsam ægritudinem, seu Languorem Lazari, existimans abundè sufficiens esse pignus infirmitatis ipsum voluntatis affectum, quo Christus Lazarum ejusque sorores prosequebatur. *Ille languens, iste tristes, omnes dilecti.* Sponsa ubi aliquando audivit pulsum ad januam suam, certo sibi persuasit Sponsum esse, & non alium, qui pulsaret, unde & in has prorupit voces: *Vox dilecti mei.* Et S. Bernardus non solum reprehendit nimiam ejus arrogantiam, sed etiam mendacium: unde enim sibi persuadere poterat Sponsum esse, & non alium? Insuper, si Sponsus solummodo pulsaverit ad ostium, qui potuit illum ex voce dignoscere? *Vox dilecti mei.* Sed, ô quàm prudenter cogitavit Sponsa, ait mellifluus Doctor, quia alius ab illo, non ictibus pulsaret, sed blanditiis provocaret: *Vox dilecti mei pulsantis.* Mundus, & Dæmon, ait S. Bernardus, *non pulsat, sed palpat*, veluti hostes inter delicias occultant offensas; Deus autem alias non habet voces, quibus se manifestat, quàm verbera, & ictus, quibus nos ferit, & affligit; rectè igitur Sponsa dignoscit Sponsum suum ex pulsu, & meritò Martha, & Maria memorem, seu certiorem reddunt Christum amoris, quo diligebat Lazarum, tunc languentem. T. 20. C. 2. N. 1. & seq. M. T. 10. C. 3. & Quadr. T. 11. C. 4.

4. *Ecce, quem amas infirmatur.* Notate, ait S. Augustinus, quod proponentes infirmitatem, non postulent sanitatem: *Non dixerunt veni, & sana, non ausi sunt dicere, ibi jube, & hic fiet, sed tantummodò, ecce, quem*

quem amas infirmatur. Totum attribuit S. Doctor confidentiæ sororum in amore Christi erga Lazarum fratrem earum, quapropter prosequitur S Augustinus: *Non enim amas, & deseris.* At verò existimem ego, non petiisse illas, ut sanaret, sed reliquisse totum ejus voluntati, quia timebant beneficam ejus indolem offendere, scientes enim ipsum esse maximè proclivem ad benefaciendum, noverant simul ipsum ægrè ferre, quod quis roget, ut faciat: injuriam namque infert ipsius generositati, qui sua oratione conatur ejus misericordiam prævenire, hocque est lædere innatam ejus pietatem, quia non reputat misericordiam, quæ clamoribus, aut precibus extorquetur, sed quæ sponte sua sollicita quærit necessitates, quibus succurrat T. 8 C. 1. N. 6. & 7. Quadr. T. 5. C 1.

5 *Lazarus amicus noster dormit.* Revocate in memoriam titulum, quo ipsum indigitant ægrotantem, & statim videbitis consonantiam, quam habet cum titulo, quo mortuus describitur: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Amicus erat Lazarus, quando sanus, quando infirmus, & simul amicus, quando mortuus, velle amicitiam Dei in morte, qui fuit inimicus ejus in vita, non solum stultitia est, sed etiam summa amentia similis Balaam, qui cum perversissimus fuisset in vita, voluit mori ut sanctus: *Moriatur anima mea morte justorum.* O fallacia! Habes Christiane in vita tua prognosticon mortis tuæ, si illa fuerit composita, erit hæc pacifica, & tranquilla. Eapropter regius vates secundum opinionem S. Chrysostomi, ut nos doceat petere à Deo fœlicem mortem, monet nos ut bonam vitam rogemus: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, quasi non posset ejus omnipotentia malam vitam concludere bona morte, & profectò, quamvis possit, nequaquam id facit, ut semper cautè vivamus, & certò sciamus tales fore exitus nostros, quales fuerint introitus nostri, ne ergo malè viventes speremus benè mori. T. 27. C. 1. N 6. & 7. Quadrag T. 14 C. 4.

6. *Lazarus amicus noster dormit.* Similes mortes manifestant cæcitatem nostram, quia quot titulis vigebat vita Lazari, tot etiam brevitas & inconstantia nostræ ostenditur. Cum enim amicus Dei, nobilis, & adolescens non potuerit evadere jurisdictionem mortis, ecquæ dementia erit nos æviternos reputare, numquam morituros? Serviat nobis veluti speculum mors Lazari, juvenis, nobilis, &c. T 28. in exordio, & Consid 1. N. 1. & seq

7. *Vado, ut à somno excitem eum.* Premite, inquit S. Chrysostomus, Salvatorem dicere, ut à somno excitem; *Non dicit, vado, ut resuscitem eum, vanam gloriam ubique nos fugere docens* Hoc genium est humilium nullam actionum suarum magni facere, sed omnes viles reputare, scientes applausum exteriorem esse permaximè nocivum virtutibus, quapropter eas abscondere satagunt, ne propalatæ evanescant. Tract. 6. Consid. 1. Num. 6. & T. 21. C. 2. & feria præced. Num. 3.

8. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Flaccida sanè, & tenera adhuc erat in Martha fides, & fiducia, utpotè, quæ omnipotentiam Dei limitato termino, & loco concludere volebat, teste Theodoreto: *quasi diffidens, quoniam etiam absens, si vellet, posset prohibere mortem fratris sui*; quando defectus fidei dissimulatur sub specie devotionis, maximè indignatur Deus, quia inferunt ei injuriam, & illam veluti religionis obsequium venditant. Non aliam ob causam carpit S. Chrysostomus Nicodemum, quando consideravit eum tot impensas in aloë, & myrrha facientem, ad ungendum Christi corpus, nam tametsi superficies actionis videatur devota, & pia, non tamen fuit valdè Catholica, altius considerata; quia manifestum est centum libras myrrhæ, & balsami fuisse superfluas, & minimè necessarias ad ungendum corpus, quod solo triduo, & absque corruptionis periculo erat mansurum in sepulchro, quapropter omnis ille apparatus indicium fuit modicæ fidei illius circa resurrectionem Salvatoris, si enim firmiter credidisset eum resurrecturum, numquam tot præparamenta adversus corruptionem accersisset; idem prorsus contigit Marthæ, quæ titulo desiderii præsentiæ Christi, ejus potentiam infringit, & extenuat, quam offensam prætextu devotionis occultatam ægerrimo fert animo. Tract. 7. Consid. 2. Num 7. & Vide Feria præced. N 10. & citationes ibi adductas.

9. *Abiit, & vocavit Mariam.* Vbi perpulchrè advertit S. Cyrillus: *Doluit Salvatoris præsentiam sororem suam latere, & eam hujus boni participem efficere studuit*; ille qui ardet igne charitatis divinæ, neutiquam contentus est sua propria sanctitate, sed omni conatu allaborat, ut omnes serviant Deo, eumque cognoscant; quoniam cum Deus sit communicativus sui, tribuit hanc conditionem, & indolem iis, quibus assistit; ac proinde, qua parte anima est verè sancta, ea etiam se diffundit, & gestit suam aliis communicare perfectionem. T. 10 C. 2. N. 1. & seq. T. 15. C. 2 N. 7. & seq. T 21. C. 1. N. 3 & Vide M. T. 7. C. 1.

10. *Vbi posuistis eum.* Quia mors Lazari formam habebat supplicii & pœnæ, Christus simulat se non solum non causasse eam, sed etiam ignorare eam, quia adeò contraria sunt ejus pietati similes afflictiones, ut malit potius periclitari scientiæ suæ perfectionem, qua omnia cognoscit, quam incurrere opinionem, quod illas permitteret. Quidquid non est benignitas, & clementia alienum est ab ingenita indole Dei nostri, qui non

inter rigores, sed favores vitam ducere videtur T. 14. C. 4. N. 4.

11. *Domine iam fœtet.* Nonne dolendum est, inquit Origenes, quod pessimus ille fœtor cadaveris solas sororum penetret nares, quodque earum interrogationes, & diffidentiæ sint causa dilatæ resuscitationis fratris sui Lazari? *Mora tollendi lapidem adiacentem ex sorore defuncti causata est, nisi enim dixisset, iam fœtet, non diceretur, tollite lapidem.* Magna profectò infœlicitas est, quod semper profectus nostri majores patiantur difficultates ab ijs qui eos promovere deberent, commune enim est amicos, parentes, & vicinos semper maiorem remoram injicere virtutibus nostris. Tract. 11. C. 2. & Vide Dom. præced. Num. 9.

12. *Lazare veni foras.* Hæ voces Christi ad Lazarum in sepulchro, tibi dictæ sunt, ò peccator, ut exeas è statu peccati, & auferas lapidem verecundiæ, qui tibi os obstruit, ne delictum confitearis, exurge ergò per pœnitentiam, *veni foras*, ait magnus Papa Gregorius, *ut ab excusatione, & occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire provocetur, ut qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à semetipso foras exeat per confessionem. In aperienda conscientia per confessionem, tota vita,* & salus tua consistit, ne ergò differas confiteri, si desideres vivere, scias enim, quod per confessionem non solum te exoneres peccato, sed etiam diminuas, & extenues pœnas, ad quas es condemnatus, tales namque imminutiones causat Dei misericordia per pœnitentiam; ut te à peccatis ad gratiam avocet: verùm si in tua obstinatione persistens occluseris os tuum, jam tibi æternæ parantur pœnæ, quia non miseretur Deus pœnitentiis negativis, sed iis, qui cum dolore sua peccata revelant. Tract. 12. Consider. 4. N. 1. & 4.

13. *Sinite abire.* In signum quod Lazarus verè viveret, præcepit ei Iesus, ut abiret; & evidens argumentum novæ vitæ peccatoris, est ut eadem experientia comprobet suam vitam. Qui vixdum absolutus à peccatis, statim reincidit, aut relabitur in eadem peccata, ne dicat se vivere, quia hæc per ambulationem, & progressum manifestatur: ut igitur aliquis verè possit affirmare se resuscitatum ad gratiam, adeò elongatus debet esse à culpa, ut quodammodo impeccabilis videatur, & donec se talem non repererit, nequaquam se vivum reputet. Tra. 19. C. 4. N. 5. Vide Quadrag. T. 9. C. 1. N. usque ad finem.

Dominica in Passione Ioannis 8.

1. Q*Vis ex vobis arguet me de peccato* Ad probandam divinitatem Christi nulla alia erant necessaria testimonia, præter hoc unum, quod audeat vere dicere, se immunem esse à peccato; ut appositè explicat Origenes: *Habet hoc verbum Christi magnam fiduciam, cùm nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit, nisi solus Dominus noster, qui peccatum non fecerat.* Sanctitas etiam perfectissima, nequit canonizari in hac vita, quia quamdiu homo vivit, mille exponitur periculis. Hic videtur scopus verborum Christi præcipientis discipulis: *Neminem per viam salutaveritis* Quæ verba licèt inurbanitatem, & morum inhonestatem sonent, aliud tamen mysterium continent, juxta expositionem Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ, *Neminem per viam salvum dicatis, cùm adhuc damnari potest, dum est in via.* Si igitur Salvator se à peccato immunem reperit, satis superque probat se non esse purum hominem, quia nullus homo purus, quantumvis perfectus, donec perveniret ad patriã, potest esse de sua sanctitate securus. T. 6. C. 1. T. 18. C. 3. N. 1. Vide Feria 4. post Dom. 3. Quadrag. N. 7. & M. T. 9. C. 2. N. 9. usque ad ultimum.

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tota divinitas Christi necessaria fuit, ut viventem inter peccatores nullus eum alicuius criminis arguere posset, quia tam pestiferum est contagium peccati, ut solus Deus queat inter peccatores non timere infectionem pestis illius: atque ideo Christus propalans suam innocentiam, stabilivit suam divinitatem, quia hæc sola potest esse antidotum conversandi cum peccatoribus absq; periculo. Hanc ob causam S. Chrysostomus, videns Christum ad sanandum leprosum illum, contingere manu Lepram eius, symbolum peccati, illico cognovit Salvatorem voluisse confirmare suam divinitatem, quia nullo modo potuit efficacius probare se esse Deum, quàm tangendo peccata & non inquinari ab illis: *Lex iussit non tangere lepram, quia non poterat facere, ut lepra non sordidaret tangentem: vetuit ergo tangere lepram, non ut leprosi non sanarentur, sed ut tangentes non inquinarentur: iste autem tangens non inquinatus est à lepra, sed ipsam lepram mundavit tangendo.* Solius Dei privilegium est securè commorari in vicinia peccati, qui verò Deus non est, nedum conversando cum illo, sed etiam illud videndo periclitatur. T. 28. C. 2. N. 4. Vnde etiam ita justi permiscentur peccatoribus, ut ad discernendum hoc ab illis, necessaria sit oculorum Dei perspicacitas; adeò periculosa, & noxia est vicinitas peccati, ut impe-

dias

diat splendorem innocentiæ, eamque vestiat specie peccati, & recurrendum sit ad oculos Dei, qui eam ab hoc distinguant, & secernant. Tract. 15, Consid. 4. Num. 4.

3. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ecce aliud divinitatis Christi argumentum, non minus certum, quam præcedentia: nimirum, quod Salvator non recusset sua opera examinari, & opinionibus hominũ exponi, quo pacto bona esse comprobantur, si enim mala forent sub tenebris latere, & non videri optarent. Quamquam enim Sancti, ait S. Thomas, non operantur ut videantur, attamen non timent videri, quia primum est operari ut humiles & secundum, ut peccatores, & hoc modo componuntur duo præcepta Salvatoris prima fronte opposita, etenim cum uno in loco mandaret discipulis suis: *Ne videaris hominibus ieiunans*, in alio eidem consulit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Ac si diceret, ait S. Thomas ex S. Hilario, agite dissimulanter, non tamen cum timore, non appetere videri, sed non timere, quia non minus spectat ad vestram humilitatem occultatio operum vestrorum, quàm ad æstimationem vestram manifestatio eorumdem, quia non timere videri, eorũ probitatem attestatur: *Non quod ab hominibus oporteat gloriam quærere, sed ut dissimulantibus nobis opus nostrum, his, inter quos vivimus, in honorem Dei eluceat*. Idcirco igitur Salvator opera sua cuiuslibet censuræ exponit, ut bonitatem eorum, in ipsa propalatione manifestet: nam sicuti nullum est evidentius signum opus aliquod esse suspectum, quàm quod latebras, & obscuritates quærat, ita contra nullum fortius indicium bonitatis illius est, quàm quod nullius refugiat examen. M. T. 17. C. 2. N. 5. & seq. & feria 6. præced. N. 7.

4. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* O mi Deus, responsio ad manum est, quia ad credendum, oportet prius audire: *Fides ex auditu*. Illi autem quibuscum loqueris, quia proceres sunt, & Magnates Iudææ, nunquam audiverunt veritatem, siquidem neque ullus ausus fuit eam ipsis prædicare, neque ipsi illam audire voluerunt: qui igitur credent, quod nolunt audire? Rara profectò est indoles nobilium, quod existiment se degenerare à vera nobilitate, nisi occludant aures veritati. Apposita est huic instituto observatio sancti Gregorii Magni, circa diversitatem modi, quo Deus recèns natus se patefecit Pastoribus, & Regibus: illis namque Angelum destinavit, qui eis loquatur, his verò stellam dedit ductricem, & quamvis Reges forent sapientiores Pastoribus, & per consequens capaciores Verborum, nihilominùs disposuit divina Majestas, ne verbis innotesceret Regibus, sed solis pastoribus. Et ratio est, quia cum mysterium revelandum esset unum ex præcipuis veritatibus fidei nostræ, & Reges, seu Principes sint adeò incapaces audire veritates, manifestò exponebatur periculo mysterium, ne crederetur, si fides illius solis verbis committeretur. Vtatur ergò Deus mediis suspectis ad cognoscendas veritates, qualia sunt stellæ mutæ, quæ non debent audiri, & forsitan hoc modo facilius ad credendum induceretur. Adeo insuetæ sunt aures Principum audire veritates, ut magnos Deus impendat labores ad disponendum eos ad credendum T. 25 C. 3. N. 6. & alibi.

5 *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Nolite decipi, inquit S. Gregorius, cogitantes vos satisfacere obligationi filiorum Dei, præbendo aures verbis eius, & refugiendo exequi, quæ illa dictant facienda, quia hoc est operibus negare, quod auditu admittitis: *Profectò verba Dei non audit, qui hæc exercere in opere contemnit*, id est, operibus debet Christianus comprobare se esse ex Deo, & non ex Dæmone. Vnde prosequitur idem Sanctus, *Interroget se unusquisque, si verba Dei aure cordis percipit, & intelliget unde sit.* Parum refert audire Verbum Dei, si opera dissonent. Imitari debet Moysen verus Dei filius, & negare se esse filium dæmonis, ad modum, quo ipse negavit se esse filium filiæ Pharaonis. T. 12 C. 2 N. 1.

6 *Nonne benedicimus nos, quia dæmonium habes?* Dum Salvator, teste S. Chrysostomo, majora ederet suæ divinitatis indicia & argumenta, per admirabilem doctrinam suam, in execrandam prorumpunt blasphemiam, attribuentes verba eius stultitiæ, & instigationi dæmonis: *Cùm aliquod altum diceret, hoc apud Iudæos, qui valde insensibiles erant, insania videbatur, ut ex eorum responsione colligitur.* Certè dedecens & ignominiosum est tali censura carpere verba, quæ audiunt, & non intelligunt. Neque contradixit Christus Dominus huiusmodi maledicis detractionibus, dum sua calumniantur opera, ut nos non ægro feramus animo dicteria, quibus nostra aliquando à caninis dentibus lacerantur, & vituperantur. Eapropter, Christiane, flocci facito cognomina, quæ peccatores aliquando virtutibus imponant, quia improperia sunt, & numquam securius operaris, quàm dum eorum in te provocas murmurationem, tuncque censendæ sunt tuæ actiones esse prudentes, quando mundus eas ut insipientes condemnat. T. 8. C. 3. N. 3. & seq.

7. *Nonne benedicimus nos, quia dæmonium habes?* Dicite, quæso, quid vidistis in illo tali censura dignum? An forsitan, inquit S. Petrus Chrysologus, loqui de Deo, & vi verborum suorum attrahere corda hominum ad cœlestia, est antecedens, ad inferendam consequentiam, *dæmonium habes*? Quale igitur nomen ei attribueritis, si audieritis blasphemantem, qui sic sancta proferentem calumniamini? Idem noster [illegible] hisce disertissimis verbis: *Iudicium* [illegible]

præjudicata confundit, quod vult, non quod audit. Qui detrahunt, sicuti hi, non attendunt in censura sua qualitatem aut conditionem operum, sed linguarum suarum exonerationem, & quia hæ solummodò malè loquendo alleviantur, maledicunt, sive fuerit malum, sive bonum, de quo id effutiunt. Tamque gratum ferculum murmurationis ipsorum sunt justi, & probi, quàm mali, & improbi; licet enim hi inter se toto cœlo differant, comparati tamen ad eos, qui ex officio, & depravata consuetudine murmurant, idem prorsus objectum constituunt. M. Tract. 17. C. 2. Num. 4. & alibi.

8. *Ego dæmonium non habeo.* S. Gregorius: Ecce injuriam suscipiens Deus non *contumeliosa verba respondet.* Permittit Deus inferri nobis injurias, ut magis eluceat patientia nostra, & defraudabit Dei voluntatem delectatione, qui in sufferendis injuriis patientiam amiserit. Ecqui enim præbuisse Christus specimen divinitatis, nisi blasphemiis lacessitus, indignationem dissimulasset? & tu quomodo vis Christianus reputari, si ad primam injuriæ molestiam illico patientiam excutias, & ad primos ictus, quibus lux tuæ mansuetudinis elici debebat, flammas indignationis emittas? Scito igitur, & esto certus, Deum virtutem tuam examinare per tolerantiam, teque exponere occasionibus patiendi, ut, qualis sis, agnoscat. Æquo igitur animo, & stomacho suscipe, & digere injurias tibi illatas, & te verè Christianum comprobabis. T. 13. C. 1. Vide Evang Feriæ 6. post Dom. 1 Quad N. 6.

9. *Ego dæmonium non habeo.* Rectè illis respondisset, vos dæmonium habetis. Optimè recordor, ô Domine, quod Pharisæis improperantibus, & accusantibus discipulos tuos parvæ observantiæ traditionem, illis objeceritis: *Quare & vos*? quomodò ibi tanta indignatio, & hic tanta patientia, nonne hic bellè quadraret unum: *quare & vos*? ad confundendam eorum nequitiam, & defendendam tuam innocentiam. Eia inquit S. Chrysostomus, non capitis mysterium, sentit Salvator injurias non suas, aut sibi factas, sed suis illatas. *Erudiens nos, ea quæ ad nos, despicere.* Id est, docens nos, plus dolendum esse de offensis in proximum commissis, quam nobis illatis. Mira sanè res, & peregrina, quòd in extremo illo judicij die, quo Deus æternæ mortis infligit malis, & reprobis supplicia, bonis verò, & prædestinatis vitam interminabilem, neque his, neque illis det præmium, aut supplicium propter opera charitatis, quæ fecerunt suæ Majestati, sed propter ea, quæ in proximum contulerunt: *Esurivi, & dedisti mihi manducare*, reprobis autem: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* At respondent ambo, se numquàm vidisse eum esurientem, aut sitientem, &c. Ita est, inquit Dominus, sed eram ego in proximo vestro: *Quod uni ex his fecistis, mihi fecistis.* Premo mysterium. An forsan tam parvi momenti, & valoris sunt actus fidei, cæterarumque virtutum Theologicarum, qui solum Deum immediatè habent pro objecto, & nullam respiciunt creaturam, ut remaneant sine præmio, & actus oppositi sine supplicio & pœna? Agedum omnia condigno remunerantur præmio, & promeritas luunt pœnas; gratificatur tamen Deus beneficiis, præsertim proximo præstitis, & ulciscitur injurias suis illatas, insinuans se potius dolere vices suorum, quam proprias. T. 13. C. 3. N. 3 usque ad 6.

10. *Ego autem gloriam meam non quæro.* Quàm evidenter patet, illi gloriam [illegible], qui eam sollicitè ambit; nam rectè obtinetur, fugiendo, quia hæc est pœna ambitionis, incurrere despectum, quando vehementiori studio venatur applausum. Hinc Sancti studiosius procurant virtutes suas abscondere ne videantur splendore suorum operum auram captare popularem, qui tamen nonnisi Dei honorem quærunt, ut Christus de se commemorat, & maximè gaudent peccatores haberi. hoc perspectum habentes, quòd ubi gloriam affectant humanam, ibi etiam se debita Deum privare gratitudine, & gloria. T. 12. C. 2.

11. *Tulerunt ergo lapides.* Verè vos stultos ostenditis, non solum jaciendo lapides, sed etiam jaciendo in eum, quem lædere non potestis. Ecquæ major dementia, quam lapidem lapide percutere? hoc est periculum ambire; nam si percussus lapis resistat, & percutientem repercutiat, lædit jacientem. Ita sanè contingit in Christo, inquit S. Hieronymus, ipse lapis est singulari gaudēs privilegio, quòd lædi nequeat, & impetum sibi facientes repercutiat, vulneret, & lædat, quemadmodum evenit hisce Pharisæis, nam Christus illæsus evasit, & ipsi confusi remanserunt. T. 12. C. 3. N. 1.

12. *Jesus autem abscondit se.* Excusat Sanct. Augustinus Salvatorem a timore, quia non fugit ab illis, sed solummodò oculos eorum obtenebravit: *Non autem abscondit se in angulo templi quasi timens, & in domunculam fugiens, vel post murum, aut columnam divertens, sed cœlesti potestate invisibilem insidiantibus se constituens.* At scitamus, cur Salvator effugerit hanc occasionem mortis, cùm semper pro nobis vitam, & sanguinem profundere desideravit, Egregiè Alcuinus, quia *ipse non elegerat hoc genus mortis.* sed denuò urget [illegible] dubitandi: quid igitur habebat hoc genus mortis ardentissimo desiderio Christi Domini contrarium? Dicam quod sentio, fuisset injuria illata voluntati, & desiderio ejus moriendi, si simili violentia, jam executioni mandata, priusquam præventa vitam finiret, neque videretur mori volens, si mors ipsa præveniret Christum, & ipse Christus illam non quæreret: idcirco igitur fugit lapides mortem allaturos, & [illegible] sponte

sponte quærit Crucem, in illa moriturus, ut nos instrueret, tanto magis fore meritoria tormenta, quanto magis voluntaria, & hoc quod est, ambire tormenta ad patiendum, & offerre seipsum in sacrificium, maximi roboris esse & generositatis, idque Deo esse acceptissimum. T.10. in exordio T.11.C.3.N.2.& 3.

Dominica VI. Post Dominicam in Passione Ioan. 10.

1. F*Acta sunt encœnia.* In hac renovatione Templi adumbratur spiritualis renovatio animarum, quam quilibet Christianus non solum semel, sed millies, & singulis instantibus & momentis sibi procurare debet, quotidiè aspirans ad cœlestia: *Satagas tu quoque* inquit Theodoretus, *spirituales encœnias tui templi celebrare, semper renovãdo teipsum, & ascensiones in corde tuo disponens.* Nullus debet sistere aut pedem figere in via virtutis, sed continuò pergere, & novos progressus instaurare, quasi jam de novo inciperet, hac namque solertia virtus maximè conservatur. T.19.C.1.

2. *Facta sunt encœnia, & hyems erat.* Non casu, sed dedita opera notatur hic tempus, quod nobis prædicat, quando debeamus facere has renovationes, & si illud perdamus, non superest aliud, ad quod recurramus: *Dum hyems imminet*, ait idem Theodoretus, *id est, vita præsens turbinibus iniquitatis concussa, satage tui Templi encœnias celebrare. in sæculo enim futuro nemo renovationis solemnia perficere poterit.* Nequaquàm differenda est pœnitentia ad ultimam vitæ periodum, quia præter difficultatem habet insuper annexam incertitudinem, nam sæpius multitudo delictorum occludit viam confidentiæ, & præ nimia anxietate prius nos consideramus damnatos, quàm mortuos: audite quam egregiè id describat Regius Vates, ad instructionem nostram: *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis* Psalmo 17. jam haud dubiè advertistis inconcinnam horum verborum connexionem, nam prior est mors, quam infernus, vel gloria, prius amittitur vita, quam nobis præmium aut pœna detur. qui igitur David præponit infernum morti? Fuit sanè hæc salutaris instructio nostra, ne differamus pœnitentiam, quia in ultimo agone mortis, adeò multiplicantur angustiæ, ut prius morienti occurrat damnatio, quam mors, & qui nondum desiit vivere, jam se ad patiendum condemnavit, ac per consequens prius amisit confidentiam, quàm vitam: quæ cùm ita sint, non est procrastinanda emendatio vitæ, sed dolore plangenda culpa peccati, & hæc est salutis æternæ maxima securitas, &c. T 6.C.5.N.3.& 4 T.1.C.1.N.4.

3. *Hyems erat, & deambulabat Iesus.* Exercitio deambulationis frigus expellitur: sed vehementer admiror, quod cum frigus sit defectus noster, quos carentia amoris divini frigidos, imò & congelatos reddidit, ipse Dominus solicitus de remedio agat ad depellendum frigus nostrum: sed non mirandum est attenta amoris ejus inquietudine, qui non solum confert nobis salutem sed etiam diligentiam adhibet & media quæ nos conferre debebamus, lacrymas namque quas homo fundere deberet, transfert Deus in se, & luget seu plangit, ne homo affligatur, ambulat, ut homo quiescat, omnes enim labores & fatigationes ejus sunt initium quietis nostræ: nequit major fieri charitas, quam ut alienas miserias veluti suas deploret. T.21.C.3.N.4. usque ad 8. Tract.1.C.3.T 2.C.3. Et Vide Evangel. Dom 1. Quadr. N 9.

4. *Ambulabat in porticu Salomonis.* Foris ambulabat, quia dedignabatur intrare Templum, quod sacrilegi Sacerdotes occupabant, qui turpitudinẽ lucri & ambitionis suæ illud commaculabant, ita enim ægrè fert Deus peccata eorum, qui tot titulis debent esse boni, & sui, ut nolit intrare domum eorum, ne cogatur laxare frænum justitiæ suæ, eos condignis suppliciis punire, nã revera defectus & peccata eorum, qui Deo sunt consecrati, tantò majorem provocant Dei indignationem, quanto minus se totos impendunt Deo, seque dividunt & partim mundo, partim Deo serviunt. T.2.C. 2. N.5. & 4 T 12.C.3.N 8 & T 21.C 4.N.5. Vide Evang Feriæ 4 post Dom 3. Quad. N.5.

5. *Circumdederunt ergo.* Hæc circumdatio videtur Sancto Augustino similis illi; qua plures volentes concutere, seu dejicere murum aliquem, congregant tormẽta bellica, & undequaque ejaculantes illum solo adæquant: *Non accedebant prosequendo, sed premebant persequendo: opera enim eius in nullo incusare valentes, captionem quamdam ex verbis cupiebant invenire.* Contendunt mali confundere justos, & nullum non movent lapidem, ut eis vitam adimere possint, cùm enim in illa habeat iniquitatis suæ præconem & accusatorem delictorum suorum, omnibus modis moliuntur illam extinguere. T.25.C 2.N.1.& alibi.

6. *Circumdederunt ergò eum.* Ambulantem cingunt, ne progrediatur, repræsentantes personam multorum, qui rebelles divinæ voluntati, conantur Deum attrahere in partes suas, & non obedire, sed Deo imperare: *Circumdederunt*, inquit quidam Doctus Modernus, *ut innuatur ideò illos Christum circumdedisse, ut deambulationem cohiberent, & certò illum loco affigerent, id, quod etiam illi facere videntur, qui* Lex

Dei voluntati reluctantes, ipsum ad se trahere nituntur. Ex eo, quod Deus nos circumdet, nascitur promptitudo animi ad obediendum ei in omnibus, ex eo autem, quod nos circumdemus illum, nascitur econtra velle nos Dei inflectere voluntatem. Vixdum *circumfulsit eum*, puta Paulum, *lux de cœlo*, & statim subdidit se Deo: *Domine, quid me vis facere?* Circumdant hodie Pharisæi Christum, & statim in superbiam elati in has arrogantissimas prorumpunt voces: *Dic nobis palàm.* Imitemur igitur primum exemplum, & fugiamus secundum, nam suprema nostra fœlicitas in subjectione nostra consistit. T.6.C.2.N.1. & seq.

7. *Quousque animam nostram tollis?* Luctabantur illi cum timore & suspicione, num Christus esset quem ipsi putabant, & quia idipsum certò scire non poterant, mirum in modum discruciabantur, neque hoc miror: quia litigare cum timore alicujus mali, est crudelius tormentum, quàm ipsa mors. Ex his facilè componetis, quomodo Deus maximè afflixerit Adamum per minas mortis, relinquendo tamen ipsi vitam, & ratio est, quia cum Adam comedendo pomum vetitum incurrisset debitum mortis, & tunc cœpit illam timere, & coram Dei judicio, magis mortuus est Adam timore, quam ipsa morte: quia terribiliorem depingit ipsa apprehensio, quàm reipsa sit mortis illatio, uti perpulchrè sanctus Hilarius: *Angitur & excruciatur animus suspensione supplicii, & intelligens pœna faciliùs fert extrema quam dubia.* Pugnant hi Pharisæi cum dubio de persona Christi, timent, & suspicantur illum esse Christum, & donec non liberantur à dubio, magis se mortuos, quàm vivos reputant. T.5.C.3

8. *Si tu es Christus, dic nobis palam,* Non condemnemus omninò hos miseros, sed serio hanc interrogationem discutiamus. Interrogando igitur Christum, ut apertè loquatur, videntur quodammodo conciliare Christo majorem authoritatem, & opiniònem, quam homines communiter de illo concipiunt. Non amant peccatores lucem & claritatem, quia in tenebris reperiunt suorum criminum patrocinium & præsidium, quæ tamdiu vivunt donec non cognoscuntur, ideò qui vult tollere suorum operum suspicionem, ne ea subtrahat à conspectu & visu hominum, nam lux & claritas examinant bonitatem, & malitiam actionum. Hoc videtur expressisse mellifluus Doctor Serm. 64. in Cant. ubi dixit, ad destruendum peccatores, non esse opus eos occidere sed discooperire, quia idem est peccatum in lucem proferre, ac ea radicitus evellere: *Capite nobis vulpes parvulos,* non dicit, occidite, inquit S. Abbas, *quia malignitatis genus id proprium habet, ut agnitum; iam minimè noceat, ita ut agnosci sit illis expugnari, sufficit et proinde, si capiantur, qui hujusmodi sunt, hoc est si prodas, & deducas ad medium. Quippe quibus apparere perire est.* Cupientes igitur hodierni Pharisæi addere majorem vim & authoritatem virtuti Salvatoris, petunt claritatem & evidentiam, quasi judicantes securitatem virtutis consistere in aperto modo operandi. M T.17.C.2.N 5. & 6. Vide Evang. Dom. præced. N.5.

9. *Opera, quæ ego facio.* O Domine, inquit sanctus Chrysostomus, non petunt opera sed verba: *Dic nobis palàm.* quorsum ergo ad opera recurris; Sed quomodo se divinum probaret, nisi verba ipsius idem forent cum operibus: Idem est in Deo dicere ac facere, atque ideò ut testetur se loqui, operatur, & dum petunt verba reddit opera. T.8 C.4.N 6 T.21 C.4.N 5. Vide M.T. 4. C. 2.N 2 & 4.

10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* De modo fructuosè audiendi Verbum Dei; Vide Dom. præced. N. 4. cum citationibus ibi positis.

11. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Non est contemnenda observatio Ruperti super hæc verba: nimirum, quod Christus interrogantibus Iudæis, num esset Christus, quod idem sonat ac Rex, responderit sub nomine Pastoris ovium, vocans subditos suos oves: *Cùm secundum nomen Regium, de quo interrogabatur, respondere potuisset, dicere maluit secundùm nomen Pastoris, non estis ex ovibus meis.* O quam sublimis & apposita doctrina Regibus! quorum obligatio est, esse subditorum suorum Patres & Pastores, non vero Reges. Notate quæso, quod quando Christus Dominus in postremo judicii die introducitur Rex, *tunc dicet Rex,* nihilominus omnes illius subditi appellentur oves & hœdi: *Et separabunt oves ab hœdis,* ad insinuandum nobis, nunquam aliquem magis legitimè gaudere titulo Regis, quã quando subditorum suorum Pastorem agit. T. 27. C.5. & N T 2.C.2. & Quad. T 12. C.1.

12. *Propter quod opus me lapidatis:* Revera, Domine, non est conveniens tua mansuetudo furori Iudæorum, responde igitur animosè ne nimiam tuam lacessant patientiam Sed ignoscite, novit Dominus quid faciat, nam furor adversariorum melius compescetur patientia, quam vindicta, potius enim mansuetudine, quàm severitate reducitur peccator. Valde ingeniosè comparavit S. Hieronymus peccatores anguillis, quæ difficilius compressione apprehenduntur: *Sicut si velis anguilam strictu tenere manibus, quantò fortiùs presseris, tanto citiùs elabitur* Similes sunt peccatores, qui nimia austeritate non corriguntur, sed benignitate & affabilitate T.24.C.4.N.4. & Fer. 6. præced. N.10.

Feria

Feria VI. post Dominicam in Passione Ioan. 11.

1. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* A quanto tempore conveniunt peccatores in unum, cum maximè detestentur unionem & concordiam? Hoc præ cæteris deplorandum est, inquit S. Chrysostomus, quod omnes discordiæ peccatorum facilè cõcilientur, ut unanimes contra justum conspirent. Ecce, quàm uniti & conformes in hodierno Evangelio, totus tamen scopus concordiæ eorum est, Christum condemnare veluti mortis reum. Hæc sunt miracula invidiæ, ait Sanctus Petrus Chrysologus, confœderate corda, non uniformia in ordine ad nocendum proximo, mutant enim mores suos, dissimulant discordias suas, ut ficta quadam unione potentius lædant: *Iunxerat invidia quos disjunxerat disciplina, hic iam sua perdit iura zelus, iungit disiungere consuetus.* T. 7. C. 2. N. 6.

2. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Huc pertingere poterat nequitia horum nequam, cum enim consilium seu consultatio sit medium ad disquirendam veritatem actionum, ut testatur Spiritus S. *Ibi salus, ubi multa consilia,* hi in suo conciliabulo præcipitium invenerunt, & consultatio quæ solet esse mater fœlicitatis, lamentabilem eis peperit ruinam, Deo sic disponente, ut exitialior eis foret perditio, & duplicaretur eorum dolor dum tandem agnoscerent, se deviasse in prudentia, & consilio suo, seque damno suo expertos esse ruinam suam, ut alii suam lucrarentur fœlicitatem. Discite Christiani, ex hoc exemplo, non facere jacturam salutis vestræ, ubi alii suam consequuntur T. 7. C. 3. N. 7.

3. *Quid facimus.* Sunt hæ voces timentium, inquit Sanctus Chrysostomus, qui timore suo perculsi, non reperiunt suæ angustiæ solatium aut refrigerium, & inter dubias anxietates continuò timent periculum. Et reverà non potuisset divina justitia eos ad acerbius & crudelius condemnare martyrium, quàm fuerit illud, quod eis sua inflixit consternatio, nam in ipso consilio suo se subjiciunt timori pœnæ imminentis, quod est horrendissimum tormentum. Timent viventa Christo suum excidium & ruinam, si verò eum è medio tollant, verentur populi tumultum, & dum hæc inter se agitant, undique timore suæ perditionis & excidii concutiuntur, quæ anxietas non minùs perturbat, & commovet animum timentis, quam ipsa vitæ amissio. Tract. 5. C. 3. Vide Feria præcedenti Num. 7.

4. *Quia hic homo multa signa facit.* Attendite quæso, qualem allegent causam mortis Christo inferendæ. Ecquæ major dementia excogitari potest, quam palàm profiteri ipsum esse miraculosum, & ipsum damnare tamquàm malefactorem, *Est autem per ea, quæ ab illis dicuntur, considerare eorum insipientiam & cæcitatem, insipientiam quippe, quia testificabantur illum multa peregisse miracula, & tamen æstimabant se posse adversus eum æmulari,* dixit ingeniosus Origenes. Profitentur sanctitatem, & mortem ei moliuntur. At quid vultis? hoc est studium malorum, persequi eos, qui non sunt mali, & non alio titulo nisi quia boni: ita ut à crudelitate manuum & linguarum eorum neque virtus, neque improbitas sit immunis. O si audiretis, inquit S. Bernardus, Davidem tanta celeritate implorantem Dei protectionem & custodiam, putaretis ipsum alicui graviori delicto obnoxium, si tamen attentius causa tam ferventis orationis examinetur, non est alia quàm sanctitas ejus: *Custodi me Domine quoniam sanctus sum,* id est, nisi tu me protexeris, actum est de me, nã apud malos crimen mortis est illam non mereri. O infame studium peccatorum, quorum manus neque justi, neque injusti evadunt. M. T. 17. C. 1.

5. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Ecquid putatis? an fortasse illum occidendo fidem impedietis? Ecce quomodo passio invidiæ mentes vestras excæcat, nam industria vestra favorẽ devotionis Christianæ magis accenditis, quæ principia sua habuit in morte Salvatoris: *Persecutores igitur peregerunt,* verba sunt Gregorii Magni, *hoc quod perniciosè moliti sunt, intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem, sed fides inde crevit unde se hanc extinguere infidelium crudelitas credidit. Non enim ad pietatis sua obsequium redegit, quod contra illum humana crudelitas extorsit.* Evertit Deus media ab hostibus suis intentata, iisque ad majora divinitatis suæ testimonia usus est ad confusionem dæmonis, ejusque sequacium, ut addiscant Deum ex mediis suis ordinatis in perniciem, elicere majus dedecus & ignominiam malorum. T. 25. C. 2. N. 3. & seq. & M. T. 18. C. 2.

6. *Venient Romani.* Supremum malorum, quod poterant sibi à Romanis timere, inquit Sanctus Augustinus erat captivitas, quam tamen Christum occidendo non evadebant, sed potius peccata peccatis accumulando aggravabant, nam nulla crudelior captivitas dari potest, quam peccatorum vinculis constringi & detineri. Putant quidam esse hyperbolem Concionatorum, dicere, peccatorem illaqueari vinculis, & captivum teneri compedibus peccatorum suorum, sed audiant illi sanctum Augustinum id dilucidè meditantẽ, in eo, qui sine veste nuptiali præsumpserat accumbere mensæ, quẽ Rex jussit ligatis manibus & pedibus conjici in vincula. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores:*

briores. Vnde quæso, inquit Sanctus Augustinus, in domo nuptiarum tam facile ad manum haberi potuerũt funes, vincula, catenæ & compedes , quibus hic miser comprehenderetur? Accipite responsum verè S. Augustino dignum: *Non ergò esset unde ligarent illi manus, nec pedes, nisi ipse fecisset restem.* In Psalm. 130. Ipse restem fecit, & funes subministravit, quibus ligaretur, nimirum peccata sua ex quibus vincula & compedes ejus coaluerunt. Videte ergo quomodo Iudæi quærentes libertatem, incidant in majorem captivitatem. Huic propositioni suffragatur S. Thomas in cap. 18. Iobi hisce verbis: *Sicut ille qui sponte ponit pedem in rete, se praeparat captioni, sic ille qui spontè angerit ad peccandum.* Vel igitur fugienda sunt peccata, vel incidendum est in vincula. T. 26. C. 2. & Q. T 18 C 2.

7. *Venient Romani, & tollent locum nostrum.* Ad conservandum imperium suum temporale volebant Christum occidere, at eum occidendo utrumque perdiderunt, ut peracutè notavit S Augustinus: *Temporalia perdere timuerunt, vitam æternam non cogitaverunt & utrumque perdiderunt.* Ast quamvis execrabilis sit hæc malitia Sacerdotum, incomparabiliter tamen detestabilior est impietas Christianorum, quia illi intentarunt vitam auferre Christo, propter libertatem suam, quæ pluris æstimanda est, quam vita, ut indicat petitio Saulis. T. 5. C 3. N. 4. Nos verò Deicidæ sumus, quolibet peccato Deum quoad affectum occidentes. O quanto animi dolore ponderat S. Augustinus primum peccatum Adami protoparentis! Qui fieri potuit ut Deus tam levem offẽsam tam gravi supplicio puniret? Non est mirum, inquit Sanctus, qui non potuit corrigere unum desiderium inordinatum, jam dispositus erat ad gravius malum, scilicet ad vitam Deo auferendam. Pejores ergo sumus ipsis Iudæis, quia ob minorem causam alicujus delectationis Deo mortem intentamus. Vide T. 11 C. 2. N. 5 & potest applicari C. 1, T. 2.

8. *Venient Romani.* Sanctus Augustinus: *Timuerant quod nemo remaneret, qui adversus Romanos Civitatem Dei, Templumque defenderent.* Estne possibile, quod non forent contenti auferre bona, eosque captivos abducere; sed etiam Templum Dei essent profanaturi! O quomodo timor auget infortunia, & majorem apprehendit pœnam! Sed re attentius considerata non absque ratione timebant, quia illos esse milites apprehendebant, & non est malum, quod miles non attentet. Sanctus Bernardus in Epistola quadam ad milites, non solum appellat eos perditos & perversos, sed etiam ipsam perversitatem, reperiens in ipsa nominum consonantia, morum corruptionem: *Quis igitur finis, fructusve sæcularis huius, non iam dico militiæ, sed malitiæ.* Idem judicabat esse militiam, & malitiam: nolite igitur admirari, quòd Iudæi timeant Romanos Templum prophanaturos, quia profitentes militiam, induunt conditionem dæmonum, & ferme miraculum est, quod milites non solum non sint boni, sed etiam quod non sint perditissimi. T. 5. C. 2.

9. *Expedit vobis ut unus moriatur.* O quam strenua est ambitio! quas personas non induit, ut suo consulat lucro, & prætensioni: necessaria erat mors Christi, ne eorum commoda, & utilitates non impedirentur, existimabant enim post mortem illius nullum futurum, qui eorum refrænaret avaritiam, ideoque mortem Christi vendirant populo, veluti summè necessariam: *expedit vobis &c.* Sed utinam ambitio illa expirasset in Sacerdotibus illius ævi, & non pertingeret ad hæcce tempora! videmus namque plures convertere officia, & beneficia sua in turpe lucrum, volentes ut officium eis serviat non solum ad alimentum, sed etiam luxum, & ostentantes se comedi à zelo, qui tamen ex zelo comedunt aliena. Falluntur hi, quoniam verorum ministrorum est ßera est animum a rebus terrenis h bere alienum T. 12. C. 3. N. 8. T. 21 C. 4 N. 5. & T. 11. C. 5. N. 4.

10. *Expedit vobis ut unus moriatur.* Manifestum est omnibus, in sacris litteris idem esse, *unum*, & *primum*. *Factum est vespere, & mane dies unus, id est primus.* Hoc posito, idem erit dicere moriatur unus, ac primus. Premite igitur hanc doctrinam, quia salutarem continet instructionem, quia idem videtur, esse primum dignitate, & vitam amittere, & hoc innuit confusa illa sententiæ prolatio; *expedit ut unus moriatur*, & statim omnes id de Christo intellexerunt, nescio sanè, quid habeat mors cum Magnatibus, nam prætereuns humiles, sævit in majores. Ingeniosè advertit S. Alcimus, quod ne sex illi Angeli divinæ justitiæ ministri sævirent in servos Dei, necessarium fuerit imprimere frontibus eorum signum Thau, quod foret eis salvus conductus vitæ: ut refert Ezechiel cap. 9. *Signa Thau super frontes virorum*, ad occidendum autem omnes primogenitos Ægypti, cum uni soli Angelo esset data commissio, idque noctu inter tenebras, nullum datur signum, ut solos primogenitos occidat, & non alios, sed quid aliud signum requiritur, ubi sufficit esse magnates? inquit doctus Pater, nam ipsa excellentia eorum sufficiens erat, ut mors illos aggrederetur, & sine ullo errore eos attingeret:

Non hic luce opus est, longeque videtur,
Quem petit in tenebris praefixus funeris ordo:
Maiores natu pereunt.

Ad occidendum igitur illos, non egit mors ductore, quia ad magnates tam securè incedit, ut etiam in tenebris illos inveniat: ac proinde manifestum est hanc sententiam Iudæorum intelligendam fuisse de Christo, qui erat omnium primus. T. 28. in exordio, & C. 1 N. 1 usque ad 6.

11. *Expedit ut unus moriatur.* Rectè expedit Christo mori, quia justis vita est impedimento, & in morte suã reperiunt libertatem. Conveniens est, ut benè viventi mors acceleretur, quia licet mali illam diffamaverint, justi tamen illam læto excipiunt animo. T. 27. C. 1. N. 1. usque ad 4. & C. 2. ibidem.

Dominica in Ramis Palmarum. Math. 21.

1. CVm appropinquasset Ierosolymis. Lætus hic Christi ingressus in Ierosolymam, ubi novit sibi mortem paratam, non solum manifestat obedientiam ejus erga Patrem, & amorem ejus erga homines, sed etiam generositatem & fortitudinem pectoris illius, qua præveniens periculum sibi notum, non cecidit animo, sed potius ipsum tentavit periculum. Aggredi certamen cum certa spe victoriæ, plus habet vanitatis, quam fortitudinis, committere autem sese dubio mortis, aut victoriæ discrimini, generosum quidem est, sed adoriri pugnam, ubi certa est vitæ jactura, heroicæ est indicium fortitudinis. Ea de causa Iosephus de bello Iudaico, omnibus Ducibus Hebræorum præfert Saulẽ veluti omnium bellicosissimũ, quia admonitus à Samuele, de clade sua, non elanguit animo, sed magis animatus maluit generosè mori, quàm timendo, & hostem fugiendo, vitam salvare: *Qui cum certa victoria, incolumitatisque spe bellum aggrediuntur, posteaquam magnificum aliquid gesserint, non censeo meritò fortitudinis titulo insigniri. Quid enim magnum est communem mortis aleam subire, & inter spem ac metum fluctuando, si fortuna affulserit, favore eius uti? Contra nihil latum sperantem, & præscium quod necesse sit in pugna cadere, intrepidè tamen & imperculso animo, fato minanti occurrere, id generosi & fortis viri facinus censeo: hac est Saulis nostri laus.* Sit hoc maximè eminuit in Christo, qui aperta & clara scientia prævideras, etiam minimam suæ passionis circumstantiam; & nihilominus tanto desiderio lætus morti occurrit, & vitam conjuratis hostibus suis tradidit auferendam. T. 13 C. 2. N. 1. usque ad 4.

2. *Cum appropinquasset Ierosolymis.* Quamvis in adventu Christi situm fuerit omne remedium nostrum, tanta tamen est socordia nostra, ut non solum in eum conjiciamus impensas medicinæ nostræ, sed ut etiam velimus eum ad nos deferre medicinam, & nos quærere ad nos sanandum. Ingreditur ipse Ierosolymam, ut nobis pietatem suam offerat, & sanitatem præsentet, ita ut quod nos præstare deberemus, id misericordia ejus præveniens operetur. Vivacilla in perpetuas æternitates, quæ læsa hominum peccatis, non dedignatur quærere peccatores, non quidem ad puniendum, sed ad benefaciendum. T. 6 C. 3. N. 3. & 4. T. 26. C. 1. & Fer. 6. post Dom. 3 Quad. N. 1.

3. *Misit duos de discipulis.* Notate unde discedant, & quo vadant, quem deserant, & quem quærant, deserunt dulcissimum Magistri sui contubernium, & mittuntur ut solvant à vinculis duo jumenta. Ex quo desumite salutarem doctrinam, quandoque intermittendum esse familiare Dei alloquium in favorem proximi, laqueis peccatorum constricti. Primum enim est solum commoditas propria, & secundum utilitas communis, & non vult Deus nos adeò deditos esse proprio profectui spirituali, quin aliquando velit nos studere saluti proximorum. Addiscite idem ex illis Seraphim Isaiæ, qui cum essent ardentissimo amore Deo conjuncti, & jugiter ei laudes decantarent, statim ac perceperunt gemitus Prophetæ: *Væ mihi quia vir pollutus labiis sum.* unus illorum thronum Dei deseruit, & cantu illo divino, *Sanctus*, adhuc inter fauces hærente, avolavit ad consolandum tristem Prophetam, ejusque labia purificandum: *Volavit ad me unus de Seraphim.* Putabitis fortasse inurbanitatem fuisse, inquit Hugo, horum Seraphim, quod adeo propinqui Deo, deserant eum? verùm respondet non fuisse inciviltatem, sed maximam amoris excellentiam, quod ad tempus desererent Dei contemplationem, ad succurrendum nobis, noverant enim propter vicinitatem cũ Deo quàm gratum sit ei interdum intermittere suavem contemplationem ad medendum malis proximorum. Hanc ergò ob causam, tam promptè deserunt Apostoli societatem Christi, ut se impendant solutioni & liberationi illorum animalium verè peccatorem præfigurantium. T. 24. C. 1. T. 10. C. 2. N. 5 & alibi.

4. *Invenietis asinam alligatam.* Non tam admiror crudelitatem Dominorum, quam insensibilitatem horum animalium, quod peccatores jam experti molestias & ærumnas vinculorum peccati, & impiam tyrannidem Dominorum, quibus se subjiciunt, adhuc peccare velint, & vincula vinculis innectere præsumant. Non est dubium, quin Deus etiam suos habeat carceres & catenas, sed adeò leves sunt ut potius ad ornatum; quàm ad pœnam serviant, neque enim gressum retardant, sed promovent. Non mihi, sed Iobo credite dicenti: *Posuisti in nervo pedem meum.* & quid inde patientissime Rex? *Observasti semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Ecquid dicis Iob, te compedibus vinctum narrasti, & nunc affirmas Deum gressus tuos dinumerare? Eja nolite mirari, quia hæc est indoles vinculorum Dei, ut capiant, non molestent, neque aggravent pedes, quinimò eos expeditiores reddant. Æquo animo

apprehendite has catenas, & illas ipsa libertate suaviores judicabitis. T. 20. C. 1. N. 1. & T. 14. C. 1. N. 5. & alibi.

5. *Invenietis asinam alligatam.* Dicet peccator, captivum indigitari peccatorem, hoc solum esse flosculos rhetorices Prædicatorum, qui ad exprimendam fœditatem peccati, clamant illud esse vinculum, & catenam. Vtinam sic esset! Sed estote certi, Auditores, non posse excogitari crudeliorem tyrannidem, aut captivitatem duriorem illa, quam delectatione vestra coemitis, dum voluntariè crimen aliquod admittitis; quapropter omni tempore peccati lugete vos tamquam captivos, donec pretio pœnitentiæ, & gratiæ vos redimatis ex servitute peccati. Accipite S. Paulum id seriò monentem apud Ephesios: *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Id est, tempus amissum recuperate, inquit S. Paulus quia omne, quod non fuit consecratum virtuti, perdidit libertatem, & exigit ut per bona opera, quæ sunt lytrum captivitatis, redimatur. Omnes ergo peccatores captivi per bona opera debent redimi. Tract. 26. Consid. 2. Num. 1. usque ad 5. inclusive.

6. *Solvite, & adducite mihi.* Videte, quàm diversus sit stylus Dei à stylo mundi; hic ut te possideat, captivum detinet, Deus vero, ut te suum habeat, solvit. Paucis hoc perstrinxit S. Ambrosius: *Alieni alligant, ut possideant, iste solvit, ut teneat, vehementiora enim novit esse dona, quàm vincula.* Novit peroptime Deus, quantum valeat mansuetudo etiam in cordibus lapideis; ideoque ut sibi devinciat corda peccatorum, semper utitur blanditiis, & numquam austeritate, non dicit, *Scindite*, sed *solvite.* Nullæ voces sonant rigorem, aut supplicium, sed benignitatem, *adducite, &c.* T. 24. C. 4. N. 4.

7. *Solvite, & adducite.* Christus imperat, & Apostoli exequuntur; in qua actione describitur nobis authoritas confessariorum, quibus sua divina Majestas commisit liberare nos à vinculis peccatorum, quibus illaqueati hæremus: *Non poterat solvi, nisi iussu Domini. Solvit tamen manus Apostolica, talis actus, talis vita, talis gratia, ait S. Ambrosius.* Etsi Deus tantum veneretur ministros huius Sacramenti, ut in eorum præsentia nolit fungi eorum officio, ne eis debitum perdat respectum, quantum debent homines eos colere, non solum propter dignitatem, quam habent, sed etiam propter beneficia, quæ eis impendunt. T. 18. C. 4. N. 5.

8. *Quia Dominus his opus habet.* Notate verba antiqui Origenis: *Multi ergo erant Domini huius pulliantequam Salvator haberet necessarium, postquam vero ille cœpit esse Dominus, plures esse Domini cessaverunt, quia nemo potest Deo servire, & mammonæ.* Idem ergo debet esse servire Christo, ac totum se illi tradere, quia neutiquam possumus esse ipsius, si dividamur: præterquam enim, quod cor nostrum sit valde angustum ad excipiendum Deum, & mundum; est enim Deus valde Zelotypus, neque ullum potest admittere socium Tract. 2. Consid: 2. Num. 4. & Tract. 15. Consid. 2. N. 5.

9. *Quia Dominus his opus habet.* Contrarium facilius intelligerem, videlicet, nos egere assistentia & auxilio Domini, nam impendiis divinæ eius misericordiæ vivimus, & nutrimur, sed quorsum ipse nostra eget opera? Audite Origenem egregiè disserentem: *Necessarium autem habet Dominus pullum, quia cœpit nos solvere vinculis peccatorum.* Verùm instat adhuc dubium, quia condonare, & absolvere peccata, cum non sit ipsius Dei lucrum, sed commodum nostrũ, necessitas deberet esse ex parte nostra, & non Dei? Fateor quidem, nos vivere expensis, & beneficiis Dei, verum tamen est, etiam Deum vivere nobis benefaciendo, & non minoris momenti est vitæ meæ beneficium recipere, quàm Deo benefacere. Idcirco ambo patimur, si unus alteri defecerit, ego quia non fruor ejus beneficiis, ipse vero, quia non habet, cui ea impendat. Curiosius observat quidam Modernus, moram, quam Christus in mundo post resurrectionem suam protraxit, & perscrutans rationem, ob quam per quadraginta dies subtraxit cœlo suam præsentiam, & Angelis suum aspectum; ingeniosè respondet hanc dilationem fuisse potius restitutionem, quam beneficium: debebat Christus mundo quadraginta dies, quibus latuerat in deserto, hos igitur voluit mundo restituere post resurrectionem suam. Ast interrogo, nonne vivus fuit in deserto? Respondet prædictus Author, quod licèt reverà ei vita non defuerit, quia tamen tunc illam non habuit dedicatam utilitati nostræ, quia erat in solitudine, noluit se ipsum illo tempore appellare vivum, quo fuit solus, ideoque conversans cum hominibus quadraginta diebus jam gloriosus, recompensat absentiã suam in deserto, nolens computari tamquam dies vitæ, quos non impendit in utilitatem, & beneficium nostrum: *Vt quod per quadraginta dierum spatium hominum convictui in deserto subtraxerat, eisdem post resurrectionem suam eodem temporis intervallo compensaret.* Ex his deducite, quàm necessarij simus Deo, nam non non minoris, quàm vitam suam nos æstimat, quinimò se non vivere reputat eo tempore, quo nobis non benefacit. Tract. 15. Consid. 2. Num. 6. & Vide Feria 4. post Domin. 4. Quadrag. Num. 6.

10. *Et eum desuper sedere fecerunt.* Hoc violentiam quamdam sonat; nam cum hæc animalia sint symbola peccatorum, nequit Christus in illis sedere, quod actionem quiescendi significat, ideo ergo ad decotandam violentiam, quam Deus patitur in peccatoribus, describitur hic quasi coactè super animalia

hæc

e sedere, quasi nequeat Deus quiescere ubi est apparentia, seu umbra peccati. Vixdum Adamus peccaverat, & statim introducitur Deus ambulans, & qui anteà non noverat quid esset moveri, jam non novit quiescere, peccatum namque inturbat quietem Dei: *Post peccatum hominis*, ait S. Gregorius, *Deus jam non stat, sed ambulat*; ne ergo admiremini violentiam sessionis, quia nostis conditionem sedis, & si velitis Deum sedere in anima vestra, prius tollite omnem supellectilem peccati. T. 15. C. 3. N. 6. & T. 6. C. 3. N. 3.

11. *Et eum desuper sedere fecerunt.* Noluit Christus, teste S. Chrysostomo, in triumpho suo adhibere superba animalia: *Non super equos ferri voluit, ut nobis humilitatem commendaret.* Malè siquidem potuisset Christus, humilitas ipsa, quiescere in animalibus, quæ superbiam ostentant. Exaltate hanc doctrinam, eamque ad animam transferte; si noluerit Christus eques venire, quia equus superbiæ speciem habet; quomodò habitabit in corde non umbraticè, sed vere superbo? vel procurate humilitatem, vel scitote Deum apud vos non commoraturum, quia non soles Deus quiescere in loco, nisi qui fuerit humilitate exornatus. T. 15. C. 3. N. 1.

12. *Alii autem cædebant ramos de arboribus.* Conveniunt sacri expositores varia fuisse ramorum genera, quibus ingressum Christi condecorarunt, quidam erant rami palmarum, alii olivarum, ne ulla deesset circumstantia, quæ suam non præberet nobis doctrinam; neque hæc minoris fuit momenti; nam esse palmam intertextam olivæ, quarum prima symbolum est justitiæ divinæ, quia folia ejus formam habent gladii, seu ensis, & secunda, cujus fructus est hyeroglyphicum divinæ misericordiæ, apertè nobis insinuat, & monet, ut quamvis Deus ad nos veniat adeò benignus; *venit tibi mansuetus*, ut nobis offerat veniam peccatorum; non tamen abutamur ejus benignitate, nisi velimus experiri ejus severitatem. Per olivam igitur animat nostram pusillanimitatem, & per palmam refrænat nostram socordem negligentiam; ne igitur nimium confidamus, quia qui potuit nos sufferre per mansuetudinem, sciet etiam nos punire per justitiæ rigorem. T. 12. C. 4. N. 5. & seq.

Pro Concione boni Latronis. Lucæ 23.

1. Neque tu times Deum. Valdè laudandus est Latro, inquit S. Gregorius, quia nedum suæ, sed etiam alterius socii sui studuit commodo, & saluti: *Charitatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem, & collatronem pro simili scelere morientem, de iniquitate sua redarguit.* Hæc est conditio charitatis incensæ non posse solitariè vivere, sed se aliis communicare, ad excitandum in illis amorem Dei. T. 10. C. 2. T. 15. C. 2. per totam. Vide quæ supra diximus ad illud *Solvite & adducite mihi.*

2. *Nos quidem digna factis recipimus.* Cùm fecisset peccata, meritò dixit se digna factis recipere, quia inevitabilis pensio peccati tormentum, & tribulatio, ac proinde non est inquirenda causa adversitatum, ubi fuerint peccata, examinemus vitam nostram, & si in ea deprehenderimus offensam Dei, necessariò supplicia experiemus. T. 26. C. 3. & M. T. 6. C. 1. N. 6.

3. *Si tu es Christus, salvum fac te, & nos.* Nisi addidisset, *te*, non fuisset blasphema petitio, seu justa, & sancta, quia proprium est Christi Regis nos salvare. Testem advoco Davidem, qui priusquam Christo offerret Regnum, rogavit eum, ut subditos suos salvaret: *Salvum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ*, & post hæc optimè quadrat; *& rege eos, & extolle illos usque in æternum*, quia non merentur nomen Regis, qui non conantur benefacere suis. T. 27. C. 5.

4. *Hic verò nihil mali fecit.* Sufficiens fuit hæc tolerantia Salvatoris, inquit Tertullianus, ut Latro eum non solum sanctum, sed etiam divinum fateretur: *Patientiam hujuscemodi nullus hominum perpetrasset.* Et ratio est manifesta, nam sic Deus disposuit, ut inter persecutiones, & adversitates eminentia sanctitatis, & divinitatis elucerct: si vultis ergò divini apparere, injuriis ignoscite, & patientes estote. T. 6. C. 4. N. 7. & T. 23. C. 2. Vide Dom. in Passione N. 7. & Quadr. T. 2. C. 6.

5. *Nos quidem justè.* Ut veniam impetret, à detestatione peccati exorditur, aliter namque proceditur juxta S. Chrysostomum in Tribunali divino, ac mundano: *Aliud est homo censor, quem latent intima, aliud Deus, qui mentem penetrat, ibi post confessionem pœna subsequitur, hic autem confessio fit ad salutem*; id est, homo condemnat confitentem delictum, Deus autem absolvit se accusantem, negantes crimen, absolvuntur in judicio mundano, apud Deum vero negantes peccatum æterna mulctantur damnatione: ideò nisi velimus experiri divinæ justitiæ rigorem, confiteamur culpam nostram, ut Deus nobis parcat, & indulgeat. T. 12. C. 4. N. 1. & 4.

6. *Domine memento mei.* Præclara, & rara confessio, ait S. Chrysostomus, appellare Dominum, qui habitu rei, & delinquentis indutus apparet; *Crucifixum aspicis, & Dominum confiteris, condemnati vides figuram, & Regis prædicas dignitatem. Sed dicas video apparens opprobrium, sed intueor latens Regnum: si Discipulum veritatis usurpavit nequitia, Discipulum nequitiæ non commutabit veritas?* Sunt hæc stratagemata Dei ad confusionem hostium suorum, dum illi intentant opprobriis labefactare ejus authoritatem, simulque uno impetu for-

niam, & vitam ejus auferre. Eadem media ordinat Deus ad honorem, & majorem applausum suum dum maximè ab hostibus suis despicitur, & contemnitur. T. 25 C. 2. N 4. & 6. T. 20. C. 1. N. 8. Imo potest dici Latronem fuisse inflammatum ad colendum & reverendum Christum ex injuriis, quibus videbat eum affici de hoc Vide M. T. 16. C 1. & 2. quæ facilè possunt ei applicari.

7 *Domine memento mei.* Quidquid potuit, obtulit latro, nimirum cor, & linguam, illud enim affectu cognoscit, & hæc clamoribus confitetur: *In cruce*, ait sanctus Gregorius, *clavi manus ejus, pedesque ligaverunt, nihil que in eo liberum, nisi cor, & lingua remanserunt, & inspirante Deo totum ei obtulit, quod liberum invenit, ut juxta id, quod scriptum est: corde crederet ad justitiam, & ore fieret confessio ad salutem.* Egit personam veri pœnitentis, & converti, totumque se tradidit Deo. mentitur enim se esse Dei, qui se dimidium illi confecerit, quia vera conversio est totius hominis. Tract. 2. Consid. 2. N. 4. Tract. 15. Consid. 2. Dominic. 3 Quadr N 5.

7 *Domine memento mei, &c. Hodie mecum eris in paradiso.* Quamquam S. Bernardus nolit hanc celerem veniæ obtentionem, esse nobis exemplum, sed miraculum: *Non adducas Latronem in exemplum, sed in miraculum,* ne nimium huic exemplo confidens, peccator vitæ emendationem differat: nihilominus S Ambrosius deprehendit in illis verbis praxim divinæ misericordiæ, volentis nos animare ad fiduciam: *Pulcherrimum autem datur affectandæ conversionis exemplum, quòd tam citò latroni venia relaxatur.* Et ne putetis hos sanctos sibi mutuo contradicere, audite, quod sequitur: *Citò ignoscit Dominus, quia citò ille convertitur, & uberior est gratia, quàm precatio,* id est, non se convertit latro in ultima vitæ hora, quia hæc fuit prima, in qua Christum agnovit, antea autem laborabat ignorantia. Qui ergò voluerit esse particeps fœlicitatis illius, imitetur ejus celeritatem, quia nescit Deus denegare misericordiam suam ei, qui celer est in pœnitendo. T. 6. C. 5. N. 2. usque ad 5. T. 1. C. 1. N. 5.

9. *Domine memento mei dum veneris, &c. hodie mecum eris. &c.* S. Ambrosius: *plus tribuit, quàm rogatur, ille rogavit, ut memor sui esset; Dominus autem addit, hodie mecum eris in paradiso.* Latro petebat gloriam in spe, & Dominus dedit illi paradisum in re, neque existimetis hoc factum fuisse solius pietatis, sed etiam punctum honoris ipsius. si enim solum petitum concederet, non appareret beneficium excellens, quod precibus erat extortum. ut igitur illustrius redderet beneficium, voluit prævenire rogantem, & solicitare non petentem, ut donum acceptet; & ideo rectè dixit S. Ambrosius, uberior est gratia, quàm precatio, nam ea largitas ad generosam Christi munificentiam pertinebat. T 8 C. 1. N. 6. & 7.

10. *Domine memento mei dum veneris, hodiè mecum eris, &c.* S. Chrysostomus: *Attende celeritatem à cruce in cœlum, à condemnatione in paradisum, expulit diabolus de paradiso Adam: Christus latronem impulit à cruce in paradisum.* Quamvis paradisus sit locus deliciarum, sicuti Crux laboris, & tormentorum, noluit tamen mutari finem utriusque, quia commune est in mundo, voluptates esse initia dolorum, & peccati, & econtra evidens argumentum est nos esse Deo gratos dum affligimur, cruciamur, & fugitus infirmitatis, & paupertatis ferimur. T. 5. C. 1. & 4. N. 6. & 7. & T. 23 C 3 N. 5 6. & 7

11. *Hodie mecum eris in paradiso* Ait, ô Domine, non paradisum, sed Regnum postulat. Quidam transferentes hoc vocabulum, asserunt Christum noluisse Latroni dare gloriam sub vocabulo Regni, sed paradisi, eo quod male conveniat gloria cum latrocinio, unde quamvis jam esset conversus, noluit tamen ei confidere gloriam sub titulo Regni. Alius tamen Author modernus admittit quidem esse eamdem gloriam diverso vocabulo expressam; noluit tamen Deus illum non nisi pedetentim ad gloriam ascendere. Quid enim esset, transire statim ex patibulo ad Regnum, sceptrum, & diademata? ascendat ergo prius ad paradisum, & posteà ad gloriam, quia non solet Deus rapere suos subitò, sed lento passu: *Notanter in paradisum primùm inductus est, quàm in cœlum, ut non subitò, sed per gradus ascenderet.* Sciant ergò virtutis studiosi se prius debere peragere, quæ sunt Christiani, & deinde vacare perfectioni. T. 14. C. 1 N 2. usque ad 6.

12. *Hodie mecum eris in paradiso.* Ecquid hoc? insignem profectò, Domine, ducis socium tecum ad paradisum! Fierine potuit, quod tua pietas elegerit talem, qui gloriosum triumphum tuum in gloriam cohonestaret? Desine mirari, inquit Theodoretus, novit, quid faciat; & mea quidem sententia, voluit conciliare authoritatem brachio suo, illudque tam opulentis spoliis exornare, condecorando illum gratia. quem peccatum ita deformaverat: *Quemadmodum quisque Rex victoriosus rediens ex triumpho, optima prædarum fert secum, sic & Dominus prædatus portionem diabolicarum prædarum, scilicèt, latronem ducit secum in Paradisum.* Non est gloriosior præda omnipotentiæ divinæ, quàm conversio unius animæ, & tanto gloriosior est triumphus, quanto major fuit peccator. &c T. 19 C. 2. & 7.

Plura possunt hic tractari, de pœnitentia non differenda, de Dei misericordia, & vera contritione, quibus omnibus abundat hic Author.

Feria

Feria V. in Cœna Domini, Ioan. 13.

1. SCiens Iesus quia venit hora eius. Introducitur Christus eodem tempore simul amans, & sciens, ut ostendat amorem suum non laborare communi vitio amoris mundani, qui cæcus depingitur, & per consequens imprudens neque hoc mirum est, quia cum amor mundanus degeneret à veritate, non est novum quod careat perfectione: verùm divinus, qui est summè verus, necessario debet etiam esse summè sciens: ex hoc facilè intelligetis, cur Spiritui sancto, qui est amor, attribuatur veritas, quæ est objectum intellectus: *Spiritus veritatis, qui à patre procedit, Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis.* Ratio est, quia cum sit summè perfectus, non erat decens ei deficere principale, nimirum esse scientem, ideò ad declarandam perfectionem ejus, attribuitur ei veritas, quæ est objectum intellectus, & vocatur *Spiritus veritatis,* & non, *Spiritus bonitatis,* ad insinuandum, amorem Christi, esse summè perfectum, & scientem, quæ perfectio non competit cæco amori mundano. T.5. C.3. N.5. & 6.

2. *Sciens quia venit hora eius.* Vt sacer Euangelista nobis commendet generosam animi fortitudinem, qua Christus amore nostrûm vitam, & sanguinem profudit, addidit eius scientiam, & notitiam, quæ est anima actionum heroicarum. Si Christus ignorasset ea, quæ illi sufferenda erant in illa hora sua, non fuisset tantæ generositatis illam ingredi; quia quidquid defuisset notitiæ, excusasset pœnam, & dolorem, at vero quod sciens, & prænoscens imminentia sibi tormenta, etiam quoad minimam eorumdem circumstantiam, & nihilominus adeo fortem, & amantem se exhibeat, summopere excellentiam amoris ejus manifestat. Et in hoc maxime provocat nostram gratitudinem, quod præscius tormentorum, tot tantaque pro nobis pertulerit. Tract. 13. Consid. 2. N. 1. usque ad 4. Vide Evang. Dominic. præced. N. 1.

3. *Sciens quia venit hora eius.* Duplici titulo appellavit Christus hanc horam suam: primo, quia erat hora mortis. *Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem,* & quia Christus erat superior omnibus, tam dignitate personæ, quam sanctitate vitæ, ideo videtur mors potius fuisse ipsius, quam alterius: quia excellentia eius super reliquos, reddebat ipsum præ cæteris magis morti subjectum, neque ullius poterat mors dici magis propria, quam ipsius, ut addiscant Reges, & Principes horam suam, & quæ proprie hoc nomen meretur esse mortem, T.28. in Exordio, & C.1. Secundo, vocat illam horam suam, quia in illa fuit maxime beneficus erga homines, & solum reputat Christus tempus suum, & vitæ, quo se totum commodo nostro consecrat, & impendit. Tract. 15. C.2. N.6. & Vide Dominic. præcedentem. N. 9.

4. *Quia venit hora eius, ut transeat.* Notate, inquit S. Chrysostomus, quod non nuncupet mortem, sed transitum: *Transitum eius mortem vocat,* & notate etiam, quod idem sit, *Transitus*, & *Pascha.* Pascha transitus dicitur, ait S. Augustinus, & componendo unum cum altero, elicietis hanc propositionem esse veram, nimirum, quod mortem suam nominaverit Pascha: neque hoc videatur vobis paradoxum, quia tanto mentis jubilo mortem subibat, ut desiderium illius, mortem in Pascha commutaverit. Iustis est mors veluti semita, compendium, & transitus ad gloriam, ideoque illam lætanter excipiunt, & amplectuntur. Tract. 27. Consid. 1. & 2.

5. *Cùm dilexisset suos.* Potest commodè hoc die prædicari T.16. omnesque ejus Considerationes possunt applicari huic Feriæ. Introducitur enim Christus hodierna die amore flagrans, dum hoc Sacramentum instituit, male ergò poterit quispiam hoc Sacramentum digne recipere, nisi etiam amore exæstuaverit, & unione charitatis fuerit Deo conjunctus. Vide T. 16. C.1. & T.5. C.2. N.3. Vt scias an sis Dei, lege T.8. C.3. N.1. usque ad 4. & T.2. C.2. N 4. & T.15. C.2. N.5.

6. *Deponit vestimenta sua.* Quamvis hæc depositio vestium plura contineat mysteria, non tamen minimum est connexio, quam habet cum hoc Sacramento, abnegatio, & abdicatio rerum temporalium, quamvis enim vestes Christi essent viliores, voluit tamen se illis expoliare ad inchoandum tam eminens mysterium. Certum est pauperes, & humiles singulare jus habere ad hanc mensam, & cœnam; qui itaque voluerit frui hac dulcedine, ab omnibus, etiam minimis, se expediat. T.16. C.3. & T.24. C.3. N.4. uti ulmus, ut sustentet vitem, omnibus exuitur fructibus, ut mereatur recipere, & amplecti vitem. Applica sanctissimo Sacramento.

7. *Cœpit lavare.* Omnes Interpretes varia scrutantur in hac actione Christi mysteria, & præsertim humilitatis ipsius. Chrysostomus: *Et æqualiter humilitatem ostendit.* In quo nos docuit Christus connexionem, quā habet humilitas cum hoc sanctissimo Sacramento, vel, uti dispositio ad formam. T.16 C.2.

8. *Cœpit lavare.* Narrant quod cœperit, & tacent, quod finierit. In quo instruimur, nos taliter debere bona opera facere, ac si semper inciperemus, & nondum incœpissemus. T.19. C.1. & alibi.

9. Cœpit

9. *Capit lavare.* Attendite, inquit Origenes, quos laverit, nimirùm pedes Apostolorum, qui cùm fuerint socii, & discipuli talis Magistri, haud dubiè fuerunt perfectissimi: & tamen habuit in illis locum lotio, quia quamdiu vivimus in hôc mundo, semper habemus adhuc aliquid purificandum. Vnde semper cautè vivendum, & cum tremore ambulandum. T.6.C.1.& T.18. C. 3.N. 1. usque ad 5. Vide Dominic. in Passione N.1. cum aliis locis ibi citatis.

10. *Et extersit linteo.* Non est dubium, quin sordes eorum, qui lavantur, transeant ad linteum, quò purificantur: neque etiam dubium est, inquit S. Augustinus, quin linteum illud denotet humanitatem Christi, in quam translatæ sunt omnes infirmitates nostræ, ut nos mundi fieremus: *Linteo, quo erat præcinctus pedes, quo laverat, tersit, quia carne, qua erat indutus, vestigia Evangelistarum confortavit: unde tota eius passio, nostra purgatio fuit.* Quidquid imperfectionis repereris in humanitate Christi, tuam supellectilem esse cogita, & quod amor eius omnes infirmitates nostras sibi appropriaverit, & quidquid animositatis, seu roboris deprehenderis in te, cave, ne tuum repures, quia id à Deo habes, qui sua tibi dedit, & tua sibi assumpsit. Tract.1.Consid.3.

Dominica Paschæ. Marci. 16.

1. **E***T valde manè.* Si liceat hodiè quædam honesto sale condita proferre, ut post molestas Quadragesimæ occupationes parumper animum relaxemus; dicam unum, quod excogitavi circa præ maturam harum mulierum profectionem ad monumentum, neque enim timent obscuras noctis tenebras, neque alia curant incommoda, quæ eis accidere poterant. Ecquæ causa? an forsitan sola devotio illas permovit ad maturandum iter, & tam manè surgendum? Minime gentium, quia etiam amor proprius in illis suas egit partes, nam voluerunt, ut obscuritas noctis suæ incompositioni, & deformitati patrocinaretur: neve de die deformes aut incompositæ apparerent. Planctus nimius, & incommoditas præteritarum noctium nonnihil facies earum defœdaverat, & ideò quamvis sanctæ verebantur prodire in publicum, & inter horrorem, quem noctis tenebræ incutiebat, & turpitudinē, quam dies erat revelatura, maluerunt potiùs timore percelli, quàm deformes apparere: quia libentiùs quæcumque mulier, etsi sancta, perdet vitam, quàm non videri formosa. T.2.C.4.

2. *Et valdè mane.* Missa faciamus faceta, & rem ipsam elucidemus. Certum est, quod quia amore Christi captæ erant, omnem metum, & tenebras noctis flocci fecerunt, nam si amore caruissent, numquam tam intrepidè tot pericula tentâssent. Qui verè amat, etiam impossibilia aggredi præsumit. T. 20. C.1.N.1. usque ad 6.

3. *Et valde mane, orto iam Sole.* Hic disceptant Interpretum ingenia, quomodo hæc duo cohæreant, *valde mane, & orto iam Sole?* Qui legerit sanctum Augustinum in catenâ sancti Thomæ, facilè componet sensum litteralem, verum mysticè, seu allegoricè, fuit hæc Solis præmatura acceleratio, prudens quædam præventio, qua Sol luce sua voluit approbare pietatem harum mulierum, quia adeo suspectæ sunt actiones, quæ fiunt in tenebris, ut nisi harum mulierum pietas claritate Solis confirmaretur, posset eius bonitas seu probitas in dubium vocari. Tam familiares sunt tenebræ peccatis, tamquè amica lux veritatis, ut satis sit aliquem operari nocte, ut habeatur malus, & econtrà sufficiens testimonium probitatis sit publicè coràm omnibus operari. M.T.17.C.2.N.5.& 6. Vide Dom. in Passione N.3.& citationes ibi positas.

4. *Et valde mane.* Vel possumus dicere, has mulieres voluisse nos docere, quantâ cautelâ virtutum opera sint facienda, volentes enim hoc summum pietatis opus, quale est ungere corpus Christi exerçere, elegerunt tenebras noctis, ut illud ab oculis hominum occultarent. Sunt enim maximè solliciti ne sua bona opera propalentur. Vide T.11.C.2.

5. *Veniunt ad monumentum.* Hoc verum exemplar est charitatis inflammatæ, nimirum non expectare donec ab indigentibus solicitetur, vera enim charitas ultro quærit necessitates, quibus opituletur. Festinæ currunt ad ungendum corpus Christi, & quia S.Gregorius in hac piâ actione adnotavit misericordiam impendendam pauperibus, qui sint principaliora corporis mystici membra, cujus Christus est caput, addiscamus ex his mulieribus modum succurrendi necessitatibus proximorum. T.8.C.1.N.6.& 7.

6. *Et obstupuerunt.* Quorsum sunt hi timores? inquit S. Gregorius: *Paveant illi, qui non amant adventum supernorum civium, pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi, ad eorum societatem pertingere posse desperant Vos autem cur pertimescitis, qui vestros concives videtis?* Fuit hic amor non ex pusillanimitate, sed confidentiâ natus, videntes enim se tot cœlestibus donis condecoratas, oculos suos ad humilitatem inflexerunt, tamquàm se tanto honore indignas existimantes. O quantum timent Sancti etiam dum maximis à Deo favoribus cumulantur! T.6.C.1.& T.21.C.3. N.1. usque ad 4.& alibi.

7. *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.* Ecquid dicitis Spiritus Angelici? non quærunt crucifixum, sed gloriosum; ut quid igitur gloriosæ resurrectionis ejus triumpho, mortem, & crucem ejus immisces? Forte voluit nos docere modum in prosperitate nostra servandum, ut scilicet in majori gloria, semper præteritarum adversitatum recordemur, & ne vilitatis nostræ prioris obliti in superbiam elevemur. T.18.C.1. Vel immiscet passionem gloriæ, ut semper præ oculis habeamus, quanto labore, quotque impensis, & tormentis Christus hanc sibi resurrectionis gloriam comparaverit, ut certiores reddamur nos haud quaquam ad illam gloriam perventuros, nisi ad ejus exemplum prius crucifigamur. T.18.C.4.N.10.& T.23.C.3.à N.5. usque ad ultimum.

8. *Crucifixum, surrexit.* Conjunxit Crucem, in qua postremos pertulit dolores, cum resurrectione, in qua luce splendidissima fuit perfusus, ut magis suum illustraret triumphum, & ex iisdem mediis, quibus Iudæi ruinam ei, & exitium intentaverant, gloriosior appareret. Vide ad hoc propositum, qualiter Deus hostes suos propriis eorum armis expugnet. T.25.C.2.N.4.& 6.T.10.C.2.N. 7.& M.T.16.C.1.

Finis Indicis Concionum Secundi Tomi de Sanctis.

Ad Majorem Dei B. M. V. & SS. Gloriam, &c.

